Gerardi Ioannis Vossii De theologia gentili : et physiologia christiana; sive De origine ac progressu idololatriæ; deque naturæ mirandis, quibus homo adducitur ad Deum.

Contributors

Vossius, Gerardus Joannes, 1577-1649.

Publication/Creation

Amsterdami : Apud Joh. & Cornelium Blaev, 1641.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/sfr93nf9

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org







34974/B

P. II

1816

16 C 3728

orantes pro eis. Comedentes hostias & non corripientes: qui ubi morituros homines audiunt, inde gaudentes, & præparant se ad prædam, quasi corvi ad cadavera mortuorum. Nunc ergo fratres, qui voluerit sacerdotalem authoritatem accipere, in primis cogitet propter Deum, & præparet arma ejus antequam manus Episcopi tangat caput, id est, psalterium, lecti-



3278 c

GERARDI IOANNIS VOSSII DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE AC PROGRESSV, LIBRI PRIMI PARS PRIMA;

Qua de religionis primævæ reliquiis, & neglectu earum, agitur generatim.

CAPVT I.

Vt spiritus adversarius sollicitare nunquam destiterit homines ad pravum de Deo sensum; è contrario autem misericors Deus non siverit interire traditionem sui primævam, certissimis è naturæ opificio, ac gubernatione ejus, argumentis firmatam. Ex ampla testium sylva producti, Tertullianus, Clemens, Basilius. Cur Diagoras, & similes, ἄθεοι vocati: cur Anaxagoras, & Socrates ἀσεβείας damnati. Mundi opificem Deum agnitum à Thalete, Platone, Tullio: quorum Platonem perperam cum Aristotele conciliare conati sint sectatores sui. Occurritur eorum argumentis, qui mundum hunc vel fortuito casui originem suam debere, vel necessitate aliquâ exortum, aut semper fuisse judicarunt.



MMENSVM hoc beneficium est, quòd Deus, non contentus hominem condidisse, eum, præmio vitæ æternæ proposito, rationem docuerit colendi sui. Sed diabolus, quâ invidiâ erat, perferre non potuit, si terræ filius, se, qui origine tanto nobilior foret, de cælesti arce dejecto, ad tam sublimem eveheretur gloriam ac dignitatem. Quocirca quem ambitio everterat, nullam intermisit industriam, quo minùs & homo majora iis affectando, quæ accepisset, similiter se illis exueret, quæ haberet. Mulierem igitur, falli pariter ac fallere magis idoneam, illecebris suis adortus fuit: parvoque negotio rem tantam persuasit, utcunque & illa, & maritus, divinum transgrederentur mandatum, nihilominus mortem nequaquam obituros: quin contrà eventurum, ut multò, quàm antea, acutiùs omnia perspicerent; quippe malum juxtà scientes ac bonum. Sed de morte fœdo iis mendacio illusit: de scientia verum quidem retulit; at quàm noxium fuerit experientiâ malum addiscere, exitus comprobavit. Postquam enim mulier à serpente decepta, in pec-

VOSSIUS, G. J. De theologia gentili et physiologia Christiana. 1641 Pts 1-2 (74)

cati consortium pertraxit virum : oculi quidem iis aperti fuere, sed ita, ut viderent se tegumento destitui, non tunicæ modò, verùm etiam virtutis. Foliis igitur ficus, umbratili prioris voluptatis symbolo, verenda contecti, serò deplorarunt, non suam modò, sed omnis posteritatis miseriam : ut quam suo delicto paradiso & immortalitate privassent. Adamo enim peccante, omnes in massa peccavimus : constituto eo sub peccato, omnes nascimur peccatores, atque ut peccati, sic mortis hæredes. Meliùs fuerat nunquam educi è sinu matris, quàm sic in lucem prodire. Sed iis, quos debitæ pœnæ sententia colligârat, mox gratia affulsit indebita ; Deo pro immensâ erga nos misericordiâ primis parentibus, & inde nascituris, pollicente in paradiso, quem tempori misit, semen mulieris, filium suum servi formâ assumtâ ; ut per eam naturam, quam se vicisse diabolus gaudebat, ipse vinceretur, nec gloriando de se homo iterum superbiret. Post promissa hæc homini facta, non sibi otioso esse licere, malignus ille Spiritus existimavit. Fore alioqui vidit, ut, quem abdicatum gaudebat, adoptetur, ejectus recipiatur, mortuus tandem resuscitetur : & quod omnium indignissimum judicabat, in cælos, unde ipse irreparabili ceciderat casu, glorioso evehatur, de potestate contrariâ æternùm triumphaturus. Ejusdem igitur, si non majoris, invidiæ stimulis percitus, præsentissimum hoc consilium statuit, si quamdiu homines lucis fruerentur usurâ, non cessaret ipse sollicitare omnes, pro sua quemque indole, ad omne peccati genus ; ac imprimis, ut creaturam colerent pro Deo, non sine horrenda divini numinis injuria. Hoc igitur tam præsens venenum inspirare omnium animis gestivit. Sed Deus, ne pereat quisquam, nisi qui suo in præceps ruere velit arbitrio, nunquam hominem sine antidoto reliquit contra hoc insanæ sapientiæ virus. De Enosi temporibus, quando idololatriam cœpisse Maimonides arbitratur, nihil nunc dicam : eò quòd vetus ille orbis diluvio interciderit totus, Noacho & familia ejus exceptis. Solùm loquar de illis, qui ex Noacho originem ducunt. Hos in duas partes dispesco, pro duplici gratiæ mensura. Etsi enim Deus Abrahamum, & posteritatem ejus, singulari beneficio in populum suum elegit : non propterea tamen gratiâ suâ penitus destituit cæteros. Siquidem conservavit in iis quorundam notitiam : ut quòd Deus esset, & mundum administraret, & colendus esset, & cultores præmium, non colentes sua maneret pœna. Quæ fundamentum sunt religionis universè consideratæ. Vnde Hebr. xi, 6, *Accedentem ad Deum credere oportet, esse, & quærentibus se esse remuneratorem.* Hæc cùm priùs constarent revelatione divinâ, quia ex Deo ista homines cognoverant ; in posteris, quos Deus alloquio suo non dignabatur, naturam induerunt traditionis humanæ, quæ hodiéque in barbaris

baris etiam gentibus viget & veget. Atque hoc est, quod Lactantius lib. 1 de falsa Relig. cap. 11 vocat, *testimonium populorum atque gentium, in una hac re non dissidentium.* Et quid apertius his Senecæ verbis epist. CXVII: *Veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam Deos esse* (mallem *Deum* dixisset) *quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeò extra leges moresque posita, ut non aliquos Deos credat.* Nec tamen existimandum, hunc consensum sola esse traditione suffultum. Siquidem cùm gentes etiam efferæ, nec multum sollicitæ de rerum natura, traditione solâ, vel penè solâ, hæc cognoscerent: aliud accessit nationibus istis, quæ humanitatem minus exuerant. Mundi enim consideratione ita sunt firmatæ, ut liquidò viderent, certissimâ esse ratione subnixa, quæ traditione accepissent. Nimirum cernebant singula & sensu prędita, & ejus expertia, animata pariter & inanima, certum ob finem agere, aliaque aliis inservire. Nec enim terram propter se, vel Sol calefacit, vel nubes irrigat; nec terra vel tepefacta à Sole, vel madefacta à pluvia, sui gratiâ herbas ac fructus producit; sed propter muta animantia, ac hominem imprimis, qui mentis altæ capax in cætera dominatur: quod gentilis etiam poeta agnovit initio operis, ut ipse appellat, de formis in nova corpora mutatis. Hæc sine consilio esse non possunt. Aliter si esset, singula rarò, non semper, nisi impedimentum afferatur, suum apiscerentur finem. At non suo id consilio faciunt. Alius igitur est, qui dirigat universum. Vt huic quoque adscribi debeat, quod muta animantia, etiam sine exemplo agant tam multa instinctu naturali: quod præterea è certi generis semine certæ proveniant plantæ: atque illæ itidem sui generis plantas producant: quod item Sol & sidera certos habeant motus, quibus volvantur. Nempe uti, qui præter se hominem conspicit neminem, si telum viderit emissum, rectè colligat, hunc inanimæ rei motum esse ab aliquo, qui occultè hoc telum librârit: ita qui cernat res sensus expertes, sæpe etiam nec vitâ prædítas, tendere ad finem certum, ac universo utilem, à quo nec aberret, nisi impediatur; is quoque statuat necesse est, res eas ab aliquo gubernari. Neque hæc solum ostendunt, esse quempiam, qui mundum hunc nutu suo temperet: sed liquidò etiam testantur, eundem esse architectum universi. Siquidem omnia singulaque non solùm propter finem agunt, sed etiam sunt propter finem: ut quæ naturam habeant, tum singularis boni appetentem; tum universali sic naturæ innexam, ut particulare bonum referant ad bonum universi. Hæc tam clarè è natura relucebant, ut quin vera esset illa omnium gentium traditio de Deo, minimè potuerit dubitari. Nimirum, ut scitè ait Tertullianus libro de Resurrect. carnis: *Præmisit Deus Naturam magistram, submissurus & Prophetiam, quo facilius credas Prophe-*

tiæ, discipulus Naturæ. Quo sensu admittimus illud Clementis Alexandrini in VI Στρωμ. ubi philosophiam appellat ὑποβάθραν τ̃ κ̃ χειρὸν φιλοσοφίας; nempe non ut fundamentum, prout vertit interpres; sed ut imas potius scalas Christianæ dicat philosophiæ. Atque eâ mente etiam à B. Basilio in Hexaem. mundus nuncupatur τ̃ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, & τ̃ θεογνωσίας παιδευτήριον· *animarum rationalium schola, ubi in Dei notitia erudiantur.* Vt non immeritò hoc de libro sic gentili philosopho B. Antonius dicat apud Socratem lib. IV Hist. Eccl. cap. XVIII: Ω φιλόσοφε, ἡ φύσις τ̃ γεγονότων ὅδι, & πάρεστιν ὅτε βούλομαι τὰς λόγους ἀναγινώσκειν τὰς τ̃ Θεοῦ· *Meus liber, o philosophe, est natura rerum à Deo conditarum: in qua, quotiescunque sic animo meo visum, legere possum, quæ Deus dicit.*

Objectant, à Protagora Deos in dubium vocatos, exclusos à Diagora, & Theodoro Cyrenaico. Ac de Protagora scio id tradere Tullium in primo de Natura Deorum, & Theodoretum in secundo, & sexto Therapeutices. Et satis res liquida ex eo, quod, ut est apud Laertium in ejus vita, his verbis librum aliquando exorsus fuit: Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ' ὡς εἰσὶν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν· *De Diis quidem, neque utrùm sint, neque an non sint, habeo dicere.* De Diagora testes, Tullius ibidem, Plutarchus de philosoph. placitis, & Suidas. De Theodoro inibi Tullius, & Laertius in Aristippo. Sed an hosce pauxillos tanti putemus, ut aliquo eos loco habeamus præ infinita illorum copia, qui contrarium docuerunt? præsertim cùm quanto quisque vir melior fuit, tanto minus de eo dubitarit. At de vita eorum, quos opponunt, quid dicam? De Theodoro quidem illud ex Laertio constat, postquam omnem de Diis opinionem sustulisset, docuisse etiam sapientem suum (sed ne nihil videatur dicere, addit, loco temporeque opportuno) adulterium & sacrilegium commissurum, ac citra pudorem in propatulo rem habiturum cum scortillo. Præterea ne illud quidem satis est apertum, an omnes isti numen esse negarint. Nam rationi magis consentaneum est, atheos vocatos, à nostris quidem, quia sic apud gentiles legissent; à gentilibus verò, quia Deos gentium pro Diis non haberent. Nec enim discrepat hoc à moribus Athenienſium: cujus rei exemplum capere licet ex Anaxagora Clazomenio: ut qui à Cleone ἀσεβείας † sit accusatus, quia Solem quem pro Deo colerent Athenienses, dixisset μύδρον διάπυρον: quod Laertii interpretes Ambrosius, & Aldobrandinus, ut de Brognolo taceam, *ferrum candens, atque ignitum* vertêre; cùm potius *massam candentem*, vel *globum ignitum*, debuerint dicere. Quomodo & discipulus Anaxagoræ Euripides in Phaëtonte fabula Solem dixit χρυσέαν βῶλον, *auream glebam.* Porro, absque Pericle fuisset, qui præceptorem & defendit, & in præsenti periculo urbe dimisit, capitis esset damna-

† impietatis.

damnatus. Imò ſic quoque quinque talentis & exilio multatus dicitur. Qua de re vide Plutarchum in Pericle, quæque ex Sotione, Satyro, Hermippo, & Hieronymo, attulit Diogenes. Quid ergo? eone Anaxagoram ἄθεον & ἀσεβῆ * putabimus? Quin ipſos potius judices tam horrendi criminis credimus reos. Quippe hic ille Anaxagoras eſt, qui, ut ibidem refert Plutarchus, πρῶτος τοῖς ὅλοις ὐ τύχλω, ὐδ' ἀνάγκλω διακοσμήσεως ἀρχλὼ, ἀλλὰ νῦν ἐπέςησε καθαρὸν & ἄκρᾶλον ἐμμεμιγμένον πᾶσι τοῖς ἄλλοις, ἀποκείνονζα τοῖς ἄλλοις· *primus univerſitati, non fortunam, neque fatum, ordinatæ deſcriptionis principium; ſed Mentem puram ac ſynceram præfecerit, ab aliis omnibus admixtis ſimiles particulas ſecernentem.* Atque hoc quoque Ariſtoteles tradit lib. VIII φυσικῆς ἀκροασ. cap. I: ubi ait, ex ejus opinione in materia infinita κίνησιν ποιῆσαι τὸ νῦν, & διακείναι, *Mentem motum produxiſſe, ac partes ſecreviſſe.* Quem ad locum Simplicio dicitur iccirco ex mente Anaxagoræ κοσμοποιὸς νῦς, *univerſi effectrix Mens.* Idem tradit Galenus, & Laertius loco memorato, & apud eum Timo in Sillis. E Latinis M. Tullius in Lucullo ſive IV Tuſc. Quæſt. *Materiæ*, inquit, *infinitæ particulas ſimiles inter ſe, & minutas, primum confuſas, poſtea in ordinem adductas à Mente divina.* Ac primo de Natura Deorum; ubi de eo ait: *Primus omnium rerum deſcriptionem & modum Mentis infinitæ vi ac ratione deſignari & confici voluit.* Similiter Lactantius, Auguſtinus, alii; quibus quid inſiſtam? quando Laertii induſtria nobis ipſa Anaxagoræ verba conſervavit. Sunt autem hujuſmodi: Πάνζα χρήμαζα ἦν ὁμοῦ· εἶζα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε· *Omnia ſimul erant: deinde acceſſit Mens, eaque compoſuit.* Quàm apertè hic opificem ab opificio diſtinguit! Hoc ferre non potuere Athenienſes, ac ἀθεότηζα † vel ἀσέβειαν ‡ vocarunt. Quorum judicium ſequens Lucianus in Timone ait, Iovem in Anaxagoræ caput fulmina vibrâſſe, eo quòd familiares ſuos docuiſſet, non eſſe Deos, qui vulgo crederentur. Sed Lucianum quid dico? Ecce Iuſtinus Martyr oratione ad Græcos eum ἄθεον * appellat. Nempe ſanctiſſimus vir ſecutus hac parte adverſariorum ſententiam: quod factum nollem. Nam quis innocens erit, ſi ex inimicis ferendum judicium? Similiter autem & Socrates, quia non eoſdem, ac Athenienſes ſui, coleret Deos, ab Anyto, Melito, ac Lycone oratore, impietatis accuſatus; ab Athenienſibus autem, ducentis & octoginta ſententiis pluribus, quàm abſolveretur, fuit condemnatus: ut eſt apud Ciceronem in primo de Oratore, & Laertium. Quod verò aliquis propter ea, quæ de Anaxagora dixi, primum exiſtimet ſtatuiſſe Mentem mundi opificem, id longè aliter eſt. Primus quidem Mentem infinitam agnovit, quæ ex infinita congerie partes ſimiles ab aliis ſecerneret, iiſque componendis res novas produceret, iis ſegregandis res veteres deſtrueret. Sed non ἁπλῶς † primus è philoſophis

* *ſine Deo & impium.*

† *negationem Dei.*
‡ *ſublationem cultus divini.*

* *Dei conficiatorem.*

† *ſimpliciter.*

losophis Græcis mundi agnovit opificem. Nam & Ionicæ philosophiæ conditor, Thales Milesius, à quo disciplinam suam hausit Anaximander, uti ab illo Anaximenes, Anaxagoræ præceptor, eâdem in sententia fuit: ut auctor nobis M. Tullius in primo de Natura Deorum: *Aquam*, inquit, *dixit esse initium rerum: deum autem eam Mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret.* Quorum utrumque etiam de Thalete refert Minutius in Octavio, & Lactantius lib. 1, cap. 11. Maximè autem hæc de mundi opifice ac rectore sententia viguit post Socratem. Aliter scio & tum philosophi nonnulli; si præclarum hoc Sapientum nomen merentur, qui insaniæ eo devenerant, ut fortunam omnium & causſam, & dominam contenderent. Verum hos (Lactantii verbis utar*) *cæteri philosophi, ac maximè Stoici, acerrimè retuderunt, dicentes, nec fieri mundum sine divina ratione potuisse: nec constare, nisi summa ratione regeretur.* Stoicos imprimis celebrat: sed non minus laudis promeritus est Plato: qui Deum passim vocat δημιουργὸν τῶν ὅλων, *opificem universi.* Cæterum, quibus ægrè erat, si uspiam Plato errasset, hi cum Aristotelis de mundi æternitate argumenta solvere non satis possent, doctorem suum cum eo conciliare sunt conati. Sed nolim hac parte fidem detrahere Aristoteli, qui annis viginti præceptorẽ † audivit: ac eam, quam dixi, opinionem magistro tribuit lib. 1 de cælo cont. cix, eámque in Timæo legi sic ait, uti hodieque reperimus. Nec dici potest, quam studeant Platonici, ut aliò illa torqueant, quæ ab eo in Timæo scripta sunt. Atque interim, neque cum Crantore, qui in Timæum est commentatus, convênit Taurus: neque cum alterutro Iamblichus, Proclus, aut Simplicius: neque cum illis Appulejus, aut Alcinous. Adde jam quod non in Timæo solùm id dicat Plato; sed aliis etiam locis: uti epist. ad Dionysium. Mentemque hanc ejus fuisse, ac in contrariam recessisse Aristotelem, tradit Alexander; quo Græcorum nemo, nedum Latinorum, vel Arabum, Aristotelis mentem, vel hac in re, vel in aliis etiam, melius perspexit. Atque idem de Platone testantur Cicero, Plutarchus, Laertius: item è nostris Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Augustinus, Theodoretus, Stobæus, ut alios mittam.

Platonem quoque secutus hac parte M. Tullius. Nam etsi sæpe Academicam tueretur ἀκαταληψίαν †: quando tamen ex sua loquitur sententia, Platonis opinionem fortiter defendit. Vnde in secundo de Natura Deorum legas: *Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cùm cælum suspeximus, cæleſtiáq; contemplati sumus, quàm aliquod esse Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* Et lib. 11 de Divinatione: *Esse præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.* Sic colligit hic Cicero, ex sola consti-

* *lib. 1 de falsa relig. cap. 2.*

† *Apollodorus apud Laert.*

† *incomprehensibilitatem.*

constitutione naturæ. Longéque efficacius idem comprobatur, si addamus, quam dixi, providentiam divinam: qua mundum administrari, idem Tullius agnoscit.

Sed auctoritate tantorum virorum, parum apud patronos Fortunæ proficimus. Ratio potiùs cum ratione decertet. Negant opus esse, ut statuamus hujus mundi opificem, quando dicere liceat vel casu eum, vel necessariò exstitisse. Sed in eo, quod de fortuito ac cæco casu contendunt, cæciores mihi Fortunâ ipsâ videntur, quam cæcam effingunt. Quod enim palatium, quod aliud opus mirandum casu unquam viderunt provenisse, ut de amplo mundi amphitheatro id sustineant dicere? Quo argumento rectè eos oppugnat Plutarchus libro de Placitis philosophorum: *Οὐδὲν τῶν καλῶν εἰκῇ, & ὡς ἔτυχε γίνεσθαι, ἀλλὰ μετά τινος τέχνης δημιουργούσης: nihil pulcri temere & fortuitò nascitur; sed ab arte aliqua efficitur.* Adhæc non possunt ignorare, omnem causam per accidens, quales sunt fortuna & casus, subnixam esse caussa quapiam per se. Quomodo si sacrorum caussa in templum iturus, in creditorem diu quæsitum insperatò inciderim; fortuna id factum dixero: ubi voluntas mea per se erit caussa itionis in templum; per accidens, incidendi in nummarium meum triconem. Et, si tegula de tecto decidens, calvam prætereuntis pertundat, casum id vocamus: ubi lapsus quidem per accidens est caussa vulneris: at gravitas lapidis per se erit caussa, cur deciderit; durities ejus item & acumen, cur vulneret. Quamobrem, si casui, sive fortuito atomorum concursui, hæc naturæ compages debetur, ut Democritus putavit: quam, quæso, ex eo genere, quæ per se caussæ dicuntur, poterunt adferre? Atque idem statuendum de conservatione mundi. Vbi quod, nisi aliquid obstiterit, eodem modo agat natura; rubore eos suffundere debet, qui non erubescunt dicere, casu aut fortuna hæc regi. Ac cogitanti, cur eo impudentiæ devenerint, facilè occurrit, vel hoc esse ab aliqua ingenii imbecillitate; quia ex nonnullis, quæ objicerentur, non satis se possent expedire: vel ab insigni esse ambitione; quia supra receptissimas sapere sententias vellent. Nec absurdè de nonnullis, barbâ magis, & pallio, quàm sententiâ & vitâ philosophis, propterea hæc placita eos amplexos putemus; quia sic minori animi scrupulo peccatis indulgerent. Quales nihil pensi habuere apertissima ire inficias, dummodo thesi inservirent semel susceptæ.

Dixeris cum aliis, mundum hunc, ut non cæco casu, cæcâ tamen necessitate exstitisse. Sed sic quoque temporis initium agnoscunt; eoque etiam originis principium fateantur, necesse est. Nam si mundus cœpit, ab aliquo originē cœpit: quod saltem negare eos non oportuit, quibus placet,

De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.*

* *Persius sat. 3.*

Nos

Nos ſcimus, ex nihilo factum aliquid : ſed aliquid factum eſſe ab nihilo, id verò abſurdiſſimum putamus. Et hac parte conſentit nobiſcum Ariſtoteles : cujus certiſſimum illud effatum habemus Metaphyſ. IX, cap. VIII : Αεὶ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος, γίνεσθαι τὸ ἐνεργείᾳ ὄν, ἐκ τοῦ ἐνεργείᾳ ὄντος. ſive, ut cardinalis Beſſario legit, ἐκ τοῦ ἐνεργείᾳ ὄντος. Si Latinè, & Scholaſticorum verbis malis, *Semper ex eo, quod potentia eſt, fit actu ens ab eo, quod actu eſt.* Sive, *ab actu exiſtente.* Etiam pugnantiſſima eſſe, ut aliquid neceſſario ſit, & aliquando cœperit, idem eos docere poſſit in ſecundo de Generat. & Corrupt. cap. XI, cont. LXVIII : Τὸ ἐξ ἀνάγκης, καὶ ἀεὶ, ἅμα. *Neceſſario & ſemper ſimul ſunt.* Quod pluribus ibidem declarat.

Viderunt hoc alii, qui iccirco ſtatuerunt, mundum non cæco caſu, ſed neceſſariò, ac proinde ſemper fuiſſe. Eamque ſententiam ſecutus eſt Pythagoras Samius : ſi Varronem audimus lib. II de R. R. cap. I. Eandem Ariſtoteles duodecim, Proclus viginti, Averroes totidem, quot Ariſtoteles, argumentis defenſitavit. Sed Proclo luculentè reſpondit Philoponus : ac quia Philopono ſe oppoſuit Simplicius, huic occurrit è junioribus Steuchus Eugubinus, item aliis alii : ut nihil magnopere hoc attineat loco eadem reponere, quod eſſet actum agere. Solùm dixero, ſi mundus ſemper fuit, infinitos nos habituros majores : in cæteris etiam animantibus, quæ ex ſemine generantur, datum iri progreſſum in infinitum : quod in cauſſis per ſe eſſe nequit. Vt omnino agnoſcere cogamur, fuiſſe homines primos, fuiſſe gallinam ante ova, quæcunque animo conceperis. Et aliter ſi eſt, unde tam recens eorum memoria, qui artes quaſque invenerint ? unde item, quod illorum nec vola, nec veſtigium ſuperſit, qui infinitis antè fuerint temporibus ? Quod argumentum tanti etiam viſum Lucretio † fuit, ut propterea cœpiſſe hunc mundum, & ſatis eſſe recentem fateretur.

† lib. 5.

CAPVT II.

Emunctioris naris gentiles vidiſſe, unum eſſe Deum, ſaltem principem : item undecunque perfectum. Perfectiones haſce triplici, juxta Dionyſium, viâ cognoviſſe : ad tria etiam genera eas ab Aquinate referri. Iiſdem Deum eſſe incorporeum : ac ſuper hoc Tertullianus cum Platone conciliatus. Infinitum etiam ſtatuiſſe : ac ob naturæ excellentiam, & benefacta, coli à nobis velle & debere : atque hoc quoque colligi ex mentis ſibi malè conſciæ angoribus. Deum verum ex parte à gentilium aliquibus cognitum videri. De ara ignoti Dei apud Athenienſes ; & ſacris incerti Dei apud Romanos ; item iſtac in gentilium ſacris precatione, Domine miſerere ; *deque Deo Cneph apud Thebaidos incolas.*

Hacte-

HActenus vidimus, ut Mosaicæ etiam, & Christianæ doctrinæ expertes, partim traditione perpetuâ, partim è rerum naturâ, cognorint universitatis parentem & opificem. Ex eâdem verò doctrinâ per manus traditâ, rationéque firmatâ, non multos, sed unum animo conceperunt, qui omnia condiderit, & arbitrio suo moderaretur. Itaque illi etiam, qui mundi gubernationem à pluribus dicerent sustineri; cùm tamen aliquid maximè serium promere vellent, veterem servare consuetudinem, quàm novæ insistere, maluerunt. Vt qui *Deum* potius, quàm *Deos*, dicerent. Vnde Lactantius lib. II, cap. I: *Cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Iovem aut Deos multos, sed Deum nominant. adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Pluriáque inibi in hanc mentem. Idem lib. I, cap. II: *Victi de uno Deo, cùm id negare non possunt, ipsum se colere affirmant: verum hoc sibi placere, ut Iupiter nominetur.* Nec temere hoc à Lactantio dici, ipsa gentilium confessione comprobatur. Senecam audi lib. IV de beneficiis cap. VII, ubi inter alia ait: *Quoties voles, tibi licet aliter, hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, ac Mercurium nostri putant. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia* EIVSDEM *Dei nomina sunt, variè utentis sua potestate.* Alium dabo, itidem gentilem. Is erit Maximus: qui sic suo, aliorumque gentilium nomine loquitur epistolâ ad B. Augustinum: *Equidem unum esse Deum summum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus, neget esse certissimum? Hujus nos* VIRTVTES PER MVNDANVM OPVS DIFFVSAS *multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium ignoremus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit, ut dum ejus* QVASI QVÆDAM MEMBRA *carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profectò videamur.* Nec eorum hoc duntaxat judicium est, qui à nato Christo vixerunt. Similiter enim vetustissimi philosophorum sensere. Vti Italicæ sectæ princeps, Pythagoras. Hinc Lactantius de Ira Dei cap. XI: *Pythagoras unum Deum confitetur, dicens incorporalem esse mentem.* Ideo & Deum vocabat Μονάδα sive unitatem. Macrobius in Somnium Scipionis lib. I, cap. VI: *Monas initium finisque omnium, neque ipsa principii aut finis sciens, ad summum refertur Deum.* Idem cognoscere est ex Nicomacho Gerasseno apud Photium, & Anonymo in Theologumenis Arithmeticis. Quorum verba, si fontes adeundi otium desit, petere licebit ex magno viro, &, quæ rara virtus, sine ambitione hasce literas colente, Ioanne Meursio, in erudita dissertatione de Denario Pythagorico, pro veteri amore, nomini meo, & hoc gratiori, dedicatâ. Nec me fugit, Pythagorã plures Deos coluisse. Attamen unum agnoscebat patrem Deûmque hominumque: cæteros pro minoribus habuit

buit Diis, quippe ſummi illius miniſtris. Hoc docet Onatus Pythagoricus, his verbis: Τοὶ δ' ἄλλοι θεοὶ πολὶ τ πρῶτον θεὸν, & νοηλὸν ὕτως ἔχονλι, ὥσπερ χορευλὰ πολὶ κορυφαῖον, ἢ σραλιῶται ποτὶ σράλαγὸν· *Reliqui Dii erga primum ſummumque mente cognoſcendum, ſic ſe habent, ut chorus ad coryphæum, & milites ad ducem.* Ita et Onati nomen, & ejus verba, in Stobæi Eclogis legi oportere, non erit obſcurum, ſiquis primum tertiumque caput, quæ nunc perturbate leguntur, inter ſeſe conferre volet. Ac Plato ſimiliter, epiſtolâ ad Hermeam, & Coriſcum *: Τὸν δημιεργὸν ἡγεμόνα πάνλων εἶπε, τῶν τε ὄντων & τ μελλόντων· *Opificem dixit principem omnium Deorum, & qui ſunt, & qui futuri.* Vbi de futuris addit, propter animas deinceps meritorum ergo referendas in numerum Deorum. Similia in Timæo dixiſſe, ſoli ignorant, qui prorſus in Platone ſunt hoſpites. Atque eadem mens philoſophorum aliis non paucis. Ex quibus conſtat *Antiſthenem in eo libro, qui Phyſicus inſcribebatur, populares Deos multos, naturalem unum eſſe dixiſſe*: quemadmodum eſt apud Ciceronem in primo de Natura Deorum. Ac ab eo fonte idem hauſit Lactantius libro de falſa religione, cap. v, & de Ira Dei, cap. xi, ubi addit, idem fere ſenſiſſe tum Ariſtotelem, tum Zenonem. Atque hæc iis etiam firmantur, quæ legere eſt apud Beſſarionem in ſecundo adverſus Platonis calumniatorem cap. iv, & v. Sed fuſè imprimis hoc argumentum tractavit Auguſtinus Steuchus in ſecundo de Perenni philoſophia: ubi multa non infeliciter congeſſit, excepto quòd genuinis ſcriptoribus adulterinos ſecurè permiſcet: quales inter alios, quos paſſim ad partes advocat, Hermes Triſmegiſtus, & oracula Sibyllina; ut alibi oſtendimus. Quo pacto autem naturæ lumine unum eſſe Deum cognoſcatur, Lactantius oſtendit lib. i, cap. iii; idemque varii Sanctorum Patrum, quando adverſus πολυθεότητα † diſſerunt, comprobarunt. Sed acutiùs Scholaſtici: in his Thomas Aquinas, quem vide contra gentes diſſerentem libro primo capite ſecundo ſupra quadrageſimum; & quæ ibidem annotavit Ferrarienſis Franciſcus de Sylveſtris. Sed non convenit, utrùm argumenta ejuſmodi ſint ſolida, an probabilia duntaxat. Prius cenſet Thomas: ut oſtendunt hæc verba ejuſdem libri cap. iii: *Sunt ad quæ etiam ratio naturalis pertingere poteſt: ſicut eſt, Deum eſſe, Deum eſſe unum, & alia hujuſmodi: quæ etiam philoſophi demonſtrativè de Deo probaverunt, ducti naturalis lumine rationis.* Sed diſſentit Gabriel Biel: qui ante annos hoſce cxl Tubingenſi gymnaſio præfuit. Is cenſet, probabiles magis rationes eſſe, quam evidentes & certas. Adi eum in primum Magiſtri Sentent. diſtinct. ii, quæſt. x, præcipuè articulo iii. Verùm eſto ſanè, ut ſolæ non ſint ἀποδεικτικαὶ ‡: at magnum iis pondus addit traditio vetus: tum autem, quod argumenta iſtæc, ſi non prorſus ἀποδεικτικὰ, ſaltem uſque adeò probabilia ſint: at τῆς πολυ-

* apud Stob. Ecl. Phyſ.

† multitudinem Deorum.

‡ demonſtrativa.

πολυθείας * patroni nihil ullius momenti adferre valeant, cur plures, quàm unum ſtatuere Deum, potius conveniat. * multitudinis Deorum.

Longéque clarius animo comprehenderunt gentiles, Deum omnibus eſſe numeris abſolutum, ſic ut nihil in eo ad perfectionem deſideretur. Nec enim operoſum erat videre, cum virtus, non in inſtrumentali quidem, quod ſecus fere uſu venit, attamen in principali cauſſa, eſſe excellentius ſoleat: quicquid profectò in mundo, ac homine imprimis, boni eſſet, ac præclari, id longè illuſtrius ineſſe Deo: atque è contrario, nihil eorum poſſe Deo adſcribi, quæ aliquam arguerent imperfectionem. Hanc rem Scholaſtici, à Dionyſio † ſic edocti, non incommodè explicuerunt. Triplicem enim viam ſtatuunt cognoſcendi Dei. Quas Scholaſticorum verbis, neſcio an ἀμαθέστερον *, ſaltem σαφέστερον † proponam. Prima iis eſt via cauſſalitatis per attributa relativa: ut cùm creatorem & gubernatorem dicimus. Altera eſt via eminentiæ per attributa abſoluta, ac poſitiva, cùm Deum vocamus bonum, ſapientem, potentem: quæ longè excellentiori ratione divino inſunt Numini, quàm nobis. Tertia eſt negationis via per attributa negativa: ut cum Deum dicimus infinitum, & immutabilem.

† lib. de divinis nominibus cap. 7.

* rudius.
† clarius.

Atque hinc percipere eſt, ut ad tria genera reducantur Dei τελειότητες, ſive, ut ſic dixerim, perfectiones. Quod aliter etiam demonſtrat Thomas contra gentes. Vel enim opponitur illa τελειότης imperfectioni rei ut temporalis, vel potentiæ paſſivæ, vel compoſitionis. Primum genus in eo conſiſtit, quòd Deus ſit æternus. Neque enim duratio ejus menſuratur tempore; ut ſit, poſtquam non fuit; vel ut non ſit, ex quo fuit. Nec enim in Deo acquiritur pars poſt partem; ſed totus eſt ſimul; juxta æternitatis definitionem, à Boethio adductam in quincto de Philoſophiæ conſolatione: ubi Æternitas dicitur, *Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Altera imperfectionis immunitas eſt à potentia paſſiva; quia Deus eſt immutabilis. Nam in Deo non eſt potentia ſeparabilis; ſed neceſſe eſt Deum eſſe, quicquid eſt.

Tertia in eo eſt ſita, quod nulla in Deo ſit compoſitio. Quippe ubi compoſitio, ibi potentia eſt & actus: in Deo autem nulla eſt potentia actui oppoſita. Item, ubi compoſitio, ibi eſt componens. At in Deo non eſt efficiens compoſitionis cauſſa; quæ ſi eſſet, prior foret compoſito. Deus autem eſt prima omnium rerum cauſſa.

Quod ſi nulla in eo compoſitio ſit; conſequitur, nec illum eſſe ex eſſe & eſſentia, ſed ipſum ſuam eſſe eſſentiam: multo minus compoſitum eſſe ex ſubſtantia & accidente: minimè omnium ex corpore & ſpiritu. Quod niſi intellexiſſet Anaxagoras, vir ſanè ſummus, idemque & Periclis, Euri-

pidis, ac Socratis præceptor; non Deum vocaſſet Νοῦν, ſive Mentem. Eademque in ſententia erat Plato: ut qui & ipſe Deum ſtatuerit incorporeum: quemadmodum non ſolum refert B. Auguſtinus in octavo de Civ. Dei cap. VI: ſed multo ante tradidit L. Seneca. Sed quia ejus verba inferius adducam: nunc potius audiamus, utroque antiquiorem M. Tullium: qui ſic de Platone ſcribit in primo de Natura Deorum: *Sine corpore ullo Deum vult eſſe, ut Græci dicunt,* ἀσώματον. Ariſtoteles quoque, ut idem paullo pòſt ait, *ſine corpore vult eſſe Deum.* Quos Cicero ſecutus in primo Tuſcul. quæſt. ubi Deus dicitur *mens ſoluta & libera ſegregata ab omni concretione mortali.*

Sed de Platone obſtare videtur Tertulliani auctoritas; qui non Platonicos minùs, quàm Stoicos, corporalem ſtatuiſſe Deum ſcribit in Apologetico cap. XLVII. Malim ego in hac re fidem habere M. Tullio; cui & Alcinous aſſentit de doctrina Platonis cap. X; ubi & illud addit, contrariam ſententiam eſſe abſurdam. Video, quid moverit Tertullianum. Plato enim, ut idem Cicero in primo de nat. Deorum agnoſcit, *in Timæo dicit, & in Legibus; & mundum Deum eſſe, & cælum, & aſtra, & terram, & animos, & eos, quos majorum inſtituto accepimus.* Subdit deinde Cicero, *Quæ inter ſeſe vehementer ſunt repugnantia.* Pugnare ea non diffiteor: ſed cenſeo ego, ἀσώματον † Deum dicere ex ſententia ſua: cùm verò mundum, ſolem, aſtra, & defunctos, dicit Deos, loqui ex aliena. Quomodo antea oſtendimus, Antiſthenem unum ſtatuiſſe Deum naturalem, populares multos.

† *ſine corpore.*

Nec gentiles viderunt modò, Deum incorporeum eſſe; ſed etiam infinitum. Quod contendit is, quem antea dixi, Anaxagoras: qui primus voluit, omnia eſſe *à mentis infinitæ vi:* ut ex Tullio jam vidimus. Quare ex ejus ſententia opifex mundi Deus eſt, ut ex Plutarcho antea monitum, νοῦς καθαρὸς καὶ ἄκρατος ἐμμεμιγμένος πᾶσι· *mens pura ac ſincera, omnibus permixta.* Omnia igitur, ejus judicio, divina mens pervadit. Quæ & Platonis ſententia fuit. Eamque ſecutus quoque eſt Aratus, initio φαινομένων: ubi cùm ſic orſus eſſet,

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, —
Ab Iove principium:

mox tradit, & compita, & hominum cœtus, & mare, & portus, eſſe Iovis plenos: quod paucis Maro Ecl. III: — *Iovis omnia plena.* Nempe Aratum expreſſit Maro, ut Servius quoque annotavit.

Cùm verò gentiles, ſi non univerſi, at prope univerſi; ſi non omnia iſta, at penè omnia, lumine perſpexerint naturæ: quid mirum, ſi iidem, traditione prævia, facilè animadverterint, tum ob divinæ naturæ excellentiam, tum ob ejus benefacta, nefas fore, ſi non animum ac cogitationes univer-

universas ad Dei cultum referrent. Nec leve huic traditioni pondus addidit, quòd etiam, qui nullo teste peccant, à propria redarguerentur conscientia: de qua nemo potest ignorare, quàm ampla sit testimoniorum seges apud poetas, oratores, historicos, philosophos, & cæteros gentium scriptores. Nec diffiteor, semper esse inventos, quorum animus consuetudine peccandi quasi callo esset obductus, sic ut nullum viderentur habere Dei sensum. Sed tales, cùm res fluunt adversæ, eorum instar, qui à profundo somno expergiscuntur, vel ab ebrietate ad se redeunt, cogitare de Deo, ejusque judicium extimescere, incipiunt.

Sed quæstio hîc exsurgit, an qui in tenebris illis eo usque oculos sustulerunt, dici etiam possint, aliquem veri Dei sensum habuisse. Multis secus videtur. Nam aliud, inquiunt, est colere Iovem gentium, aliud Iehovam aut Ieheve Israelis. Sed quid hi facient B. Paulo in Actis cap. XVIII, 28, 29? Dixerat Aratus, ut paullo antè meminimus, ab Iove incipiendum, qui omnia permeat. Eóne Apostolus, qui Deum vocat Iovem, intelligit illum poetarum Iovem, tot adulteriis infamem? num illum historicorum, Asterium dico, Cretensium regem, qui rapuit Europam? aut Tantalum, Ganymedis raptorem? num illum Astrologorum, planetam videlicet interpositum inter Saturnum, & Martem? Nihil sanè horum: sed cum philosophis intellexit mentem infinitam, cuncta permeantem. Alioqui non probatum iret, quod Aratus superioribus subdit:

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. —
Nam genus illius sumus. —

Mens igitur Apostoli est, nos ejus esse numinis progeniem, quod per Iovem intelligerent è gentibus saniores. Quod non diceret, nisi in nationibus etiam aliqui notitiam veri numinis habuissent. Et quomodo hoc sustinent negare, cum idem Apostolus dicat ad Rom. 1, 19, Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε· *Quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis: Deus enim illis patefecit.* Et mox: γνόντες τὸν Θεὸν, *cum Deum cognoverint.* Ex Apostoli igitur verbis liquet, aliquos cognovisse Deum, non quidem, quantum par erat; ex parte tamen, plenius agnituri, nisi obviam veritatem, hoc est Deum in operibus loquentem, ex parte recepissent, ex parte rejecissent, ut postea dicemus. Et sanè ex parte recepisse, comprobatur etiam exemplo Epimenidis Cretensis. Hic, pestilentiâ Athenis obortâ, oves albas ac nigras, in Areopagum adduxit, ac dimissis deinde quò ire vellent, auctor fuit, ut, ubi illæ recubuissent, ibi sacrificarent τῷ προσήκοντι Θεῷ, *Deo convenienti*, sive *proprio*: ut auctor est Laertius in Epimenide. Atque ait, hinc provenire etiam, quod suo tempore Athenis forent βωμοὶ ἀνώνυμοι, *aræ sine nomine.* At venit Epimenides Athe-

nas Olympiadis XL anno 1 : Laertius claruit temporibus Antonini Philosophi, ac Commodi, vel circiter: hoc est, post Epimenidem Olympiadibus quasi ducentis. Eò autem statutæ aræ sine nomine, quia Epimenides nesciret, cui Deorum sacrificandum esset ad avertendam pestilentiam: unde præcipere erat contentus, ut sacrificarent Deo convenienti, hoc est, verè potestatem habenti pestilentiæ averruncandæ, quisquis is tandem foret. De his ignotorum Deorum aris meminit & Pausanias lib. 1, Philostratus lib. VI, Hieronymus in epist. ad Tit. cap. 1. Nempe hîc apud Græcos se res habuit non absimili ratione, ac apud Romanos in terræ motu: de quo ita Agellius lib. II, cap. XXVIII: *Veteres Romani, cùm in omnibus aliis vitæ officiis, tum in constituendis religionibus, atque in Diis immortalibus animadvertendis, castissimi cautissimique; ubi terram movisse senserant, nuntiatumve erat, ferias ejus rei caussâ edicto imperabant. Sed Dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere & edicere quiescebant: ne alium pro alio nominando, falsâ religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam,* SI. DEO. SI. DEÆ. *immolabat. Idque ita ex decretis Pontificum observatum esse, M. Varro dicit; quoniam & qua vi, & per quem Deorum, Dearumve, terra tremeret, incertum esset.* Quibus ex verbis non obscurum est, qui à veteribus *Dii* dicantur *ignoti*, & cujusmodi fuerint eorum aræ. Nec quia *Deorum* dicantur, eo putandum, nullam fuisse, quæ singulo numero *Ara ignoti Dei* vocaretur. Nam longè aliud nos docuerit Lucianus, sive alius potiùs, dialogo eo, qui Philopatris inscribitur: ubi legas, Νὴ τὸ ἄγνωστον ἐν Ἀθηναίοις· *Non per Ignotum Athenis.* Ac in dialogi fine, Ἡμεῖς δὲ τὸ ἐν Ἀθηναίοις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν· *Nos autem Athenis Deum ignotum invenientes, & adorantes manibus in cælum expansis, huic gratias agemus.* Atque hæc est ara, de qua sic B. Paulus Act. XVII, 23, Διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ Θεῷ. Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *Præteriens & videns simulacra vestra, vidi & aram in qua scriptum erat,* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Quàm apertè hic ait Paulus, Athenienses illud coluisse numen, quod ipse esset annunciaturus, ut deinceps agnoscerent! Nec cum apud Lucanum in secundo Pharsaliæ, *Incerti Iudæa Dei* — legimus: incertus ille alius est, quàm verus Israelis Deus: sed poetæ vocatur *Incertus*, quia dicere non posset, utrum foret Saturnus, an Iupiter, vel Mars, vel quo tandem vocabulo gauderet. Quod à gemina caussa provênit. Iudæi enim τετραγράμματον Dei nomen non efferebant vulgo, ne gentium ludibrio exponeretur, vel etiam in populo Dei vilescceret. Nec poterant gentes ex cultu Iudaico, qui ab Deorum gentilium cultu plurimùm distabat, certi

quid

quid colligere. Nam quod Plutarchus in Problematis * ex Tabernaculorum festo Bacchum fuisse conjectabat, id putidius est, quàm ut refelli mereatur. Non dubium igitur, quin ille, qui Athenienſibus ignotus, idem Lucano Deus ſit incertus; interim aliquo modo cognitus: cognitus confuſè & potentiâ; ignotus diſtinctè & actu: quomodo Menonis dubitationi, quæ eſt apud Platonem, occurrere docet Ariſtoteles lib. 1 Poſt. Anal. cap. 1. Cùm verò non vereatur Apoſtolus Paulus dicere, Athenienſes, licet ignorantes, coluiſſe illud numen, quod ipſe annuntiaret: facilè mihi perſuadeam, poſtquam Chriſtiana doctrina gentilibus innotuit, etiam qui necdum reciperent Chriſtum, majori tamen curâ aciem animi in naturam Dei intendiſſe, ac quadam confuſâ notitiâ invocâſſe non tam rerum naturam, quàm naturæ opificem, & rectorem Deum. Vt qui ſic Deum rogarent, Κύριε ἐλέησον, *Domine miſerere*: quæ Eccleſiæ eſt Chriſtianæ precatio. At ſi non ante, ſaltem jam Hadriani Cæſaris temporibus, qui à nato Chriſto cxx annis claruit, ſimiliter Deo ſupplicarunt gentilium ſapientiores. Quem ritum tangit nobilis ejus temporis ſcriptor Arrianus diſſertationum Epicteti lib. II, cap. VII, Τὸν Θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον· *Deum invocantes, precamur eum, Domine miſerere noſtri.*

* *Sympoſiacon lib. 4, quæſt 5.*

Sed de gentilium illis, qui jam exortâ religione Chriſtianâ vixerunt, facilè hoc aliquis ſibi perſuaſerit. Quid verò, quòd in Ægypto, qua non altera tellus fuiſſe ſuperſtitioſior creditur, etiam Deus unicus mundi opifex cultus videtur? Quod ex Plutarcho cognoſcere eſt de Iſide & Oſiride: ſed apud eum in Aldina, Stephanica, poſtrema Pariſina †, perperam Κνηφαγένητον legas. Sic enim reſcribendum: Μόνους δὲ μὴ διδόναι τοὺς Θηβαίδα κατοικοῦντας, ὡς θνητὸν οὐδένα νομίζοντας, ἀλλὰ ὃν καλοῦσιν αὐτοὶ Κνὴφ, ἀγένητον ὄντα καὶ ἀθάνατον· *Solos eſſe immunes Thebaidos incolas: quippe qui nullum cenſeant Deum mortalem: ſed quem ipſi Deum Cneph appellant, qui nec habeat originem, nec ſit mortalis.* Teſtis quoque Porphyrius apud Euſebium in tertio Præparationis Euangelicæ cap. XII. Vbi ſimiliter traditur, Ægyptios unum ſtatuiſſe Deum, puta τὸν δημιουργὸν, ſive *opificem mundi*: atque eum vocitaſſe Κνὴφ, ejuſque ſimulachrum ex ore ovum effudiſſe, ut mundi eſſe opificem ſignificetur. Nam ovum mundi ſymbolum Ægyptiis fuit. Videtur autem Kneph idem ac Cnuphis: de quo Strabo in ſeptimodecimo. Nam ait templum ejus eſſe in Syene: ea autem Thebaidos pars: Thebanos autem unum coluiſſe Deum, quem Cneph dicerent, teſtis eſt Plutarchus, ut jam vidimus. Vnde verò Κνὴφ vel Κνοῦφις ſit dictus, & quæ forma ejus fuerit hieroglyphica, infrà commodiùs exponetur.

† *anni 1624.*

CAPVT

CAPVT III.

Ex iis, quæ diximus, religio definitur: ac bifariam ab ea recedi, impietate si Deus ignoretur, & superstitione, si cultus Dei proprius aliò transferatur. Ad priorem perperam jam olim relatos βαρβαρισμὸν καὶ Σκυθισμὸν; ortumque eum errorem ex loco Paulino male intellecto. Ἀθεότητος, *vocabulo eo laxiùs sumto, quatuor genera videri.* Δεισιδαιμονίαν *sive superstitionem duplicem esse: ac prius genus propriè magis idololatriam vocari: quod non unâ ejus descriptione ex veteribus comprobatur. Interim & idololatriam rectè dici, cùm adversus Dei mandatum in simulachro colitur Deus. Id factum esse ab Israelitis, cùm Aaronicos colerent vitulos. Nec ullius esse ponderis, quæ huic sententiæ obducuntur: inter alia, cum duplex Dei oblivio confunditur: item quando res non divino æstimatur judicio, sed humano duntaxat. Hujus etiam generis esse Teraphim Michæ, & vitulos Ieroboami. Idololatriam ratione hujus generis, & ejus, quo alius colitur genus, esse ὁμώνυμον πρὸς ἕν. Præterea καὶ μεταφορὰν dici idololatriam, quando in opibus, honore, potentia, vel voluptate, summum bonum collocatur. Deinceps tantùm actum iri de idololatria, qua alius colitur Deus.*

ADumbravimus ea, ad quæ lumine naturæ potuit perveniri, tum in cognitione Dei, tum in cultu ejus: in quibus duobus religio consistit: ut quæ sit rectus veri Dei cultus. Vel si plenius eam definire sit animus, præeunte Apostolo initio epistolæ ad Titum, ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου· *agnitio veritatis ejus, quæ est secundum pietatem, ad spem vitæ æternæ.* Quo loco Apostolus religionem vocat cognitionem sive fidem: nempe non θεωρητικὴν, quæ solùm instruit intellectum; sed πρακτικὴν, quæ præterea perficit voluntatem: quippe quæ, ut finem proximum, sibi propositam habeat pietatem, hoc est, dilectionem Dei, & proximi; ut ultimum verò finem, spem vitæ æternæ.

Ab religione hac verâ rectâque bifariam receditur: vel defectu, qui est divini numinis contemtus: vel excessu ejus, qui est Dei cultus superfluo quopiam vitiatus. Prior dicitur ἀθεότης, & aliquibus *irreligiositas*: posterior vocatur δεισιδαιμονία, Latinis *superstitio*, à superstando: non quasi Deus verus vero cultu nimium coli possit: sed quia ad materiem cultus accedat, quod eum corrumpat. Vtrumque modum exponit Clemens Alex. Admonitione ad gentes: Ἀκρότητες ἀμαθίας, ἀθεότης & δεισιδαιμονία· ὧν ἐκτὸς μένειν σπουδαῖον· *Extrema ignorantiæ sunt, Impietas, & Superstitio: extra quæ studendum est manere.* Imò similiter ante eum Plutarchus in erudito libello de Iside & Osiride: Ἔνιοι δυσφαλέντες παντάπασιν εἰς δεισιδαιμονίαν ὤλισθεν· οἱ δὲ φεύγοντες ὥσπερ ἔλος πλὴν δεισιδαιμονίαν, ἔλαθον αὖθις, ὥσπερ εἰς

κρημνὸν

κρημνὸν ἐμπεσόντες τῷ ἀθεότητι· *Nonnulli, à recto itinere aberrantes, planè in superstitionem inciderunt: alii, velut paludem *, fugiendo superstitionem, imprudentes in præcipitium quasi quoddam, in impietatem inciderunt.*

* *Xylandri interpretatio habet,* ut par erat. *Perperam, cum hic ut solent* Scylla, *&* Charybdis; *sic* palus, & præcipitium, *opponantur. Nam* ἕλος palus.

Ad prius genus pertinent, qui taciti cum insipiente dicunt; *Non est Deus:* ut regius prophetes gemino, sed ejusdem argumenti psalmo, conqueritur; tertiodecimo, & quinquagesimo secundo; sive secundùm Latinos, XIV, & LIII. Tam fœdus error vocatur à multis βαρβαρισμὸς, & Σκυθισμὸς: quorum ille putatur, juxta Epiphanium, ante diluvium; hic postea obtinuisse usque ad Serugum; cujus tempore cœperit Hellenismus. Sed nec Epiphanius dicit, barbaros illos, vel Scythas, nullum numen agnovisse: nec satis convenienter Scythæ memorantur ante Serugum; cùm citra dubium Babylonicâ turri longè sint posteriores. Præterea, & βαρβαρισμῷ, & Σκυθισμῷ nomina, parum huic rei sunt idonea; nec aliunde hausta, quàm ex malè intellecto Apostoli loco ad Colossens. III, 11: *Vbi non est Græcus, & Iudæus; barbarus, & Scythes.* Neque enim Apostolus variam de Deo sententiam signat: sed solùm ait, in renovatione Christiana, non meliorem, aut deteriorem, esse conditionem Iudæi, quàm Græci; nec Græci, quàm barbari; nec vulgaris barbari, quàm Scythæ; etsi hic cæteros superare barbarie existimetur.

Ἀθεότης autem, sive *irreligiositatis* nomen latiùs nobis in hoc negotio patet, quàm Plutarcho in verbis allatis. Vti & δεισιδαιμονίας sive *superstitionis* vocabulum laxiùs usurpamus, quàm ab eo factum. Atque id, quia omnis à recta religione recessus nominibus istis, quibus meliora non suppetunt, generatim comprehendatur. Ἀθεότης † igitur dicitur nobis, quandocunque non agnoscitur Deus, & providentia ejus erga singulos, & in hac vita, & futura. Itaque quadruplex est ἀθεότητος genus, aliud alio nequius. Primò committitur illa, siquis eò furoris deveniat, ut, ad tempus saltem, quia non videt Deum, eò in animum suum inducere possit, nec esse Deum. Deinde si non colitur, vel saltem nonnisi ob naturam præstantem; non verò, quia quis opem ab eo, vel gratiam exspectet; quippe qui neminem amet, neminem curet. Vnde ἀσεβεῖς * dicti; qualis Epicureus omnis,

† *numinis insiciatio.*

* *impii, ac insiciatores cultus divini.*

Parcus Deorum cultor & infrequens:

ut Horatio † describitur. Exinde si existimetur, uti summates viri summorum curam gerunt; imis, & minutis, alios præficiunt: ita Deos cælestes de procerum rebus laborare, non spectare illas homullorum: quod Cæsar tumultuanti ait militi apud Lucanum in quincto belli civilis ‡. Semiepicureos, puto, non incommodè dixeris. Denique si Deus solùm colatur, ut remunerator in hac vita: quæ Sadducæorum mens erat; ut ostendimus dissertatione de Rabbinorum temporibus.

† *od.* 34, *lib.* I.

‡ *vers.* 342, *& seq.*

Similiter δεισιδαιμονίαν sive superstitionem, laxiùs eâ voce acceptâ, nuncupo, quando Deus agnoscitur, ac providentia ejus erga omnes, & hic, & in altera vita: sed vel veri Dei cultus præstatur falso numini, vel falso cultu Deus verus coli existimatur. Prius vocari solet *superstitio falsi cultus*; quia falsum colitur numen: posterius dicitur *superstitio cultus indebiti*; quia non colitur Deus eo cultu, quo debetur. Prior modus etiam vocatur εἰδωλολατρεία. Neque obstat, quòd non semper pro Deo colatur imago, aut simulachrum: quale si divino honore afficiatur, *idolum* nuncupatur. Quippe, istac propriâ magis idoli significatione laxiùs extensâ, idolum etiam dicitur, quicquid mens humana in veri numinis locum substituit. Et ad hoc genus loquendi præeunt nobis septuaginta senes, 1 Paral. xvi, 26, ubi vertunt: Πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα. Ac *idola* etiam retinuit Latinus interpres. Hebraicè est אֱלִילִים, *elilim*, hoc est, *vanitates*, vel, ut sic dicam, *nullitates*. Vnde & Apostolus ait 1 Cor. viii, 4: Οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ: quasi diceret; idolum nec numen est, nec vim numinis habet: sed res est vana, & inane hominum commentum; eoque nulla virtute præditum, ad hominem vel sanctificandum, vel polluendum. Vnde deinceps colligit, in edendis iis, quæ idolis sunt immolata, per se nullum esse crimen; sed tum demum peccari, siquis hac edendi libertate abutatur neglectâ charitate: ut si de iis comedat cum offendiculo infirmi fratris. Hæc evincunt, non de solis imaginibus, vel simulachris, divino honore affectis, idolum usurpari; sed aliquanto laxiori significatione: quomodo & idoli, & idololatriæ nominibus passim veteres utuntur Theologi; quemadmodum vel fidem fecerint eorum descriptiones. Ita Tertullianus lib. de idololatria cap. 11: *Idololatria Deo fraudem facit, honores illi suos denegans, & conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat.* Et Cyprianus ad Fort. in exhortatione ad Mart. *Tunc idololatria committitur, cum divinus honos alteri datur.* Gregorio Nazianzeno quoque orat. panegyrica in natalem Christi εἰδωλολατρεία dicitur μετάθεσις τῆς προσκυνήσεως ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐπὶ τὰ κτίσματα· *Cultus atque adorationis translatio à creatore ad creaturam.* Itidem Ambrosius, sive potiùs Hilarius, diaconus Romanus, in cap. quinctum epistolæ Paulinæ ad Ephesios: *Idololatria Dei honorem usurpat, & vindicat creaturæ.* Ac similiter B. Augustinus lib. v Locutionis de Deuteron. & lib. 1 de Trinit. cap. vi, ut tot alios SS. Patrum præteream.

Imò nec arbitror solùm esse δεισιδαιμονίαν, vel εἰδωλολατρείαν, si homo in tantum à veri ratione recesserit, ut alium colere Deum in animum inducat: sed etiam si cultum religiosum, mandato Dei adversantem, quadam mentis inductione complectatur: non omnem dico, cùm multi hic erroris gradus esse possint; sed si is, Deo invito, in creatura præstetur, ut

symbolo

symbolo divinum numen repræsentante. Claro & illustri, sed deformi exemplo fuere Israelitæ, Deum venerantes in vitulis Aaronicis. Vbi bifariam peccatum, efformando idolum, & honorando. Efformando quidem, quia transmutarunt gloriam corruptibilis Dei in similitudinem bovis comedentis herbam : ut verbis utar Scripturæ Psal. cvi, 20, & Rom. i, 23. Honorando autem, quia adorarunt vitulum, eique sacrificarunt : ut eadem loquitur Scriptura Exod. xxxii, 8, & Act. vii, 41. Existimet aliquis, non graviter adeò peccâsse Israelitas. Nam cùm dicerent, *Fac nobis Deos, qui antecedant nobis*, ut est Exod. xxxi, 1 : non aliud eos egisse, quàm, ut symbolum veri haberent numinis, quemadmodum falso gentiles gauderent : atque hoc eo fine exoptasse, ut isto symbolo præsente & præeunte, signum haberent præsentis & præeuntis numinis divini. Equidem non diffiteor, Israelitas universos, vel saltem non extremâ stultitiâ obcæcatos, propositum habuisse colendi in vitulis verum Deum : quod inter alios etiam agnoscit Ioannes Ferus in Act. vii, 41 ; ac probat ex ipsis Israelitarum verbis Exodi xxxii, 4, *Hi sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Indéque colligit, non in alieni Dei cultu peccâsse ; sed eo, quòd, contra Dei præceptum, eum in idolo colere vellent. Nec huic obstat sententiæ, quod Hebraicè ibi est, *Elohim tui.* Nam Neh. ix, 18, ubi idem refertur, singulo numero est, *Deus tuus.* Et satis constat, *Elohim* tribui uni Deo Israelis : ut ex numero plurativo de naturarum multitudine statui non possit. Nihilo validius, quod vitulum colentes obliti dicantur Dei : ut legere est Deuter. xxxii, Psal. cvi, sive Latinis cv, & Ier. ii. Nam rectè id Bonaventuræ, Richardo *, & aliis, in re alia observatum, duplicem esse oblivionem : unam, qua species μνημονευτικὰς abolentur ex animo : alteram, qua illæ non recoluntur, ut oportet, nempe animo circa alia magis intento : unde fit, ut quis contrarium agat ejus, quod acturus esset, si convenienter recordaretur. Posteriori ratione mulier obliviscitur conjugis sui, sive fœderis conjugalis, quando illecebris pellecta sese alteri prostituit. Ac homo item dicitur oblitus Dei, & fœderis divini, cùm stultis cogitationibus indulgens, alium colere Deum, vel in symbolo interdicto venerari præsumit. Hæc propriè nõ oblivio est, sed quasi oblivio; quia homo se componit, quasi oblitus : nihilominus in Scripturis, κατ' μεταφορὰν ipsa etiam *numinis oblivio* nuncupatur. Et sanè Israelitas non propriè oblivione voluntaria memoriam contrivisse benefactorum Dei, liquidò ostendit : quod vitulus dicitur ille Deus, qui Israelitas duxerat ex Ægypto ; ubi per vitulum nonnisi veri Dei imago intelligi potest. Et ibidem, commate proximo, cum Aaron coram vitulo altare exstruxisset, disertim Festum indicit Iehovæ ; quod nomen grande nunquam ille, aut

* dist. 7, art. 3, qu. 1, lib. 1.

Moſes Diis gentium tribuiſſet. Dixeris, Iſraelitas non vehementem adeo pœnam promeritos videri, ſi non deſciverint à vero Deo. Quaſi non ſufficiat, quòd deſciverant à cultu vero. Coluere enim Deum ritu gentili: qui præterquam quod divinæ eſſet voluntati repugnantiſſimus, in iſta humanarum mentium caligine pleniſſimus periculi fuit; quia experientia oſtendit, quam facile cultus ſymbolicus in proprium convertatur. Accedit, quod conſiderari hæc debent non ſolùm ex propoſito hominis; ſed etiam ex natura rei, & judicio divino. Atqui utcunque Iſraelitæ putarent, obſervantiam ſuam non in vitulis, ſed in Deo ſiſti: Deo tamen prorſus averſante hunc cultum, ac quaſi à ſe repellente; non potuit honos ille per vitulos ad Deum transferri, ſed neceſſe eum fuit in vitulis terminari. Vnde & hujuſmodi vitulum εἴδωλον vocare non dubitat protomartyr Stephanus Act. VII, 41. Vt licet in vitulo voluerint λατρείαν præſtare vero Deo; merito nihilominus ſic quoque idololatria nuncupetur.

Valde eò etiam inclinat animus, ut exiſtimem, idem eſſe judicii ferendum de ſimulachro Michæ: de quo Iudic. XVII. Siquidem mater ejus argentum, unde factum ſimulachrum, ſacrificâſſe dicitur Iehovæ: & Micham velle in eo colere Deum Iſraelis, ſatis arguitur, verbis iſtis: *Nunc novi Iehovam benefacturum eſſe mihi, eò quòd eſt mihi Levita in ſacerdotem.* Et tamen vetus interpres, quod Hebraicè *Teraphim*, interpretatur *idolum.*

Longéque apertior res de vitulis, quos Ieroboam in Dan & Bethel conſtituit: ut legere eſt I ſive III Reg. XII, 28. Hoſce vitulos pro idolis habuit Deus: ut oſtendunt illa de Ieroboamo verba cap. XIV, 9, *Feciſti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares: me autem projeciſti poſt corpus* (ſive tergum) *tuum.* Quid iſtis apertius? Et tamen verum Deum in vitulis coli Ieroboam juſſit: quod non obſcurè ait Flavius Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum lib. VIII, cap. III, ſive in tralatione Rufini, VIII. Comparat enim ſe cum Salomone, &, ut convenientiam cultus oſtendat, ait, Πεποίηκα κἀγὼ δύο χρυσᾶς δαμάλεις ἐπωνύμους τῷ θεῷ· *Et ego feci duas vitulas, qui idem, ac Deus, nomen obtinebunt.* Nec ſanè, alium inducendo Deum, populo Iſraelitico perſuaſiſſet. Apertéque hoc minoris idololatriæ genus ab manifeſta illa, craſſaque diſtinguit Scriptura I Reg. XVI, 30, 31, 32: *Et fecit Achab, filius Amri, malum in conſpectu Domini ſuper omnes, qui fuerunt ante eum: Nec ſuffecit ei, ut ambularet in peccatis Ieroboam, filii Nabat: inſuper duxit Iezabel, filiam Eth-baal, regis Sidoniorum: & abiit, & ſervivit Baal, & adoravit eum: Et poſuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, Et plantavit lucum: & addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum Deum Iſrael, qui fuerunt ante eum.* Quàm apertè docet, diverſam eſſe rationem in vitulis adorantium verum Deum, & illorum

rum in ſimulachris colentium Solem, vel aliud Dei opificium. Et diſcrimen hoc reſpexit etiam Elias prophetes, cum 1 Reg. XVIII, 21, ait: *Quouſque claudicaturi eſtis in duabus cogitationibus? ſi Iehova eſt Deus, ſequimini eum. Sin autem Baal, ſequimini eum.* Et rex Iehu II ſive IV Reg. X, 16, cùm Baalis ſervos necaret, ac ſtatuas tolleret, *Vide*, inquit, *zelum meum pro Iehova.* At idem, qui verum Deum in vitulis adorarent, non ſuſtulit; ſed appellat *ſervos Iehovæ.* Comparatè nimirum, præ Baaliticis cultoribus, & æſtimando eos ex propoſito humano; quod etſi non penitus tollebat idololatriæ crimen, multis tamen partibus levius reddebat, etiam æſtimatione divinâ. Nempe idololatria eſt ex iis, quæ Ariſtoteli vocantur ὁμώνυμα πρὸς ἕν, & μίαν τινὰ φύσιν *, ut lib. III Metaph. cap. II; vel ἀφ' ἑνὸς †, ut lib. I Eth. cap. IV; vel κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον λεγόμενα ‡, ut libris de Ortu & Interitu. Quale genus eſt τὸ ὄν * ratione ſubſtantiæ & accidentis; demonſtratio ratione illius τοῦ διότι & τοῦ ὅτι †. Scholaſtici *æquivoca analoga* appellant: ſed perperam, ut videre eſt ex iis, quæ Ariſtoteles ſcribit lib. VII φυσ. ἀκροασ. contextu XXXI, & quæ ibidem annotavit Simplicius.

* *æquivoca ad unum, & ad unam naturam.*
† *ab uno.*
‡ *ſecundum prius, & poſterius dicta.*
* *ens.*
† *quare ſit, & quod ſit.*

Eſt verò præter hæc duo idololatriæ genera, quæ magis propriè ſic dicuntur, tertium etiam; ſed à natura veri ὁμωνύμου longius recedens: quippe planè μεταφορικόν. Deus enim in Verbo ſuo * etiam appellat idololatras, qui fiduciam non tam in ſummo collocent numine, quàm in divitiis. Ac par eorum eſt ratio, qui ſummum bonum, non in Deo, & conjunctione ſui cum Deo reponerent; ſed in corporea voluptate: unde in Scripturis † Deus eorum dicitur venter. Ac ſimiliter pronuncies, ambitioſis honorem eſſe Deum. Vniverſè enim eſt verum, quod B. Hieronymus in prophetæ Amos cap. IV, ſcribit: *Vnuſquiſque adorans vitia ſua atque peccata, Deum habere cœpit, à quo victus eſt; dicente Petro Apoſtolo* ‡: *A quo enim quis ſuperatur, hujus & ſervus eſt. Avarus aurum, guloſus ventrem, libidinoſus penem & Beelphegor colit. Laſciva mulier, quæ cum in deliciis mortua eſt, adorat venereas voluptates.*

* *Epheſ.* 5, & *Coloſſ.* 3.
† *Philipp.* 3, 19.
‡ 2, 2, 19.

Hujuſmodi tamen idololatria, ubi non objecto, ſed ſolo actu peccatur; non propriè, ſed, ut dixi, tralatitiè, idololatria vocatur. Nec enim id homines ejuſmodi ſibi propoſitum habent, ut honori, ventri, opibus, cultum præſtent religioſum; vel per eorum venerationem colant ſuperiorem aliquam naturam. Sed, Scripturis præeuntibus, conſideramus rem, qualis eſt in ſe, & naturâ ſuâ. Nam pro ſummo aliquid bono habere, vel fidere alicui ſupra omnia, revera eſt actus ſoli Deo conveniens. Eoque, cui ſic fiditur, utcunque non credatur Deus, tamen colitur ut Deus: cumque actus, qui illis præſtatur, ex intentione agentis, ſolùm ſit moralis; tamen naturâ ſua, ac propterea etiã interpretatione divinâ, eſt religioſus ac divinus.

Nobis verò hoc loco decretum est agere, non de quavis idololatria; sed eâ duntaxat, quâ homo Deum sibi colere proponit: nec ea omni, (nec enim illa, quâ actu tantummodo aberratur) verùm, quâ objecto etiam peccatur: hoc est, qua falso numini cultus præstatur divinus.

CAPVT IV.

Non perveniſſe vulgò gentiles ad omnem de Deo notitiam, quam naturæ lumine aſſequi potuiſſent: & variæ cauſſæ, unde hæc ignorantia ſit profecta. Spectari eam in duplici hominum genere: quorum alii cum Deum eſſe ſcirent, quis tamen ille eſſet, neſcirent: alii ex parte hoc ſcirent, ſed interea non minus aliis cultum divinum abjudicarent Deo: vel ſiquid fortaſſe vero numini tribuerent, id tam malignè agerent, ut non mereretur in rationem venire: & ut amplius foret, ſic quoque omnes eos eſſe læſæ majeſtatis divinæ reos, quia cultum ſoli Deo debitum inter verum falſumque numen partirentur. Ac tales etiam videri Peruanos. Hinc expoſitum, quam varii ſint actus religioſi: & differre ab iis adorationem civilem.

* *maximè proprie.*

DE hoc genere idololatriæ, quod κυριωτάτως * id nomen meretur, primùm pauca dicam generatim; hinc fusè persequar varias ejus formas. In priori aperiam tum cauſſas, unde promanârit; tum in quibus actibus consistat.

Cauſſæ idololatriæ sunt variæ. Non jam reponam, quæ de instinctu Satanæ superiùs diximus: continebo me intra illas, quæ hominibus insunt. Quarum prima est inscitia humana. Licet enim ad ea, quæ initio exposuimus, traditione ac naturæ lumine posset perveniri: non propterea tamen existimandum, gentiles universos ad omnium eorum notitiam pertigisse. Contrà enim evênit, ut longè maxima illorum pars pleraque ex istis ignoraret: non quasi non veritas iis ob oculos versaretur, sed quia eam sese offerentem non comprehenderent: dumque propterea in varias scinduntur sententias, & cæci fiunt cæcorum duces, gravi ruina pariter & sese, & alios involverent. Hæc sententiarum dissimilitudo magnam partem ex animorum diversitate provênit: haut aliter ac in Christiano etiam populo videmus, quos sententiarum similitudo in præcipuis colligavit, in variis tamen capitibus vehementer discrepare. Ita enim semper fuit, ut multis grave esset inquirere in divina, sive propter inertiam laboris, ut illis, qui voluptatibus diffluerent: sive ob occupationes, ut ambitiosis, & avaris, & egestate pressis, eoque aliis se mancipare coactis. Quales, quia seriò nihil hujusmodi meditari solent; alieno, licet sæpe erroneo, subscribere judicio amant. Sunt alii, quibus non desit inquirendi, vel animus, vel otium; sed tam diversis hominum sententiis impliciti, ingenii

quadam

quadam tarditate, quos potissimum, & quibus in rebus sequantur, discernere non satis possunt. Estque hoc eo mirandum minùs, quia non ita feliciter agitur cum rebus humanis, ut in tot sectis per omnia cujusquam opiniones vel probare liceat, vel improbare. Varia enim animo φαντάσματα * obversantur; quorum alia sint ἀποδεικτικὰ †, quæ certò aliquid adstruant: aliqua τοπικὰ sive διαλεκτικὰ, quæ verisimiliter aliquid probent: alia ἀποδείξεως ‡, vel ἐπιχειρήματος * faciem ementiantur, fallacia interim, seu ψευδογραφήματα †, seu σοφίσματα ‡. Quis tam variis inter se permistis, existimet, cujusvis esse, dijudicare, quale quidque sit? Præsertim si, ut fieri solet, quàm minimo labore perfungi velit; eóque, ubi compluria viderit solidè adstrui, eò, quæ probabiliter solùm dicuntur, vel etiam falsò, ἀβασάνιστως *, ut Thucydides † loquitur, pro solidis admittat. Vel, ubi quædam falsa, aut verisimilia solùm, compererit; eò, de cæteris desperans, hæc quoque respuat, velut adulterinos, & malæ notæ numos. Ejus igitur, qui seriò veritatem amet, est prudenter dispicere, an non, uti sæpe commiscentur, prout Aristophanes vocat, νομίσματα κεκιβδηλευμένα ‡, καὶ ὀρθῶς κοπέντα; ita & hic in veris sententiis intercurrant quædam falsæ, ac quasi πονηρᾶ κόμματος *: vel è contrario, falsis etiam permisceantur, quæ verissimæ sint, ac optimæ notæ. Quod Christianis ipsis usu venire diximus, idem faciliùs evênit gentilibus; qui in variis de Deo sententiis, illâque & rerum difficultate, & imbecillitate intellectus, sæpe non suo, sed alieno singula pretio æstimarunt. Quantoque hac parte ab iis faciliùs & fædiùs erratum, tanto majores nos Deo gratias agere debemus; quòd illa etiam, quæ poteramus naturæ lumine cognoscere, tradere nihilominus voluerit Verbo suo: cæcarum verò nationum eò majori nos tangi misericordiâ æquum est, quòd illis non eadem affulserit felicitas.

* *visa, sive imagines ac species.*
† *demonstrativa.*
‡ *demonstrationis, sive syllogismi summe veri.*
* *syllogismi probabiliter veri.*
† *syllogismi speciem habentes demonstrationis.*
‡ *syllogismi speciem habentes probabilitatis.*
* *absque justo examine.*
† *lib. 1.*
‡ *numismata adulterina, & bona nota.*
* *improba nota.*

Quàm verè hæc dicantur à nobis, arguit, quòd gentiles, præter eximios quosdam, etiam cum Deum cognoscerent, eum tamen non cognoscerent Deum: hoc est, cùm viderent esse Deum, qui universum hoc regeret, & coli à nobis vellet; non tamen viderent, eum esse, cujus revera esset divinitas; ut qui eam tribuerint Dei opificio, quam rerum naturam vocamus. Quare illis contigit, ut cæco illi apud B. Ioannem cap. IX. Hic enim, cùm videret filium Dei, à quo visum acceperat; rogavit nihilominus, quis esset filius Dei. Nempe quia, quem videret, nesciret eum esse, quem videret: ut si Regem cernas, & regem esse nescias. Similiter gentiles prope omnes eum, qui videri nequit, in opere elucentem viderunt; & clamoso silentio audiere dicentem, esse se opificem & rectorem universi, colique à nobis velle ac debere: sed ad conspectum oculos clausere, ad vocem obturarunt aures, ac quasi alto pressi sopore, talem imagi-

imaginati sunt, qualia forent, quæ oculis se quotidie subjicerent; somnioque suo nimium creduli, opificium amplexati sunt pro opifice, divinitatem non tribuendo Deo, sed non-Deo. Quod verè erat veritatem in mendacio detinere. Vnde Apostolus ad Rom. 1, 25 : μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας· *commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs, quàm creatori, qui est benedictus in secula:* prout vulgatis vertit interpres; nec, si sententiam spectes, incommodè. Sed ad verbum παρὰ τὴν κτίσιν significet, *præter* aut *supra creatorem.* Priori modo reddunt Stapulensis, & Montanus; posteriori Erasmus: quod magis placet. Hilarius tamen lib. XII de Trinitate vertit, *præterito creatore:* quod sequi maluit Th. Beza. Sed hoc solum dicit Apostolus, magis eos coluisse creaturam, quàm creatorem: utrùm verò omnem omnes cultum ad creaturam transtulerint, nec ait, nec negat: credo propter gentilium illos, qui non omnem viderentur excludere veri numinis cultum. Eos autem, qui cultum aliò transtulere, Apostolus ait, veritatem detinere in mendacio: quia veritas erat, esse Deum: mendacium erat, naturam esse Deum. Veritas quoque foret, colendum esse Deum: mendacium autem foret, naturam honore prosequendam divino. Vt non malè hoc dicat Alexander ab Hales in III parte Summæ, quæst. XXX, quæ est de Adoratione, art. 1: *Veritatem Dei tenere est unum Deum colere: veritatem in mendacium convertere est creaturæ servire pro creatore. Vera enim religio in unius constat veri Dei servitio. Vna enim est vera divinitas. Si ergo idololatria creaturæ servit pro creatore, commutat veritatem in mendacium.* Atque ea mentes invasit dementia non solùm insipientis vulgi; sed eorum etiam, qui haberentur sapientiæ antistites: quandoque interim sapiente plus vulgo, quia aliqui plus crederent traditioni non penitus obliteratæ, nec stultis adeò cogitationibus de Deo animum suum occuparent. Prope excussâ paullatim traditione primævâ, facilè tamen animadversum, qualicunque opinione de Deo homines esse in officio retinendos. Quia igitur non viderent Deum, quippe visu clariorem; coli placuit, quod viderent. Ac horum consuetudini sese etiam accommodarunt, qui cognoscerent, Deum esse mentem infinitam, ob opificio suo secretam. Quales licet veritatem non similiter in mendacio detinerent: tamen æquè propemodum detinuere illam (ut idem Apostolus loquitur) in injustitia. Cùm enim justitiæ sit suum cuique tribuere; illi cultum opifici debitum opificio detulerunt. Atque ita geminum flagitium commiserunt, dum honore suo defraudant Deum, &, quasi in ejus contumeliam, eum non-Deo transcribunt. Veritas igitur, sic pravæ voluptatis compedibus constricta, in pietatis actus minimè adsurrexit.

ſurrexit. Vnde hoc eos quaſi fulmine proſternit Apoſtolus : *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Illucebat Deus iis radiis quibuſdam; unde cognoviſſe Deum dicuntur : ſed non admiſere eos in adyta cordis; quod iccirco obſcuratum dicitur. Scientia igitur eorum, ut non incommodè à Scholaſticis dicitur, ſpeculativa ſolum fuit, non practica : quam iis etiam adimit Apoſtolus 1 Cor. 1,21, *In Dei,* inquit, *ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum.* Quaſi diceret, Fabrica mundi teſtabatur Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem : ac propterea exigebat ab homine, ut fideliter ſerviret Deo, tum propter ſummam ejus majeſtatem, tum tot benefacta; pariter etiam, quòd cultores ejus præmium maneret vitæ beatæ. Sed maluit mundus otioſè opera Dei contemplari, nullum interea conditori honorem exhibendo : quin contumelioſè eum potius transferendo ad illa, quæ Deus feciſſet. Liquidò hæc indicant, Apoſtolum Romanis ſcribere de nuda notitia, eaque imperfecta : Corinthiis autem de cognitione fructuoſa ac ſalutari. Denique Romanis refert Apoſtolus, ut qui priores Deum deſeruerant, itidem deſerti ſint à Deo, &, dum juſto judicio, cupiditatibus ſuis relinquuntur, cæci irruerint in nullum non deteſtandæ libidinis genus. Nam ut hunc ad locum B. Chryſoſtomus annotavit *, Καὶ τοῦτο ὁ σοφώτατος τῶν Ἀθηναίων δῆμος, καὶ ὁ μέγας παρ' αὐτοῖς Σόλων· καὶ ἕτερα δὲ πολλὰ τῶν φιλοσόφων βιβλία, ταύτης ἄν τις εὕροι γέμοντα τῆς νόσου. *Et iſtoc* (admiſere) *tum ſapientiſſimus Athenienſium populus, tum qui magnus apud eos erat, Solon : ac alios multos philoſophorum libros plenos reperias ejuſce morbi.* Quid Socratem dicam, Platonem, Xenophontem, Cebetem, & (ut Plutarchus addit libro de Educatione liberorum) τὸν πάντα χόρον ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν, οἱ τοὺς ἄρρενας ἐδοκίμαζαν ἔρωτας· *totum illorum cœtum, qui maſculos approbarunt amores.* Quamquam de Platone contrarium pertendat Cardinalis Beſſario cap. 11 libri quarti eorum, quos exaravit adverſus Georgium Trapezuntium, Platonis, ut videri quidem Beſſario volebat, calumniatorem. Nempe, ex ejus ſententia, amor iſte fuit, nonniſi, ut Euripides ait,

Ψυχῆς δικαίας, σώφρονός τε κἀγαθῆς·
Mentiſque juſtæ, & temperantis, ac bonæ.

Sed ſecius de eo ſenſit Philo libro de vita contemplativa; ubi diſſerit de duplici Græciæ convivio, quorum utrique Socrates interfuerit; uni in Calliæ, alteri in Agathonis ædibus. Hæc Plato etiam, ac Xenophon, digna putarunt, quæ memoriæ proderent. Sed, ut mittam, quid in Xenophonte culpet Philo; de ſolo nunc dicam Platone; cujus convivium, ut ait ille, ὅλον σχεδὸν ἐστὶ περὶ ἔρωτος ἀνδρῶν ὀπιμανέντων ἄρσεσιν, ἡλικίᾳ μόνον διαφέρουσι·

* *ad Rom. cap. 1, homil. 4.*

penè totum est de amore masculorum, qui ætate sunt inferiores. Nec diffitetur, multa ibidem legi de Venere,& Cupidine Cælesti: sed ista,inquit, solùm χάριν ἀστεισμοῦ παρείληπται: quasi dicas, urbanitatis loco, & velut condimenti caussà,addita esse. Aliorum defamatissimam turpitudinem ex Anacreonte videmus,& tot aliis,indignis,quibus insistamus,maximè ineditis Ἀνθολογίας epigrammatis. Vt Romanos taceam; non Catullum modò, vel Q. Catulum, cujus versiculos refert Agellius in undevigesimo Atticarum noctium cap. IX; sed ipsum M. Tullium, de quo Plinius Novocomensis lib.VII, epistolà ad Pontium.

Sed omissà propudiosà gentilium vità intra cultum numinis nos potiùs contineamus. Quem proximè dixi Socratem,is gallum offerri jussit Æsculapio; ut memorato antea loco Chrysostomus ait: & idoneos ille auctores habuit,quos sequeretur; Platonem dico,ac Xenophontem. Imò Plato etiam, discipulus Socratis; etsi multa præclarè adeò de Diis tradidisset, magistri nihilominus exitu territus, deos coluit populares; ut inferius liquidò ostendam. Ac mens eadem illorum, qui Platonici vocantur: quos meritò propterea taxat B. Augustinus lib. X de Civit. Dei cap.I. Etiam consuetudinem magis, quàm rationem sectabatur L. Seneca: ut qui dicat; *Ita adorabimus, ut meminerimus, hujusmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere.* Adducit B. Augustinus lib.VI de Civit. Dei cap. X. Atque eo nomine Ciceronem quoque reprehendit Lactantius lib.II de origine erroris cap. III: *Video te terrena & manufacta venerari: vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi, quos tu stultissimos confiteris.* Quare non jam disputamus, an gentiles omnes omni ex parte verum negarint Deum: sed sufficit nunc nobis, quod etiam gentilium eximii in ea,quam haberent, notitia, vita cultuque eum abnegarint. Siquidem illi quoque,qui acutiùs cæteris viderent, non ad verum ivere Deum, quò itum oportebat; sed ad creaturam, quà ibat vulgus. Dixeris, etiam cultum vero numini præstitisse, uti certo vel ignoto Athenienses: quemadmodũ antea vidimus. Sed cogitare oportet,in cultu eo varios concurrisse actus: nec de vero cùm dicitur, omnia ad vivum resecari: sed quod boni erat, secretis cæteris, in optimam capi partem. Et profectò quantillum recti illud cultus fuit,præ omni illo,quem falsis tot numinibus præstaret superstitiosa præ cæteris Athenienſium civitas! Denique ut multo amplius fecissent, illa sublimitas (ut Cypriani utar verbis †) *non potest habere consortium, cum sola omnium teneat potestatem.* Vna est divinitas, eoque nec cultus ejus discerpi potest. Deus noster est Deus zelotypus, nec admittit quemquam in honoris sui partem: longe etiam minus, quàm rex principem externum,vel maritus alterum virum. At notum illud Senecæ

† *de vanit. idol.*

necæ Agamemnone: *Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.* Propterea etiam Achabi tempore Iſraelitis objecit Deus, quod in utrumque latus claudicarent, Dominum Deum pariter ac Baalim colendo: ut eſt I ſive III Reg. XVIII. Atque idem culpatum in Cuthæis, ſive Samaritis novis; quos Salmanaſſar, Aſſyriæ rex, in Samariæ urbes deduxerat: ut eſt II ſeu IV Reg. XVII, 33. Huc pertinet quoque illud I ad Corinth. X, 21, *Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum.* Sententia eſt, Nefas vobis in Cœna Dominica bibere calicem εὐχαριστίας, quo ſanguis Dominicus vobis præbetur; indeque ire in ædem idoli, atque illic de idololatricis ſacrificiis edere & bibere. Solent enim gentiles de ſacrificiis in honorem Deorum epulari. Vnde Iud. IX, 27, *Ingreſſi ædem Dei ſui edebant, & bibebant.* Item Amoſi II, 8, *Super veſtes in pignus acceptas inclinant ſe juxta omnia altaria, & vinum damnatorum bibunt in domo Deorum ſuorum.* Plura afferre poteram de iſtis, qui Deum, non uti cognoſcerent, celebrarent, eumque & Belial ſociare vellent, niſi faſtidium vererer. Solum igitur addam aliquid de Peruanis, ſummum Deum agnoſcentibus, quem vocant *Viracocha:* item *Pachacamac:* adhæc *Pachaiachacic:* id eſt, *creator cæli & terræ.* Aliis etiam elogiis ornant: in quibus eſt *Vſapu*, hoc eſt, *admirabilis.* Et tamen nullum in lingua ſua vocabulum habent, quo Deum κυρίως † exprimere poſſint cæterarum gentium inſtar: quale Latinum *Deus*, Hebræum *El.* Ac propterea Hiſpani, eò ad prædicandum Euangelium profecti, in literis ad Indos perſcriptis non aliâ appellatione, quàm Hiſpanicâ *Dios*, uſi ſunt: quo pacto illud ſunt conſecuti, ut eâdem nunc Americani utantur. Iidem in templo Pachumac, hoc eſt creatoris, quod in Peru exſtructum, ſic colunt creatorem, ut nihilominus ſacrificent Diis ſuis. Nempe proclive ſatis eſt iis perſuadere de ſummo Deo: at non item, haut aliud præter eum numen eſſe, vel coli debere. Tantum in animis eorum inveteratus error valet. Quorum auctor eſt nobis Ioſephus Acoſta lib. V, cap. III.

† *propriè.*

Atque hæc univerſè dicta ſunt de origine & cauſſa tranſlati à Deo cultus ad opificium ejus. Particulatim verò inferiùs referam, cur divinus ſit honos attributus, vel dæmoniis, vel hominibus defunctis, vel Soli & ſideribus, vel elementis, vel aliis. Nunc breviter exponam, in quibus actibus idololatria conſiſtat. Sunt verò totidem, quot ſunt actus religioſi. Nam cum religio ſit actus ſive officium hominis erga Deum; idololatria autem ſit, quoties actus uni Deo debitus homini defertur: quot actibus verus colitur Deus, totidem etiam committitur idololatria. Eſt verò actus religioſus vel ſolum internus, vel ex interno & externo compoſitus, vel externus duntaxat. Internus eſt ſupra omnia amor, timor, fiducia. Mixti

generis ſtatuenda invocatio, quia & animo & ore fit. Conſiſtit verò partim in gratiis agendis pro beneficio collato : partim in orando pro continuatione ejus, vel novi collatione. Externus ſolum eſt adoratio, tum major illa, qua feſta inſtituuntur, templa eriguntur, ſacrificia fiunt : tum minor etiam, qua corpus totum proſternimus; vel partem ejus, puta caput, vel genua, inclinamus, vel manus ad os admovemus : dum modo hæc fiant divini cultus ergo, velut boni etiam ſpiritualis datori, mali ſpiritualis depulſori. Quale quoque erat, cum in hujuſmodi honoris ſignum idola oſcularentur. Vnde 1 Reg. XIX, 18 : *Reſervavi mihi ſepties mille, quorum os Baalem non eſt oſculatum.* Ac de vitulorum oſculo habes Oſeæ XIII, 2. Longe alia ratio eſt adorationis civilis, quæ creaturæ, etiamſi nihil ores, honoris ac reverentiæ cauſſâ fieri poteſt. Quomodo Iacob ſepties adoravit fratrem Eſau : at tantum abeſt, ut aliquid popoſcerit, ut contra fratri ipſe dona obtulerit ac contulerit : quemadmodum legere eſt Geneſ. XXXIII, 3. Abrahamus quoque adoravit filios Geth, ut terræ dominos : prout eſt Geneſ. XXIII. Ac multò plurima ejus generis exempla in Scripturis aperiuntur. Sed poſſe adorationem civilem commutari in religioſam ſive divinam : argumento fuerit illa, quam ſibi in ſtatuæ ſymbolo præſtari voluit Nabuchodonoſor ; ut ſuo loco explicabitur.

DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE, AC PROGRESSV, LIBRI PRIMI PARS ALTERA;

Quæ est de cultu creaturæ spiritualis.

CAPVT V.

Distinguitur cultus idololatricus in proprium, & symbolicum. Proprius in varia deducitur genera: ex quibus primus datur locus spirituali: in hoc autem cultui duplicis principii, juxta doctrinam Zoroastris. Cujus de ætate variæ sententiæ. Et quis illi Oromasdes, quis Arimanius, & quibus comparârit. Hinc acceditur ad Ægyptiorum opinionem de duplici principio activo, boni, & mali; boni Osiride, mali Typhone: & exponitur, quomodo se ad utrumque habeat Isis; quæ est principium passivum. Quantoque aliter, quàm vulgo ab Ægyptiis fieret, hæc seu nomina, seu numina intellexerit Plutarchus: cui Isis est natura mundana: Osiris & Typho, duo spiritus magni eam gubernantes. Vetustæ hujus opinionis de duobus principiis reliquias quasdam conspici in sententiis veterum aliquot philosophorum, etiam Platonis; etsi aliter postea sapuerit Porphyrius. Romanis etiam, & Græcis, esse quædam numina læva. Manetis, Manichæorum patriarchæ, sententia de duplici spiritu; uno boni, altero mali auctore. Denique refellitur superior omnis de duobus principiis opinio: præcipuèque contra Plutarchum, & Manichæos, ostenditur, nihil esse in rerum natura, quod non prosit.

HÆc generatim de falso cultu sufficiant. Nunc particulatim aggrediar dicere, quantopere hic cultus variârit, tum pro temporum, vel terrarum spatiis; tum pro legislatorum decretis, vel philosophorum sectis. Quæ nisi accuratè distinxero, videar mihi haut aliud daturus, quàm non jam dico Athenienſium πεινάπλοον, in quo Athenæus * fuisse ait, vinum, mel, caseum, farinam, & olei pauxillum: sed Bacchi κέρνος, in quo, eodem teste †, papaver, album triticum, hordeum, pisum, ervum, cicer, lens, faba, zea, avena, caricæ, mel, oleum, vinum, lac, quin etiam illota ovis lana. Cujusmodi mixtura etsi Bacchicis sacris non inconveniens videretur: in hoc tamen argumento certum sit ἀνεισίας ‡ argumentum. Separabimus igitur singula profani cultus genera, tum eorum hominum, locorum, temporum, quibus primæva traditio per pectora humana minùs turbidè profluxit: tum quibus per eadem pluribus mæandris erravit

* *lib.* 11.

† *eodem libro, loco gemino. Sed posteriori præterit interpres Dalecampius.*

‡ *judicii deficientis.*

impurius, & decoloratione fædiori ex admisto majoris erroris veneno.

Primum verò, quod sæpe nec veteribus satis fuit observatum, distinguēre opus est inter cultum proprium, & symbolicum.

Proprium voco, quando, quod colitur, propriè & in se Deus esse existimatur. Qualis fuit cultus Solis ipsius, vel Herculis, sive Thebani, sive alterius gentis.

Symbolicum appello, cum quid colitur, non quia credatur Deus; sed quia Deum significet. Quomodo Sol cultus in igni Vestali, Hercules in statua.

Proprium divido in simplicem, & mixtum. Simplicem dico, ubi animus in unius cultum fertur. Vt unius Solis, vel unius Herculis Thebani. Mixtus est, quando animus colentis in plura diffunditur. Vt quando Hercules colitur cum Sole, & illi in hoc, huic in illo honos habetur: quod accuratiùs infrà explicabitur.

Cultus proprius ac simplex vel est substantiæ, vel accidentis.

Substantia vel est spiritualis, vel corporea.

Spiritus vel est summus, vel medius, vel imus. Summus, ut mundi opifex; cujus veneratio in falso cultu consideratur, quatenus corrumpitur, si inter eum & alterum honos divinus dividatur, vel si Deus colatur in idolo. Medius spiritus est angelus bonus, malusve: quorum utrumque dæmoniorum nomine Platonici intelligunt. Imus spiritus est genius, sive anima defuncti.

De hoc spirituum cultu sic censeo: ante animas humanas angelos divino affectos honore: ante angelos bonos, principem malorum, quem κατ' ἐξοχὴν * Satanam dicimus: non solum tamen, sed unà cum Deo, boni omnis fonte. Originem hujus cultus derivo à corrupta tum traditione, tum ratione. De traditione quidem depravata in dubium vocabit nemo, modò non peregrinus adeò sit in sacris nostris, ut ignoret, quicquid Deus fecisset, bonum fuisse; sed postquam Satanas præ invidia primos parentes de statu innocentiæ dejecit, terram propter eos fuisse maledictam: nec Deum propterea amorem omnem generis deposuisse humani: quippe qui variis modis omnes omni ab ævo ad pœnitentiam provocet & invitet. Sed Satanas, mille fraudum artifex, circumit universos, in nihil æquè intentus, quàm ut illos tum à recto avertat cultu, tum hîc gravissimis malis, Deo ita permittente, adfligat; & post judicium ultimum, socios habeat pœnarum, quas ipse est subiturus. Salutarem adeò doctrinam nunquam destitit Noachus prædicare liberis & nepotibus suis, eâ spe, ut ipsi per manus ista traderent ex se nascituris. Sed quæ patriarcha tantus præbuerat dextrâ, hæc paullatim posteri sinistrâ acceperunt. Iustiùs enim hoc de se

* *per excellentiam.*

de se dicere potuerit Noachus, quàm de auditoribus suis querebatur Theodorus † Cyrenaicus. Noachidæ igitur exinde duo sunt commenti principia, pari vel suppari potestate; boni unum, alterum mali. Atque eò deventum fuit, ut, quemadmodum colerent principium boni, quò bona conferret: ita venerarentur principium mali, ne inferret mala.

† *Plutarch. de Isid. & Osir.*

Ad traditionem corruptam corrupta etiam ratio accessit. Sic enim collegerunt; eum, qui in se esset optimus, & omnis boni fons unicus, non esse miseris mortalibus mali ullius principium ac caussam. At verò in mundo hoc multa esse homini mala & noxia; tum in mutis animantibus, ac plantis; uti basiliscum, araneam, aconitum, & similia: tum etiam in cæteris; uti famem, pestilentiam, tempestates, cæteráque id genus. Quare cum non debeamus Deum comminisci, qui dextrâ panem ac potum salubrem, sinistrâ venenatum eidem præbeat cibum, potumque: omnino præter principium omnis boni, etiam statui oportere omnis mali princicipium: ac proinde illi facienda esse sacra, ut bonum consequamur: huic verò ad malum averruncandum.

Quàm vetusta hæc sit sententia, arguit, quòd ea fuerit antiquissimorum inter gentiles legislatorum, ac sacerdotum; atque ab iis in philosophos veteres sit derivata. Quod apertè docet Plutarchus de Iside & Osiride. Prolixior est locus: adscribam tamen, quia rei alioquin obscuræ multum lucis affundit. Sic igitur ille: Διὸ καὶ παμπάλαιος αὕτη κάτεισιν ἐκ θεολόγων καὶ νομοθετῶν εἴς τε ποιητὰς καὶ φιλοσόφους δόξα, τὴν ἀρχὴν ἀδέσποτον ἔχουσα, τὴν δὲ πίστιν ἰσχυρὰν καὶ δυσεξάλειπτον, οὐκ ἐν λόγοις μόνον, οὐδὲ ἐν φήμαις, ἀλλὰ ἔν τε τελεταῖς ἔν τε θυσίαις, καὶ βαρβάροις καὶ Ελλησι πολλαχοῦ περιφερομένην, ὡς οὔτ' ἄνευ καὶ ἄλογον καὶ ἀκυβέρνητον αἰωρεῖται τῷ αὐτομάτῳ τὸ πᾶν, οὔτε εἷς ἐστιν ὁ κρατῶν καὶ κατευθύνων ὥσπερ οἴαξιν ἤ τισι πειθηνίοις χαλινοῖς λόγος, ἀλλὰ πολλὰ καὶ μεμιγμένα κακοῖς καὶ ἀγαθοῖς· μᾶλλον δὲ μηδὲν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἄκρατον ἐνταῦθα τῆς φύσεως φερούσης· οὐ δυεῖν πίθων εἷς ταμίας, ὥσπερ νάματα τὰ πράγματα καπηλικῶς διανέμων ἀνακεράννυσιν ἡμῖν, ἀλλ' ἀπὸ δυεῖν ἐναντίων ἀρχῶν, καὶ δυεῖν ἀντιπάλων δυνάμεων, τῆς μὲν ἐπὶ τὰ δεξιὰ καὶ κατ' εὐθεῖαν ὑφηγουμένης, τῆς δ' ἔμπαλιν ἀναστρεφούσης καὶ ἀνακλώσης, ὅ, τε βίος μικτὸς, ὅ, τε κόσμος, εἰ καὶ μὴ πᾶς, ἀλλ' ὁ περίγειος οὗτος καὶ μετὰ σελήνην, ἀνώμαλος καὶ ποικίλος γέγονε, καὶ μεταβολὰς πάσας δεχόμενος. εἰ γὰρ οὐθὲν ἀναιτίως πέφυκε γενέσθαι, αἰτίαν δὲ κακοῦ τἀγαθὸν οὐκ ἂν παράσχοι, δεῖ γένεσιν ἰδίαν καὶ ἀρχὴν, ὥσπερ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ τὴν φύσιν ἔχειν. καὶ δοκεῖ τοῦτο τοῖς πλείστοις καὶ σοφωτάτοις. νομίζουσι γὰρ οἱ μὲν θεοὺς εἶναι δύο, καθάπερ ἀντιτέχνους. τὴν μὲν γὰρ ἀγαθῶν, τὴν δὲ φαύλων δημιουργόν. οἱ δὲ τὴν μὲν ἀμείνονα, θεὸν, τὴν δὲ ἕτερον, δαίμονα καλοῦσιν. In gratiam eorum, qui Græcè minùs intelligunt, apponam & tralationem Xylandri, etsi ex ipso peti maluissem. *Vetustissima proinde à sacrarum professoribus rerum, legumlatoribus derivata est opinio, auctore incognito, fide firma & indelebili,*

lebili, non in sermonibus ea tantum & rumoribus, sed & in mysteriis ac sacrificiis tam barbaris, quàm Græcanicis exstans: neque casu ferri, & à fortuna pendêre Vniversum, mente, ratione, gubernatore destitutum: neque unicam esse rationem, quæ contineat id & dirigat, tanquam clavum aut frena moderans: sed cum permulta è bonis juxta malisque sint confusa; imò nihil natura hæc sincerum (ut verbo dicam) proferat: non esse unum aliquem promum, qui è duobus doliis res nobis veluti aliquem liquorem, cauponis in morem, distribuat atque misceat. Ergo à duobus principiis contrariis, adversisque duabus facultatibus, quarum altera ad dextram & rectà ducat; altera retrorsum avertatur atque reflectat; cùm vitam esse mixtam, tum ipsum mundum (si non universum, eum saltem qui ad terram est, & Lunæ subjacet) inæqualiter ferri, variisque & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absque caussa sit, & mali caussam bonum non præbet: necesse est in natura, ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, suumque principium exstare. Atque hæc quidem sententia plerisque & iisdem sapientissimis probatur. Existimant enim alii, duos esse deos, quasi contrariis deditos artibus; ut bona alter, alter mala opera conficiat. alii eum, qui est melior, Deum; qui deterior, dæmonem dicunt.

Atque hæc Plutarchus generatim de opinione duorum principiorum, uno omnis boni, altero omnis mali. Postea verò refert, quomodo opinio eadem fuerit Persarum; qui illam accepere à Zoroastre. Seculis priscis, ante imperium à Cyro conditum vixisse, indicat Ammianus Marcellinus lib. xxxiii. Clemens Romanus, vel alius potiùs, in iv Recognitionum, censet esse filium Cham, qui Mesraim dictus, unde Ægyptus terra Mesraim nominata. Post obitum autem vocatum esse Zoroastrim; id significare *vivum sidus*. Aristoteles, & Eudoxus, tradidere, ante mortem Platonis fuisse sex annorum millibus. Auctor Plinius lib. xxx, cap. i. Ac ibidem legas, ut Hermippus scripserit, fuisse eum ante bellum Trojanum quinque annorum millibus. Atque hanc sententiam secutus quoque est Plutarchus libro antè memorato. Eandem Hermodoro Platonico tribuit Laërtius in procemio operis. Interea non dissimulat, quod longè verisimilius est, Xanthum Lydum, à Zoroastre usque ad Xerxis transitum, computare annos solùm sexcentos. Imò non paullò etiam junior fuerit, si vixerit sub patre Xerxis Dario Hystaspide, vel temporibus Hystaspis ejus, qui Xerxis avus, Darii parens fuit. Sub aliquo quidem Hystaspe floruisse, Persarum traditio est; ut apud Agathiam legimus in secundo. Qui & duplex ei dat nomen: unum Ζωροάστρα, alterum Ζαρόαδος, ἤτοι Ζωρόαδης. De ætate autem, in tanto dissensu priorum, negat certi quicquam statui posse. Nec valde repugno. Hoc autem opinionum incertum provenisse ex eo arbitror, quòd complures ejus nominis fuerint. Notissimus quidem ille Bactrianus, quem Nili æqualem faciunt Augustinus lib. xxi de Civit.

Civit. Dei cap. XIV, & Suidas. Vt qui cum Rege eo non ferri solũ viribus, sed magicis etiam artibus decertârit : ut ait Trogus, sive Iustinus Philippicarum initio. Quod ex primo historiarum Ctesiæ hausturn esse, indicat Arnobius in primo. Sed præter Bactrianum alter fuit : ut ille, quem nunc Persam, nunc Medum vocat Clemens primo Στρωμαλέων, ac Περσικῶν nuncupat Suidas. Quamquã dubitet Plinius lib. XXX, cap. I : *Vnus hic fuerit, an postea & alius, non satis constat.* Vbi & illum magicarum artium doctorem Azonacis discipulũ facit : ac etiam meminit Zoroastris Proconnesii. Plures quidẽ ejus nominis fuisse, testis etiam Plato Alcibiade, & X de Rep. & Clemens V Στρωματ. Id verò vitium fuit mentis humanæ, ut quo pretiũ adderet opinionibus, eas antiquiori potiùs, quàm juniori tribuerit. Sed de ætate judicet quisque, ut volet, dum bene antiquum fateatur : quod ex dictis satis constat. Ad Zoroastris dogma redeo. Is eodem Plutarcho testante, cum duo statuisset principia, boni principium vocavit Oromasden ; mali Arimanium. Quod ipsum ex Agathiæ secundo cognoscimus ; sed vocabulis paulum variatis. Sic enim vulgo scribitur : Τὸν μὲν ἀγαθὸν εἴτε θεὸν, εἴτε δημιοργὸν, Ορμισδάσλω ἀποκαλοῦσιν· Ἀριμάνης δὲ ὄνομα τῷ κακίστῳ & ὀλεθρίῳ· *Bonum enim sive Deum, sive Creatorem, Hormisdasten appellant : Arimanes autem pessimo illi ac pernicioso est nomen.* Sed puto, pro Ορμισδάσλω scribendum Ορομάσδω. Arimanii etiam meminit Artaxerxes apud Plutarchum in Themistocle. Τὸν πονηρὸν δαίμονα Περσῶν vocat cubicularius, ad Darium sermone, apud Plutarchum in Alexandro. Pergit deinde Plutarchus, atque, ex Zoroastris opinione, tradit, nulli ex rebus, quæ sensu vel mente percipiantur, posse Oromasdem meliùs comparari, quàm luci : nulli rectiùs Arimanium, quàm tenebris & ignorantiæ : ac illi quidem cædendas victimas, ut accipiatur beneficium, vel pro accepto gratiæ agantur : huic verò, ut malum ab homine propulsẽt. Addit quoque, Persas propterea herbam Omomi dictam in mortario pinsere : simul Arimanium sive Ditem, & Tenebras invocare : tum sanguinem lupi recens jugulati herbæ Omomi miscere : postmodo eam efferre, atque abjectare in locum, quò Solis radii non pertingant. Stirpes bonas esse opus Dei boni ; malas, ut venenosas, mali genii : item bona animalia esse boni numinis ; ut canes, aves, echinos terrestres ; mala esse mali genii, ut echinos aquaticos : eoque beatum esse, qui plurimos talium interfecerit. Subdit deinde, Oromasdem è luce purissimâ natum esse ; Arimanium è caligine ; perpetuóque hos inter se bellum gerere : tanto autem Oromasdem esse sublimiorem Mithrâ, hoc est Sole ; quanto eodem Sole inferior est Pluto sive Arimanius : ac Oromasdem quidem fecisse stellas, & bonos Deos, inque ovo posuisse. Per ovum hoc mysticè mundus intelligitur : cui ova-

lem figuram antiquissimi tribuerunt: in his Sanchuniathon; de quo vetustissimo rerum Phœniciarum scriptore dictum nobis in opere de historicis Græcis. Hinc Thebaidos incolæ, Deum mundi opificem repræsentare volentes, efformabant eum ovum ore effundentem: ἑρμηνεύουσι δὲ τὸ ᾠὸν τὸν κοσμὸν, *ovum autem interpretantur mundum*: ut superius ex Porphyrio diximus. Etiam in Orgiis Liberi Patris, quæ ab Orpheo instituta, ovum mundi erat symbolum: ut docent Plutarchus Symposiacôn lib. II quæst. III, & Macrobius Saturnalium lib. VII, cap. XVI. Vnde Proclus in Timæum eadem esse ait, τὸ Ορφικὸν ᾠὸν, καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος ὄν· *Orphei ovum, & Platonis Quod est.* Cum ovo mundum etiam Varro comparat in Logistorico, qui Tubero sive de Origine humana inscribitur *: *Cœlum est testa; item vitellum, terra; inter illa duo humor quasi ilcinus* † (in sinum) *clusus aeri, in quo calor.* Ovum igitur, hoc est mundum, fecerat Oromasdes. Sed Arimanius, cùm malos genios condidisse dicitur, tum ovum illud perforâsse: atque ita bona permiscuisse malis, mala bonis: hinc coortas esse inimicitias inter Oromasden, & Arimanium: atque alterum alterius opus demoliri: sed fatum affore, cùm Oromasdes Arimanium vincat, imò prorsus aboleat: homineſque tum demum pacificè beatéque victuros. Quæ fabulosa esse, nemo non videt: interim non obscuræ hic apparent reliquiæ doctrinæ Noachicæ, tum de Deo, habitante lucem inaccessam, mundique opifice; tum de Satana, aeris ac caliginis principe, mali omnis fonte & auctore; quo æternis tenebris addicto, beatam homines cum Deo vitam degent.

* *apud Probum in Eclog. 6.*
† *al.* in limum.

De Zoroastris ac Persarum doctrina satis. Ab his me confero ad Ægyptios; ex quibus, ut antea vidimus, soli Thebaidos incolæ unicum Deum, mundi architectum, Cneph à se nuncupatum, coluerunt. Cæteris Ægyptiis plures erant Dii: præcipuus interim honos duobus erat principiis ac caussis Vniversi; uni omnis boni, unde rerum generatio; alteri omnis mali, unde rerum corruptio. Ac ex eorum sententia, in hac rerum ab utroque principio mistura, prævalet facultas melioris numinis: attamen non in tantum, ut deterioris opus aboleat prorsus: quippe & vis ista deterioris principii penitissimis inhæret corporibus, saltem illis sub Luna constitutis: atque inde est, quod semper meliori repugnet facultati. In principio illo præstantiori divinioréque, & ejusdem opere, tria considerantur: quorum unum patris, alterum matris, tertium prolis se instar habeat. A primo est forma; ab altero materies; tertium est ipse mundus. Primum dicitur Osiris; alterum Isis; tertium Orus. Principium deterius vocatur Typho. Ac Isis quidem, quæ naturæ est femineæ, eoque receptaculum boni & mali, sponte suâ fertur ad id, quod melius est. Sed

Typho

Typho altè inhæret & corpori, & animæ Vniverſi; ſemperque melius principium impugnat. Melioris principii, quod Oſiridem dixere, in anima imago eſt Ratio, ſive Mens: Typhonis verò ſimulachrum eſt pars animæ ἄλογος †, & affectibus æſtuans. In corpore humano, Oſiridis imago eſt facultas bonum præſtans temperamentum: Typhonis autem, facultas morbos & mutationes arceſſens. In cælo, & elementis, Oſiridem repræſentat, quicquid ordinatum, & æquabile: Typhonem, quicquid inordinatum, & inæquabile; ut ſolaris vel lunaris luminis defectus, procellæ ac tempeſtates, inundationes marinæ; atque ita in cæteris, quicquid modum & ordinem non tenet.

† *rationis expers.*

Horum omnium non locupletem magis teſtem laudare poſſim, quàm Plutarchum, libro ſæpius memorato de Iſide & Oſiride. Ex cujus ſententia duo hæc principia ſunt duo ſpiritus mundi præſides: ut valde hæc conveniant cum Zoroaſtris doctrina, de qua diximus. Sed longè aliter hæc de principiis illis capiebant multi ex Ægyptiis ſacerdotibus. Qui per Oſiridem intelligebant tum Solem, tum Lunam, tum Nilum: per Typhonem, tum Solem, tum Mare: per Iſidem tum Lunam, tum Terram. Quod accuratius exponam in Naturæ corporeæ cultu. Ea interpretatio non ſatisfecit Plutarcho: ut qui contenderet, nihil corporeum, & ſenſus expers, pro numine coli poſſe. Quare ut vulgatiorem Ægyptiorum de Diis ſuis opinionem explanatione commodâ reddat meliorem: per Iſidem quidem intelligere jubet mundum; per Oſiridem autem, ac Typhonem, Deos vel dæmonas magnos; quorum virtute rerum natura gubernetur. Nec eum ab hac dimovit ſententia, quòd videret, Ægyptios fere ea per corpoream declarare naturam. Nam cenſet, eorum verba capienda eſſe μεϑωνυμικῶς: ut nominibus rerum corporearum, & ratione ac ſenſu carentium, deſignentur duo ſpiritus principes, quibus corporea univerſa ſuam debeant originem. Atque hoc illuſtrat eo, quòd Romani, ac Græci, ſimiliter ἥραν τὸν ἀέρα, γένεσιν δὲ ἡφαίστου τὴν εἰς πῦρ ἀέρος μεταβολὴν ἀλληγορῶσι· *Græci per Iunonem intelligunt aëra; per ortum Vulcani, mutationem aëris in ignem.* Subjungit deinde, οὕτω παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Οσιριν, Ισιδι συνόντα τῇ γῇ· *Sic Ægyptiis Nilum eſſe Oſiridem, congredientem cum Iſide, quæ eſt terra.* Statuit igitur, ut Bacchum dicimus pro vino, quia primus creditur docuiſſe rationem vini ex uvæ latice exprimendi; quo pacto item Homerum dicimus pro poematis ejus: ſic cum divino honore coluntur Oſiris, & Iſis, & iis adverſarium numen Typho inducitur; in corporea illa natura neutiquam eſſe animo ſiſtendum; ſed aſſurgendum altiùs ad cauſſas naturæ; quæ ſunt magni ſpiritus jam memorati: poſſe interea & cultum præſtari rerum naturæ; ſed ut imagini ac ſpeciei ipſius numinis: quo-

modo cultus talis non proprius, ſed ſymbolicus ſit habendus. Ipſum audiamus loquentem, Συνελόντι δὲ εἰπεῖν, οὔτε ὕδωρ, οὔτε ἥλιον, οὔτε γῆν, οὔτε οὐρανὸν, Οσιριν, ἢ Ισιν ὀρθῶς ἔχει νομίζειν· οὔτε πῦρ Τυφῶνα πάλιν, οὔτ' αὐχμὸν, οὐδὲ θάλατταν, ἀλλ' ἁπλῶς ὅσον ἐστὶν ἐν τούτοις ἄμετρον καὶ ἄτακτον ὑπερβολαῖς ἢ ἐνδείαις, Τυφῶνι προσνέμοντες· τὸ δὲ κεκοσμημένον, καὶ ἀγαθὸν, καὶ ὠφέλιμον, ὡς Ισιδος μὲν ἔργον· εἰκόνα δὲ καὶ μίμημα καὶ λόγον Οσιριδος σεβόμενοι καὶ τιμῶντες, οὐκ ἁμαρτάνοιμεν. *Vt rem paucis comprehendam, nec aquam, nec ſolem, nec terram, nec cœlum, Oſirim vel Iſin rectum eſt putare: neque item ignem putandum Typhona, neque æſtum, neque mare: ſed ſimpliciter, quicquid in his non tenet modum vel ordinem, ſeu exceſſu ſeu defectu, id Typhoni tribuemus: quod verò recto ordine ac modo fit, bonumque ac utile, velut Iſidis opus; imaginem autem ac imitationem, ac ſpeciem Oſiridis colentes ac honorantes, non peccabimus.*

Etiam Plutarcho hoc magiſtro cognoſcimus, quomodo illa de principiis duobus opinio ad Græcos ſit philoſophos derivata. Exemplo ſit Pythagoras, quem duo ait ſtatuiſſe principia, bonum malumque: ab illo eſſe unitatem, finitum, quieſcens, impar, quadratum, æquale, dextrum, ſplendidum: ab hoc eſſe binarium, infinitum, in motu verſans, curvum, par altera dimenſione longius, inæquale, ſiniſtrum, tenebricoſum. Ac fortaſſe nec aliud voluit Philolaus Pythagoricus, quando (ut apud Stobæum in Eclogis Phyſicis legimus) principia rerum ſtatuit τὸ πέρας καὶ τὸ ἄπειρον, *finitum & infinitum.* De Empedocle Agrigentino magis liquet: quem Plutarchus inibi ait unum inducere boni principium, quod amor, vel amicitia, vel etiam harmonia dicitur; nempe quia eſt ἑνωτικὸν, ſive rerũ conjungens: alterum principium mali, quod lis, vel rixa nuncupetur; puta quia ſit διαιρετικὸν, ſive res disjungens. Atque idem tradidit Diogenes in VIII; è noſtris Iuſtinus Martyr παραινετικῷ πρὸς Ελληνας, & Clemens Alexand. προτρεπτὸ πρὸς Ελληνας. Platonem quoque his comitem addit Plutarchus: quia licet multis quidem locis ſententiam ſuam occultârit, principiáque omnium vocârit idem, & diverſum: in libris tamen de Legibus, quos ætate grandior perſcripſit, apertè doceat, mundum hunc non ab unica regi anima; ſed pluribus, ac minimùm duabus; quarum una bonum efficiat, altera contrarium. Quibus non obſtat, quòd apud Auguſtinum in VIII de Civit. Dei cap. XIII legimus, juxta Platonem *Deos non eſſe, niſi bonos*: ut diſertim ait in decimo de Legg. Nam Plato per Deos bonos intellexit honeſtos, & virtutum amantes: quales etiam fuerint, etſi noceant hominibus; dummodo mala, quæ immittunt, juſtæ habeant pœnæ rationem. Qua parte Platonem deſeruiſſe videtur Porphyrius, quando in Sacrificiorum libris duo conſtituit dæmonum genera; bonos & beneficos, malos & maleficos. Vide Iamblichum libro de Ægyptiorum myſteriis,

steriis; quæque ex Porphyrio ad Anebonem (sic enim, non *Abeuntem*, vel *Abeonem* legi debet) B. Augustinus refert lib.x de Civit. Dei cap.x. Ac Romani quoque,& Græci,licet non agnoscerent duo solum rerum principia; hactenus tamen priorum institere vestigiis,quod pro bono maloque effectu Deos discriminarent. Siquidem eorum iis alia bona, quæ juvarent; alia mala,& ut Maro vocat,læva,quæ nocerent. Atque ut apud Augustinum legas lib.VIII de civit. Dei cap.XIII, *Labeo numina mala victimis cruentis, atque hujusmodi supplicationibus placari existimat: bona verò ludis & talibus, quasi ad lætitiam pertinentibus rebus.*

At propiùs sententiæ de gemino rerum principio,bonarum uno,malarum altero, adhæsit Manes, cum discipulis XXII; in quibus præcipuè memorati Thomas, Buddas, Hermas, sive Tyrbo, & Acua; à quo Manichæi aliter dicti Acuanitæ *. Nec tamen Manichæi sic temere loquebantur, ut dicerent, duplex esse numen; vel si duos dicerent Deos,non aliter hoc solent interpretari, quam unum propriè, alterum impropriè † Deum dici: quomodo etiam Apostolus Paulus ‡ ait,Deum hujus seculi, qui diabolus est, excæcâsse fidelium mentes. Sed in eo tamen convenientia est, quòd ex duobus principiis, quorum unum esset Deus, alterum sive Hyle, sive Dæmon, à priori bona, ab altero esse mala crederentur: ab illo Solem non factum quidem, prolatum tamen, vel missum: ab altero autem colubrum,& alia id genus animalia,facta esse in gente tenebrarum. Quæ qui dicit, is diabolum creatorem,ac proinde Deum facit. Hanc Manetis insaniam legere est apud Epiphanium hæres. LXVI: nec uno loco apud B. Augustinum. Paucis verò apud eum libro de hæresibus, *Iste*, inquit, *duo principia inter se diversa atque adversa,eademque æterna & coæterna,composuit: duasque naturas atque substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos,opinatus est: quarum inter se pugnam & commixtionem fabulatur.* Per hæreticos,quos Manes secutus dicitur, intelligit Marcum,Cerdonem,Apellem, alios; qui itidem duo statuerant principia. Sed cùm Manem hunc constet natione fuisse Persam, ac Persicis etiam disciplinis, sumtibus viduæ cujusdam,fuerit imbutus,ut Epiphanius tradit: magis mihi verisimile fit, patriam in eo religionem secutum fuisse. Zoroastris enim, & Magorum hæc doctrina erat; ut è Plutarcho antè vidimus. Atque idem à Laërtio adstruitur è Dinonis V Histor. Aristotelis libro I de Histor. Hermippo libro I de Magis, Eudoxo ἐν περιόδῳ, Theopompi libro VIII Philipp. & Eudemo Rhodio.

* *Epiphan. hæresi 66,& Nicetas Choniates sive Colossensis lib.4 Thesauri Orthod. cap.33.*
† *Faustus Manichæus apud Augustinum.*
‡ *2 Cor.4,4.*

Satis ex his liquet, quàm antiqua sit, & unde profluxerit doctrina de duobus naturæ principiis, bono Deo, maloque genio: quorum ille sit causa omnis boni in natura; & coli debeat,ut faciat bene: hic auctor sit

omnis mali, & colendus sit, ne malus malè faxit.

Quod si adversus hoc venenum quæratur antidotum, ex usu sit adire Epiphanium hæresi LXVI, ac præcipuè B. Augustinum lib. XXI contra Faustum: itē libro de natura boni contra Manichæos, & aliis in locis: adhæc Damascenum contra eosdē. Mirum verò Fausto, homini nō planè obtuso, placere potuisse sententiam tam absonā. Nam quo graviori quis piaculo se adstringat, quàm si honore & observantia Dei propriâ eum colat & prosequatur, qui quicquid habet virium, hoc ad Dei conferat ignominiam, & hominum exitium: ac propterea, ubi dies advenerit extrema, cum cultoribus sui præceps in tartarum datus pœnas persolvet æternas. Nec opinio tam aliena ab omni ratione, quicquid dicat Plutarchus, multum habuit auctoritatis apud prudentiores. Itaque cum Faustus Manichæus Catholicis objectaret, quod dogma de uno Deo à gentilibus hausissent: respondet ille lib. XX contra eum scriptorum cap. XIX, *Discat Faustus, vel potiùs illi, qui ejus literis delectantur, monarchiæ opinionem non ex gentibus nos habere: sed gentes non usque adeò ad falsos Deos esse delapsas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo est omnis qualiscunque natura.* Firmat hæc Iustinus Martyr de Monarchia. Vbi præter poetas etiam Platonem advocat in Timæo. Qui sive à Thebaidos incolis monitus, solùm Deum Kneph agnoscentibus, sive aliter edoctus; licet plures induceret Deos, hos bonos, illos noxios; neutros tamen alio habuit loco, quam pro Numinis supremi ministris. In quo Hebræis, de quibus nulli est obscurum, Chaldæi etiam consenserunt: si oraculo stare possumus, quod narrat nobis Iustinus Martyr oratione parænetica ad gentes, & Eusebius in nono Præparationis Euangelicæ:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἀρ' Ἑβραῖοι
Αὐτοξύμπλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἀγνῶς.

Latinè sic utcunque verbum verbo reddideris:

Soli Chaldæi sophiam sortiti, & Hebræi,
Sanctè à-se-genitum † regemque Deumque colentes.

† *Vel*, Sanctè nullo ortum.

Sed operam lusimus, nisi argumento etiam occurramus eorum, qui sententiæ nostræ discrepant. E Plutarcho autem vidimus, eò opinionum esse dissensionem, quòd in orbe terrarum, tot res sint noxiæ generi humano: nec in animum inducere possent, Deum Optimum, (quod priùs, quàm Maximum, dicere solemus) tot esse malorum fontem & originem. Eo igitur fuere delapsi, ut duplex constituerent principium; à quorum altero acerbitates, omniáque fluere infortunia, multarum etiam rerum exitium, prædicabant: alteri autem, quicquid boni esset, acceptum referebant. Sed longè aliter poterant hac cura defungi, si mente animoque

que ſtudioſius hæc conſideraſſent. Si enim poeta dixerit Sulmonenſis in ſecundo Triſtium : *Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem :*

non minori jure dixero ,

Nil lædit, quod non commoda certa ferat.

Quocirca,non continuò ſiquid noceat,eo pro tali habendum,quod rerum naturæ incommodet. Nam quod uno eſt loco noxium,id juvat alio. Quis ignorat,quantum in periculum homines conjiciat cicuta ? Cujus rei in propinquis illuſtre etiam habeo exemplum à Nobili & affinitate dum viveret conjunctiſſimo Henrico Smetio memoratum Miſcellaneorum Medicorum lib. x , in obſervationibus anni cIↃ IↃ xcı. Attamen in Liguribus Taurinis pro cibo habetur non delicato ſolùm, ſed etiam ſalubri,& inter cætera urinam ciere idoneo. Et quàm multa homini ſunt venena in cibis, quæ proſunt ei in medicamentis ! Atque ut neutrâ ratione commodo atque uſui forent : tamen ſic quoque emolumentum homini afferrent, dum pro cibo ſunt mutis animantibus, quæ nobis poſtea in alimentum , vel medicamentum cedunt. Scitè hoc verſibus iſtis expreſſit Lucretius in quarto :

Tantaque in his rebus diſtantia differitaſque eſt ,
Vt quod aliis cibus eſt, aliis ſuat acre venenum.
Eſt utique ut ſerpens, hominis quæ tacta ſalivis ,
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
Præterea nobis veratrum eſt acre venenum.
At capris adipes, & coturnicibus, auget.

Dixeris , ut hoc ita ſit in quibuſdam ; tamen eſſe ex venenis innumera, ex quibus nullam homines, vel muta animantia capiant utilitatem : atque hoc facilè appariturum circumferenti animum per ea , quæ de his legere eſt, vel apud Græcos, ut Nicandrum, Dioſcoridem,Aëtium,Æginetam ; vel Arabas,ut Avicennam,Serapionem,Hali abbatem, Rhaſin ; vel recentiores Latinos,ut Petrum Aponenſem, Sanctem de Arduinis, cardinalem Ponzettum ; ut Cardanum, Grevinum, Mercurialem, alioſque præterea-mus. Sed enim ſcimus & multorum ex illis utilitatem inſignem prodi ab iis , qui in arcanis naturæ rimandis ſtudium & operam collocarunt : & ſi de omnibus id oſtendere non poſſumus, non eo malignitatis culpanda eſt natura, vel ejus auctor ; ſed inertiæ id noſtræ tribuendum, qui non,quantum poteramus, curæ & diligentiæ in indagando eorum uſu poſuerimus. Quid quod ſic quoque ex venenis illis utilitas ad nos redit ? Excitant enim induſtriam noſtram in diſcernendis ſalubribus à venenatis. Patientiæ quoque materiem hinc habemus. Cumque videmus , quot periculis obnoxia ſit hæc vita , magis cognoſcimus iram Dei erga peccatum , ob quod

quod in hanc miseriam sumus conjecti. Ardentiùs quoque Deum oramus, ut prudentia nos instruere, & per angelos suos custodire dignetur.

CAPVT. VI.

Acceditur ad spiritus ministros, bonos malosque: quorum utrosque negarunt Saducæi; item Democritus; ex parte etiam Aristoteles: at contrà eos agnoverunt Pythagorici, & Platonici: atque ut doctrina hæc ad gentiles etiam à majoribus, multorum seculorum traditione, sit derivata: quadruplici item ratione comprobata, spectris, oraculis, magicis artibus, & prodigiis. Angelis sui generis corpus tribui, non modo à philosophis, sed etiam multis Sanctorum Patrum. In quo gentiles, & alii, de natura eorum aberrarint.

Dictum de duplici spiritu, uno boni, altero mali principio; quorum utrumque pari, vel suppari honore coluerint. Eâque occasione etiam vidimus de variis opinionibus, quæ inde promanarint; sed dissimili ratione; dum alii non duo statuunt principia, sed multa; sic tamen divisa, ut quædam essent benefica, quædam malefica; ac utrisque cultus præstaretur divinus: alii autem, ut Manichæi, duo duntaxat principia, boni unum, alterum mali, constituerent; soli tamen principio boni cultum, ut Deo, exhiberent. Deinceps accedo ad spiritus, non principes, sed ministros: qui à philosophis communi nomine fere dæmones vel dæmonia, à Peripateticis intelligentiæ, à Christianis boni malive angeli appellantur.

In his considerabimus, naturam, officium, & cultum. In natura spectabimus hæc tria: primum, qui spiritus hosce negarint, qui agnorint: deinde unde eos gentes cognoverint: & quatenus in eorum natura convenerint Christiani, ac gentiles: denique de naturæ hujus præstantia; quæ ex cultus caussis una fuit.

Spiritus non agnovere Saducæi: ut est Actorum XXIII, 8. Objectant nobis Iudæi, quòd libros Mosaicos agnoscerent pro divinis; ubi sæpius commemoratur, ut angeli apparuerint. Verùm verisimile mihi fit, Saducæos eludere hæc solitos: cujus ratio nunc gemina occurrit. Vna est, ut per eas non aliud intellexerint, quàm qualitates à Deo productas in imaginatione ejus, quem de re aliqua velit edocere. Altera est, ut putarint, Deum producere spiritus, quando eorum operâ uti velit, postea eos destruere: ac producere quidem separando quiddam ab anima mundana, quod postea redeat in naturam generalem.

Ex gentium philosophis Democritus non agnovit spiritus ullos: nec Aristoteles alios, quam orbium cælestium motores. Licet non ignorem, aliud de Aristotele visum fuisse Augustino Steucho lib. VIII de Perenni Philo-

Philosophia cap. XXVI. Sed enim si aliòs statuisset, saltem, ubi optima erat occasio, non hoc siviſſet nos ignorare. Nunc nec levem ejus rei mentionem videmus; præterquam ubi ex aliena loquitur sententia. Ac valde hanc de eo opinionem firmat, quòd similiter senserint præcipui ejus interpretes; ante alios Alexander: præterea Simplicius, & Averroes. Aliqui tamen aliter; sed hi à præceptore, ut aliis quibusdam, ita hac etiam parte, recesserunt; primùm Theophrastus; multis post seculis Ammonius, & Philoponus; item ex Arabibus Avicenna, & Algazel.

Nec causa erat, cur hac parte hi jurarent in Democriti, vel Aristotelis opinionem, qui prius deseruissent sententiam veterum. Pythagoras enim dæmonia posuit: imo primus id philosophorum fecerit, si Simplicio credimus in libb. de Anima. Nec dubium, quin in eo Pythagoras vestigiis eorum institerit, quibus usus magistris fuit; Thracibus, Ægyptiis, Persis, Chaldæis, atque aliis: quemadmodum libro de Philosophorum sectis ostendimus. Plato, qui post Socratis excessum Pythagoræos audivit, eorum hanc opinionem secutus fuit: uti Platonem sectatores ejus Apulejus, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Psellus.

Mirum verò non injuriâ videatur, unde gentiles agnoverint spiritus sive dæmonia: quæ Sadducæi, Peripatetici, & alii magni nominis negarunt: uti hodieque multi eos tollunt; sed qui nihil credant, nisi quod manibus palpent, vel oculis saltem videant. Operæ igitur erit, si hoc paullò fusiùs exponamus. Nam absque eo intelligi nequit, unde originem ceperit dæmoniorum cultus.

Non dubium, quin à primis Noachidis per manus traditum sit, esse spiritus, quorum ministerio utatur Deus in orbe administrando. Præterea intelligere propius potuerunt quisque ab gentis suæ conditoribus. Siquidem Moabitæ, & Ammonitæ, habuere traditionem à Lotho, quem Angeli è Sodomis eduxerant: ut est Genes. XIX. Ismaelitæ hauserint ex Agar, cui Angelus aquam ostendit: ut est Genes. XXI, 17. Postea item in Moabitis firmata hæc opinio, cùm angelus se opposuisset Bileamo, ut Israelitis malediceret: quemadmodum legere est Num. XXII, 22. Nec dubium, quin non pauca ejusmodi alia contigerint; utut Spiritus S. ea in Scripturis præterierit, quia sufficerent nobis, quæ habemus. Neque enim repente omnes facti sunt pessimi; sed paulatim à recto descitum: ut admodum sit credibile, diu etiam postea aliquos saltem fuisse, quos misericors Deus per angelos suos alloquio dignaretur; sed, magis & magis religione pura retro eunte, pauciores paucioresque.

Nec tamen, si deesset affatus angeli boni, eò desiere se mali offerre angeli; idque domi, in agris, sylvis, mari. Quin tanto id frequentiùs factum;

quanto major esset Dei ignorantia : quomodo hodiéque in gentibus idololatricis contingit, atque etiam in Lapponibus & Finnis, extimi Septentrionis populis; ubi tenuis est valdéque diluta veri numinis cognitio.

Hujusmodi oblationes *spectra* dixere : sed voce aliquantò angustiori : quando *spectrorum* vox est à veteri verbo *specio*, hoc est, video : unde *species*, ut à *facio*, *facies* ; item *speculum*, ut ab *amicio*, *amiculum* : composita item *inspicio*, *conspicio*, alia. Atqui spectrorum nomine non ea solum intelliguntur, quæ videmus ; sed etiam, quæ auditu cognoscimus. Vt fragores, & strepitus insolitos : vel si, ubi videas neminem, vox aliquid significet humanâ major. Nempe ut trecentis aliis, ita huic etiam vocabulo contigit, ut à potiori usu imponeretur. Græcè similiter φάντασμα dicitur Matth. XIV, & Marci VI : ubi historia refertur Christi inambulantis aquis, ac discipulorum putantium se spectrum conspicere. Græcanicam vocem vulgatam retinuit interpres : sed *spectrum* prætulit Erasmus. Πνεῦμα dicitur Luc. XXIV : quando discipuli Iesum post resurrectionem conspicantes, spiritum se videre censent. Et sanè, opinionem spectrorum in populo obtinuisse Iudaico, præter ista ostendit historia Heliodori ab formidabili equite flagellati : ut est II Maccab. cap. III : item quinque equitum Iudæ Maccabæo opem ferentium : de quo ejusdem libri cap. XI. Sed enim hæc spectant Iudæos : nunc de gentilibus propriè agimus, è quibus non modo vulgus, sed flos etiam populi, in hac sententia fuit. Neque ignorabant, subinde spectra fingere homines, sive otio pene marcentes ; qui aliquam capiunt voluptatem, si aliis sint terrori : sive invidos, avaros, ambitiosos, libidinosos ; qui hisce artibus rebus suis studeant : cujus rei vix aliquo in ordine plus exemplorum habemus, quàm in sacerdotali. Tale illud de Tyranno, Saturnum ementiente, ut potiri liceret mulierum amplexibus : de quo Rufinus lib. XI, cap. XXV. Item de Mundo adolescente, sic à sacerdote instructo, ut se Anubidem simulando Paullinâ frueretur : de quo Iosephus Antiquitatum lib. XVIII, cap. VI. Addere etiam liceat melancholicos, & furiosos, quibus atra bilis imaginationem corruperat ; uti & metu nimio multis contingit. Vnde mulieres, & pueri, & horum similes, eadem patiuntur : ac par ratio est in myopibus, surdastris, ebriis : quales quia sensu minus valent, quandoque etiam sanctè affirmant, visa sibi, vel audita, de quibus fidem nulli fecerint cordato. Vnde Plutarchus de spectro Dionis in vita ejus differens scribere non dubitat : Καί τοι λόγος τις ἔξει τῶν ἀναιρούντων τὰ τοιαῦτα, μηδενὶ ἂν νῦν ἐχοῦσι προσπεσεῖν φάντασμα δαίμονος, μηδὲ εἴδωλον, ἀλλὰ παιδάρια, καὶ γύναια, καὶ προφόρους δι' ἀσθένειαν ἀνθρώπους, ἔν τινι πλάνῳ ψυχῆς ἢ δυσκρασίᾳ σώματος γιγνομένους, δόξας ἐφέλκεσθαι κενὰς καὶ ἀλλοκότους, δαίμονα πονηρὸν ἐν αὐτοῖς εἶναι δεισιδαιμονίαν ἔχοντας. Tametsi perhibent illi, qui

qui negant talia, nemini cordato visum dæmonii vel simulachrum obversari; verùm pueros, mulierculas, & deliros ex corporis imbecillitate homines, quum aliquo tenentur mentis errore, vel intemperie corporis, opiniones alienas atque absonas admittere, dum malum dæmonium superstitiosè credunt se invasisse. Sed enim ibidem refert Plutarchus, ut genius & Dioni, & Bruto, significârit vitæ suæ exitum. Non hæ viles erant animæ: sed viri magni, & graves, philosophiâ uterque exculti: qui tamen usque adeò spectris fuere commoti, ut amicis suis eorum, quæ vidissent, sollicitè indicium facerent. Nec ignotum, quid de Curtio Rufo narret Plinius lib. VII epistola ad Suram. Quod si semper apparitiones ejusmodi non animarum sunt, sed spirituum: pertineat huc quoque, quod de Athenodoro, magni nominis philosopho, ibidem refertur: cui narrationi, fidem adstruit, quod exitus, & sapientissimæ Athenienſium civitatis judicium, eam comprobârit. Sed longum esset commemorare omnia, quæ gravibus viris è gentilibus ipsis subnixa sunt. Varii adeantur, qui hoc argumentum tractarunt. Tam multa hi referunt, quæ testes habeant viros cordatos, ut fidem singulis demere non videatur alterius, quàm qui conscius sibi vanitatis suæ, cæteros etiam suo pede metiatur, neque ullos inveniri probos & fide dignos arbitretur.

Nec ex spectris solum collegere gentiles, esse dæmonia ac spiritus: sed etiam ex oraculis, quæ aliter dicuntur Deorum responsa: ac vel è terræ cavernis, vel è simulachris edebantur; idque solertiâ quidem humanâ, sed sæpe etiam diabolica. Nam constitere quidem fraudibus vatum; sed non solis, cum multa prædixerint, ad quæ nulla ratione humanæ mentis acumen pertigisset. Atque hæc iis etiam præstitere, qui oracula venerant exploratum, hominibus vafris, nec admodum credulis. Quæ res fecit, ut cum vulgus citra delectum omnia amplecteretur: prudentissimi quique, nõ omnia, sed multa tamen crederent: quod ex illa in narrando constantia eorum satis liquet. Aristoteles, (qui dæmonia non credit, vel saltem non memorat, nisi cũ, ut diximus, ex aliena loquitur sententia) divinationes istas tribuit humori melancholico; quia qui illo abundant, ingenio magis valeant, eò quòd acrimonia atræ bilis contrahat spiritus, ut obscura difficiliáque melius perspiciant. Nec diffiteor, hoc in iis quidem locum habere, quorum notitia à sensibus dependeat: at dispar ratio in illis, quorum cognitio aliunde originem trahit. Plutarchus, & alii, maluere caussam constituere in vapore terrestri à Sole educto, inque corpus bene temperatum recepto, mentemque humanam concitante. Itaque, quod oracula defecerint, inde arcessunt, quia terra, vi ejus paullatim evanescente, tandem quasi effœta, ejusmodi exhalationes emittere desierit. Mirum, cujusquam paullò cordatioris animũ in tam frivolis potuisse acquiescere. Nam ut iis

hoc concedamus,mentem posse humanam ab vaporibus ejuscemodi concitari : unde , quæso , evincent , vim aliam habere , quàm ut , quæ priùs sciant homines,subtiliùs vel disertiùs promant? quomodo poetę,ubi paullum se conspersérint flore, ut ipsi loquuntur , Liberi patris, meliùs solent poetari. Quare cum Aristoteles,& Plutarchus,quorum meritò magnum semper nomen fuit,nihil meliùs potuerint adferre : sic colligimus, neutiquam in natura esse inferiori subsistendum ; sed adsurgendum esse ad caussas superioris naturæ , quales sunt dæmones : quos iccirco oraculorum esse caussas, Porphyrius tradit libro de dæmonibus,& Iamblichus libro de mysteriis cap.xxi, & xxvi : ut Appulejum mittam,de quo postea dicemus.

Quibus aliud videtur , oracula ajunt constitisse fraudibus humanis : quod etiam perspexit Demosthenes,quando (ut Minutius in Octavio ait) *responso simulato φιλιππίζειν Pythiam querebatur.* Planiúsq; fucum detexit Lucianus in Alexandro Pseudomante:ut tot alios fraudis patriciæ pariter,ac sacerdotalis testes prætereã. Quas nec invenustè adumbravit Cælius Calcagninus suo de Oraculis libello. Dixeris quoque,vel illud suspecta reddere oracula,quod fere ita essent ambigua,ut ad eorum intelligentiam altero esse oraculo opus videretur. Sed non si oracula latentium fuerint hominum impostura , eo non fraude etiam constiterint illudentium dæmonum. Et his, & illis, suas partes tribuimus. Nec si ambigua forent , eo dæmoniaca non erant; quia dæmones ipsi, futurorum contingentium nescii , subtili quidem , sed fallaci sæpius conjecturâ niterentur. Quare & dæmonibus verbis opus fuit obscuris ac perplexis, quò oracula malè crederentur intellecta, si eventus non responderet. Nec satis est, si in sacerdotum subsistatur sollertia,quia multa prædicerentur, ad quæ non pertingeret mens humana. Quod parebit complura cogitanti oracula ex istis , quæ à veteribus referuntur , & juniorum industriâ bonam partem uno comprehensa corpore prodierunt.

Egimus de spectris & oraculis. Præterea verò esse spiritus sive incorporeas substantias, collegere gentiles ex mirandis illis, quæ fiunt per magiam,tum illam, quam albam vulgo dicunt, veteres autem θεουργίαν vocabant ; tum quam nigram nuncupant, antiqui autem γοητείαν nuncuparunt. Priori deditos, laudabiles ajebant ; alteri addictos , detestabiles : sed ut Augustinus ait lib. x de Civit. Dei cap. xx ; *sunt utrique ritibus fallacibus dæmonum obstricti sub nominibus angelorum.* Nec omnem propterea magiam damnamus. Est quædam naturalis ; qualis est , si ovum in mensa sponte moveatur , quia incluseris argentum vivum : aut si clavus in aere pendeat medius , quia superius & inferius deliteat magnes : & alia id genus , vix

ullis

ullis cognita, nisi qui naturæ rimantur arcana. Est alia magia artificiosa: unde est, quod Archimedes speculis naves combureret Romanas: quod Archytæ lignea volitaret columba, similiaque Mathesios miracula. Nobis verò nunc sermo est de dæmoniaca sola: ut si corpus humanum horæ spacio transferatur ad centies mille passus: si caput æneum ad interrogata quævis dederit responsa: si corpus aliquod sic oculis præsentium subtrahatur, quasi evanesceret: si de furtis cujuslibet occultis indicium fiat. Quam qui magiam exercent, fere cum ea conjungunt naturalem illam, & artificiosam: nempe ut cætera etiam ab natura, vel arte, esse videantur. Vnde Irenæus juxta veterem interpretem lib. I, cap. VII: *Anaxilai ludicra cum nequitia eorum, qui dicuntur magi, commiscens, per hæc virtutes perficere putatur apud eos, qui sensum non habent, & à mente sua excesserunt.* Græcè si malis, habes apud Epiphanium hæresi XXXIV: Τὰ γὰρ Ἀναξιλάου πάιγνια τῇ τῶν λεγομένων μάγων πανουργίᾳ συμμίξας, δι' αὐτῶν φαντάζων τε καὶ μαγεύων, εἰς ἔκπληξιν τοὺς ὁρῶντάς τε καὶ πειθομένους αὐτῷ προιέβαλεν. De ludicris verò Anaxilai sic inter alia Plinius lib. XXXV, cap. XV: *Lusit & Anaxilaus eo* (sulphure) *candens in calice novo, prunâque subditâ circumferens, exardescentis repercussu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente convivis.* Ad ludicra autem ejusmodi accessisse commercium cum maligno spiritu, sensit etiam Irenæus lib. I, cap. IX, quando de Marco hæretico ait: Εἰκὸς δὲ αὐτὸν καὶ δαίμονά τινα πάρεδρον ἔχειν· *Verisimile est habere eum dæmonem quendam adsessorem.* Vbi *paredri* vocem, quæ *adsessorem* signat, vetus retinet interpres.

Quibus hæc displicet sententia, omnem magiam esse naturalem contendunt. Ac alii quidem, ut Petrus Aponensis, qui Conciliator vulgò dicitur, provenire ajunt ab vehementi imaginatione, quæ vapores ac spiritus conturbet. Nos magnam quidem imaginationis vim agnoscimus; sed in corpus conjunctum, qualis ab imaginatione gravidæ se exerit in fœtum; at non item in corpus dissitum, nisi fortè per contactum; ut si ab oculis veneficus vapor exiens noceat propinquo. At negamus imaginationem per se vim imprimere corpori longè dissito. Nihilo rectiùs Petrus Pomponatius, qui libro de Incantationibus cap. IV, illa stupenda fieri ait, non vi incantationis; sed incantatoris, idque occulta hominis proprietate. Quemadmodum enim lapides, & herbæ, cælesti virtute mirandas sortiuntur vires: ita cæli influxu unum præ alio accipere virtutem mirifica patrandi. Sed dispar planè ratio lapidum plantarumque, ubi virtus eadem toti convenit speciei; in hominibus verò pauci duntaxat res faciunt mirandas. Quare istæc, cum hominum excedant potestatem, non aliunde, quam à dæmonio, esse possunt.

Objectant, quòd multis nihil æquè fuerit in votis, quàm dæmoniorum

commercio res agere admirabiles ; ſed nullo illos ſtudio eò potuiſſe pervenire; unde colligunt,ab iis,qui magi dicuntur,circulatoriis ludi præſtigiis : indéque Curtium lib.VII, cum artis magicæ meminiſſet, mox ſubjungere, *ſi modò ars eſt, nec vaniſſimi cujuſque ludibrium.* Verùm non quæritur, an multa nihil ſint niſi ſenſuum ludibria : ſed ſufficit, quòd multa ſine fœdere cum ſpiritu maligno fieri non poſſint. Nec movet, quòd multi, qui magno ſtudio hoc conſortium ambierunt, eò pervenire non potuerint. Eſt ubi Deus non permittat : ut præcipuè in potentibus,ne nimium orbi incommodent. Eſt ubi dæmon tale refugiat conſortium. Nec enim omnes æquè ei conducibiles; ſed vix alii,quàm ſimplices & creduli; cujuſmodi fere mulieres ; vel affectibus planè mancipati, ut qui libidine, aut vindictæ ſtudio æſtuant : qualibus facilius illudit, atque abutitur.

Præter magicas artes,& cætera, quæ prius dicebamus, etiam dæmonia eſſe collegerunt ex oſtentis & prodigiis ; quæ vel hominum mortes, vel ingentia prœlia, vel imperiorum mutationes ſæpiſſimè antecedunt. Ea oſtenta, nunc in cælo vel aëre contingunt, nunc terra marive. Neque ignoro,ſubinde referri à multis,non facta,ſed ficta : verùm ſatis eſt,quod multa adeò ſint non ficta, ſed facta. Quod negare non potuit acutus ille Hethruſcus, ſed neſcio an gentilibus multo religioſior. Machiavellum me dicere,puto,omnes intelligunt. Is lib. I Diſputationum cap. XXXVI, *Magnos,* inquit, *motus prædici ſolere, cùm in urbibus, tum in provinciis, idque ſignis quibuſdam, aut hominum præſagiis denunciari.* Idem poſtea ſic ſcribit : *Vt cauſſam facilè confitebor me ignorare; ita rem ipſam, cùm ex antiquis, tum novis exemplis agnoſcere oportet, & confiteri, omnes magnos motus, quicunque aut urbi alicui, aut regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliqua, prodigiis,aut cæleſtibus ſignis prædici ac prænunciari ſolere.* Vnde autem prodigia, & cæleſtia illa ſigna proficiſcantur, non aliter potuit expedire, quàm ſi ea ad ſpiritus referret. Nam cum cauſſæ ignarum ſe profeſſus eſſet, hæc poſtea ſubjungit : *Niſi fortè cum philoſophis quibuſdam pronunciandum cenſeamus,aërem plenum ſpiritibus & intelligentiis eſſe : quæ futuras res prævidentes, & caſibus humanis condolentes,eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuntient,ut ſe adverſus eas tempeſtivè præparare, & communire queant.* Quæ ſatis docent,cùm ſupremam ad cauſſam recurrere nollet; nullam reperiſſe magis idoneam,quàm ſpiritus aërios.

Vidimus,ut eſſe ſpiritus, non traditione ſolâ, ſed quadruplici præterea ratione, cognitum ſit. Sed hoc *ſpiritus* vocabulum non eodem ab omnibus modo intelligitur. Interea convenit, non habere ſpiritus carnem & oſſa, ac ne quidem corpora ejuſmodi, ut in propria videri queant naturâ. Sed diu diſquiſitum, an omni omnino corpore careant : quæ putatur Philo-

Philonis fuisse sententia, quia libro de confusione linguarum * angelos vocet ψυχῶν ἀσωμάτων ἱερώτατον χόρον· *animarum incorporearum sacratum chorum.* Ac ἀσωμάτους † etiam statuunt Iustinus Martyr, sive alius potiùs quæstionum Græcanicarum confutatione ad quæst. 11. Item Nazianzenus orat. 11 de Theologia, & xxxviii de natali Christi; Gregorius Nyssenus de vita Mosis; Chrysostomus orat. 1 de Providentia; Theodoretus in Genesin quæst. xxxvi; & orat. iii contra Græcos; Cyrillus in Ioannem lib. 11, cap. x. Vt præteream duos Scholasticorum quasi patres, Dionysium, & Damascenum; & tot alios.

* *fol. 234, edit. Turnebi.*

† *incorporeos.*

Sed alii contrà censent, nihil esse incorporeum, præter Deum: quod asserit Gennadius Massilienses libro de dogmatis Christianis cap. xi, xii, xiii; & ex eo inter Augustino tributa, scriptor libri de Spiritu & anima cap. xviii. Ac apud Bedam lib. 1 de elementis philosophiæ legas: *Quidam dicunt, quod corpora sint ita subtilia, quæ sensu percipi non possint: unde respectu corporum nostrorum, quæ spissa sunt, & crassa, spiritus dicuntur. Quemadmodum aër, quamvis corpus sit, tamen propter subtilitatem sui spiritus vocatur. Quod confirmat beatus Gregorius, qui in Moralibus lib. 11, cap. 11, de angelis loquens, ait: Comparatione corporum nostrorum spiritus sunt: sed comparatione illius summi, & incircumscripti spiritus, corpora sunt dicenda. Hoc iterum probant autoritate B. Augustini, qui Enchiridio quoddam ponit capitulum, qualia corpora angeli habeant.* Sanè hæc sententia, quam Beda proponit, nec sequitur tamen, multis & ante eum, ac Gennadium placuit, ac multis post eos. Ex vetustioribus inclinat quoque eò Tertullianus lib. de carne Christi cap. vi: *Constat angelos carnem propriam non gestâsse: ut puta naturæ spiritalis, & si corporis alicujus, sui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabilis ad tempus, ut videri & congredi cum hominibus possint.* Imò Origenes in prologo librorum περὶ ἀρχῶν clarè iis tribuit corpora, non palpabilia quidem, subtilia tamen, & tenuia instar auræ: cujusmodi quæ sunt, ea à simplicioribus ait incorporea vocari, quia non videantur, nec urgenti resistant: quomodo nec aër vulgo dicitur corpus. Etiam lib. 11, cap. 11, solum Deum dicit ἀσώματον *. Itidem Lactantius lib. 11, div. inst. cap. xv, angelos ait *spiritus tenues.* Macarius homil. iv ‡, Ἕκαστον κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν σωμά ἐστιν ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχὴ, ὁ δαίμων· ὅτι κἂν λεπτὰ ὦσιν, ὅμως ἐν ὑποστάσει ἐστὶ καὶ χαρακτῆρι καὶ εἰκόνι κατὰ τὴν λεπτότητα τῆς φύσεως αὐτῶν σώματα τυγχάνει λεπτὰ, ὥσπερ ἐν ὑποστάσει τοῦτο τὸ σῶμα παχύ ἐστιν. *Vnumquodque pro natura sua corpus est; sive sit angelus, aut anima, aut dæmon. Licet enim hæc corpora tenuia sint, nihilominus in substantia, charactere & repræsentatione pro subtilitate naturæ suæ corpora sunt subtilia: quemadmodum & corpus istud secundum substantiam suam corpus est crassum.* Similiter Augustinus de divinatione dæmonum cap. iii, & v, & Genesi ad literam

* *incorporeum.*

‡ *pag. 48, edit. Morell.*

teram lib. III, cap. X, in enchiridio ad Laurentium cap. LIX, epist. XCI, ad Fortun. & CXV ad Nebridium, Octoginta trium quæstionum quadragesimâ quinctâ, lib. II Retract. cap. XXVI, de civitate Dei lib. XXI, cap. X, ubi de quæstione hac sic judicat: *Si quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat; non est de hac re aut laborandum operosâ inquisitione, aut contentiosâ certandum.* Cassianus quoque Collat. VII, cap. XIII, ait angelos *habere corpus quo subsistunt, licet tenuius, quàm nos.* Ac æqualis ei Claudianus Mamertus similiter sensit lib. III de statu animæ. Imò Ioannes, Episcopus Thessalonicensis, in Nicena secunda act. V, ait, *ita Ecclesiam Catholicam docere.* In quo etsi ratio eum fugerit, hoc tamen vidit, eam communiorem fuisse apud antiquos opinionem. Nec postea prorsus obsolevit: cùm & idem censeat Elias Cretensis in apolog. Nazianzeni, atque etiam Bernardus in Cantic. serm. V; ubi itidem solum Deum ait incorporeum. E junioribus mens eadem Augustini Niphi tractatu III de dæmonibus cap. XXXIV, & Cajetani in cap. IV Genes. & in cap. I ad Ephes.

Etsi verò cum nemine contentionis funem duxero, qui angelis corpora tribuat, laxius hac voce acceptâ: non tamen assentiendum Thalmudistis, qui eos nugantur productos ex sinistro massæ latere: vel Platonicis, qui definire non verentur, corpora iis esse rotunda, ac his ætherea, illis aerea, vel alius elementi. At extra controversiam ponimus, etsi humana sæpius corpora assumant; minimùm tamen incorporeos esse dicendos, quatenus perfectæ sunt substantiæ per se, nec ordinem habent naturalem ad corpus: contrà quàm in animis fit humanis, quæ citra quidem corporis organa, sed modo subsistunt imperfecto: puta ut pars perfectæ substantiæ constitutiva; unde nonnisi indirectè & reductivè ad substantiarum seriem pertinent.

CAPVT VII.

Præstantia merè spiritualis naturæ, quæ prior est ratio, cur ab hominibus pro Deo culta sit, ex eo comprobatur, quod interitui non sit obnoxia. Originem interim habere, contrà quam visum Aristoteli. Sed quando ea sit producta, ne quidem constitisse inter veteres Theologos: neque ob hanc quæstionem Ecclesiæ pacem scindi oportere. Ejusdem naturæ excellentia ostenditur ex intellectus angelici sagacitate: nec tantam tamen esse, ut futura præsciat, quæ sunt contingentia. Præterea præstantiam ejus elucere ex potentia; quo & velocitas pertinet: unde alæ ei tributæ, ut ventis etiam à gentilibus. Hinc acceditur ad alteram causam præstiti iis cultus divini: quæ est officium ac cura erga homines. Consistere eam in triplici ministerio, ac de eo gentilium & Christianorum sententiæ conferuntur.

Magna

MAgna verò est naturæ hujus spiritualis excellentia : quæ & princeps ratio est, cur eò devenerint homines, ut honorem illi exhiberent divinum. Hoc ut meliùs intelligatur, non defugiam referre, in quibus potissimùm præstantia spirituum consistat.

Ac primùm superant eo mortale genus, quòd natura eorum ἀλλοιώσει * quidem, non interitui tamen obnoxia sit : contrà quàm nonnullis gentium philosophis persuasum fuit ; illis imprimis, qui, post seculorum aliquot decursum, suum quoque eos manere fatum crediderunt. Atque ut hi, cùm bellè se mereri putarent de spirituum natura, si longævam adeò illis vitam tribuerent, multum tamen de gloria imminuerunt : ita longè excellentiæ hujus modum excedunt Peripatetici, cùm eos semper fuisse, Deoque coæternos, arbitrantur. Multo verius illi, qui originis pariter ac temporis principium illis dederunt. In quo ipso tamen variè peccatum, cùm Manes iis ortum tribuat à summo mali principio : ac Cabalistæ plerique, & cum iis Arabs Avicenna, dæmonum unum ab altero originem suam ducere existiment. In quo propiùs à primæva traditione abiit Plato; ut qui hactenus ei institerit, quod à τοῦ ὄντι πάσι θεοῦ † eos productos putârit. Vnde Origenes in procœmio librorum περὶ ἀρχῶν : *Est illud in Ecclesiastica prædicatione, esse angelos Dei quosdam, & virtutes bonas; quæ ei ministrent ad salutem hominum consummandam. Sed quando isti creati sint, & quomodo sint ; non satis in manifesto distinguitur.* Itaque alii putarunt, illos cum hoc mundo productos : alii demum, post eorum ruinam, mundum hunc fabricatum tradiderunt. Vtriusque sententiæ auctores prodidit Stephanus Gobarus : de quo Photius in μυριοβίβλῳ, codice CCXXXII. Sed scriptor is intércidit. Quare defectum ejus historiâ veterum temporum ex parte supplebimus ; imò ulterius etiam, quàm Gobarus potuit, rem deducemus.

* *alterationi sive mutationi.*

† *Deo principio ac summo.*

Græci Patres fere eò propendent, ut spiritus ante mundum hunc conditos arbitrentur. Vt Origenes in Genes. homil. I, in Iesaiam cap. IV, in Matth. cap. XX, tract. X. Basilius in Hexaëm. homil. I, & II. Nazianzenus serm. XXXVIII de Natali Domini *, & de Pascha orat. II, quam & citat Damascenus. Eademque in sententia Chrysostomus in Gen. hom. XXII, & de Provident. orat. I. Æneas Gazæus in Theophrasto, qui paullò ante annum vixit quingentesimum, & quinquaginta circiter annis eo junior Anastasius Sinaita lib. I Hexaëmeri, & circa annum septingentesimum Ioannes Damascenus Fidei Orthod. lib. II, cap. II, & lib. IV, cap. XIV. Cur verò ita senserint, ex Hexaëmero Ioannis, cognomento Grammatici, vel Philoponi, qui claruit circa annum quingentesimum vigesimum, varias adfert rationes Photius in bibliotheca cod. CCXL. Nec tamen

* *pag. 617, edit. Morell.*

desunt è Græcis, quibus aliud fuerit visum. Vti Epiphanius hæresi LXV, quæ est contra Paulum Samosatensem. Eamque Epiphanii fuisse opinionem, fatetur quoque scriptor quæstionum ad Antiochum, quæst. III: unde videre est, perperam hoc opus Athanasio tribui, cùm is Epiphanio sit antiquior. Ac similiter alibi Nyssenum, Chrysostomum, Nicephorum, imò ipsum laudat Athanasium. Videtur in Epiphanii sententiam etiam propendêre Theodoretus in Genes. quæst. III. Saltem ait, qui contrarium pro certo habent, parum solidè sententiam suam probare. Interim reponit hanc quæstionem inter περιττὰς ζητήσεις, *quæstiones supervacaneas.* Ac tandem, modò quis fateatur, angelos esse à Deo creatos, de cætero sic statuit: πρὸ δ' εὐσεβείας ὐ λυμαίνε) λόγω, τὸ πρὸ ὐρανῦ καὶ γῆς γενομένους λέγειν τοὺς ἀγγέλους τὺς δήμους· τὸ δὲ λογομαχεῖν, εἰς ὐδὲν χρήσιμον ἢ ὅτι καταστροφὴ τῶν ἀκουόντων, ἀπαγορέυει ἀποῤῥήδην ὁ θεῖος ἀπόστολος· *Siquis angelorum cœtus ante cælum & terram conditos dixerit; non offendet verbum pietatis. At verbosis contentionibus insistere, quæ nihil ad aliud prosunt, quàm ad subversionem audientium, expresse prohibet divinus Apostolus.*

In Latinis quoque variatum. Qui ante Augustinum vixere, statuere maluerunt, creatos esse ante mundum. Vt Novatus de Trinit. cap. I, Hilarius lib. XII de Trinitate, non longè à fine, & libro contra Auxentium, Ambrosius lib. I Hexaem. cap. V, & præfat. psalm. Hieronymus in epist. ad Tit. cap. I, ad verba illa, *Quem promisit Deus ante tempora secularia.* Vnde colligit, saltem angelos fuisse ante mundum, ne desint quibus hoc Deus promitteret.

Sed Augustinus non audet certo de hoc præfinire; ut videre est, cum alibi, tum lib. XI de Civit. Dei cap. IX, XIX, & XXXII. Vnde Paræus ad Gen. I, I, *Augustinus ubique dubitat, & sententiam in medio relinquit. Quare & nos relinquamus in medio.* Nec tamen sic dubitat, ut non eò magis inclinet animus, angelorum creationem etiam à Mose describi: ut qui putet, nomine lucis, primo die à Deo productæ, angelos signari. Quæ expositio nec Gregorio M. displicuit in Moralium XXXII, & venerabili Bedæ in Gen. cap. I. Imò nec Cyrillo lib. II, contra Iulianum desertorem; qui malignè admodum Mosem traducebat, quia de angelorum productione sileret. Et fortasse poterat hæc Augustini interpretatio placere, nisi tam aperte apud Mosem legeremus, primæ diei lucem à Deo diem vocatam. Vt nullum effugium sit, nisi dicendo, præter sensum istum, ut vocant, literalem, esse & alterum ἀλληγορέμενον: quod cujus pretii sit, ubi non præit Scriptura, alibi malo dicere. Quamquam verò Ludovicus Vives ad Augustinum, lib. XI de Civit. Dei cap. IX, annotet, Latinos prope omnes hac in opinione sequi B. Augustinum: video tamen, ejus temporibus propiores

res ſtatuere, potiùs angelos ante mundum creatos. Ita Caſſianus Collat. VIII, cap. VII, Gennadius de Eccleſ. dogm. cap. X, Iſidorus Hiſpalenſis de ſummo bono lib. I, cap. XII. In hoc veterum diſſenſu Petrus Lombardus lib. II, diſt. II, qu. II. cùm Auguſtini, mox Hieronymi expoſuiſſet ſententiam, ſubjungit deinde: *Nos quod prius dictum eſt, pro captu intelligentiæ magis approbamus; ſalvâ tamen reverentiâ ſecretorum, in quibus nihil temere adſerendum eſt.* Sed nihil prohibet, quo minùs verba ipſa Hieronymi, ab eo producta ex commentario in epiſtolam ad Titum, adſcribamus: *Sex millia necdum noſtri temporis implentur annorum. Et quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas ſeculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt; in quibus angeli, throni, dominationes, cæterique ordines ſervirent Deo, abſque temporum vicibus atque menſuris, & Deo jubente ſubſtiterunt.* Ad quæ hoc reſpondet, arbitrari ſe ea ab Hieronymo ex aliena dici ſententia. Quod majoris foret ponderis, niſi is ſenſus tum temporis in Romana pariter ac Græca Eccleſia fuiſſet. Magiſtrum verò ſententiarum eâ parte ſequi amant Thomas Aquinas, omniſque Scholaſticorum populus. Vnde eò deventum, ut plurimi arbitrentur, non hæreticum quidem, temerarium tamen fore, ſiquis priorum tueri ſententiam præſumat. Et ſanè eſt hæc ſententia ex eo genere, ut propterea non debeant turbari animi imbecilliorum.

Quare ſepoſitâ hac controverſiâ, ad alia me confero, unde ſpiritualis naturæ præſtantia non minùs eluceat. Sunt hæc duo imprimis; perſpicacia intellectus Angelici, & in rebus exſequendis potentia. Quippe, ut de priori priùs dicam, non ſenſuum egent miniſterio; ſed ſe quidem per ſuam intelligunt οὐσίαν: res verò materiales percipiunt per ſuperadditas ſpecies, quibus non res modò intelligibiles, ſed ſenſibiles etiam repræſentantur; non univerſè duntaxat, ut Averroi viſum fuit in XII Metaphyſ. ſed propriè diſtinctéque, quatenus ſunt ſingulares. Hæc intelligentia non ſolùm præterita complectitur, ſed etiam præſentia; non omnia tamen, quia cogitationes nôſſe humanas, niſi quopiam ſe indicio exſerant, poteſtatem exſuperat finitam; ut non obſcurè nos docet B. Paulus I Cor. II, 11. Ad futura etiam hæc ſcientia ſe extendit; nec quævis tamen. Nam certò quidem prævident, quorum cauſſæ ſunt neceſſariæ; illa autem, quæ ut plurimum fiunt, probabili conjecturâ ex cauſſis intelligunt; tantoque veriſimilius nobis, quanto & naturæ præſtantis acumine, &, quia ſunt immortales, plurimorum ſeculorum memoriâ & experientiâ præcellunt. Sed, ecquid futurum ſit, quod planè eſt contingens, eorum etiam captum excedit; quia res ejuſcemodi nec in cauſſis cognoſci ab iis queant, quandoquidem ſunt indeterminatæ; nec in ſe ipſis, quia cum exiſtentiam necdum habeant, non poſſunt iis eſſe præſentes: ut quemadmodum ſoli ſunt Deo

præsentes, ita solus ea cognoscat. Vnde Iesaiæ XII, & XLII : *Annuntiate nobis futura, & dicemus, quod Dii estis.* Itaque ex eo, quod de Christo tam multa, quæ finitus prævidere intellectus neutiquam posset, tot ante seculis constantissimè à Prophetis sint prædicta ; veritas Euangelii solidè adstruitur ad Rom. I, & I Petr. II. Atque hæc de ingenii perspicacia.

In rebus etiam exequendis magna eorum potentia est. Vt inter multa, quod corpora gravia sustollunt, perque aera in spatia longissimè dissita transferunt. Quomodo Habacuc ex Iudæa, capillis ab Angelo apprehensus, Babylona est translatus ; ut est Dan. XIV : ac Christus se passus transferri in pinnaculum templi, & montem excelsum. Ob hanc & intelligentiam, & potentiam, etiam iis si instrumentis agant, quibus homines, longè tamen majora hominibus efficiunt. Cùm enim angeli, seu boni illi, seu mali, caussas rebus applicant, effectus non respondet virtuti instrumentali, sed angelicæ : quomodo nempe securis ex se quidem habet, ut secare possit, sed plus secabit vir, quàm puer ; pulchriùs artifex, quàm alius. Simile etiam videmus ex calore animalis; qui ex se habet, quod calefacit, rarefacit, segregat. Sed ab anima habet, quod generet sanguinem, carnem, ossa. Itidem igitur in angelorum operationibus non cogitandum modo de instrumentis, quæ moventur ; sed etiam virtute ejus, à quo moventur.

Ad angelicam hanc potentiam, quæ intellectus ac voluntatis est instrumentum, incredibilis etiam velocitas refertur. Atque ob hanc attributæ iis alæ. Ita Cherubim in Exodo cum alis factæ. Iesaias ait Seraphim ad se volâsse. Daniel etiam, & Ezechiel, advolantes conspexere. Hoc Chrysostomus homiliâ περὶ τῆς ἀκαταλήπτου * fieri ait per συγκαλάβασιν, q. d. condescensionem ; quia describuntur, non quales sunt naturâ ; sed prout facilius à simplicibus concipiuntur, & intelliguntur. Ac Chrysostomus quidem ait ibidem, adsignari alas ad significandum, unde veniant. Αἱ πτέρυγες τὸ ὕψος ἐμφαίνουσι τῆς φύσεως. *Alæ significant altitudinem naturæ.* Et mox addit, Gabrielem volantem describi, ἵνα μάθῃς, ὅτι ἐκ τῶν ὑψηλοτάτων χωρίων, καὶ τῶν ἄνω διατριβῶν, πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἀφῖκται φύσιν· *ut discas, eum ex superis ac altissimis sedibus ad homines descendisse.* Sed ut de isto non adverser Chrysostomo, ita & alteram esse rationem existimo : quam B. Hieronymus addit in Ies. cap. VI : *Alas,* inquit, *habere dicuntur, propter velocitatem, & celerem in cuncta discursum : sive quia semper in altioribus commorantur.* Nempe quomodo & ventis, ad earum velocitatem denotandam, pennæ tribuuntur. Vnde & Deus dicitur Psalm. XVII, & CIII, *Volare, & ambulare super pennas ventorum.* Ac poetis similiter alati finguntur : ut liquet ex Ovidio, Silio, Iuvenale. Etiam Boreæ filii Calais, & Zethus, πτερωτοὶ † Apollodoro. Imò non alia de caussa,

* de incomprehensibili.

† alati.

causſa, quam in celeritatis ſymbolum, quâ ventos referrent, Ælius Verus Cæſar curſoribus ſuis tum Noti, Boreę, aliorumque ventorum nomina imponebat; tum alas etiam apponebat, ut auctor Spartianus. Quamobrem non dubito, quin, quòd angeli referuntur alati, id maximè pertineat ad velocitatem indicandam: quam quia nec mali angeli amiſere, eo & hi alati dicuntur. Vnde in Avoth cap. xxxvi: *Tria ſunt dæmonibus communia cum angelis; quod alati ſint, quod præſciant futura, & quod ab uno mundi extremo ad alterum celerrimè ſe tranferant.*

De excellentia naturæ ſpiritualis, quod ſatis eſt, egimus. Nunc de officio ejus videamus. Nam hæc altera fuit ratio, ob quam homines cultu eam divino dignarentur.

Officium hoc triplex eſt pro triplici miniſterio, quod τῷ ὄντι πᾶσι θεῷ, *Deo ſummo*, in cura præſtant generis humani. De eo quoque tum gentilium opinionem exponam; tum quatenus ea cum SS. Scripturis, & interpretibus earum SS. Patribus conſentiat.

Primùm ea ſpectat, quæ à Deo ſummo poſtularunt: cujuſmodi duo ſunt, unum in precibus Deo offerendis; alterum, ſi exaudiantur, in bonis homini procurandis. De utroque illorum ſic Appulejus libro de Deo Socratis: *Cæterum ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates, inter ſummum æthera, & infimas terras, in iſto interſitæ aeris ſpatio; per quas & deſideria noſtra, & merita ad Deos commeant. Hos Græco nomine δαίμονας nuncupant; inter mortales cælicolaſque vectores, hinc precum, inde donorum.*

Porrò hoc miniſterium, quod ſpiritibus aſſignari à Platonicis videmus, iiſdem etiam tribuunt veteres Chriſtiani. Vt Origenes in quincto adverſus Celſum: Ὁμολογεμένως μὴν γὲ ἀγγέλους φαμὲν λειτουργικὰ ὄντας πνεύματα, & εἰς διακονίας ἀποστελλόμενα ὑπὸ τὰς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν. ἀναβαίνειν μὲν προάγοντας τὰς τῶν ἀνθρώπων εὐχὰς, ἐν τοῖς καθαρωτάτοις τοῦ κόσμου χωρίοις ἐπουρανίοις, ἢ καὶ τοῖς τούτων καθαρωτέροις ὑπερουρανίοις, καταβαίνειν δ' αὖ ὁκεῖθεν, φέροντας ἑκάστῳ κατ' ἀξίαν τῆς ἀπὸ Θεοῦ τὶ αὐτοῖς διακονεῖν προσταττομένων. *Fatemur quidem, & Angelos eſſe miniſtratorios quoſdam ſpiritus, crebrò mittente Deo commeantes ad eos homines, quos manet ſalutis hæreditas: hoſque modo adſcendere ad puriſſima loca cæleſtia, & puriora etiam ſupercæleſtia, oblaturos preces hominum: modò rurſum deſcendere ad homines, reportando illinc aliud in uſum ſingulorum, ut quiſque eſt dignus beneficio.* Similiter Auguſtinus lib. II Medit. cap. III: *Dicuntur Angeli orationes & vota noſtra offerre Deo, non quia Deum doceant; quia omnia, antequam fiant, ſicut & poſteaquam facta ſunt, novit; ſed quia ejus voluntatem ſuper his conſulunt, & quod Deo jubente completum eſſe cognoverint, hoc nobis evidenter, vel latenter reportant. Vnde hominibus ait *: Cum oraſtis, orationem veſtram obtuli Deo. Similiter & nos cum oramus, non Deum docemus, quaſi neſciat* * *Tob. c. 12.*

quid velimus, & quo indigeamus : ſed neceſſe habet rationalis creatura temporales cauſſas ad æternam veritatem referre, ſive petendo, quid erga ſe fiat ; ſive conſulendo, quod fiat. Planéque his gemina habet epiſt. cxx ad Honorium. Hæc de primo ſpirituum miniſterio. Alterum poſuere Platonici extra preces, tum in mandatis Dei denuntiandis, tum in patrandis mirabilibus ac portentoſis, tum in futuris prædicendis. De quibus ſic ibidem Appulejus : *Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denuntiata, & Magorum varia miracula, omneſque præſagiorum ſpecies reguntur.* Quòd igitur templorum valvæ ſuâ ſponte aperirentur, quòd ſtatuæ loquerentur, quòd exta invenirentur ſine corde, & ſimilia, quæ apud Livium, Obſequentem, & alios, leguntur, à dæmoniis procurari credebant. Atque ad eoſdem retulere χρησμὺς ſive oracula. Quale illud Iovis Ammonis, quod conſtitutum honori Chami Noachidæ. Item iſtud Apollinis Pythii, quod à Cadmo fuit. Adhæc Dodonæum, ubi præſedere columbæ Dodonides, ut eſt apud Pauſaniam in Arcadicis : hoc eſt, feminæ vaticinatrices, quæ Theſſalorum linguâ dicebantur πελειάδες, voce ambiguâ ; ut quæ & columbas, & fatidicas, iis denotaret, unde fabulæ origo. Credo fuiſſe id oraculum à Dodanim, qui poſteri fuere Iavanis, ut eſt Geneſ. x, 4. Vetus admodum etiam fuit Trophonium oraculum, de quo eleganter Nicolaus Leonicenus, dialogo, qui ſic inſcribitur. Alia etiam apud Maximum Tyrium legas diſſertatione XXVI, & alios. Sed omnia perſequi non eſt hujus inſtituti.

Quod verò Platonici ſciſcunt, Deum miniſtris uti ſpiritibus in mandatis deferendis, in mirabilibus patrandis, in prædicendis futuris, id omne etiam doctrinæ convenit Chriſtianæ. Sic enim angelos ſcimus paſtoribus Bethlehemiticis nuntium attuliſſe de nato Servatore ; item reſurrectionem ejus annuntiaſſe mulieribus. Quid etiam mirandum magis, quàm quod à Meſacho, Sadracho, & Abednego, in ardentiſſimum conjectis fornacem, angelus Domini ſic quaſi vento quodam omnem flammam atque æſtum arcuit, ut non modò non læderentur, ſed etiam carmine ſuo Deum celebrarent ? Inque judiciis Domini exſequendis, quam mirandum, quod in exercitu Senacheribi centum octoginta quinque millia una nocte occideret gladio ſuo ; quem gladium Ioſephus ex Beroſo peſtilentiam interpretatur. Sane & in Davidica hiſtoria * dicitur angelus Domini gladio exſerto conſpectus à Davide, occiſis peſtilentia ſeptuaginta virorum millibus. Prædictionum etiam angelicarum paſſim habemus exempla. Sic Manoë, ejuſque uxori, prædicta Samſonis nativitas & indoles, futuraque per eum liberatio populi Iſraelitici à Palæſtinis. Danieli indicata per angelum redemtio generis humani poſt LXX annorum hebdomadas ſecutura ; item quæ futura eſſet populi Iudaici conditio ſub regibus

* 2 *Sam.* 24.

Per-

Persicis, Ægyptiis, ac Syriacis. Per Gabrielẽ prædicta B. Mariæ nativitas Christi. Per angelum quoque Zacharias edoctus de nascituro filio Ioanne.

Tertium ministerium posuere gentiles in tutela hominis. Censorinus: *Genius est Deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit.* Nempe singulos singulis custodes apponi voluere. Addebant Platonici, eosdem esse testes eorum, quæ dicerentur à nobis, vel etiam cogitarentur; etiam recti hortatores, & monitores in dubiis. Qua de re sic idem Appulejus: *Ex hac sublimiore Dæmonum copia, Plato autumat, singulis hominibus in vita agenda testes & custodes singulos additos: qui, nemini conspicui, semper adsint, omnium non modò actorum testes, verùm etiam cogitatorum. Ac ubi vitâ editâ remeandum est; eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico, & trahere veluti custodiam suam ad judicium, atque illic in caussa dicenda assistere; siqua commentiatur, redarguere; siqua vera dicat, asseverare; prorsus illius testimonio ferri sententiam.* Hinc salubre illud monitum adjungit: *Proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam sententiam me interprete auscultatis, ita animos vestros ad quæcunque vel agenda vel meditanda formate, ut sciatis, nihil omnino præ istis custodibus, nec intra animum, nec foris, esse secreti: quando omnia curiosè ille participet, omnia visat, omnia intelligat, & in illis penitissimis mentibus vice conscientiæ diversetur.* Socraticum postea exemplum in hoc angelo colendo subdit verbis istis: *Hic prorsus custos, singularis præfectus, domesticus speculator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si rite animadvertatur, sedulò cognoscatur, religiosè colatur, ita ut à Socrate justitia & innocentia cultus est, in rebus incertis prospectator, dubiis præmonitor, periculosis vitator, egenis opitulator, qui tibi queat tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coram, cùm usus postulat, mala averruncare, bona prosperare.* Et mox: *Socrates, vir apprimè perfectus, hunc Deum suum cognovit, & coluit.* Sed hoc de Socratis genio vide etiam geminam dissertationem Maximi Tyrii.

Hæc quoque magnam habent convenientiam cum eo, quod Christiani docent, Deum nobis dare angelos custodes. Qua de re sunt aurea Davidis verba Psal. XCI: *Non occurret tibi malum, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo: Quoniam Angelis suis mandavit, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Super manus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Ita Angelus viæ comes fuit, qui Eliam sub junipero quiescentem, & fame sitique prope enectum, commonuit, ut pane prunis impositio, & scypho aquæ, quæ capiti dormientis apposuerat angelus, corpus reficeret; quia iter grande, dierum nempe XL, restaret; quod iter omne Elias virtute ejus cibi emensus fuit. Iubet etiam Apostolus 1 ad Cor. XI, 10, ut mulier potestatem, hoc est, velamen, potestatis sub viro, sive subjectionis signum, in capite habeat propter Angelos; hoc est, ob angelorum reverentiam, qui nobis

nobis apponuntur,& sacris cœtibus læti interſunt,indecoro autem habitu offenduntur. Ex eo etiam id evincitur, quod legimus Act. XII, 15, cùm ancilla Rhode dixiſſet, ſe agnoſcere vocem Petri præ foribus ſtantis, hi, quibus illud nunciabat, dicerent, ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν *. Vt inde liqueat, communem fuiſſe opinionem inter Iudæos,ſingulis hominibus angelum à Deo cuſtodem attributum. Nec à morte noſtra hanc eorum curam ceſſare,indicat parabola de Lazaro,qui ab angelis dicitur in ſedes beatas relatus. Multa de hac angelorum cura ſingulari legere eſt apud SS. Patres. Inter eos eſt S. Baſilius in Pſ. XLVIII †: Ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἔστιν ἄγγελος παρεζευγμένος, ἄξιος θεωρεῖν τὸν πλάσαντα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Cuilibet fidelium eſt angelus aſſiſtens, patrem qui eſt in cælo videre dignus.* Item S. Hieronymus lib. III in Matth.XVIII,10: *Magna eſt dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Vide & Hilarium in Pſal.CXXXIV, Chryſoſtomum in epiſt. ad Heb. cap.I. Nempe hi ſunt angeli boni, qui pro nobis ſe opponunt malis, nos circumeuntibus ut fallant. Vnde I Petr. V, 8: *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.*

* *Eſt angelus ejus.*

† *pag.* 117.

Nec ſingulorum tantummodo angelis cura eſt; ſed etiam ἐθνῶν προστατεύουσι, *totis præſunt populis.* Vnde Perſidis angeli, & alii, apud prophetam Danielem. Nec dubium, quin Hieroſolymitani templi, ut ſic dicam,angeli tutelares fuerint,qui cùm inſtaret excidium,& templi,& ingratæ urbis; hanc ex adyto ipſo, Dei ſummi juſſu, ſubitam edidere vocem: Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, *Migremus hinc.* Vt narrat Ioſephus de bello Iudaico lib. VII,cap.XII,juxta Rufinum; ſive juxta codicem Græcum,βιβλ. ϛ. κεφ. λα. item Nicephorus lib. III, cap. IV. Nec eſt, quòd dicat aliquis, ſi ſic & locis, & hominibus curatores ſint angeli, numero prope fore innumero opus. Nam hoc ipſum indicare voluit Daniel. VII,10, verbis iſtis: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia adſiſtebant ei.*

CAPVT VIII.

De cultu dæmonum apud Calecutenſes, ac Moſaicis temporibus in Palæſtina, lociſque vicinis. Platonicis,cum bonos vellent genios venerari, cultos eſſe malos,ac universè idem ſtatuendum de Magis, ac eorum ſacrificiis abominandis. Diabolico etiam modo agere, qui, ignari licet, verbis & characteribus,efficere ea ſtudent,quæ non poſſunt præſtari actu humano. Ac hujuſmodi eſſe ſanationem per Abracadabra, *voce myſtica, ac ejuſdem originis, cujus eſt Baſilidis* Abraxas. *Occurritur iis, qui magica omnia citra operam dæmonum,vi imaginationis,ac carminis, fieri exiſtimant: eâque occaſione excuſſus locus Davidicus de aſpide occludente aures,*

aures, ne carmen exaudiat. Voces non habere vim naturâ, sed ex instituto, eoque pro linguis variè idem signare: ut Amen, *Latinis, Græcis, Syris. Præstigias quasdam esse dæmoniacas: ac quævis cum dæmonibus societas è Scripturis damnata.*

VIdimus, unde gentiles cognoverint, esse spiritus, & quanta iis naturæ sit præstantia, & quam eorum curam erga homines putarint. In quo ostendimus, sic satis convenire Platonicis cum Christianis; ut admodum mihi verisimile fiat, vel ipsos, vel eos, unde doctrinam hanc didicerat Plato, partim accepisse illam ex traditione antiqua, à primis Noachidis hausta; partim, ubi majorem partem obliterata erat, recepisse ab Hebræis, vel Ægyptiis, aut aliis, qui eam à gente Iudaica hausissent. Nunc ad cultum venio spiritualem; cujus fundamentum in naturæ præstantia, & erga homines cura, posuisse eos dicebamus.

Cultus iste vel malorum est spirituum, vel etiam bonorum. Mali hodiéque variis coluntur terris; inter alias in Oriente à Calecutensibus; qui Deum quidem mundi conditorem agnoscunt, ac *Temerani* appellant; sed eum ajunt, quò, curæ expers mundanæ, suaviùs vitam ageret, vicarium orbi regundo præfeciisse dæmonem, nomine *Deumum*: cujus simulachrum quàm horribile habeant, & quomodo sacerdotes, qui iis *Bramini* vocantur, sacra faciant; cognoscere licet ex Ludovico Vartomanno, patricio Romano, lib. v navigationum cap. 11. Quàm verò hic malorum spirituum cultus sit vetustus; nec antiquiorem, nec certiorem testem producere est, quàm divinum Mosem: qui Repetitæ Legis cap. xxxii, 17, ut grande peccatum refert, sacrificatum esse לשדים, *laschedim*. Id lxx vertunt δαιμονίοις. Vulgata similiter, item Vatablus, Iunius, alii, *dæmonibus*, vel *dæmoniis*. Origo est à שדד, *abolevit, perdidit, vastavit*. Inde שד, *dæmon*, quasi dicas *abolentem*, sive *vastatorem*. Planè igitur convenit cum nomine *Abaddon*, & *Apollo*: de quo inferiùs dicetur.

Est & alter locus Levit. xvii, 7, *Ne sacrificetis* לשעירים, *lasehirim*. Vbi lxx vertêre, μαλάκοις; hoc est, *vanis, futilibus*, sive, *non Diis*. Sed Aquila magis instítit vocis proprietati. Reddidit enim, περιχώλες: uti Arias Montanus, *pilosos*. Origo quippe est שער, *horrere, horrescere*. Vnde שעיר, *pilosus, hirtus*: quia hirsuti sunt horridique. Speciatim verò *Sahir* est *hircus*, ut Levit. iv. Vbi agitur de manu imponenda hirco inter sacrificandum. Et sanè in illo etiam Levitici loco xvii, 7. per *sahirim*, hirci; per hircos, dæmones intelligunt R. David Kimchi in libro Radicum, & R. Moses Maimonides lib. iii More Nebuchim cap. xlvii. Ac caussam adferunt, quia Satanas præcipuè in hirci figura se soleat hominibus offerre. Vnde gentiles inter numina retulere Faunos sive Ægipanas: pro quo *Capripedes Panes* ait Propertius lib. iii, eleg. xvii. Vti *capripedes Satyros* Lucretius in iv:

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur.

Nec ſanè alii ab his Sileni, niſi quòd *Satyri* nomẽ generale ſit, præcipuè autem junioribus tribuatur : at *Sileni* ſint ſeniores, qui junioribus Satyris præfecti. Nec à vero abludit, *Satyrus* unius literæ immutatione fieri à voce ea, qua Moſen uſum vidimus ; nempe à *ſahir*, quo dicebamus propriè notari *piloſum*, vel *hircum*, ac μελωνυμικῶς *dæmonem*. Ieſaiæ tamen XIII, 21, ubi ſermo de urbis excidio, ſic ut in ædium ruinis habitaturi ſint furunculi, & ululæ, & *ſehirim* : Aben-Eſra, quia de ululis anteceſſit, aves intelligit horrendas locorum deſertorum. Ac Iunius ſimiliter, qui *ſcopes* interpretatur. Verùm LXX, qui Levitici XVII, 7, ματαίους verterant, non dubitant hic δαιμόνια transferre. Ac ſatis veriſimilis eſt opinio Serarii, qui, ſuo in Tobiam commentario, cenſet μυζιεὶν, (quomodo, Pſello teſte, Chaldæis & Hebræis vocabatur lapis ſacrificari ſolitus adverſus dæmonem terreſtrem) ſic dici, quaſi *menos ſehirim*, hoc eſt, fugans piloſos, ſive dæmonia. Sanè & dæmonia locis gaudere deſertis, notiſſimum eſt. Vnde fortaſſe Pſal. XC, ſive XCI, 6, *dæmonium meridianum*, quod à meridie, hoc eſt, deſerto veniret. Nam Iudæis deſertum eſt ad meridiem. Sequor autem LXX, qui habent δαιμόνιον μεσημβρινὸν : uti & vulgatam ; in qua, ut dixi, eſt *dæmonium meridianum*. Nempe olim legebatur שֵׁד, *veſched*, h. e. *& dæmonio*. Quam vocem & vidimus jam antè Deuter. XXXII, 17. Sed nunc legitur שׁוֹד, *jaſchud*, id eſt *vaſtante*. Futurum enim accipitur pro præſente. Ita peſtilentia intelligatur : ea meridiana dicatur, quia imprimis graſſatur in calore Solis intenſo. Nam & aer eo attenuatur, ut magis ſe venenum diffundat ; & corpora humana magis laxantur, ut faciliùs venenum hauriant. Valde hæc firmantur eo, quòd proximè ſubjicitur : *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Ad te autem non appropinquabit.* Optimè enim hæc conveniunt peſtilentiæ latè graſſanti.

Atque hæc quidem ex veteris inſtrumenti libris. Ex gentium ſcriptoribus apud nullos de ſpirituum cultu tam multa reperias, quàm apud Platonicos. Quorum opinio erat, ſpiritus *procurari certis precatibus* : ut ait Appulejus de Deo Socratis. Ac ſatis hoc ex iis elucet, quæ ſuperiùs diximus. Sed in quæſtione eſt, utrùm bonos coluerint ſpiritus, an malos. Quin propoſitum iis fuerit, bonos venerari, non eſt, cur dubitemus. Atque hæc etiam cauſſa, cur jejuniis ſe bonâ fide præpararent. Sed pro bonis ſe mali ſpiritus oggeſſerunt. Boni enim cultum ejuſcemodi, ut Dei proprium, averſabantur. Et agnoſcit Porphyrius, eos, quibus ſacrificarent, libamine carnium delectari, imò fumigatione nidoréque vivere, ac pingueſcere : quæ ridicula quidem ſunt ; interea tamen, cujuſmodi coluerint

rint ſpiritus, oſtendunt. Præſertim cùm idem fateatur, omne id genus ſpirituum pro malo habendum, quod ſanguine capiatur victimæ, ac cogi debeat, ut faciat, quæ homines velint. Firmantur hæc quoque iis, quæ Lucanus de magia cecinit in ſexto, & illis quæ B. Auguſtinus adverſus Platonicos diſſerit in decimo de Civitate Dei cap. XI, quæque ibidem Vives annotavit. Et ne Porphyrio inſiſtam, Platonici etiam cæteri eos invocarunt ſpiritus, qui Delphico, & cæteris oraculis, præſiderent. At hi mali fuere ſpiritus, quia non rectum, ſed gentilem exegere cultum; uti ludos, lectiſternia, & alia, nunc Iovis, nunc Apollinis, nunc alîus numinis honori. Quamobrem ita ſtatuendum, non illos invocâſſe angelos, qui continuò vident Dei faciem in cælis; ſed illos, ut Empedocles vocat *, οὐρανοπετεῖς δαίμονας †: qui ſub imagine ſerpentis fædè adeò illuſerunt primis parentibus, ac nunc quoque, ſed inconſpicui, immanibus ſpiris, vibrante linguâ, circa nos ſerpunt, ut animas veneno ſuo inficiant & interficiant. Hoc etiam oſtendit eorum μυστικὴ θυσία ‡. Sic enim in Chriſtianorum opprobrium, quibus ita dicitur Euchariſtiæ ſacramentum, nominarunt abominandum ſacrificium ſuum; quantum colligere eſt ex ſermone illius Thracis apud Michaëlem Pſellum * de operationibus dæmonum. Quo in ſacrificio quandoque etiam mactabatur (dictu horrendum) infans materno exſectus utero: quod ut legas apud Baptiſtam Carmelitam in vita S. Catharinæ, ita multò antè proditum à Lucano, hiſce verſibus in ſexto:

Vulnere ſi ventris, non quà Natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.

Atque hic apertus eſt dæmonum cultus. Præter quem alter eſt, uſque adeò occultus, ut ipſi, qui eum colant, neſciant: ac propterea vel mortem potiùs oppetere ſint parati, quàm hujuſmodi quid profiteri. Tales ſunt, qui multa videre agentes alios ex pacto cum diabolo, quæ ipſi citra pactum, ſaltem expreſſum, imitentur; ſic quoque reſpondente eventu: imò & illi, qui iſta ab aliis pacti neſciis didicerunt, ac tam miranda fieri putant non vi dæmoniaca, ſed naturæ; quippe longè potentioris, quã vulgo credatur. Huc refero eos, qui res vim humanæ poteſtatis exſuperantes agunt verbis aut characteribus quibuſdam ignotis, quibus fortaſſe diabolorum nomina & eorum invocationem ſignavere illi, qui primi iis ex pacto cum dæmone uſi ſunt. Hujuſmodi quidem opinionem non immeritò injecerit, quòd majorem tribuant vim vocibus barbaris, nec intellectis, quàm iis, quæ intelligantur: ut etiam legas apud Ioannem Picum, principem Mirandulanum, in Poſitionibus ſuis. Atque ut nihil ejuſmodi foret, quale metuimus; ſaltẽ verba, etiam cognita, nec in ſe mala, ſacramentum ſint dæmonis ex tacito pacto concurrentis, quoties adhibentur ad ea præ-

* *apud Plutarchum de non fænerando.*
† *dæmones, qui de cælo deciderunt.*
‡ *myſticum, ſive arcanum ſacrificium.*
* *pag.* 18.

ſtanda, quæ nequit poteſtas humana. Vel meræ nugæ, vel hujus generis ſint, quæ his verbis Plinius tradidit lib.xxviii,cap.i: *Dixit Homerus, profluvium ſanguinis vulnerato femine Vlyſſem inhibuiſſe carmine; Theophraſtus iſchidiacos ſanari; Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari, M. Varro podagris.*

* *apud Marcell. Empir.* Huc etiam pertinent verſus Vindiciani *, Comitis Archiatrorum, ad Valerianum Imp.

Gramine ſeu malis ægro præſtare ſalutem,
Carmine ſeu potius. Namque eſt res certa ſaluti
Carmen ab occultis tribuens miracula rebus.

Habemus & magicas medendi formulas apud Cælium Aurelianum in Chronicis cap.i, Myrepſum ſect.ii, antidot. ccxcviii,ccccv,ccccxix, & alibi, & apud alios. E quibus unum contentus ero referre, Q. Serenum Sammonicum, junioris Gordiani præceptorem. Iubet ille ad ſanandum hemitritæum chartam lino includere, cui inſcriptum ſit *abracadabra:* inde eam de collo ſuſpendere, ac quot diebus ordine retrogrado literam demere. Planè hæc à magis profecta; quos & hæretici in multis olim ſecuti. Imò vix dubito, quin illud *Abracadabra* inde fuerit, unde Baſilides hauſerat ſuum *Abraxas:* quem pro numine ſummo coluit, nomine prorſus fictitio; ſed quod literis contineret numerum dierum †, quos annus habet abſolutus; unde & B. Hieronymi ſuſpicio erat, Ἀβράξας eſſe non alium, quàm Perſarum Mithram, hoc eſt, Solem, qui annuo curſu hoc ſpatium conficit. De Baſilidis hoc numine, ſive eo dæmoniorum principem, ſive ſolem, ſive utrumque, ſignificarit, vide Irenæum lib.i, cap.xxiii, Tertullianum de Præſcript. cap. xlvi, Epiphanium hæreſi xxiv, Hieronymum adverſus Luciferum, & lib. i in Amos; item Auguſtinum, Theodoretum, & Damaſcenum, in iis, quæ de hæreticis tradiderunt.

† α. 1
β. 2
ι. 100
α. 1
ξ. 60
α. 1
ϛ. 5
365.

Qui iſta dæmonum commercio fieri negant, hi, Avicennam in eo, & Algazel ſequentes, magica omnia naturali ratione, arteque tantummodo humanâ, fieri arbitrantur; eoque negant, ſapientis eſſe ad illa recurrere, quæ utrum ſint, nondum conveniat; præſertim cum abunde ratio eorum reddi poſſit ex iis, quæ humanæ ſint poteſtatis: idque partim per imaginationem, partim per verba, ac characteres. Quippe imaginationis vim ſatis relucere ex prægnantibus, & melancholicis. Etiam medicos, qui nihil efficaciæ ponerent in verbis, dum miram verborum ſignorumque vim eſſe perſuadeant ægris, imaginatione tali ſæpe ægros valetudini ſuæ reſtituiſſe. Atque hoc moviſſe Philippum Aureolum, ſive Bombaſtum Paracelſum ‡ malis dicere, ut in morbis, quos quis à magis immiſſos imaginetur, ad ſagas & ziginepos jubeat accedere; nec promittere dubitet, ſi remedia quæ docuerint, cum vehementi imaginatione adhibeantur, fore ut

‡ *libro de morbo caduco.*

morbis

morbis feliciter medeantur. Iam ad vim imaginationis hîc alterum accedere, quia ſpiritibus ac humoribus ab ea commotis, vis inde exeat in verba ac characteres; quam etiam muta intelligant animantia; quandoquidem aſpis, conſpecto eo, qui volet incantare, ne exaudiat, aures ſuas obturet, atque ita carmen reddat inefficax. Hoc ipſum regium vatem teſtari pſalmo LVII, ſive, juxta Hebræos, LVIII, 5. Singulis iſtorum occurram. Ac primum non diffiteor, magnam eſſe imaginativæ vim, ſed in ἀμέσως * conjuncta. Cujus generis etiam eſt, ſi æger, melancholicus, aut ſimplex à medico, nullam verborum vim credente, gnaro interea, quantum poſſit imaginatio, de mirifica verborum virtute perſuaſus, valetudinem ſuam recuperet. Quamquam non exiſtimem, pii ac prudentis medici eſſe, ſic ægri credulitati illudere, cum ea res ſuperſtitionis periculo non careat. At interea quid iſta ad vim verborum, & characterum comprobandam? Quæ cum extra hominem ſint, quo pacto quæſo adſtruent ad ea ſe vim diffundere imaginativæ? Planè inquiunt: quia imaginatio turbat ſpiritus & humores, poſteaque inde vis prodit in verba, & characteres, haut aliter ac ex invidorum oculis vehementi imaginatione venenatus exit radius, qui rem inficiat, quod faſcinum vocamus; quo pacto item mulieres pleræque, menſtruis laborantes, ſpeculum noxio inficiunt vapore. Sed halitu aut vapore poſſe multa infici non dubito. At quod propterea omnem faſcini vim in imaginatione, & ſpiritu oculis exeunte ponant, difficulter perſuadent. Magis placet ſententia eorum, qui ut non negant poſſe ſpiritũ noxium ex maleficorũ oculis prodire, ita hic neutiquam ſubſiſtunt; ſed utcunque hoc ſit, in vero faſcino principem vim dæmoni attribuunt. Quæ & ſententia eſt Ludovici Vairi in ſecundo de Faſcino cap. ult. ubi Faſcinum definit, pernicioſam qualitatem dæmonum arte illatam ob tacitum vel expreſſum pactum cum eiſdem dæmonibus firmatum. Sed diſputationem hanc nunc non ingrediar. Tantum quæro, quid ſimile ſit inter corpora naturalia, & verba ac characteres? Corporibus per contactum ſive ἐμμεσον †, ſive ἄμεσον ‡, vim aliquam nunc utilem, nunc noxiam, imprimi poſſe, nõ negamus. Sed quanto alia ratio in verbis, & characteribus? quorum denominatio eſt ab re externa; ut magnam quidem vim habeant eorum ſenſus, quemadmodum in facundo elucet oratore; ipſa verò per ſe vim obtineant nullam; quippe quæ non φύσει * ſignificent, ſed θέσει †, ſive κατὰ συνθήκην ‡: ut eſt apud Ariſt. initio περὶ ἑρμηνείας *. Aliter ſi eſſet, verba eadem idem apud omnes valerent, cùm contra videamus, vocem eandẽ huic genti illud, alii aliud atque aliud, denotare. Pro exemplo nunc ſit vox *amen*. E Latinis hac utitur Arnobius in ſeptimo, cui idem eſt, ac *amentum*; ut dicitur *momen, momentum*; *fulmen, fulmentum*; *limen, limentum*;

* *immediate.*

† *mediatum.*
‡ *immediatum.*

* *naturâ.*
† *poſitione.*
‡ *ex inſtituto.*
* *de Interpretatione.*

monumen, monumentum, aliáque. Eſt verò *amen* ſive *amentum* id, quo haſta, aut jaculum vincitur, ut mitti poſſit; unde in vett. gloſſis etiam exponitur ἄμμα † τῆς ἀκοντίων, &, ἄμμα ‡ λόγχης. Sed Græcis ἄμμα eſt εἶδος * πλακοῦντος, ut interpretatur Heſychius. At quanto aliud eſt Hebræum *Amen*; quo liber quiſque pſalmorum terminatur, ut Pſal. XLI, & alibi; quo item crebrò in Euangelio utitur Chriſtus; quodque in Eccleſia primitiva populus reſpondebat poſt recitatas preces; ut videre eſt 1 Cor. XIV. Hoc *Amen* idem valet ac γένοιτο, ut LXX reddunt: vel, ut alii, *firmetur, ſtabiliatur*: ab radice אמן *aman*, id eſt, *verax* ac *fidelis fuit*. Poſſem trecenta id genus vocabula adferre, quorum diverſa, pro linguarum ratione, ſignificatio ſit. Sed his dejecti, tandem, velut Gorgonis caput, obtendunt nobis locum divini Pſaltæ †, qui illud dicere videtur, tantam eſſe carminis vim, ut illam etiam aſpides extimeſcant. Et videtur hæc etiam ſententia eſſe Auguſtini, Caſſiodori, atque aliorum. Quorum major eâ parte apud me foret auctoritas, ſiquis eorum ad hanc iis interpretationem præiſſet, qui ex profeſſo id egiſſent, ut naturæ arcana ſcrutarentur. Nunc apud eos univerſos altum de re uſque adeo miranda ſilentium eſt. Et id, credo, impulit Grevinum, ut in primo de venenis ſic ſcriberet: *Huic difficulter fides haberi poteſt, neque tamen prorſus abroganda, cùm fieri poſſit, ut poëtico more locutus fuerit.* Sanè poeticum opus eſt, unde is locus promitur: eóque veriſimilius eſt pſalten divinum obturationem aurium non propriè intelligere, ſed κατὰ μεταφορὰν ſignare; quòd ſic agat aſpis, quaſi contemnat carmen, planéque ad illud obſurduerit. Sententia igitur pſaltæ ea fuerit: Tantum eſſe ſuorum hoſtium furorem, ut non magis poſſit mitigari, quàm moveatur aſpis incantantis carmine. Nam æquè ſurdos eſſe hoſtes ſuos, ac ſurda eſt aſpis ad tale hominis carmen. Quomodo & Ierem. VIII legas: *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos.* Summùm igitur hinc conſequitur, ſolere à magis carmen occentari ſerpentibus: ſed, ut puto, nunquam inde evincent, aliquam eſſe ejus carminis vim, & hoc pro verſutia ſua ſcire ſerpentes, eoque callidè aures obturare, ne audiant. Quamobrem ſic colligo, nullam ex ſe eſſe carminum efficaciam; nec qui iis ſe morbos pellere profitentur, id tam carminis, quàm dæmonis paredri vi efficere.

† *vinculum telorum.*
‡ *vinculum haſtæ.*
* *genus placentæ.*

† *Pſal.* 58, 5.

Ad eandem cum dæmone ſocietatem refero præſtigiatores, non eos quidem, qui ſolâ manuum agilitate, vel ingenioſo quopiam dolo, offucias faciunt; ſed qui res agant, quæ arte vel operâ ſolâ humanâ præſtari minimè poſſint. Vt cum Triſcalanus ille Cenomannus, præſente Karolo IX Galliarum rege, ex torque aureo alterius à ſe longiùs remoti annellos pelliceret ſingulos, & advolantes ſua reciperet manu, prout ſaltem videbatur,

tur ; ac torquis nihilominus ſalvus & integer reperiretur. Ad cujus rei conſpectum ſic Rex exhorruit, ut hominem abire juſſerit, nec paſſus eum ſit in conſpectum ſuum amplius prodire ; imo pro grandi præmio, quod exſpectabat, judicio ſit traditus, ſpe tamen veniæ, ſi conſcios Magiæ proderet. Narrant eam rem Bodinus Dæmonolatriæ lib. III, cap. III, Delrius lib. I Diſquiſ. Mag. cap. IV, Raguſeius de Divinatione lib. II, epiſt. VI. Ac multa id genus alia poſſum ex variis referre. Sed non eſt animus ea exſcribere, cum ex iis peti poſſint, qui argumentum hoc cum cura tractarunt. Neque jam laboro, veréne fiant, quæ fieri putantur; an ſenſui & phantaſiæ illudatur. Vtrumque quidem concurrere exiſtimo : ac ſic, ut cenſeam, perſuadent antiquorum temporum exempla, omnium gentium conſenſus, ac noſtræ etiam ætatis experientia. Alia igitur fiunt, alia fieri videntur, & ob ea, quæ fieri conſtat, etiam ſimilia à multis creduntur, quæ non fiunt, ſed videntur. Interea ſufficit nunc nobis, quod ut multa eorum, ſeu ea facta, ſeu ficta, ſic videantur, non aliter fieri potuerit, quàm ope dæmoniacâ. Atque hæc de malorum ſpirituum cultu, & imprimis magia diabolica : quæ eò hominem perducit, ut fiduciam reponat, non in eo qui creavit, ſed rebus creatis, imò jurato Dei hoſte, & noſtro etiam planè ἀπόνδῳ : juxta illud Geneſ. III, 15 : *Inimicitias ponam inter te, & mulierem ; & ſemen tuum, & ſemen illius.* Vnde &, ex veteris Eccleſiæ conſuetudine, in baptiſmo renunciatur Satanæ & pompis ejus. Vtrique verò, & Deo, & diabolo, tam diverſis dominis, ut docet nos Chriſtus †, ſervire non poſſumus. Eóque Apoſtolus quoque I Cor. X, 21 : *Nolo ſocios vos fieri dæmoniorum.* Vt ſatis mirari non poſſim, tantam fuiſſe ſuperioribus ſeculis cæcitatem, atque inſcitiam, ut Salmanticæ & illa magia, quam dicunt θεουργίαν, & altera, quam γοητείαν nominant, ſcholis publicis doceretur : quemadmodum in tertio de natura dæmonum tradit Io. Laurentius Ananias ; Theologus Tabernas, & ejus fide Georgius Raguſeius Theologus, Medicus, & Philoſophus Patavinus, lib. II de Divinat. epiſt. VI.

† *Matt. 6, 24. Luc. 16, 13.*

CAPVT

CAPVT IX.

De religioso bonorum spirituum cultu, qui è Scripturis refellitur, ubi & ad inanem philosophiam refertur. Obtinuisse eum apud Phrygas, eoque à Paulo ad Colossenses scribente, & à Laodicena synodo rejectum. Quod cultus genus angelis conveniat, & ut nec alium Ecclesia Smyrnensis à S. Polycarpo didicerit. Cur religioso abstinuerit. Eandemque mentem fuisse Irenæi, Origenis, Arnobii, Lactantii, Ambrosii, sive Hilarii Romani, cujus ætas exponitur: præterea Augustini, Chrysostomi, Theodoreti. Et unde Angelicorum hæresis nomen acceperit.

Λατρείαν malorum spirituum ad venerationem venio bonorum. Quos ab hominibus priùs fuisse cultos, per est verisimile. Sanè Iosephus Albus lib. III in Icarim cap. XVIII arbitratur, hanc omnium antiquissimam fuisse idololatriam, quod homines angelis cultum statuerint tanquam mediatoribus, & sequestris, inter se, & Deum. Sed enim hic etiam honor universè damnatur Deuteron. VI, 13. item X, 20. & Matth. IV, 10: *Dominum Deum timebis, & illi soli servies.* Item ab Apostolo ad Gal. IV, 8: *Iis, quæ naturâ non sunt Dii, serviebatis.* Et, ut particulatim magis de Angelis dicam, Apocal. XIV, 10, angelus B. Ioanni adorare volenti ait: *Vide, ne feceris; conservus tuus sum.* Etiam ad Coloss. II, 8, legas: *Videte, nequis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* At commate XVIII: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ.* Satis inde conspicimus, ut priùs cavere jubeat à philosophia: nempe eâ, quæ, ut se Apostolus interpretatur, inanis est fallacia; qualem dicit, quæ non insistit traditis à Christo; sed ab hominibus, qui judicant secundùm elementa mundi, hoc est principia mundanæ sapientiæ. Postea istius inanis philosophiæ exemplum subdit, quando quis, humilitatis prætextu, non rectà ad Deum ac Christum preces suas fundit; sed mediatores angelos, more Platonicorum, invocat: quibus spiritus ejusmodi sunt *divinæ mediæ potestates*, ut ait Appulejus, *inter mortales cælicolásque vectores, hinc precum, inde donorum.* Colossi, quibus ea scribit Paulus, Phrygiæ erat civitas, uti metropolis ejus Laodicea. In Phrygia autem, & Pisidia, obtinuit hic cultus, non Apostolicis modò temporibus, sed etiam tribus pòst seculis. Vnde Synodus Laodicena, anno Christi CCCLXIV, (non, ut aliqui volunt, ante Nicenam generalem) sic cavit can. XXXV; sive CXXXVIII, juxta collectionem & interpretationem Dionysii Exigui: *Quod non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere, & ire atque angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Siquis igitur inventus*

ventus fuerit huic occultæ idololatriæ ſerviens, ſit anathema; quia derelinquit dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, filium Dei, & ſe idololatriæ tradidit. In quibuſdam vett. conciliorum editt. pro *angelos*, legas *angulos*. Atque ita & Bartholomæus Caranza expreſſit. Sed Græcè eſt ἀγγέλους, ut habet codex canonum Eccleſiæ univerſæ à Iuſtiniano Imp. confirmatus, & Græcè Latinéque cum notis eruditis editus à Chriſtoph. Iuſtello I. C. Etiam in commmentario ad hunc canonem ſic legiſſe liquet Ioannem Zonaram, & Theodorum Balſamonem: imo annis ſexcentis ante eos ſic etiam legit Theodoretus; cujus verba ad memoratum Paulinæ epiſtolæ locum ſic Latinè ſonant: *Qui legem defendebant, etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per eos datam. manſit autem diu hoc vitium in Phrygia, & Piſidia. Quocirca ſynodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos, & ne relinquerent dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Atque eadem repetit in cap. III. Qui verò angelos putant utiliter invocari, ajunt Theodoretum loqui de invocatione iſtiuſmodi, quâ, præterito Chriſto, invocarentur angeli, velut Dii; hoc eſt honore, qui uni Deo deberetur. Videlicet volunt, bifariam ab hominibus coli angelum; aliis, ut naturâ Deum, ſive ut principium primum, bonum ſummum; aliis, ut Dei miniſtrum, cujus ope atque auxilio faciliùs aliquid impetretur à Deo. Sed aliter primis creditum ſeculis; quibus conſtanter placuit illud Apoſtoli †: *Vnus Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus.* Quod B. Auguſtinus ſic exponit contra epiſtolam Parmen. lib. II, cap. VIII: *Illum ſolum eſſe mediatorem, pro quo nullus interpellat; ſed ipſe pro omnibus.* Nec propterea omnem Angelorum cultum damnarunt. Triplicem enim fatentur. Vnus eſt mentis, qua naturæ angelicæ excellentiam agnoſcimus. Alter eſt voluntatis, quo officia tam excellenti naturæ convenientia præſtare parati ſumus. Tertius eſt corporis, quo, ſi ſic uſu veniat, demiſſionem extrinſecus teſtamur. Interim non eſt cultus ille religioſus; quia non agnoſcimus angelos, ut principium aut originis, aut ſalutis noſtræ. Quin neque eſt cultus ſubjectionis civilis; quomodo veneramur regem, ac magiſtratus; imò & parentes, ac præceptores. Sed eſt cultus reverentiæ moralis; quo qui nobis dignitate ac virtute præcellunt, etſi nullum in nos imperium habeant, ſedulo honoramus. Nempe ut viros ſanctos, imò & doctos, colimus, ſic item angelos; ſed angelos auguſtius. interim eâdem cultus ſpecie, etſi gradu aliquantum diſpari. Religioſum vero cultum penitus neſciere antiqui, nec angelorum, nec martyrum. Quemadmodum videre eſt ex epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, de martyrio Polycarpi ad Eccleſias Ponti ſcriptâ; ut eſt apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. IV, cap. XIV: τοῦτον γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν· τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μα-

† 1 Tim. 2, 5.

θητὰς τ̃ Κυρίυ, & μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα ἐνοίας ἀνυπερβλήτυ τ̃ εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε & μαθητὰς γενέσθαι. *Illum enim, qui Dei filius est, adoramus: martyres autem, ut discipulos, & imitatores Domini, propter incredibilem eorum benevolentiam, quam in proprium regem & magistrum declaraverunt, meritò amplexamur, quorum nos cum in pietate discipulos, tum consortes in gloria fore optamus.* Videmus, ut non doctor aliquis; sed Ecclesia Smyrnensis, eaque à Polycarpo, discipulo B. Ioannis, edocta, clarè dicat, non se Martyres σέβειν *, sive προσκυνεῖν †, sed ἀγαπᾶν ‡. Nimirum Christiani veteres, & seorsim, & juncti, & pro se singuli, & alii pro aliis, Deum precabantur; mutuò etiam, ut id fieret, rogabant; verùm quem præsentem nescirent, sive angelus, sive anima foret defuncti, minimè invocabant: quia, de cujus præsentia non constaret, eum cum fiducia auditionis, ut de exauditione nihil dicam, minimè invocare auderent: præsertim cùm ejus rei in Scripturis nec præceptum haberent, nec exemplum. Sciebant quidem, Deum aperuisse Elisæo *, quid Giezi egisset; Petro † item, quid animi foret Ananiæ; nec eos fugiebat, majora etiam beatis animis præstare posse, si velit. Sed hoc velle eum, non satis liquebat. Ac præterea videbant, si hic morbo correptus, ille naufragii, iste incendii, alius alio periculo constitutus, non unâ, sed aliâ atque aliâ mundi plagâ, angelum, vel quamcunque creaturam, invocaret; honorem, quem Deus alteri tribuere noluit, transscribi creaturæ: nec enim cadere in finitam potestatem, ut uno eodemque momento, una omnes omnium preces tam dissitis toto orbe locis audiret, nedum exaudiret. Quamobrem veteres non alium angelis honorem exhibebant, quàm quòd præclaram eorum naturam, & erga se affectum agnoscerent; eoque nomine amarent, prædicarent, & pro exemplo sanctimoniæ sibi proponerent. Sed adorationis & invocationis cultum minimè præstabant: quod ex synodo Laodicena, & vetustis Smyrnensis Ecclesiæ actis vidimus. Nec ab horum indicio alii Theologi veteres recessere. Audiamus Irenæum lib. II, cap. LVII: ubi cum dixisset, Ecclesiam per universum mundum charismata sua uti gratis accepit, ita gratis, non pecuniam accipiendo, vel decipiendo aliquem, conferre: subjungit continuò ista; quæ Græcè etiam adduxit Eusebius lib. v Hist. Eccl. cap. VII *: *Nec invocationibus angelicis faciat aliquid, nec incantationibus, nec aliquâ pravâ curiositate; sed mundè & purè & manifestè orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi in virtute secundùm utilitates hominum, sed non ad seductionem perfecit.* Vbi pro *dirigentes* (ut est in editione Erasmi, Gallasii, & Feuardentii) *dirigens* rescripsi: pro *perfecit* etiam *perficit* malim. Satis autem ex his verbis liquet, B. Irenæum sive potiùs Ecclesiam, de qua sermo est Irenæo, ignorâsse tum temporis

* *venerari.*
† *adorare.*
‡ *diligere.*

* 2 *sive* 4 *Reg.* 5.26.
† *Act.* 5,3.

* *edit. quibusdam c.* 58.

poris preces, quæ ad Angelos fierent; sed eas direxisse tantummodo ad Deum Patrem, & Dominum nostrum Iesum Christum. Atque hoc etiam nos Origenes docet in octavo contra Celsum: Τέτυς δὴ ἀγγέλυς ἀπὸ τῆ ἔργυ ἀυτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, ἐυρίσκομεν αὐτὺς, διὰ τὸ θείυς εἶναι, & θεὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτὲ ὀνομαζομένυς γραφαῖς· ἀλλ' ὐχ' ὥς τε προσάσεσθαι ἡμῖν τὺς διακονυμένυς, & φέροντας ἡμῖν τὰ τῆ θεῦ, σέβειν & προσκυνεῖν ἀντὶ τῆ θεῦ. πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, καὶ προσευχὴν, & ἔντευξιν, καὶ ἐυχαριςίαν ἀναπεμπτέον τῷ ὅλων θεῷ διὰ τῆ ὅλων πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμψύχυ λόγυ, & θεῦ. *Angelos ex officio suo nominare docti, invenimus, propter divinitatem quandam, interdum deos vocari à sacra scriptura: sed non sic, ut jubeamur eos adorare, aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei nobis afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones, destinandæ sunt ad Deum, rerum omnium dominum, per majorem omnibus angelis, summum pontificem, vivum verbum, & Deum.* Plura etiam ibidem in hanc mentem subjungit. In quibus & illud: Ἀγγέλυς καλέσαι μὴ ἀναλαβόντας τὸ ὑπὲρ ἀνθρώπυς περὶ αὐτῶν ὅπως ἥμελλε, ὐκ ἔυλογον· Vertit interpres: *Angelos invocare absque ipsorum* (de iis) *cognitione, cujus homo capax non est, non videtur rationi consentaneum.* Mens eadem Arnobio, penè initio libri tertii adversus nationes: *Subjiciunt enim hæc: si vobis divina res cordi est, cur alios nobiscum neque deos colitis, neque adoratis, nec cum vestris gentibus communia sacra miscetis, & religionum conjungitis ritus?* His sic potuit occurri, non esse nisi unum Deum; eóque nonnisi uni divinum posse honorem præstari. Sed quia & angeli in Scripturis Dii dicuntur, ut in isto*: *Minuisti eum paullum ab angelis:* eo non ingreditur Arnobius disputationem, an plures sint Dii; diceréque est contentus, quicquid colendum, coli in Deo principe. Sic enim superioribus subjungit: *Possumus interim* (hoc est, omissa disputatione, Diine sint plures) *dicere, ad cultum divinitatis obeundum, satis est nobis Deus primus: Deus, inquam, primus, pater rerum ac dominus constitutor moderatorque cunctarum. In hoc omne, quod colendum est, colimus; quod adorari convenit, adoramus; quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipsius teneamus caput, à quo ipsa divinitas divinorum omnium, quæcunq; sunt, dicitur, supervacuum putamus personas ire per singulas,* &c. Pluráque ibidem in hanc sententiam universè scribit Arnobius: ut ad angelos etiam hæc pertineant. Imo & nominat hos, discipulus ejus, Lactantius lib. II, cap. XVII: *Neque Angeli cùm sint immortales, dici se Deos aut patiuntur, aut volunt: quorum unum solumque officium est, servire nutibus Dei. Itaque nullum sibi tribui honorem volunt, quorum honor in Deo est. Illi autem, qui desciverunt à Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici & prævaricatores, Dei nomen sibi, & cultum Deorum, vindicare conantur.* Quo pacto autem, qui spiritus invocarent, se defensitarint, planum fit ex effugio eorum, quoties

* *Psal.8,6. Hebr.2,7.*

culpæ iis daretur, quòd adorarent solem, vel lunã, ac sidera. Hoc quale sit, dicet Ambrosius, sive quisquis ille scriptor commentarii in epistolas Paulinas. Hic in cap. primum ad Romanos sic scribit: *Solent, passi pudorem neglecti Dei, misera uti excusatione, dicentes, per istos posse iri ad Deum, sicut per comites pervenitur ad regem.* Sed quomodo his occurri oporteat, malo verbis dicere ejusdem scriptoris, qui continuò subjungit: *Age, numquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam regis vindicet comiti, cum de hac re, siqui etiam tractare fuerint inventi, jure, ut rei damnentur majestatis? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus, quod reservetur Deo. Nam & ideo ad regem per tribunos aut comites itur, quia homo utique est rex, & nescit, quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet, omnium enim merita novit, promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devota.* Hæc ille bene antiquus scriptor; ut qui Damasi Papæ temporibus vixerit, quemadmodum ipse testatur in cap. III, epist. I ad Timoth. Ac beatus etiam Augustinus lib. IV contra duas epistolas Pelagianorum cap. IV, citat hinc quædam ex explicat. cap. V ad Rom. verùm sub Hilarii nomine, non Pictaviensis illius; sed, ut Lovanienſibus observatum, Hilarii potiùs Diaconi, qui Lucifero Calaritano, illi, ut Hieronymus appellat, orbis Deucalioni, adhæsit. Cassiodori tamen ætate tribuebantur Gelasio, ut patet ex libro de divinis lectionibus cap. VIII. Vbi Cornelius à Lapide ‡ intelligit Gelasium Cæsarienſem: eumque vixisse ait ante concilium Chalcedonense, & scripsisse librum de duabus naturis. Verùm auctor libri de duabus naturis non Cæsarienſis, sed Cyzicenus fuit episcopus; nec ante Chalcedonense concilium, sed circa annum ccccxc vixit. At magis etiam ratio eos fugit, qui commentarium illum in epistolas Paulinas ad Remigium Antisiodorenſem retulere. Nam claruit ille demum annis post Damasum quingentis. Venio ad B. Augustinum, qui & ipse plurimis in locis cultum rejicit Angelorum, atque ad unum nos Mediatorem Christum manu ducit. Vt Confess. lib. X, cap. XLII: *Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc: & inciderunt in desiderium curiosarum visionum: & digni habiti sunt illusionibus. Diabolus enim erat transfigurans se in angelum lucis.* Capite verò sequenti clarè nos ad unicum intercessorem Iesum Christum remittit. Idem lib. de vera Religione cap. LIII: ubi cùm de sanctis defunctis dixisset, *honorandos esse propter imitationem, non adorandos propter religionem*: subjicit idem de angelis esse statuendum. *Quare*, inquit, *honoramus eos charitate, non servitute: nec eis templa construimus. Nolunt enim sic se honorari à nobis, quia nos ipsos, cum bonã*

‡ *prolegem. in epist. Paul.*

boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. Rectè itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret. Item lib. xx contra Faustum Manichæum cap. xxi: *Ipsi sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo, & in Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonii illis tanquam Diis immolare voluerunt. Conscissis enim vestibus suis, confitentes & persuadentes eis, se Deos non esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, sicut etiam in Apocalypsi legimus Angelum se adorari prohibentem ac dicentem adoratori suo: Conservus tuus sum, & fratrum tuorum. Ista sibi planè superbi spiritus exigunt, diabolus & angeli ejus; sicut per omnia templa, & sacra gentilium.* Idem libro primo contra Maximum, Arrianorum episcopum: *Nonne si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei? quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo.* Similia habet lib. x de Civit. Dei cap. vii, & xvi. Item in Psal. xcvi. Adi & Chrysostomum in epist. ad Hebr. cap. i, homil. iii. Cujus verba apponerem, nisi multa huc pertinentia sparsim haberet. Suffecerit igitur digitum ad fontem intendisse. Vide & Theodoretum lib. ii Græc. Affect. ubi inter alia inquit de angelis: Οὐ μὴν θεοὺς τούτους νομίζομεν, οὐδὲ θεῶν αὐτοῖς ἀπονέμομεν σέβας, οὐδὲ μεείζομεν εἰς τὸν (ὄντως) ὄντα θεὸν, καὶ τούτους, καὶ θείαν προσκύνησιν· ἀλλὰ τούτους τιμιωτέρους μὲν ἀνθρώπων, ὁμοδούλους δὲ εἶναι φαμέν· *Neque verò hos Deos putamus, neque divinum illis honorem tribuimus, neque adorationem inter eum, qui verè Deus est, & angelos, partimur; sed eos honoratiores quidem hominibus, attamen conservos esse dicimus.*

Eos, qui angelos colerent, Angelicos dixere. Quorum meminit Epiphanius hæresi lx, & ex eo Zonaras, ac Balsamo ad xxxv canonem concilii Laodiceni. Mirum verò, ambigere Epiphanium, an non & ita vocari potuerint ab regione ultra Mesopotamiam, quæ Ἰγγιλίνη dicta sit. Nam ut sanè *Angelina* rescribas, (quomodo uterque vertit interpres) non tamen ἀναλόγως inde ἀγγελικὸς deducas. Nunc vero Ἰγγιλίνη habet tum Basileensis editio, tum Parisina. Ac in codice etiam Iustinianeo lib. i, tit. xxix, qui est de officio magistri militum, in tribus MSSis *Ingilena* reperit L. Russardus I. C. Clariùs igitur ἔτυμον perspexit Augustinus hæresi xxxix: *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur.*

CAPVT X.

Acceditur ad animam humanam: quam niſi ſupereſſe corporibus putaſſent, nunquam honore coluiſſent divino. Cur rationalem creaturam condiderit Deus. De immortalitate ejus conſenſus gentium. Μελεμψυχώσιος *figmentum videri ortum ex certiſſima traditione de Reſurrectione futura. Dogma de migratione animæ à variis fuiſſe gentibus receptum. Idem ſenſiſſe Phariſæos: non tamen eo ſpectaſſe Herodem, cum Chriſtum putaret eundem ac Ioannem Baptiſtam. Saducæorum error ex Moſe non uno refellitur argumento. Origo ejus ſectæ. Inſanus Epicuri & Dicæarchi error: eique oppoſita ſententia priorum: uti Thaletis, Pherecydis, Pythagoræ, Platonis. Ariſtotelis de eo ſententia, item Stoicorum: ac argumenta aliquot pro animæ immortalitate.*

AB angelis venio ad animam humanam. Duplex enim eſt creatura ſpiritualis; utraque æterna & immortalis; ſed una ſecundùm ſe totam, ut angelus; altera ſecundùm partem ſui nobiliorem, ut homo. Quas ambas Deus creavit, non tam ne deeſſent, qui eum laudarent & admirarentur; cùm Deus non ſit indigus laudationis alienæ; quàm quia naturæ ejus, qui Optimus, ipſáque bonitas foret, conveniret, ut natura etiam foret, quæ divinâ ad beatitatem gratiâ perduceretur; eóque cognoſceret Vniverſi auctorem, eundem amaret, coleret, imitaretur; atque ita, pro modo creaturæ, ſimilis redderetur Deo. Quem finem cùm ſibi propoſuerit Deus, facilè etiam videmus, cur & angelum, & animam, naturæ creârit incorruptibilis & immortalis. Veriſſimaq; hæc de animarum immortalitate ſententia pro fundamento erat erronei cultus, qui iis à gentibus præſtitus fuit. Nec enim perſuaderi ille cuiquam potuiſſet, niſi qui putaret, animas à morte ſupereſſe. Mirum verò, cæcas nationes plus hac parte vidiſſe Saducæis, qui Moſem haberent. Eò videndum, quæ potiſſimum in hanc opinionẽ gentiles impulerint. In iis familiam ducit traditio, quæ à Noacho, & ejus liberis, ac nepotibus, quaſi per manus, ad poſteros devenit. Vnde L. Seneca epiſt. CXVII: *Cùm de animarum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Vtor hac perſuaſione publica.* Nec Senecæ ſolum ætate ſic erat. Hodiéque ea traditio eſt apud remotiſſimas gentes. Vt de Guineenſibus varii tradidere, itẽ de Sinenſibus; in his I. Hugo Linſchotanus: de Peruanis, & Mexicanis, Ioſephus Acoſta; de Virgineæ incolis Thomas Avioth Anglus.

Imò non animas modò ſupereſſe poſt mortem, conſenſus gentium fuit: ſed apud multas etiam reliquiæ fuere de nova cum corporibus conjunctione, quam reſurrectionem dicimus. Sed fædè eam corruperunt in illam,

lam, quam dixere μετεμψύχωσιν, quasi dicas *transanimationem*: item μετεμσωμάτωσιν, hoc est, *migrationem de corpore in corpus*: etiam παλιγγενεσίαν, sive *regenerationem*. Quæ non Pythagoreorum dunxtaxat, sed multarum etiam gentium opinio fuit, & admodum diffitarum. De Ægyptiis, testis Herodotus; à quibus etiam id hausisse Pythagoram, idem tradit. Zamolxis quoque, juxta Iulianum in Cæsaribus, idem docuit Getas; à quibus post mortem divino honore cultus fuit. In Galliis similiter Druidas sensisse, refert Cæsar in sexto. Deque Germanis idem prodit Appianus in Celticis. Sed magis mirandum, quod Pharisæis quoque hoc placuit: ut intelligentissimus ejus sectæ tradit Flavius Iosephus lib. XVIII Antiquit. cap. II, & de bello Iudaico lib. II, cap. VIII. Imò, ex multorum opinione, inde est, quòd Herodes Galilææ tetrarcha putârit, animam Ioannis Baptistæ, à se decollati, insinuasse se in corpus Iesu Christi; ut colligunt ex Matth. XIV, 2. Sed non potuit hoc Herodes putare de eo, quem non infantem, sed jam maturæ ætatis virum sciret. Vt Herodis potius opinio fuerit, sanctissimum virum, quem paullo ante ipse occiderat, divinitus esse resuscitatum à mortuis; quique antea non feciset miracula, nunc pro præmio hoc accepisse, quod eâ instructus esset potestate.

Verum ut fædus ille Pharisæorum erat error in populo Dei: ita longè fædior, quòd Saducæi immortalitatem animarum tollerent, qui tamen libros reciperent Mosaicos: in quorum initio legas Gen. I, 16: *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem.* Vbi non vita intelligi mortalis debet, qualis mutorum est animantium; sed ejusmodi, quâ secernantur ab iis, ac proinde, quæ, Dei instar, finem ignoret. Quippe apertè satis indicat Moses, animũ hominis, non, uti fit in rationis expertibus, eductam esse è potentia materiæ: sed extrinsecus advenisse; eoque immaterialem esse, & per se subsistere idoneam; à Deo autem unitam esse ac colligatam rei materiali & corporeæ; atque ita formam ejus factam esse, non quatenus corpus foret, cum nihil separabile possit esse forma corporis, quatenus est corpus; sed quatenus vitales edit actiones: unde & Aristoteles in definitione animæ non simpliciter dicit, esse actum corporis, sed potentiâ vitam habentis. Eam autem vitam, ratione animæ, finem nescire, arguit etiam, quòd Gen. I, 16. dicitur Deus condidisse hominem ad imaginem suam. Quippe imago illa immortalis Dei potissimum in eo consistit, quòd anima sit immortalis ac sempiterna. Et sanè nonne Enoch & Elias translati in alteram vitam? Nec mortui dicerentur dormire, nisi aliquando essent resuscitandi. At Iacobi est Gen. XLVII, 30, *Dormiam cum patribus meis.* Nec (quo argumento pugnat Christus *) nisi animæ supereressent, Deus, qui viven-

* *Matth.* 22, 32. *Mar.* 12, 26. *Luc.* 20, 37.

viventium non mortuorum est Deus, se Abrahæ, Isaaci, Iacobi, Deum diceret Exod. III, 6. Est & Bileami Num. XXIII, 10, *Moriatur anima mea morte piorum.* Vbi non tam tranquillam piorum mortem respexit, quàm felicitatem alterius vitæ. Nam pii sæpe miserè pereunt. Vti Abel ipse: qualem mortem non optâsset Bileam. Mitto cæteros Scripturæ codices: quando Saducæi Mosaicos solum libros habuere pro canonicis, & θεοπνεύστους *; alios autem, etsi non rejecerint, auctoritatis tamen longè inferioris putarint.

* *divinitus inspiratis.*

Opinio hæc Saducæorum demum cœpit post tempora Alexandri Magni; idque occasione eâ, quòd Antigonus Sochæus, Simeonis Iusti discipulus, dixisset, non esse serviendum Deo, spe præmii, aut mercedis. Hinc enim discipuli ejus, Sadok, & Baithos, occasionem cepere docendi, non esse post hanc vitam præmium, aut pœnam; quasi aliud voluisset Antigonus, quàm tantum in nobis esse debere divinæ majestatis, ac ipsius honesti amorem, ut nullo etiam præmii vel mercedis intuitu, Deo bonâ serviremus fide, ac nihil non essemus paratissimi sustinere.

Ex philosophis gentium hanc Saducæorum opinionem amplexi sunt Epicurei; imò longè deteriorem. Nam Saducæi agnoscebant Deum curare res humanas: quippe eum bonis bene facere in hac vita. Epicurei autem in totum tollebant providentiam divinam. Interea in eo illis convênit, quod putarint, animam cum corpore exstingui. Eademque in sententia fuit Dicæarchus Messenius, qui Epicuri hujus temporibus, imò paullo etiam antè claruit, Aristotelis auditor, philosophus, historicus, & orator egregius; sed qui summam fædarit eruditionem opinione ea, quod putârit, animum, vel temperamentum esse elementorum, vel nihil nisi nomen inane. Qua de re Cicero in primo Tuscul. Quæst. Plutarchus de plac. philos. Atticus Platonicus apud Eusebiũ †, & è nostris Tertullianus de anima cap. XV. Vbi ex medicis idem ait sensisse Andream, & Asclepiadem. Atque argumento hoc nobis fuerit, ne in humanæ quidem sapientiæ studiis proficere semper mortale genus; sed subinde etiam deficere. Quanto enim melius illi, qui primi philosophiæ semina in Græcis sparserunt! Thales dico, & Pherecydes; qui, eâdem ætate *, quinquaginta amplius Olympiadibus ante Epicurum, claruere. Quorum Thaletem quidem primum fuisse, qui animas doceret immortales, inter alios prodidit Chœrilus poeta †. At Cicero in primo Tuscul. quæst. ait Pherecydem primum hoc docuisse: posteaque hanc opinionem maximè confirmatam à Pythagora, ejus discipulo. Plutarchus quoque in primo de plac. phil. docet, heroes Thaleti, & Pythagoræ, esse κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων, ἢ ἀγαθὰς μὲν τὰς ἀγαθὰς· πονηρὰς δὲ, τὰς φαύλας· *animas à corporibus separatas,*

† *lib. 15 præparat. Euang. cap. 19.*

* *Laert. in Pherecyd.*

† *Laert. in Thalet.*

tas, bonorum quidem bonas, at malorum malas. Ita videmus, quid ſenſerint duæ principum ſectarum conditores; Ionicæ quidem auctor Thales, Italicæ autem Pythagoras.

Subjungit deinde Plutarchus, idem de heroibus Platonem ſenſiſſe, & Stoicos. Quorum Plato apertè immortalitatem animæ docet in Phædone, Phædro, Philebo, Timæo, Menone, libris de Rep. item ad Syracuſanos, & alios epiſtolis. Ac in Phædone quidem priùs oſtendit Socrates, animas ſupereſſe corporibus; poſtea verò, quia ſuſpicionem moverat Cebes, quaſi longævæ, nec tamen ſempiternæ forent, docere aggreditur, eas nunquam interire. Quæſtiones eas, uti dixi, diſtinxit his verbis Plato *: * *pag. 91, edit. H. Steph.*

Κέβης δέ μοι ἔδοξε τοῦτο μὲν ἐμοὶ ξυγχωρεῖν, πολυχρονιώτερόν γε εἶναι ψυχὴν σώματος· ἀλλὰ τόδε ἄδηλον παντί, μὴ πολλὰ δὴ σώματα ἡ πολλάκις καταρρίψασα ἡ ψυχὴ, τελευταῖον, σῶμα καταλιποῦσα νεῷ αὐτὴ ἀπολλύηται· καὶ ἢ αὐτὸ τοῦτο θάνατος, ψυχῆς ὄλεθρος· ἐπεὶ σῶμά γ' ἀεὶ ἀπολλύμενον οὐδέν πω ἀπόλλυται. *Cebes autem hoc mihi equidem concedere videtur, animum corpore diuturniorem eſſe: verùm hoc cuivis incertum remanere, num animus, multis corporibus conſumtis, certo quodam tempore & ipſe, corpus ultimum deponens, intereat, atque aboleatur; illudque nimirum eſſe mortem, animi perniciem, atque exitium: quandoquidem corpus ipſum non deſinit quidem unquam interire.* Satis liquet, ſcrupulum iſtum Cebetis provenire ex dogmate de μετεμψυχώσει †. Metuit enim, ne animæ aliquando nullum obtingat corpus, in quod migret: atque ita tandem & ipſa pereat. Itaque neceſſe habuit Socrates novam ordiri diſputationem ad comprobandum, animam non ſolùm eſſe longævam, ſed etiam ſempiternam. Sed ſanè nihil opus erat hoc ſcrupulo Cebetis, ſive Platonis. Nam etiam, ex doctrina ejus, non gemina, ſed ſimplex ea quæſtio erat. Quippe ab eadem cauſſa eſt, quòd anima corpori ſupereſt, & quod non interit. Puta quia ſit ſpiritualis, &, ut Plato loquitur, αὐτοκίνητος ‡. Qua voce quid voluerit, optimè exponit Alcinous de doctrina Platonis cap. xxv: Αὐτοκίνητον δέ φησι τὴν ψυχὴν, ὅτι σύμφυτον ἔχει τὸ ζωὴν, ἀεὶ ἐνεργοῦσαν καθ' αὑτήν· *Per ſe mobilem ait animam, quoniam innatam habet vitam, ſuâ vi operantem.*

† *transanimatione.*

‡ *ſeſe movens.*

In Platonis etiam ſententiam proclivior eſt Ariſtoteles. Vtcunque enim in primo de Anima reprehendat illud αὐτοκίνητον *: tamen non aliud ipſe docet, moréque ſuo in magiſtro magis impugnat, quod dixit, quàm quod ſenſit. Atque hoc jam olim vidit Albertus M. libro de Origine animæ: liquidiùs verò demonſtratum iis, qui in Platone & Ariſtotele conciliando operam poſuerunt. Ac vel ſola id evincit Alcinoi interpretatio, quam proximè adduximus. Eſſe autem animam ſpiritualem, & ſeparabilem à corpore, non uno loco traditur ab Ariſtotele. Vti tertio de Anima, ubi eam ait ἀπαθῆ † καὶ ἀμιγῆ εἶναι· *paſſionis eſſe ac mixturæ expertem.*

* *per ſe mobile.*

† *textu 4.*

Pulcherrimè etiam ibidem ait * : Τὸ μὲν αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος· ὁ δὲ νοῦς χωριστός· *sentiendi actus non est citra corpus : sed mens ab eo est separabilis.* Itē †, Χωριστὸς δέ ἐστι μόνον, τοῦτ' ὅπερ ἐστι, & τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀίδιον· *Animus solus est separatus, quicquid est : & hoc solum est immortale & sempiternum.* Quibus similia habet eodem libro *: item in primo †, & secundo * ejus operis. Præterea his consentaneum est illud lib. 11 de animalium generatione cap. 111 : Τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια· *solam mentem extrinsecus advenire, divinam esse solam, neque cum ejus actione actionem corporis ullam habere communionem.* Etiam in XII † Metaphys. legas, quæ idem confirment. Vt mirum sit, Alexandrum Aphrodiseum, quo nemo alioqui Aristotelis mentem melius assequi solet, contrariam opinionem magistro tribuisse. Vti & ab Ænea Gazæo * factum; è junioribus autem à Petro Pomponatio libro de Immortalitate animæ, & Simone Portio lib. de mente humana. Sed istis à multis est occursum : Pomponatio quidem, à Contareno, libro de animæ immortalitate, sic tamen ut nomini Pomponatii parcat : Portio autem à M. Antonio Natta libro ejusdem argumenti, & Iacobo Ant. Marta Neapolit. apologià contra Portium : utrique verò, sed priùs Portio, postea præceptori suo Pomponatio, ab Antonio Mirandulano, episcopo Casentino, libro XXXV singularis certaminis, & quinque sequentibus. Post quos alii etiam argumentum hoc tractarunt ; in his Iacobus Naclantus, Clodiensis episcopus, & Iulius Castellanus Faventinus; ut præteream eos, qui in Aristotelis libros de Anima scripsere. Sunt qui, mediam insistentes viam, putarint, dubiam fuisse Aristotelis sententiam : ut Scotus, Hervæus, Niphus. Nec valde repugno. Propter ea tamen, quæ adduxi, in meliorem censeo sententiam magis inclinâsse.

A Peripateticis ad Stoicos venio; qui pro fabulis quidem habuere, quæ poetæ referrent de Cocyto, Pyriphlegetonte, & cæteris inferorum locis ; ut videre est ex Seneca ad Marciam cap. XIX, & Epicteto apud Arrianum lib. 111 Dissertat. cap. XIII : interea tamen putabant, bonis bene esse post hanc vitam, malis male. Animas enim sapientum, hoc est, eorum, qui rationi convenienter vixissent, evolare ad loca Lunæ proxima, atque istic se contemplatione cælestium oblectare : animas autem insipientum, hoc est, eorum, qui affectibus morem gesserint, si ex vita anteacta spes appareat bonæ eas frugis evadere posse, circa terras errare, usque dum meliùs edoctæ, atque à vitiis purgatæ, altiùs & ipsæ subvolent : at prorsus sceleſtas demitti in loca, ubi suorum scelerum condignas luant pœnas. Quæ cognoscere est, cùm ex aliis, tum Tertulliano de anima cap. LIV, & Lactantio lib. VII, cap. VII. Interea non possum diffiteri, Stoicos non

* *text.* 7.

† *textu* 19, & 20.

* *text.* 6, 15, 18, 51.

‡ *textu* 65, & 66, *item* 82, & 92.

* *text.* 11, & 21.

† *text.* 17, & 51.

* *in Theophraste.*

non tam putâſſe animas immortales, quàm longævas. Hoc liquet ex illis Laertii verbis in Zenone: Τὰς ψυχὰς μὴ θάνατον ὑπομένειν, φθαρτὰς δὲ εἶναι· *animam à morte permanere, attamen tandem corrumpi.* Et his M. Tullii in primo Tuſcul. Qu. *Stoici uſuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu manſuros animos ajunt; ſemper negant.* Nimirum voluëre, ipſas ſapientum animas non durare, niſi uſque ad ἐκπύρωσιν * univerſi: tunc enim reſolvi omnia in initia ſua, & antiqua elementa: hoc eſt Iovem, ſive divinam mentem, ſive etiam animam univerſi, vel mundanam; humanarum, imò omnium animarum originem. Ab illo enim ſpiritu omnes ſpiritus flamine vel evaporatione quadam eſſe exſpiratos: ab illo fonte vitali, quicquid vitam haberet, promanâſſe. Proinde non ſolum eſſe à Deo, ſed etiam ex Deo: non κατ' ἀπάρτησιν †, & imminutione aliquâ divinæ ſubſtantiæ; ſed κατ' ἔκτασιν *, ſive ejus emiſſione; quo pacto lux à Sole diffunditur abſque ejus noxa. Hoc pacto Stoicorum ſententiam optimè Philo Iudæus expreſſit libro, Quod deterius potiori inſidietur: item ſuppoſiticius ille ſemiplatonicus, idemque ſemichriſtianus, eruditus interim ſcriptor, qui vulgo dicitur Hermes Triſmegiſtus, Pœmandri cap. x, & xii. In hunc igitur vitæ fontem redire, in hunc ſpiritum reſolvi putarunt, quicquid vitalem ſpiritum haberet. Atque hæc de longæva animarum vita Numenii etiam opinio erat; ut ex Euſebio de Præpar. Euangel. cognoſcere eſt. Quidam verò Stoici ſtultè adeò ſapiebant, ut magnas etiam animas mox ab exceſſu perire poſſe arbitrarentur: idque vel ſubmerſione, quia animæ eſſent igneæ, ignis verò aquis exſtinguatur; unde heroes, ſi Servium ‡ audimus, ſic ſubmergi formidant: vel obtritione, ſi ruinâ montis, vel alio magno pondere contererentur; quomodo putant animam diſſipari, quia non reperit viam, quâ ad cognata meet ſidera. Sed hæc ſententia diſplicuit L. Senecæ epiſt. lvii: ubi animam, ſic quoque pondere preſſam, ſubtilitate ſuâ cenſet erumpere.

* *conflagrationem.*

† *per abſciſſionem.*

* *per protenſionem, ſive dilatationem.*

‡ *in* 1 *Æn.*

Diximus hactenus de traditione primæva, & ſententiis veterum philoſophorum. Pauca ſubjungam de rationibus, quibus, naturæ etiam luce, gentiles cognovere, animas corporibus ſupereſſe, atque adeò eſſe immortales. Ac quæ Platonem quidem impulerint, docet Marſilius Ficinus in Theologia Platonica de immortalitate animæ, quam libris duodeviginti ad Laurentium Medicen perſcripſit. Præcipua tanto antè complexus fuit Alcinous de doctrina Platonica cap. xxv. Sunt alia aliis magis veriſimilia: invictum illud immortalitatis argumentum, quod anima ſit αὐτοκίνητος *: putidum autem falſumque, quod ſcire noſtrum nihil aliud ſit, quàm reminiſci, eoque neceſſe ſit, fuiſſe animas, priuſquam in corpora immittantur. De αὐτοκινήτῳ, quia longioris ea res conſiderationis, poſtremo

* *per ſe mobile.*

ſtremo loco dicam. Primum autem providentiæ dabo divinæ; cui repugnat, ut in hac vita bonis malè, malis bene ſit; nec poſt hanc vitam vita ſit altera, ubi proborum animæ conſequantur mercedem, improborum illæ juſtas luant pœnas. Robur hujus argumenti attendit Dionyſius Halicarnaſſenſis Antiquitatum Romanarum libro octavo: ubi, de C. Coriolano agens, ſic ſcribit: Εἰ μὲν ἅμα τοῖς σώμασι διαλυομένοις καὶ τὸ τῆς ψυχῆς, ὅ τι δή ποτέ ἐστιν ἔτι· οὐκ οἶδ' ὅπως μακαρίους ὑποβάλλω τοὺς μηδὲν ἀπολαύσοντας τῆς ἀρετῆς ἀγαθὸν, δι' αὐτὴν δὲ ταύτην ἀπολομένους. *Si igitur ſoluta compage corporis, ſimul etiam illa animæ, quæcunque tandem ea eſt, interit, & in nihilum redigitur: haut video, quomodo beatos credere debeam, qui nullo ex virtute fructu percepto, etiam propter eam pereunt.* Sed rationem hanc non ulteriùs urgere auſus eſt Dionyſius, quàm ut probet, ſapientum animas poſt mortem ſupereſſe; non item ut ſint æternæ: quia exiſtimaret, præmii abunde rependi, ſi longo durent ævo, & in terris ſemper celebrentur. Quæ ſatis docent, Dionyſium in Stoicorum hæreſi fuiſſe.

Ad alterum venio argumentum, quòd anima naturæ ſit ſpiritualis; in qua nulla eſt pugna primarum qualitatum; cujuſmodi pugna corruptionis eſt cauſſa. Nec obſtat, quòd Stoici per ſpiritum intellexere corpus igneæ naturæ. Nam iis Deus quoque eſt corpus ſpirituale ac igneum; idque πυρίως *: nō κατὰ μεταφορὰν †, quomodo Prudentius Cathemer. x ait; — *Deus ignee fons animarum*: quod propriè aliquis è porticu acciperet. Nec magis movet, quòd multi, etiam è veteribus Theologis noſtris, diſertim animas dicunt corporeas: ut Fauſtus de creat. lib. 11, Paſchaſius Diaconus lib. 11 de Spiritu S. imò omnes illi, qui angelos corporeos ſtatuerunt. Quippe hi, ut vidimus, ſolum corporeas credunt, comparatione Dei: ut & Sixto Senenſi monitum lib. VI, Annot. XXXVI. Et ſanè non eſſe animas ex elementis, quod Alexander Aphrodiſeus exiſtimabat, ex mirandis ejus effectis relucet. Longè enim illa excedunt omnem elementorum vim. Vt quòd ea intelligit præſentia, præſcit futura, liberè eligit, aut reſpicit, ingenito appetitu ſemper ſcire deſiderat, ſcientiâque illâ perfici ſe ſentit, ſeſe etiam momento per omnia circumfert, imò nullo terrarum ſpacio, nec cælis ipſis circumſcribitur, ſed ea ipſa excedens ad Vniverſi, ſuique auctorem adſcendit.

* *propriè.*
† *per tranſlationem.*

Sed imprimis magnum habet pondus ratio, quam è Platone, & Ariſtotele, antea attigimus: tanti verò eſt, ut nunc aliquantum ei, ut recepimus, immoremur. Si anima ejuſmodi eſt corporis humani forma, ut per ſe, ſine corpore, poſſit operari; habebit in ſeſe principium agendi. At omnis agendi vis fluit ex vi, quâ res eſt. Habebit igitur & in ſe principium, quo ſit: ac proinde principium illud habebit, licet à corpore ſeparetur. Vnde conſe-

consequitur, duplicis animam esse naturæ, ut actus est corporis, & ut substantia est separabilis. Priori modo considerata exercet actus corporales per corpus : posteriori modo, citra corporis organum, munia obit spiritualia ; estque separabilis, & sempiterna. Quod separata non operetur actus corporales, defectu non animæ fit, sed organi : ut similis sit fabro qui caret malleo, serrâ, & aliis instrumentis. Interim eos exserit actus, ad quos non opus est corporis instrumento. Vim argumenti hujus etiam vident, qui animam negant superesse corporibus : sed non hoc admittunt nobiscum, animam ejus esse naturæ, ut agere possit sine corpore. Volunt enim, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu; inque formandis conceptibus opus esse phantasmatis, tum in speciebus recipiendis, tum in earum usu. Sed neq; nos negamus, animã sensibilia omnia materialiter, ac cum phantasmate apprehendere : sed contendimus, dijudicare ea immaterialiter : quippe quæ sæpe statuat contra judicium ejus, quod sensui apparet. Vt cum ratio sive intellectus decernit, stellam esse multis partibus majorem orbe terrarum. Item cum discernit immaterialia à materialibus : inque iis ipsis, quæ materiem habent, secernit colorem, figuram, ac similes rei corporalis & sensibilis affectiones. Nec in solo hæc intellectu apparet, sed etiam in voluntate : ut cùm ea voluptates ac sensibus grata repudiat, contráque eligit iis ingrata adversáque. Quale est, cùm exquisitissimis deliciis cilicium præfert ac jejunium.

Idem aliter quoque evincitur. Nam si intellectus solum considerat sensibilia & caduca : unde in nobis cogitatio de divinis, & spiritualibus ? unde eorum amor ac desiderium ? Si enim omnes nati essent cæci, vel surdi, quis cogitaret de coloribus, aut sonis ? Nunc nulla re magis oblectatur animus humanus, quam speculando Deum, tanquam rem optimam & pulcherrimam ; item intelligentias, sive angelos. De immortalitate etiam sui disquirit, hanc sperat optátque ; imò in optimis ac sapientissimis quibusque pro indubia habet. Quid igitur apertius, quàm esse in nobis principium spirituale ac æternum, unde actus isti promanent ?

Atque hæc etiam assecuti sunt gentiles. Longè verò ea certius prospiciunt, qui Deum colunt Israelis, Christoque nomen dederunt. Nobis quippe in hac etiam vita esse actus intellectus, qui à sensibus non dependeant ; liquet ex revelationibus illis, quæ intellectuales dicuntur. Explicat hanc rem Tostatus, Abulensis episcopus, cùm alibi, tum lib. 1, sive III Regum cap. IX, quæst. II : ubi quadruplicem Dei apparitionem declarat. Primus est, cùm Deus, sive angelus ejus, videtur in figura adsumta : quomodo apparuit Gedeoni, Iud. VI : item Manue, & uxori ejus, Iud. XIII. Alter est, cùm non videtur, sed solum auditur ; quo pacto Deus so-

lum auditus Iſraelitis, cum Legem daret; ut eſt Exod. xx, Deut.v: item cùm Moſi loqueretur de Propitiatorio; ut eſt Num.vii: cumque ter vocaret Samuelem, is verò ab Heli ſe vocari arbitraretur; de quo i ſive iii Reg. cap.iii. Tertius modus eſt, quando viſus quidem & auditus excluduntur, at non interior imaginationis ſenſus; velut cum vigilantium phantaſiæ ſe inſinuat per ſimulachra, vel etiam idem facit ſomno oppreſſis: unde Num.xii,6; *Siquis eſt Propheta Domini inter vos, aut viſione apparebo ei, aut per ſomnium loquar ad eum.* Atque huc referuntur apparitiones, quæ noctu factæ dicuntur: ut Abimelecho regi Gerar, Geneſ. xx; Iacob in Ægyptum eunti, Gen.xlvi; Danieli, Dan.vii. Quartus verò ſolus eſt hujus loci, cùm non exterior modò, ſed interior etiam ſenſus excluditur, Deo elevante intellectum ad ea cognoſcenda, quæ aliter nequeat intelligere: quod cum fit, partim ſpecies, quas Deus invenit in intellectu, nova luce afficit, inque ſublimiorem ſtatum effert: partim, quas non invenit, creat, & infundit. Atque is quartus modus Toſtato eſt duplex: unus citra extaſin ſive raptum, alter cum extaſi. In priori homines vivere apertum eſt, imò & exterius videre, & audire: interim ad ea, quæ interiùs revelantur à Deo, non indigent corporis ſubſidio, quia Deus ſolum occupet intellectum: contrà quàm fit in communi ratione intelligendi, ubi primùm res incurrit in ſenſus, hinc ſpecies tranſmittitur ad phantaſiam, tum dirigitur ad intellectum agentem, qui abſtrahit à conditionibus materiæ, atque intelligibiles efformat ſpecies, quas ubi ſic præparavit, intellectui poſſibili offert, ut qui intellectus erat potentiâ, fiat intellectus actu. At in revelatione Dei intellectuali non ſunt hi gradus; ſed Deus primò ſe inſinuat in intellectum: qui citra ſenſuum auxilium loquentem audit ſive intelligit Deum.

Et talis eſt revelatio intellectualis citra extaſin. In ea verò, quæ eſt cùm extaſi, minus etiam ſenſuum ullum eſt miniſterium. Siquidem intellectus ſibi relinquitur, nec ſenſibus vel externis, vel internis, magis juvatur, quàm ſi extra corpus foret. Solum animus hoc præſtat, ut tum vitam conſervet, tum divinâ revelatione ſe occupet, à cæteris verò occupationibus vacet: unde eſt, quod B. Apoſtolus *, ad tertium raptus cælum, neſcierit, utrum in corpore, an extra corpus, raptus foret in paradiſum. Interea, ne miracula fruſtra multiplicentur, aliquanto, ut arbitror, veriſimilius eſt, animam non exceſſiſſe corpore; ſed ſolum virtute divina ad contemplanda cæleſtia fuiſſe elevatam. Sed ut ea in corpore remanſerit; non tamen per ſenſus corporeos & phantaſmata vidit, quæ divinitus offerebantur. Alioqui, ſe eſſe in corpore, Apoſtolus ſciviſſet. Atque hæc ſufficiant ad probandum, poſſe animam ſine corporis inſtrumento intelligere

* 2 Cor.c.12, v.2,3,4.

gere & velle. Aliquando ulterius provectus sum ad exstasin sanctorum. Sed ut eam nescierint gentiles, scivere actus alios antea memoratos, qui cum corpore non communicent. Atque id præter consensum gentium abunde erat, ut viderent, verissimam esse traditionem de animæ immortalitate.

CAPVT XI.

Venitur ad cultum animarũ. Qui ab antiquis Persis, & Afris, non est agnitus. Contrà autẽ solus ab Augilis receptus, si Melam & Plinium audimus. Sed perperam ab iis Augilis, sive Augilitis tributum, quod de Nasamonibus dixerat Herodotus. Politiani & aliorum error de Nymphodori Tisinomis. In plerarumque omnium gentium cultu concurrere illum, qui naturæ, quique præstitus defunctis; atque ut sacerdotes callidè occultarint, homines fuisse, qui colerentur. Euhemerum id luculente comprobâsse, agnovisse etiam Varronem. Animarum cultum partim introductum auctoritate privatâ, partim publicâ. Quo pacto discernantur Lemures, Lares, Larvæ, Manes: & unde iis nomen. Arcadum χθονιοὶ, unde χθονὸς ποιεῖν. Quæ Lara vel Larunda, vel Mania. Denicalia ab Novemdialibus & Exverris diversa. Vt aliter iis in foco, aliter in compitis sacrificaretur. Atque ut non solum domi præsidere crediti sint; sed & compitis ac viis, imò & mœnibus, ac custodiæ Vrbis.

AB immortalitate animæ venio ad ejus cultum : qui septimum obtinet locum in decem idololatrici honoris generibus, ab Isaac Abravanel recensitis. Triplicem verò de hoc cultu opinionem reperio. Nam, si exceperis τὸς τὴν μοναρχίαν σέβοντας, puta, qui solum Israelis Deum colerent; cæteri vel adorabant naturales Deos, non animales : vel animales, non naturales : vel in unum conflabant cultum utrumque. Naturales autem appello, quando vel tota rerum natura, vel ejus pars, aut affectio invocatur. Cujusmodi Dii sunt, Mundus, Æther, Sol, Aer, Aqua, Tellus, Tempestas, Amor, & similes. Animales nuncupo animas à corpore solutas; uti illas Herculis Thebani, Castoris, Romuli, Iulii Cæsaris, atq; alias.

Primi generis cultus erat Persis, saltem antiquissimis; quos naturam quidem, ejusque partes, non tamen defunctos, adorâsse; cognoscimus ex illis Herodoti verbis in primo : Οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμιζον τὸς θεὸς, καλάπερ οἱ Ελλῆνες, εἶναι· *non, uti Græci, Deos censent ex hominibus esse ortos.* De Afris idem in IV : Θύουσιν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ μόνοισι· *Sacrificant solis Soli & Lunæ.*

Contrà solas defunctorum animas Augilæ agnoscebant, gens Africæ inter Garamantas, & Troglodytas; de qua sic Pomponius Mela lib. 1, cap. VIII : *Augilæ Manes tantum Deos putant; per eos dejerant; eos, ut oracula, consulunt;*

lunt; precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia. Eumque secutus Plinius lib. v Histor. Nat. cap. VIII: *Augilæ inferos tantùm colunt.* Vbi per *inferos* intellige, quos *Manes* dixerat Mela. Eum enim expressit. *Inferi* autem dicti, ut Græcis θεοὶ καταχθόνιοι. Itaque *superis* opposuit Maro in XII: — *Vos ô mihi manes*

Este boni, quoniam superis aversa voluntas.

Atque uti Plinium Mela, ita is secutus Herodotum; sed non citra errorem. Nam quod Mela de Augilis, id Herodotus dixerat de Nasamonibus, Africæ item populo; diverso tamen, cum Herodotus dicat, Nasamones ad Augilas, sive ut apud Herodotum est, ἐς Αἴγιλα, solitos adscendere ad palmulas decerpendas. Præterea utrumque de Nasamonibus quidem prodiderat Herodotus: sed distinxerat ille inter eos, qui virtutis exemplum, & illos, qui generis origo forent. Quippe per eos ait jurare solitos, qui fortitudine ac justitiâ excelluissent, atque id tumulos eorum contingendo: at majorum eos sepulchris incubuisse, somnia habentes pro numinis responso. Audiamus ipsum in Melpomene loquentem: Ομνύουσι μὲν τοὺς παρὰ σφίσι ἄνδρας δικαιοτάτους, καὶ ἀρίστους λεγομένους γενέσθαι τῶν τύμβων ἁψάμενοι. μαντεύονται δὲ ἐπὶ τῶν προγόνων φοιτέοντες τὰ σώματα, καὶ κατευξάμενοι ἐπικατακοιμέονται· *Per eos viros, qui justissimi, atque optimi apud illos fuisse dicuntur, jurant, illorum sepulcra tangentes. Divinant ad suorum accedentes monumenta, & illis, ubi preces peregerunt, indormiunt; ubi, quodcunque per quietem insomnium viderunt, eo utuntur.* Tertullianus de Anima cap. LVII: *Nam & Nasamonas propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare; ut Heraclides scribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus.* Vbi videmus, Herodoto testes addi Heraclidem, Ponticum credo; & Nymphodorum Amphipolitem, qui de legibus & ritibus barbaricis scripsit: uti refert Clemens Alexandrinus Admonitione ad gentes, & primo Στρωματέων: item Apollonii scholiastes, cui semel iterumque laudatur ἔν τισι νόμοις: unde citatur multis, in *Tisinomis*: &, quod doleo, præeunte summo viro, Angelo Politiano lib. I, epist. ad Pomponium Lætum, sive veteri nomine Petrum Calabrum malis dicere. Hæc fusiùs deduxi, ne de Augilis nos fallerent Mela, ac Plinius. Porrò Nasamones coluisse solos manes, non item superos, arguit & locus ille Dionysii in periegesi:

Κεῖνον δ' ἂν περὶ χῶρον ἐρημωθέντα μέλαθρα
Ανδρῶν ἀθρήσειας ἀποφθιμένων Ναταμώνων,
Οὓς Διὸς οὐκ ἀλέγοντας ἀπώλεσεν Αὔτονις αἰχμή.

Quæ sic binis versibus expressit Priscianus:

Hos licet ad fines desertas cernere terras,
Extinctis populis Nasamonum Marte Latino.

Sed

Sed deest interpretatio eorum, quòd poeta eos vocat Διὸς ἀλέγοντας. Id ita simplicissimè expresseris:

Quòd Iovis, aut divûm, nulla illos cura teneret.

Mirum etiam Festum Avienum ad verba hæc non attendisse; cùm vel maximè intersit, caussam sciri interitus. Eam hanc adfert Dionysius, quòd, Manium cultu contenti, nullo Iovem, ac superos, honore dignarentur. Quæ optimè conveniunt menti Melæ, ac Plinii: hoc solo excepto, quod hunc Iovis contemtum finitimæ tribuant nationi Augilarum, sive, ut Stephanus * vocare mavult, Augilitarum. Quomodo & videri poterant Mela, ac Plinius, scripsisse; nisi omnium obstaret codicum auctoritas. Et hæc de iis, qui solos colerent Manes.

* in Αὐγιλαι

Sed, si paucas exceperis gentes, quæcunque animas colerent, hæ fere & naturæ cultum conjunxere. Vnde eorum Theologia erat bipartita: quippe omnia eorum sacra partim naturæ mysteriis, partim historiæ veteri, innitebantur. *Neque enim credendum est*, ut rectè Arnobius ait in quincto, *sine suis originibus hæc esse frustra, atque inania fieri; nec habere conjunctas primis institutionibus caussas.* Eas caussas exponit Origenes lib. VIII contra Celsum †, Εορταὶ, inquit, ἐλέγχονται ὅσαι ἀναπλάσματα τῶν ὅπως ποτὲ ἔτυχε διά τινας ἱστορίας ἀνθρωπικὰς ταῦτα νομοθετησάντων, ἢ καὶ φυσιολογίας περὶ ὕδατος, ἢ γῆς, ἢ τῶν ἀπ' αὐτῆς καρπῶν δοκούντων περιέχειν. *Festa deprehenduntur esse figmenta ad humanæ historiæ memoriam ab legislatoribus inducta, vel ut naturam aquæ, terræ, vel ejus fructuum, tegmento quodam involutam continerent.* Quod inferiùs in mixto cultu uberiùs exponam. Nunc duntaxat dispiciendum de veneratione animarum, quatenus seorsim colebantur. Qui cultus unde originem traxerit, ostendit liber Sapientiæ, Salomoni à multis etiam veterum attributus, cum sine dubio alterius sit, &, ut credibile, Philonis; non illius, qui Claudii vixit ætate, & Moses Atticissans dictus fuit; sed longè vetustioris, qui sub Onia sacerdote, annis ante Christum CLX, tot pulcras sententias vel scripserit, vel congesserit. Locus est cap. XIV: ubi clarè videas, initia ab iis arcessi, qui cultum hunc induxerint solatii, & memoriæ caussa. Eamque originem adfert quoque Minucius Felix in Octavio: *Dum reges suos colunt religiosè, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quæ fuerant assumta solatia.* Etiam judicatum facere hoc ad virtutem in viventibus magis excitandam. Quam rationem adfert Tull. lib. III de Nat. Deorum. Ex solatiis verò, & memoriis, tum facta sunt sacra, quando additus est dies festus, populoque persuasum, animam defuncti sacris interesse. Sed hoc arcanum erat sacerdotum, & sapientum: quod detegere vulgò nefarium fuisset. Vnde Cyprianus tractatu, Quod idola Dei non sunt: *Hoc ita esse*

† p. 403, edit. Aug. Vindel.

Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis, proditum sibi de diis hominibus à sacerdote secretum, quod majorum, & regum memoria servata sit : inde colendi & sacrificandi ritus inoleverit. Nempe hujusmodi sacrorum originem callidè dissimulabant sacerdotes apud vulgus. Vnde Varro in rerum Romanarum libris, ut testis nobis B. Augustinus de Civ. Dei lib. XVIII, cap. V : *Quoniam verò in omnibus templis, ubi colebatur Isis, & Serapis, erat etiam simulachrum, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentia fierent ; hoc significant, ut homines eos fuisse taceretur.*

Et profectò priùs homines fuisse, clarè in commentario suo de Diis evicit Euhemerus Messenius; uti ostendi in primo de historicis Græcis. Eum quidem, ut impostorem, fugillat Plutarchus libro de Iside, & Osiride. Sed longè benigniùs hac parte de eo sensit B. Augustinus lib. VI de Civit. Dei cap. VII : *Omnes*, inquit, *Deos non fabulosâ garrulitate ; sed historicâ diligentiâ, homines fuisse, mortalesque, conscripsit.* Ac prorsus subscribit in hoc Varro : ut docent ista ejusdem B. Augustini libro VIII ejusce operis cap. XXVI, his verbis : *Non attendunt, in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri, Deos, qui non homines fuerint : omnibus tamen honores student exhibere divinos, quasi nihil unquam humanitatis habuerint. Omitto, quòd Varro dicit, omnes ab his mortuos existimari manes Deos : & probat per ea sacra, quæ omnibus fere exhibentur mortuis; ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc sit maximum divinitatis indicium, quòd non soleant ludi, nisi numinibus, celebrari.* Subjungit deinde similia ex Hermete Trismegisto. Sed cur ea non sint antiqui illius Hermetis Ægyptii, quem putant, abunde alibi ostendimus.

Atque hæc universe de cultu defunctorum. Est verò is duûm generum : quia animarum aliæ privatâ colebantur auctoritate ; aliæ publica ; ut quæ regiâ, vel optimatium, aut populi auctoritate in Deos relatæ forent. Priori modo venerabantur Lares : de quibus sic Appulejus, lib. de Deo Socratis : *Secundo signatu species dæmonum animus humanus, exutus * & liber stipendiis vitæ, corpore suo abjuratis. Hunc vetere Latinâ linguâ reperio Lemurem dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui, posteriorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris. Qui verò, propter adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus incerta, vagatione, ceu quodam exilio, punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterùm noxium malis, id genus plerique Larvas perhibent. Cùm verò incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrùm Lar sit, an Larva ; nomine Manem Deum nuncupant : & honoris gratiâ Dei vocabulum additum est.* Vbi quadruplicem videmus appellationem, *Lemurum, Larium, Larvarum,* & *Manium. Lemures* sine dubio vox Thusca : non à Remo, quod Ovidius † putabat. Hinc *Lemuria*, sive Festo *Lemuralia* in *Faba*. Itidem *Laris* vox à Thuscis ; quibus sic dicitur φροσάτης, sive præses :

* *Al.* emeritus stipendiis vitæ, corpore suo abjurans.

† *Fast. lib. 5.*

præses : unde iisdem *Lars*, populi princeps, apud Livium & Ausonium. Vt dicti sint *Lares*, quia domus sive familiæ sint præsides; unde & Priscianus *Larem* exponit καλοικίδιον θεόν. Mater eorum *Lara*, vel etiam *Larunda*; ut testis Lactantius lib. I, cap. XX. Gloss. Philox. *Larunda*, μήτηρ δαιμόνων. *Larva* ejusdem originis. Ac licet *lemurem* laxiùs patere dicat Appulejus : tamen magis placet sententia eorum, quos secutus Augustinus lib. IX de Civit. Dei cap. XI; ubi *larvas*, & *lemures*, eosdem dicit. *Manes*, boni ominis caussa, juxta linguam veterem, vocati quasi boni. Nam *manis*, & *manus*, idem ac *bonus*; teste Servio in III Æn. Vnde *mane*, quia optima sit diei pars, & contrarium *immanis*. *Mania* similiter Manium mater aviáve; ut discere est ex Festo, & Macrobio lib. I Sat. cap. VII. Nempe à *manibus Mania* dicebatur, ut à *Laribus*, *Lara*, & *Larunda*. Quod verò *manes* dixere, factum à Latinis exemplo Arcadum; unde magnam partem genus dicebant. Hi enim vocarunt χρηστὸς, quod idem valet ac *manes* sive *bonos*. Fundus nobis hujus rei Plutarchus in Quæstionibus Græcanicis; ubi, cùm quæsitum esset, qui Arcadibus, & Lacedæmoniis, fuerint χρηστοὶ, docet, in columna ab iis posita ad Alpheum, scriptum fuisse, Μεσσηνίους ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς χώρας, ἢ μὴ ἐξεῖναι χρηστὸς ποιεῖν· *Messenios ne liceat regione pellere, vel bonos facere.* Addit deinde, Aristotelem, χρηστὸς ποιεῖν, exponere, *non interficere :* ut satis liqueat, ad verbum sonare, *manes facere.*

Sacris quibusdam opus fuisse, ut animæ fierent Dii, indicant Servii ista ad III Æn. *Labeo in libris, qui appellantur de diis, quibus origo animalis est, ait, esse quædam sacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hi autem sunt Dii penates, & viales.* Vbi *Dii penates*, & *viales*, non alii, quàm *Lares*. Itaque in Philoxeni quidem glossis utrumque legas, *Lares*, θεοὶ καλοικίδιοι : *Lares familiares*, Ηρωες καλοικίδιοι : ac postea, *Penates*, Πατρῷοι θεοὶ, καλοικίδιοι. *Viales* autem Plautus appellat Mercat. Act. V, Sc. II. Colebantur Lares feriis Denicalibus; quæ privatæ erant; ut rectè docet Festus. *Privatæ*, inquit, *feriæ vocantur sacrorum propriorum; velut dies natales, operationis, denecales.* Meminit & earum Columella lib. II, cap. XXII. Planè autem confundi solent, præeunte etiam Festo, sive Paullo potius *, cum novendiali sacrificio, & exverris : quorum illud sic dicebatur, quia fieret nono die à morte, quo parentatio sive funerationis sollemnia concludebantur † : his verò nomen inde, quòd certo scoparum genere, domus, unde mortuus erat elatus, ab everriatore ‡ purgaretur. Hæc nonnisi semel fiebant, quia semel duntaxat homo mortem obiret. At denicales fiebant quotannis; unde & *feriæ* dictæ. De his ita Cicero in secundo de Legibus : *Nec verò tam Denicales, quæ à nece appellatæ sunt, quia resident mortui, quam cæterorum cælestium quieti, dies feriæ nominarentur,*

* *in* Denecales.

† *Appul. 9 Met. Donat. in Phor. Porphyr. in Hor. Epod. 17.*

‡ *Festus in* Everriator.

rentur, nisi majores eos, qui ex hac vita migrassent, in Deorum numero esse voluissent. Eas in eos dies conferre jus, quibus nec ipsius, nec publicæ feriæ sint. Vnde discimus, *denicales*, sive *denecales*, dici à *denecando*. Item iis mortuos *residere*, hoc est, sedendo & quiescendo coli: quomodo &, *residere ferias esuriales*, dixit Plautus Captivis Act. III, sc. I, hoc est, ferias agitare esuritionis. Præterea hinc videmus, animas creditum à morte in Deos referri; quod deinceps abunde demonstrabimus. Denique hinc liquet, sacrum esse iis factum quotannis: cui qui obstringeretur (nec enim sumtibus iis hæres omnis obligatus; ut docet proverbium, *sine sacris hæreditas*, de quo alibi * diximus) haut quemlibet ei diem poterat præstituere; sed necesse erat, aliquem eligere, quo nullæ essent familiæ ejus feriæ aliæ, ac multo minus publicæ. Cæterùm non denicalibus solùm, sed quotidie suus Laribus honos præstabatur domi. Quod quomodo fecerint, quis meliùs dixerit, quàm Lar ipse familiaris apud Plautum Aulularià?

* *Orat. Instit. lib. 4, cap. 11, s. 6.*

Huic filia una est: ea mihi quotidie,
Aut ture, aut vino, aut aliquî semper supplicat:
Dat mihi coronam.

De corona Laribus dicata, liquet etiam ex Aulul. Act. II, sc. V. Vti quoque ex Catone de R. R. cap. CXLIII, Plinio lib. XXI, cap. III, & Festo in *Donaticæ*. Nec aliò referendum Propertii hoc lib. IV, el. VI:

Terque focum circa laneus orbis eat.

Sive potiùs, ut Demstero placuit, *focum circùm*. Sententia est, corolla, quam Ovidius *laneam vittam* similiter nuncupat, ter cingat focum. Cum verò Plautus addit, *aut aliquî*, eò respicit, quòd & supplicarent pauxillum cibi deferendo de mensa in focum. Vnde Tibullus † Lares sic compellat:

† *lib. I, el. I.*

Adsitis divi, nec vos è paupere mensâ
Dona, nec è puris spernite fictilibus.

Et Persius sat. III: — *Cultrixque foci secura patella.*

Vbi vetus interpres: *Cultrix foci, quia delibandæ dapes in ea positæ ad focum feruntur.* Nempe, ut ibi adoleantur. Nam igni id solitum absumi; ut indicat Plutarchus de Fortuna Rom. At gustare ea homini nefas. Ac talis erat cultus, qui Laribus privatim quotidie fiebat. Sed quia in salute familiarum salus consistit publica; eo & quotannis IV Non. Febr. in compitis (unde Compitalibus nomen) Laribus publicum fiebat sacrum porcâ, velut hostiâ lustrali: unde Propertius lib. IV, el. I:

Parva suginati lustrabant compita porci.

Vtrumque Larium cultum, & illum domesticum in foco, & hunc compitalitium, junxit M. Cato de R. R. cap. V, quod est de villici officio: *Rem divinam, nisi compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Ab hoc cultu haberi cœpe-

cæperunt compitorum, & viarum Dii. Quod & Arnobius docet lib. III. Indeque *viales* vocati: ut ex Plauto, & Servio, antea docuimus. Denique latius etiam extensa eorum potestas. Nam si singulis sui familiis custodes; jure existimatum, junctim urbi præsidere. Quod clarè iis tribuit Ovid. v Fast. Hinc Propertius quoque lib. III, el. II, ait, eos Hannibalem fugasse ab Vrbe. Imò Festus, sive Paullus, scribit, *Hostiliis Laribus immolatum, quòd ab his hostes arceri putarent.*

CAPVT XII.

De cultu animarum publica auctoritate relatarum in Deos. Quibus is honos tributus. Vnde indigites *dicti. Alios videri* Deos genitales. *Æneas Indiges. Item Liber, Hercules sive Recaranus, Dioscuri: eos esse Penates Dionysio visos, quos perperam, ut videtur,* Denates *dictos putavit. Item Quirinus, & quæ caussa, cur à Curibus id nomen acceperit. Semo Sancus, sive Sangus, sive Sanctus, idem qui Fidius, sive Hercules. At Sabum ab eo diversum. Sabini Laconum coloni. Error eorum refellitur, qui Ianum, & Saturnum, censent reges fuisse Aborigenum, eoque Deos indigites. Picum etiam, & Faunum, falsò inter Reges referri. Quis Faunus, & unde ei, uxorique Fatuæ, nomen. Cultum ejus ab Euandro inductum.* Εὔανδρος *potius cognomen videri. Palatium in Palantii Arcadici memoriam conditum. Cur Carmentæ, & Accæ Larentiæ, honores cælestes decreti. Floræ sacra ludis esse vetustiora, nec statim eos annuos fuisse. Deam Floram non fuisse meretricem, quæ sua legarit populo Rom. Quale numen Annæ Perennæ: & origo rituum in ejus sacris. Alios esse honores divinos ab heroicis. De ἀποθεώσει Cæsarum & Augustarum, item aliorum apud Romanos.*

AB animis, quos publica non consecravit auctoritas, ad eas venio, quas princeps potestas cælo locavit, sive quia nobili reperto profuissent generi humano, sive quoniam gentis, vel urbis, forent conditores, sive quia bello rem præclarè gessissent. Cicero lib. I de Nat. Deor. *Quid, qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt post mortem ad Deos pervenisse; eosque ipsos, quos nos colere, precari, venerarique soleamus?* Subjungit deinde de Euhemero, antea nobis memorato. *Quæ ratio maximè tractata ab Euhemero est: quem noster & interpretatus & secutus est, præter cæteros, Ennius. Ab Euhemero autem, & mortes, & sepulturæ demonstrantur Deorum.* Hujusmodi ἀνθρωποδαίμονες Latinis dicebantur *Dii Indigetes*, ab honore eo, quòd publicè invocarentur; unde & Festus sive Paulus, *indigitanto* exponit *imprecanto.* Nempe est ab antiquo præverbio *indu*, pro *in*, & *citare*, pro *vocare.* Priorem partem similiter habes & in aliis compositis. Vti voce *indigenæ*, quasi *ingeniti*, quia geniti in solo ubi viverent: *induperator* pro *imperator*: *indu-*

ſtrius, quia inſtrueret : *inducіæ*, quaſi *in ocio*. *Indigites* autem pro *indicites* dixere; ut *magiſtratus*, quod prius *maciſtratos*; *effugiunt*, pro quo antè *exfocient*; quibus ſimilia alia in columna Duilliana reperies. Atque hinc *indigitamenta*, *ἱερὰλινὰ βιβλία*, quia continerent Deorum nomina, & preces, rituſque, quibus invocarentur.

* *apud Cic. 1 Tuſc. Qu. & Servium 6 Æn.*

Fortaſſe autem iidem ſunt, quos *genitales* vocat Ennius* lib. 1, vel 11 Annalium :

Romulus in cælo cum Dis genitalibus ævum
Degit.

Videtur tamen Auſonius aliter accepiſſe, cum in periocha quarti Æn. libri ait : *Iupiter interea cum Dis genitalibus una*
Concilium cogit ſuperûm de rebus Achivis.

Neque enim Iupiter tam Indigetes in concilium vocat, quàm Conſentes, & Selectos : ut hos vel ſolos, vel potiſſimùm, intellexerit Auſonius. Quare *Genitales* non tam dictos puto, quaſi genitos ex hominibus, quàm quod homines ab iis ſint geniti : ut quibus debeantur omnis generationis primordia. Res foret apertior, niſi vox eſſet nova : quippe ab Ennio conficta ; ut videre eſt ex Tullio libro de Oratore, & illis, quæ ibi Lambinus notavit ; Turnebus autem lib. xx Adverſ. cap. xxiv, & Paullus Merula ad Ennii annal. lib. 1.

Primus, quem *Indigitis* nomen ſortitum inveniamus, eſt Æneas. Cui ſacellum exſtructum cum ejuſmodi inſcriptione : PATRI DEO INDIGITI, QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT. Auctor Dionyſius in primo. Et Livius lib. 1 : *Situs eſt, quæcunque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicum flumen. Iovem indigitem appellant.* Item Feſtus : *Indigitis nomine Æneas ab Aſcanio appellatus, cum pugnans cum Mezentio nuſquam apparuiſſet, in cujus nomine etiam templum conſtruxit.* Meminere & Ovid. xiv Met. & Tibull. lib. 11, eleg. vi.

Fuere tamen Latinis & alii indigites, iique Æneâ antiquiores : quales, ſi unum exceperis Quirinum, omnes illi à Tullio memorati in ſecundo de Legibus, his verbis : *Colunto & illos, quos in cælum merita vocarint : Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.*

Ex ſex iſtis antiquiſſimus eſt Liber ; cujus ſacrum Liberalia xvi Kal. Apr. dies primâ ſui parte nefaſtus ; ut conſtat ex Kalendario Rom. Quo die per totum oppidum ſedebant, hoc eſt feriabantur, Liberi ſacerdotes : ut ait Varro in v de L. L. Eoque die & pueritiam egreſſi virilem togam induebant. Cujus cauſſam exponit Ovid. in Faſtis.

Herculi varia Romæ templa : duo *Herculis Victoris*, unum in foro boario, alterum ad portam Trigeminam. Erat & *Herculis Cubantis*, & aliud

Defen-

Defensoris, utrumque in regione XIV : alibi item *Magni*, & *Musagetæ*, & *Triumphalis*. Primus Euander aram maximam Herculi statuit prope forum boarium ; teste Dionysio lib. I Antiq. Eò, ut sanctius haberetur jusjurandum, conferre se soliti. Decimas quandoque etiam hic Herculi vovebant. De quibus Diodorus Siculus. Huic verò Herculi nomen fuit *Recaranus* : si fides S. Aurelio Victori, vel quisquis scriptor ille de origine gentis Romanæ editus ab And. Scotto. Garanum vel Caranum vocavit Verrius Flaccus ; ut Servius tradit ad VIII Æn. Planè alium censeo ab illo Thebano. Sed mos iste veterum, ut fortes fere Herculis nomine insignirent : quorum gesta poetæ in unum commiscuere, ut jura coquus.

Tertio loco à Tullio refertur Æsculapius Messenius, Epidauri incola ; qui à Chirone Centauro medicinam, & venandi artem didicit ; ut ex Tarquitii viris illustribus retulit Lactantius *. Hic, Epidauro ad pestem sedandam translatus, extra urbem in insula Tiberina fanum accepit. * *lib.* I, *cap.* 10.

Sequuntur inde Castor & Pollux, sive Dioscuri, Herculis σύγγενοι † : quibus A. Postumius Dictator, bello Latino, anno Vrbis CCLVII ædem vovit, & exstruxit : quam postea restituit L. Metellus. Vulgo *Castoris* & *Castorum* dicebatur : uti vel notum è Bibuli joco apud Tranquillum ‡. Credo hos fuisse illos juvenes duos, quos Dionysius Halicarnassensis se Romæ ait, in templo humili & obscuro, vidisse hastatos, habitu sedentium, operis admodum antiqui, cum hac inscriptione, DENATES. Ita enim legit Dionysius. Sed arbitror, primitus PENATES fuisse : postea, ex litera P productione obliterata, visum esse D, quod fuerat P. Non desunt, qui per *penates* hic intelligant Vestam, quia illa sit foci publici custos. Sed obstat, tum quod effigies fuerint juvenum duorum ; tum quod non *Penas*, sed *Penates*, fuerit adscriptum. Alii igitur credere malunt, fuisse signa Apollinis, & Neptuni, qui Trojam condiderint ; ac quorum simulachra in Italiam advexerit Æneas. Sed vulgarem adversus opinionem de Æneæ in Italiam adventu multa objici possunt : & ut habeamus fidem hoc asserentibus (quos inter Dionysium, Liviumque esse, antea vidimus) non propterea Æneas in Latium magis, quam Antenor in terras Euganeas, patrios advexerit penates. Hoc quoque largiamur. Eóne, post Trojæ excidium annis prope quingentis, effigies istæ Albâ Romam fuerint delatæ ? Et quis scriptor aliquid habet, unde suspicio sit, Romæ fuisse fanum Apollini & Neptuno dicatum ? Quare cum Vive * potius censeo, fuisse juvenes eos Castorem & Pollucem. Hos enim coluere Romani : & potuere eos credere Vrbis custodes, propter operam nobilem, quam bello navâsse Latino dicebantur. † *æquales.* ‡ *in Iul. cap.* 10. * *ad August. de Civ. Dei, lib.* I, *cap.* 3.

Postremum Quirino locum dedit Tullius, temporis in eo rationem secutus.

cutus. De quo non possum, quin sententiam meam adscribam. Tatius, rex Sabinus, si victoria de Romanis potiretur, votum suis voverat Diis; in quibus & Quirinus, sic dictus à Curibus, Sabino oppido; unde cives ejus oppidi Curites sive Quirites. Victâ urbe, vel saltem pejus constituta, quam, quod dicitur, inter sacrum & saxum; sic interventu raptarum est transactum, ut ex Sabinis & Romanis unus fieret populus, ac deinde paribus auspiciis Romulus, & Tatius, imperarent. Quanto deterior tum fuerit conditio Romuli, quàm Tatii, quis non videt? Romulus enim coactus recipere hostes in Vrbem, & Tatium agnoscere imperii sui consortem. At Tatius, credo, imperium, quod Curibus habuerat, retinuit solus. Permistis ita Romanis, & Sabinis, Romani etiam *Quirites* dici cœpere; quæ appellatio ante Sabinorum duntaxat erat. Mortuo Romulo, inque Deos relato, prævalentibus Sabinis, id nomen ei datum, quod Curibus habuerat Deus tutelaris: indéque & ipse *Curinus* vocatus. Fortè vetus ille Cures oppidum condiderat. Vtcunque est, postquam Sabini è Curibus Romam migrarunt; placuit, ut Deus Romæ πολιεχος † non alio vocaretur nomine, quàm ille oppidi, unde venerant. Imò & Romulo successor datus è Curibus Sabinorum Numa Pompilius. Atque hæc de sex istis à Tullio memoratis.

† *tutelaris.*

Etiam inter indigetes Deos Romanis fuit Semo Sanctus; qui & Fidius, quia per eum jurando fieret fides. Inscriptio Romana ‡: *Semoni Sanco Deo Fidio Sacrum.* Et alia: *Sancto Sanco Semoni Deo Fidio sacrum.* Et Reatina: *Sanco Fidio Semopatri.* Ovidius Fast. VI:

‡ *In Gruter. inscr. p. 96, num. 5, 6, 7.*

Quærebam Nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semo pater: tunc mihi Sanctus ait.
Cuicunque ex istis dederis, ego munus habebo.
Numina terna fero: sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Videmus, ut idem sit Semo, Sanctus, ac Fidius. Vnde error ille obortus B. Iustino Martyri, ut quia Samaritani sui Simonem magum, in Actis * memoratum, pro sancto Deo haberent: eo statuam, Romæ constitutam SEMONI DEO SANCTO, positam putaret Simoni mago: ut videre est in secunda pro Christianis apologia. Quam opinionem alibi refellimus. *Sancus* vocatur etiam Capellæ lib. II, & Lactantio lib. I, cap. XV. *Sangus* Plinio lib. VIII, cap. XLVIII: ubi ex Varrone refert, ut durârit in Sangi templo Tanaquil, sive Caja Cæcilia, cum colo & fuso. Ac meminit ejus statuæ & Festus in *Prædia*: ubi Sanctus nuncupatur; quemadmodum & Silio lib. VIII, ubi de Sabinis sermo:

* *cap. 8.*

Ibant,

Ibant, & læti pars Sanctum voce canebant
Auctorem gentis.

Augustinus lib. XVIII de Civ. Dei cap. IX: *Sabini etiam regem suum primum Sangum, sive etiam, ut aliqui appellant, Sanctum retulerunt in Deos.* Quare seu *Sanci*, seu *Sangi*, seu *Sancti* legatur, nihil interest. Quod non attendunt, qui lectionem scriptam mutant. Apud Plutarchum tamen in Quæstionibus Romanis pro Σάμυ malim Σάγκυ, prout apud Dionysium quoque legitur lib. I, quam Σάγκλυ, ut apud eum est lib. IV. Nempe quia prius ad Σάμυ propiùs accedat. Sancum autem fuisse Deum Indigetem, arguit, quod eum Silius gentis Sabinæ auctorem, B. Augustinus eorum regem primum, appellet. Sed censeo, non esse alium, quàm Herculem, quem Romani ab Arcadibus & Pelasgis accepere: uti à Sabinis, in urbem receptis, Sangum. Nam Cures hoc numen intulisse, jam antè ex Ovidio vidimus. Firmat Varro lib. IV de L. L. *Putabant hunc* (Deum Fidium) *esse Sanctum à Sabina lingua, & Herculem ab Græca.* Et Festus: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ, Herculi, aut Sanco; qui scilicet idem est Deus.* Clareque eundem agnoscit Propertius lib. IV, eleg. X; qua fabulam de Hercule & Caco sic claudit:

Sancte pater salve, cui jam favet aspera Iuno.
Sancte, velis libro dexter ineesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii composuere Cures.

Cæterum censeo, B. Augustinum, cùm Sangum ait primum Sabinorum regem, deceptum ab aliis, qui gentis auctorem, ut Silius vocat, ac primum regem, eundem putarent. Primum enim regem Sabum judico; unde & genti nomen: quod ibidem docet Silius; ubi *Sanctum*, & *Sabum*, aperte distinguit. Cum enim dixisset, parti cantatum esse Sanctum, gentis auctorem: continuò subjungit; — *Pars laudes ore ferebant,*

Sabe, tuas; qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Sabus verò ille non alia ratione Sabinæ gentis auctor fuit: quam quod Sabini forent à Lacedæmoniis; Lacedæmonii à Sancto, hoc est Hercule, genus ducerent. Sabini enim Λακεδαιμονίων ἄποικοι, *Lacedæmoniorum coloni:* ut ait Plutarchus in Romulo. Et plenius de eo Dionysius lib. II; ubi narrat, quo tempore Lycurgus, tutor è fratre suo nati Eunomi, leges Spartanis ferret, quosdam severitatem earum exosos in Italiam navigasse; qui postea dicti Sabini: puta à Sabo, qui credo coloniæ fuerit dux ac princeps. Lacedæmonii verò τῶν Ἡρακλειδῶν ἀποικία, *Heraclidarum colonia:* ut ait Plato in V de Legg. Quippe Hercules cum Hippocoontem

Sparta expulisset, Tyndareo, patri Castoris & Pollucis, regnum velut fiduciarium tradidit : octoginta autem annis à capto Ilio, Tisameno, Oresti filio, Agamemnonis nepote, regnante, id Heraclidæ repetierunt : atque exinde iis reges Heraclidæ : quorum primi Procles & Eurysthenes, filii Aristodemi, qui Herculis abnepos fuit.

Etiam inter indigetes datus est locus Fauno : quem *indigetem* vocat Silius in nono :

Indigetesque Dei, Faunusque, satorque Quirinus,
Alternusque animæ mutato Castore Pollux.

Vbi ex sex istis Tullio relatis tres referuntur : & præterea intactus illi Faunus. Nec negare possumus locum ei inter Indigetes fore, si Aborigenum reges hoc ordine successerint, quo memorat Eusebius : Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus. Sed etsi in eo, quos sequeretur, habuit duces : multa tamen requiro. Primùm fallitur eo, quod Ianum, & Saturnum, credat fuisse reges Aborigenum. Sic quidem forent Dii Indigetes. At pertinent ad Deos Selectos : quales VIII præter XII Consentes. Quare non animales, sed naturales sunt Dii : hoc est, non humanæ, sed mundanæ sunt naturæ appellationes. Nec diffiteor, homines cum natura cultos, atque hoc etiam locum habere in Iano, & Saturno : sed alii isti, quam Italiæ reges : ut in cultu mixto inferiùs exponam. Præterea commentum de Pico rege, & augure, non aliunde promanavit, quàm quòd in Matiena, oppido in Sabinis, vetustissimum fuerit oraculum Martis; ubi picus avis, qui Martius dicitur, in columna lignea genti oracula dabat : haut aliter ac apud Dodonæos columba sacræ insidens quercui vaticinari solet. Auctor istorum nobis Dionysius. Nec ullus, ut ego quidem arbitror, inter Aborigenum reges Faunus fuit. Sed est Faunus non animalis, verùm naturalis Deus : quippe idem ac Silvanus, sive Pan : quod testatur Sext. Aurel. Victor de Origine gentis Romanæ, & Servius in IV Æn. Idem eo confirmatur, quòd Dionysius tradit, Panicos terrores à Romanis ad Faunos, ut auctores, referri. Ipsa etiam *Fauni* appellatio fecerit fidem. Sic enim propter vaticinia dicebatur, à Græco φαύω pro φάω : unde φαύσκω, & cum reduplicatione πιφαύσκω, hoc est, λέγω : unde itidem *faustus*, quasi φαυστὸς, quia bona φαύσκει *. Idem colligere est ex nomine, quod uxori datum. Nam *Fatuam* vocarunt, non quasi stolidam putarent : sed ut vaticinatricem, à fatu sive prædictione futurorum ; uti & *vatibus* inde nomen. Nam *vates* ex φάτης, velut à προφάω, sive προφημι, *prophetes*. Imò & ab eadem origine, ut à *rego*, *reginum*, & postea *regnum* dixere ; ita & à φάω, *fanum*, ob fatum oraculorum : etsi postea distinxerint, ut *fana*, *templáque*, eò quidem convenirent, quòd utraque tum consecrarentur,

rentur, tum dedicarentur, precum gratia : differrent autem, quod templa fierent etiam auſpicii ergo; unde ſemper erant Deorum majorum, & ipſa etiam fanis majora. Fauni hunc cultum in Latium intulit Euander : quippe Euander Arcas; Faunus autem numen Arcadiæ : nam, ut diximus, idem Faunus, ac Pan : Pan verò Deus Arcadiæ, ut Maroni quoque dicitur in Eclogis. Neque Pan defuncti regis nomen erat; ſed ipſa eo Natura, ſive rerum Vniverſitas ſignabatur. Atque hoc tum nomen Pan indicat; tum figura ejus; quemadmodum oſtendit Iunius Philargyrius in Ecl. 11; pluribuſque à nobis declarabitur libro proximo, cùm de Vniverſæ dicam naturæ cultu.

Iuſtiùs inter Indigites refertur Euander : quo duce Arcades in Italiam venere. Atque hic eſt ille, qui Italos literas docuit, & agriculturam. Poſtea hæc adtributa Saturno; credo, quia Euandrum in Saturno honorari placuit cultu mixto, de quo inferiùs agam. Hinc exiſtimo originem traxiſſe fabulam de Saturni in Italiam adventu. Imò facilè mihi perſuaſero, nullum fuiſſe regem, cui proprium fuerit Euandri nomen. Cenſeo enim, ut Paris cognomen habuit ἀλέξανδρος, quod proprium poſtea variorum nomen fuit : ita Arcadum in Latium duci cognomen datum ἴυανδρος, idque ob propriam virtutem, maximéque ob robur multitudinis, quam deduxit in Italiam : nempe uti ἴυανδρος πόλις, quæ multos habet viros ſtrenuos, & acres. Hic oppidum à ſe conditum dixit *Palantium*; pro quo, N extrito, poſtea *palatium* maluere. Sic autem vocavit in memoriam oppidi Arcadici, unde venerat. Nam παλάντιον, πόλις Αρκαδίας, teſte Stephano, ſive Hermolao. Atque hac de cauſſa Adrianus Cæſar Arcadium Palanteum ex vico oppidum fecit, eique immunitatem conceſſit. Euandrum verò in Deos eſſe relatum, argumento eſt, quòd & quotannis ſacrificarint Romani apud montem Aventinum, juxta portam Trigeminam.

Fuere & Romanis Deæ indigites : quales Carmenta, & Acca Larentia : ſed illa à majoribus accepta; hæc Diis majorum ſuperaddita. Prior, quæ Carmenta, vel Carmentis, dicebatur, non proprio ſic nomine vocabatur, quod Nicoſtrata erat : ſed cognomento, à carmine, quo futura populo præcineret : ut eſt apud Ovidium in Faſtis. Id Græcè ſit θεσπιῳδὸς : ut transfert Dionyſius : qui & auctor eſt, aram ei dedicatam apud portam Carmentalem ſub Capitolio. Templum etiam habuit in octava Vrbis regione : quod quâ occaſione poſitum ſit à mulieribus Romanis, optimè Plutarchus dicet in quæſtionibus, ſive malis, cauſſalibus Romanis.

De Acca Larentia ſic ſcribit Cicero ad Brutum epiſt. xv : *Ego enim D. Bruto liberato, cum lætiſſimus ille civitati dies illuxiſſet, idemque caſu Bruti natalis eſſet : decrevi, ut in faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcriberetur. In eoque*

sum majorum exemplum secutus, qui hunc honorem Larentiæ tribuerunt; cui vos, Pontifices, ad aram in Velabro facere soletis. Qui locus lucem capit ex illis Agellii verbis lib. VI, cap. VII: *Acca Larentia corpus in vulgus dabat: pecuniamque emeruerat ex eo quæstu uberem. Ea testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum regem, ut alii, populum Romanum, bonis suis hæredem fecit. ob id meritum à flamine Quirinali sacrificium ei publicè fit: & dies è nomine ejus in fastos additus.* Subjungit deinde ex Masurio Sabino, ut ea habuerit XII filios; quorum uno mortuo, Romulus se illi filium dederit; atque hi XII primi fuerint fratres Arvales. Quod ipsum ex Pontificalibus Rutilii Gemini libris refert Fabius Planciades de sermone antiquo. Tangit idem Plinius lib. XVIII, cap. II. Atque addit, Accam hanc fuisse nutricem Romuli. Et convenit hoc cum eo, quòd Agellius ex eodem Valerio Antiate ait, eam corpore quæstum fuisse. Nec enim fabula de Romulo & Remo, educatis à lupa, aliunde orta, quàm quia ubera suxerint meretricis. Quippe meretrix, ab animalis ejus moribus, *lupa* dicitur etiam Tullio pro Mil. indeque vetus verbum *lupari*, pro *scortari* apud Nonium, & vulgatum *lupanar*. Plutarchus in Quæst. Romanis ait, & alteram fuisse Accam Larentiam: eam scortum fuisse nobile; cumque Tarrutio, homini opulento, sed seni, ejus formâ capto, nupsisset, ab hoc hæredem constitutam; ipsam verò tantarum opum populum Romanum reliquisse hæredem; qui iccirco sollemnes ei ludos decrêrit. Hæc quando evenerint, non expressit Plutarchus. Sed Macrobius Sat. lib. I, cap. X, ostendit, quosdam velle, contigisse sub Anco Marcio rege. Mihi credibilius videtur, eandem esse Accam; idque inter alia ob autoritatem C. Licinii Macri, qui Ciceronis temporibus claruit. Ex ejus primo historiarum libro hæc refert Macrobius *: *Accam Larentiam, Romuli & Remi nutricem, regnante Romulo, Tarucio † cuidam Tusco diviti denuptam, auctamque hæreditate viri, quam post Romulo, quem educâsset, reliquit: & ab eo parentalia, diemque festum, caussâ pietatis statutum.* Fortasse, si extarent Catonis Origines, certius aliquid haberemus. Nunc illud solùm ex iis Macrobius ‡ adducit, *Larentiam meretricem, quæstu locupletatam, post excessum suum, populo Romano agros, Turacem, Semurium, Lutirium, & Solonium * reliquisse; & ideo sepulchri magnificentiâ, & annuæ parentationis honore dignatam.* Lactantius lib. I, cap. XX, unam quidem Larentiam agnoscit; cui dicata sunt Larentinalia: sed præter eam alterum ait scortum in Deas relatum, cui Faulæ fuerit nomen: prout vocatur editione Aldi, Betuleji, Thomasii. Sed suspicor, prisco more *Flauram* scripsisse. Id est, *Floram*, quod ex altero factum: ut dixere *caudex, codex; Claudius, Clodius; caurus, corus; plaustrum, plostrum; auricilla, oricilla.* Subjungit deinde, *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum Romanum scripsit*

* *lib.* I *Sat. cap.* 10.
† *ita reposui, ubi vulgo,* Carutio.
‡ *ibid.*
* *Vulgati codd.* Solinium. *Sed* Solonium *reposui, secutus fidem Tullii lib.* I *de Divinat. & lib.* 2 *ad Att. ep.* 3: *ut Livium, Plutarchum, Festum, mittam.*

scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnere suus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia Senatui flagitiosum videbatur; ab ipso argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur: deam finxerunt esse, quæ floribus præsit; eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus & vitibus bene prosphereque floresçerent. Vellem Lactantius addidisset, suamne de isto conjecturam adduxisset; an alios secutus sit auctores. Sanè non arbitror, ullam fuisse ejus nominis meretricem, quæ sua legârit populo Romano. Siquidem Floræ sacra jam Romuli temporibus à Tatio rege sunt inducta. Audiamus Varronem in IV de L. L. *Fortunam Fortem, Fidem, Lares (* ita rectè Scaliger pro *ea re) Sabinorum linguam olent: quæ Tatii regis voto sunt Romæ dedicatæ. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floræque, Dijovi* (Pighius corrigit, *Floræ, Vedio, Jovi) Saturnoque; Soli Lunæque; Volcano, Summanoque: itemque Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianæ, Cloacinæque. E queis nonnulla nomina in utraque lingua habent radices; ut arbores, quæ in confinio natæ, in utroque agro serpunt.* Locum pleniùs adscripsi, ut pareat, quàm multos Deos in Vrbis suæ primordiis à Sabinis acceperint Romani, atque ut in his, præter Sancum ante memoratum, tum fuerit Quirinus, de quo & ipso ante diximus; tum etiam Flora, quam iccirco necesse est, jam antè cultam à Sabinis: alioqui non ei se voto obstrinxisset Tatius rex cum Romanis pugnaturus. Idem evincere est altero Varronis loco, qui est in VI de L. L. his verbis: *Eundem Pompilium Numam ait (* Ennius) *fecisse flamines: qui cum omnes sint à singulis Diis cognominati; in quibusdam apparent etyma. ut cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt in quibus flaminum cognominibus latent origines: ut qui sunt in versibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis.* Nec quia jam Romuli, & Numæ temporibus, Floræ sacra ac flamines erant; eo etiam Florales fuerint ludi. Hi demum celebrati anno Vrbis Io XIII, C. Claudio Centhone, & M. Sempronio Tuditano coss. idque non ex Floræ, vel meretricis cujusquam hæreditate: sed ex pecunia multaticia eorum, qui peculatus damnati forent, quia publicum populi Romani agrum occupassent: quemadmodum in Floralium descriptione narrat Ovidius V Fast. Ac firmant nummi argentei, quos cudêre ejus anni ædiles plebis, L. & M. Publicii Malleoli. In iis cernere est caput genii populi Rom. tanquam vindicis; & figuram arietis, vel ovis, ut signum multæ, vel peculatus; quod crimen à *pecude*, ut & *pecunia*, nomen accepit. Inscriptio est, M. POBLICIVS MALLEOLVS. Ac illa quidem exordia fuere Floralium. Exinde non celebrata, nisi anni ratio poscceret, vel Sibyllinis libris ita præceptum diceretur. Sed ut annua hæc essent, decretum demum anno Vrbis Io LXXX, L. Postumio Albino, & M. Popillio Lænate coss. Occasio

erat ejuſcemodi. Magna fuerat ſæpius verni temporis intemperies, indéque nata annorum plurium ſterilitas. Placitum igitur Senatui, ut Floræ inſtituerentur ludi annui ; quò favore Deæ, tanto jam honore auctioris, deinceps arbores plantæque omnes meliùs floreſcerent. Hinc idem Ovidius v Faſtor.

Convenere Patres, & ſi bene floreat annus,
Numinibus noſtris annua feſta vovent.
Annuimus votis. Conſul cum conſule Lænas
Poſtumio ludos perſoluëre mihi.

Nihil enim mutandum. Etſi, Pighio teſte, pro *perſoluëre mihi*, etiam reperiatur, *ritè vovere mihi*. Quod planè eſt ab manu imperita. Non animadvertebat indoctus librarius, *perſoluëre* καὶ διάλυσιν fieri πεντασύλλαβον. Itaque repoſuit alterum ; nec ſatis attendit, refragari principem ſyllabam in *vovere* ; cum hîc temporis ſit exacti, non modi infiniti. Hæc aliquanto fuſiùs ſum perſecutus, ut appareat, quàm parum veriſimile ſit, quod de Flora tradidit Lactantius : cumque veritas falſi minimè ſit indiga, non omnia albâ ſignari linea oportere, quæ veteres adverſus pago deditos ediſſerunt.

Anna Perenna etiam inter Deas indigetes ſibi locum depoſcit, ſi ea fuerit Didonis ſoror : quam exulaſſe ajunt apud Æneam ; ſed, inſidias ſtruente Laviniâ, Æneæ uxore, in Numico ſubmerſam ; hinc pro nymphâ Numici habitam cultamque, & quia amne perenne lateret, vocatam Annam Perennam. Sed ſi jam *Anna* priùs dicebatur : non fuerit id nomen ab amne. Nec Anna magis, quàm Dido, videre potuit Æneam : cum inter eos trecentorum circiter annorum ſit intervallum. Qua de re ſatis diximus in Oratoriis Inſtitutionibus libro 1, cap. VI, §. 8. Quare potius fuerit Anna, vetula Bovillana, quæ plebem pavit, cum in Aventinum fugiſſet. Vnde Ovidius III Faſtorum :

Pace domi facta ſignum poſuere Quirites,
Quod ſibi defectis illa ferebat opem.

Non tamen Senatui, vel ſacerdotibus Romanis, ita placuit ea ſeceſſio, ut divinos huic vetulæ honores habitum ire vellent. Nec negare interim quicquam tempora ſinebant. Os igitur plebi ſublitum, decretumque, quaſi in Annæ honorem, ut Martio Menſe, qui veteris anni erat primus, ſacra cæleſti fierent numini, quibus rogaretur, ut amare & perennare, hoc eſt, annum illum exigere, & alios illi ſuperaddere daretur. Itaque ejus feſto in conviviis cum voto hoc alii aliis propinabant : ſic ut pro cyathorum numero, & votis multiplicibus, etiam Neſtoris annos biberent : quod ex Ovidii Faſtis cognoſcimus. Aliò igitur plebs in appellatione hujus numinis ſpectabat ; aliò prudentiores. Bona

Bona etiam Dea, ἡ γυναικεία θεὰ, ut vocant Græci, culta à Romanis Kalendis Maji. Et hæc inter Deas sit indigites, si vel mater fuerit Midæ regis, ut Phryges volunt: vel Nympha Dryas, Fauni, regis Aborigenum conjux; quorum utrumque apud Plutarchum in Cæsare legimus: vel, quod ex Varrone à Macrobio refertur, *Fauni regis filia, adeo pudica, ut extra γυναικωνίτιν nunquam sit ingressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, nec à viro visa sit: propter quod nec vir templum ejus ingreditur.* Sed quàm malè tanta pudicitia, à Varrone memorata, convenit cum ejus ebrietate; de qua sic ex Sexto Clodio scribit Arnobius in sexto: *Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur Dea, transeamus: quam myrteis cæsam virgis, quòd, marito nesciente, seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat sexto de Diis Græcorum, signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta; nec myrteas fas sit inferre verbenas; sicut suis scribit in Caussalibus Putas.* Vbi pro *Putas* haut absurdè Heraldus mavult *Plutarchus.* Nam ex Caussalibus hæc adducere se ait Arnobius. At hodieque ea leguntur in Plutarchi quæstionibus Romanis: quas ipse inscripserat αἴτια Ρωμαικὰ * : hoc enim nomine eas appellat in Romulo, & Camillo. Sed minus abiero à lectione vulgata, si pro *Putas* rescribam *Butas:* qui & res ipse Romanas elegiaco scripserat carmine, inque iis sacrorum caussas adduxerat: ut argumento est, quod Plutarchus in Romulo adferat ex eo caussas Lupercalium fabulosas. Quæras, utrùm in hoc dissensu, Varroni potiùs, an Sexto Clodio adsensero. Equidem neutri: quippe qui censeam, nullam fuisse Fauni regis vel uxorem, vel filiam. Faunus enim non rex fuit Aborigenum, sed Deus universitatis, sive rerum Natura, qui aliter Pan: ut paullo antè diximus. Fuerit igitur idem numen Faunus, & Bona Dea: sed Faunus dicitur ratione virtutis activæ, eoque idem fuerit ac Tellumo; Bona Dea, ratione virtutis passivæ, ut propterea eadem sit ac Tellus. Hoc colligo ex ipsis nominibus. Nam Bona Dea aliter dicta *Fauna*, & *Fatua:* nempe ab oraculis, quæ ab numine peterentur. Vt igitur à φαύω *Faunus*, & *Fauna*; ita à φάω, sive fatu oraculorum, *Fatua.* Eandem autem esse *Faunam, Fatuam*, & *Bonam Deam*, ex allatis etiam Arnobii verbis fuit cognoscere. Atque idem apud Macrobium † sentit Cornelius Labeo: qui & eandem ait Opem, & Magnam matrem, & Majam, cui hoc nomen à magnitudine: atque hoc eo etiam asseri, quod sus prægnans ei mactetur, hostia terræ propria. Quare Bona Dea non fuerit Dea indiges; sed numen naturale. At, dixeris, non convenire numini naturali, virgis id cædi, quia se inebriasset. Et veteri historiæ fidem ritibus iis conciliari, qui in sacris obtinerent. Vti quod (Macrobii verba sunt) *virgam myrteam in templo haberi nefas sit: quod vinum in templum ejus*

* Caussalia Romana.

† lib. 1 Saturn. cap. 12.

ejus non ſuo nomine ſoleat inferri: ſed vas, in quo vinum inditum eſt, mellarium nominetur, & vinum lac nuncupetur. At contendero ego, ſacra Bonæ Deæ multò eſſe antiquiora iſtis ritibus. Et ſanè ipſi ſcriptores Romani obtinuiſſe ajunt jam ante tempora Æneæ, imò & Herculis: quippe qui Potitio & Pinario, ſacrorum cuſtodibus, interdixerit, ne mulierem ſacris ſuis intereſſe ſinerent, quia mulier ſitienti aquam negaſſet, eo ſolo ſe excuſans, quod celebraretur feſtum Bonæ Deæ, nec ex eo apparatu fas eſſet viros guſtare quicquam. Quam vera hæc ſint, non diſputo. Sufficit, quod inde appareat, judicaſſe Romanos, ſacra hæc multis ſeculis ante Romulum fuiſſe. Quæ, ergo, inquies, illa ad necem virgis cæſa? Vxor ea vel Pontificis Maximi fuit, vel alterius ex ſacrorum præfectis. Hoc tam triſte ſupplicium averſantibus feminis, quæ ſacra Deæ frequentarent; placuit deinde, ut virgæ exeſſent è ſacris; nec vinum, quod occaſionem dederat ebrietati, in iis nominaretur. Ita non minus hilares erant feminæ liquore eo, qui lac diceretur, cum vinum foret: nec lætitia feſtæ diei offuſcabatur conſpectu virgarum, quibus viſis recruduiſſet memoria ſupplicii de molli ſexu duriter adeò ſumti. Quanto hæc credibilia magis! Et valde nobis favet Plutarchus, qui illam, ſic virgis enectam, fuiſſe ait γυνὴ Φαυλίᾳ τῷ μάντεως, *uxorem Faulii divinatoris:* ſive, ſi malis, Φλαβίᾳ μάντεως, *Flavii vatis.*

Hæc de temporibus, quæ Cæſares præceſſere: ex quibus ita colligo, ſub Regibus hominem neminem cæleſti donatum honore, præter unum imperii conditorem Romulum, atque, uti videtur, longè tamen inferiori gradu, nutricem ejus Accam Larentiam. Poſtea verò, ſiquis hoc honoris adeptus ſit, unicam eſſe Annam Bovillanam: nec tamen è ſententia Senatus: nec ſi ſacra ſpectes, ea verè illius anus fuiſſe, ſed excellentioris poteſtatis, cujus beneficium putarent annare & perennare. Interea agnoſcimus, heroes ſuos magnis dignatos honoribus, at non divinis. Quæ diſtinxere etiam Græci. Quippe aliud iis ἐναγίζειν, aliud ἀποθεῶν. Prius conveniebat heroibus: alterum notat in Deos referre. Sed apud hos fere uſu veniebat, ut qui prius heroicis eſſent honoribus affecti, iiſdem poſtea præſtarentur divini. Quod & Lampſacæ contigit: unde Plutarchus in præclaris mulierum factis: Τῇ Λαμψάκῃ πρότερον ἡρωικὰς τιμὰς ἀποδιδόντες, ὕστερον ὡς θεῷ ἐψηφίσαντο· *Cum Lampſacæ priùs heroicos tribuiſſent honores, poſtea ut ei, velut numini, ſacrificaretur, decretum.* Ex quibus cognoſcimus, ſacrificium non fuiſſe in honoribus heroicis, ſed divinis. In heroicis autem, Græcis Romaniſque erat, ſi ſtatuis donarentur: particulatim verò apud Romanos, ſi effigies ferretur in pompa Circenſi, item nomen referretur in hymnos Saliares: qui honos etiam contigit Mamurio Veturio, & Luciæ Volumniæ, teſte Varrone; de illo in v, de hac in VIII linguæ Latinæ.

Simi-

Similéque erat apud Athenienſes, nomina ſi Minervæ intexerentur peplo : unde viros præſtantes dixere ἀξίους Φ πέπλε *, ut videre eſt ex Ariſtophanis Equitibus. * peplo dignos.

Atque hæc de temporibus iis, quæ fuere ſtante Republica. Primus Cæſarum conſecratus Iulius, idque ab Auguſto : de quo Suetonius in Iulio cap. LXXXVIII. Hinc in Iuliani Cæſaribus Auguſtum Silenus vocat κορποπλάϛην, *puparum effectorem* ; rationemque eo hujus ridiculi nominis poſcente, reſpondet; uti homulli illi faciunt pupas, ſic ipſum feciſſe Deos ; quorum unus primuſque eſſet Iulius Cæſar. Similiter de eo Manilius † : † extremo lib. 4.

Iam facit ipſe Deos, mittitque ad ſidera numen
Majus, & Auguſto creſcit ſub principe cælum.

De ipſo Auguſto ſic Tacitus Annal. I : *Sepulturâ more perfectâ, templum & cæleſtes honores decernuntur.* Quemadmodum verò de Romulo Iulius Proculus teſtatus fuit : ita de Auguſto Numerius Atticus, ſe vidiſſe in cælum euntem : eoque nomine à Livia decies ſeſtertiûm accepit ; ut eſt apud Dionem lib. LVI.

Poſt eum conſecrati alii. De iis, & pariter Auguſto, ſic Plinius in Panegyrico : *Dicavit cælo Tiberius Auguſtum ; ſed ut majeſtatis numen induceret ; Claudium Nero, ſed ut irrideret ; Veſpaſianum Titus, Titum Domitianus ; ſed ille, ut Dei filius, hic frater ut videretur. tu ſideribus patrem* (Nervam) *intuliſti.* Similiter de Antonino Pio Iul. Capitolinus : *Cum jucunditate à Senatu Divus appellatus eſt, cunctis certatim admittentibus.* Item de M. Antonino Philoſopho : *Deinde cum gratias ageret Senatui, quod fratrem conſecraſſet.* Item de Ælio Helvio Pertinace : *Per Senatum, & populum, Pertinax in Deos relatus eſt.* Longum eſſet de ſingulis dicere. Quibus verò ritibus Deorum ordinibus inſerere Cæſares ſoleant, ex parte dicet Dio in conſecratione Auguſti lib. LVI. Sed accuratè imprimis, atque eleganter, rem omnem deſcribit Herodianus lib. IV. Verba ejus exſcripſere tam multi, ut nihil attineat hoc loco reponere. Quod verò miremur, in numiſmate veteri habemus & conſecrationem Conſtantini M. licet Chriſtiani. In eo anima ejus linteo velata, cætero nuda, in cælum vehitur quadrigis, brachioque exſerto excipitur à brachio altero cælitus porrecto. Subſcriptum verò, CONS. hoc eſt, CONSECRATIO. Sed hanc, Chriſtiano ſenſu, accipere malo, non de immortalitate in terris à mortalibus collata ; ſed de cælorum gloria donata divinitus.

Nec ſoli Cæſares divinos obtinuere honores ; ſed etiam Auguſtæ. Ita Livia, conjux Auguſti Cæſaris, (cui filius Tiberius non decrêrat religionem cæleſtem) eam à Claudio eſt conſecuta. In cujus vita ſic Tranquillus cap. XI : *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompâ currum elephan-*

torum Augustino similem decernendum curavit. Pleniúsque de eo Dio lib. LX, qui Claudium ait effigiem ejus intulisse templo Divi Augusti, ac tum sacra ei fieri jussisse per Vestales, tum ut mulieres per ejus nomen jurarent. Hinc in nummo veteri, uno quidem latere, DIVVS AVGVSTVS PATER, cum capite radiato, & ante pedes ara: adversâ autem parte, S. P. Q. R. DIVÆ IVLIÆ AVGVSTI FIL. & carpentum, cum duobus mulis. Consecrata autem habitu Iunonis, ut in ea Iuno coleretur. Vnde Prudentius *: *Adjecere sacrum, fieret quo Livia Iuno.*

* *lib.* I *adversus Symmachum.*

Sive, ut aliis libris, *Iulia*; quia adoptione mariti in eam transiisset familiam. Nam conjux, C. Iulius Cæsar Octavianus, adoptatam filiæ habuit loco: unde in Claudii nummo, quem diximus, Augusti filia vocatur. De Faustina, Antonini Philosophi uxore, sic Capitolinus: *Divam etiam Faustinam à Senatu appellatam gratulatus est.* Imò & comperimus, honorem aliis habitum; è domo tamen Augusta. Nam Cajus Caligula sororem suam Drusillam, quæ priùs L. Cassio, postea M. Æmilio Lepido, nupta fuerat, urbes per omnes divinis coli honoribus jussit: nec defuit Senatorii ordinis vir Livius Geminius, qui juraret se eam vidisse in cælum adscendentem, cumque Diis conversantem: ac exitium sibi & familiæ imprecaretur, si falleret, testes Deos, & in his Drusillam invocans: ac hoc juramento, uti prior ille, quem similiter de Augusto juravisse, vel potius pejerasse, antea diximus, decies sestertium meruit; ut auctor Dio in LIX: ex quo etiam cognoscimus, eam habitu Veneris, cognomine Pantheæ consecratam: facileque I. Lipsio assensero, eodem referenti veterem hanc inscriptionem:

VENERI CÆLESTI
AVGVSTÆ SACR.
MVMMIA C. F. DORCAS
S. P. F. C.

Etiam mares, qui non Augusti, ex Augustea tamen domo forent, relati in divos. Notum de Geta, Severi Cæsaris filio, illud fratris Bassiani Caralæ, *Sit divus, dummodo non sit vivus.* Imò Hadrianus Imperator, sordidis & insipidis deliciis suis Antinoo Bithyno, submerso in Nilo, non dubitavit, velut certissimo numini, cælestes tribuere honores, oraculo etiam constituto. Qua de re Dion, & Spartianus; ex nostris etiam Tertullianus in primo adversus Marcionem: item Origenes, Eusebius, Athanasius, & tot alii.

CAPVT

CAPVT XIII.

Defunctorum animæ à Græcis cultæ. Dioscuri *alii etiam præter Tyndaridas : nec isti soli* Anaces. *De etymo ἀνάκων falsi Eustathius, & ipse Plutarchus : sic enim videri vocatos ab illis Anakim, de quibus Mosis, & Iosuæ libri. Cypriis paullo aliud sonare id nomen, quàm Græcis. Laconum heroes alii. Aristæus Arcadum : Anius Eliensium, sed videri nomen verum esse* Alius. *Clemens Alexandrinus emendatus. Argivorum heroes : & Sicyoniorum, ac porrò præcipui eorum, (ut paucis defungar) qui extra Peloponnesum, sive in continente Græciæ, sive vicinis insulis, colebantur.*

ATque hæc etiam lucem fœnerabunt cultui defunctorum apud Græcos : de quo tam multa adversus gentiles disserunt nostri : quibus clarè ostendunt, ut Romana, sic Græca numina homines fuisse in cælum ob merita relatos. Ita Tertullianus adversus gent. cap. x, & xi., Minucius in Octavio, Lactant. lib. i, cap. viii, Athanas. adversus gentes, Theodoretus serm. vi; ut Cyprianum, Arnobium, Prudentium, Augustinum, & tot alios, præteream. Verba eorum adferam neminis : quia satius est, dum universè hæc specto, gentiles è gentilibus convincere. Nec jam adducam vel Apollodorum in bibliotheca, vel Diodorum ; ad quem etiam provocat Tertullianus. Mitto & Euhemerum, Nepotem, ac Thallum. Intra unum alterumque me continebo. Quid apertius istis Maximi Tyrii dissertatione xxxviii : Καὶ Ἕλληνες μὲν θύουσι καὶ ἀνθρώποις ἀγαθοῖς, καὶ τιμῶσι μὲν αὐτῶν αἱ ἀρεταὶ, ἀμνημονοῦνται δὲ αἱ συμφοραί· *Et Græci quidem bonis etiam viris sacra faciunt : quorum virtutum memoriam celebrant, calamitates verò omittunt.* Et multò antè ita Perseus Cittieus, is quem Aratus Sicyonius Acrocorintho ejecit. Cicero lib. i de Nat. Deorum : *Perseus*, (scribe, *Persæus*, ut Græcè Περσαῖος) *Zenonis auditor, eos dicit habitos Deos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsaque res utiles Deorum vocabulis nuncupatas.* Idem Tullius de his ita particulatim in iii de Nat. Deorum : *Iam verò in Græcia multos habent ex hominibus Deos : Alabandum Alabandi ; Tenedi, Tenem ; Leucotheam, quæ fuit Ino, & ejus Palæmonem filium, cuncta Græcia ; Herculem, Æsculapium, Tyndaridas.*

Roma igitur per ostium Tiberinum in Siciliam navigemus : ubi inter alia numina animalia Philippum Butacidem cultum, Athenagoras in Legatione ait, Marcellea etiam in honorem M. Marcelli instituerunt Syracusani : quæ in Verrea Verres commutavit : ut ait Tullius lib. ii in Verr.

Hinc festino in Peloponnesum. Ac quia in allato proximè Ciceronis loco postremò Tyndaridarum fit mentio, ab iis potissimùm ordiamur.

Sunt ii Castor & Pollux ; qui & Διόσκυροι dicti ; non soli tamen ; quod ostendit hic locus M. Ciceronis in III de Nat. Deorum : Διόσκυροι *etiam apud Grajos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Iove, rege antiquissimo, & Proserpina, nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysius. Secundi, Iove tertio nati ex Leda, Castor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Alco, & Melampus Emolius, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.* Si igitur Ciceronem audimus, qui ἄνακες (ita cum Victorio, quam ἀνακτες, legere malim) dici solent ; non hi sunt Castor, & Pollux ; sed tres isti, illis antiquiores. Verùm hac parte alii receptam sequi sententiã maluere : in his Plutarchus in Theseo ; ubi de Tyndaridis ait : Τιμὰς ἰσοθέους ἔσχον ἄνακες προσαγορευθέντες· *Divinos honores consecuti, qui Anaces appellati.* Item Theodoretus lib. VIII Græcanicarum affectionum : Καὶ μέν τοι, καὶ Τυνδαρίδας θεοὺς ἐκάλεσαν Ελλῆνες, καὶ Διοσκούρους ὠνόμασαν, καὶ Ἑφεστίους, καὶ Ἀνακας· καὶ τεμενῶν καὶ ἐν Σπάρτῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἀθηναῖς, τέτυχε ἀξίωσαν· *Et quidem Tyndaridas Deos vocarunt Græci, & Dioscuros nominarunt, & Familiares, & Anaces. Et templis non Spartæ modò, sed Athenis quoque, sunt dignati.* Ac similiter Tzetzes in Lycophronem. Putabat Eustathius *, eos ἄνακας vocatos, quia Græci ἀνακῶς dicant pro φρονίμως, ἐπιμελῶς, πεφυλαγμένως· *curiosè, studiosè, cautè.* Imò hoc ipsum apud Plutarchum legas in Theseo. Sed hic arbitratur, posse etiam ex eo nomen videri, quia procurarint ἀνοχὰς, sive inducias ; vel ab ἄνω, hoc est, *supra*, quia in cælis conspiciantur ; unde Horat. lib. I, od. III :

* *in Odyss. λ. pag. 1425, edit. Rom.*

Sic fratres Helenæ, lucida sidera.

Sed ἄνακες non soli Tyndaridæ ; verùm & Tritopatreus, Eubuleus, & Dionysus ; ut antea vidimus. Nempe ita dixere viros principes, qui genus ducerent ab Anac sive Ænac : qui & Hebræis, עֲנָקִים ; LXX senibus, Ερακείμ, aliis *Anacim.* Meminit Moses Num. XIII. commate ult. *Vidimus gigantes è filiis Ænac.* Et Iosuæ XI, 21 : *Excidit Ænacinos.* Item XIV, 15 : *Nomen autem Hebronis olim fuerat Cariath-Arbe. Is fuerat homo inter Ænacinos maximus.* Vbi dubium, num maximum staturâ, an dignitate ; an utroque, dicat. Saltem de dignitate arguit, quod ab eo urbs nomen accepit. Vnde & Ios. XV, 13, *Deditque eis Iosue urbem Arbe patris Enac : ea est Hebron.* Et fortasse, qui ἄνακες Spartæ, & Athenis, hi descendêre ab Anacim Palæstinæ ; unde, à Iosua profligati, in Græciam concesserint. Non dubium autem, quin qui ἄνακες prius, hi ἄνακλες postea dicti sint : ut hinc etiam, unde ἄνακλες dicantur, liqueat. Nempe τ inserto ; ut à νὺξ, νυκτὸς pro νυκὸς. Sed Cypriis non tam reges ita vocabantur, quam eorum liberi ac fratres ; teste Athenæo in sexto, & Harpocratione ; qui idem proditum ait ab Aristotele libro de Cypriorum Rep. Facilè autem à vicinis Phœnicibus hanc vocem acceperint Cyprii : Græci verò habeant à Cadmo Phœ-

Phœnice : vel Cananæis,qui, Iosua Cananæam capiente, fugâ sibi consulentes,in Græciam profugerint. Et fortasse ex his Spartani : qui ab Abrahamo patriarcha descendisse videri volebant ; si Iosepho credimus lib. XII Antiq.Iud. cap.v. Credo,partim fuere ex posteris Agaris,aut Cethuræ ; partim ex Cananæis à Iosua fugatis. Atque ex his facilis ratio redditur , cur Tyndaridas suos ἄνακας dixerint. Cur verò in stellas dicantur conversi, in æthereo cultu dicemus.

Venio ad alios Laconum heroas. Talis Hyacinthus , cujus sacra in Apollinari festo celebrabantur. Vnde illud Apollini & Hyacintho peragi ait Pausanias in Laconicis. At solum Apollinem, (quippe Deum,non heroem) nominat Macrobius lib. I Sat. cap.XVIII : *Apud Lacedæmonios etiam in sacris , quæ Apollini celebrant , Hyacinthia vocantes , hedera coronantur Bacchico ritu.* Fortasse igitur Spartani ejus memoriam festo Apollinari colebant : soli interim Apollini sacrificabant. Quod si est, non ad heroicos hoc , sed divinos pertineat honores. Quomodo & iis in honorem Timomachi : (quo duce Ægidæ Lacedæmoniis opem tulerant adversus Amyclæos) eodem in Apollinari festo solet χάλκεος θώραξ προτίθεσθαι *ærea proponi lorica :* ut est apud scholiastem Pindari Isthm. od.VII.

Præterea Agamemnonem coluere : ut ex Staphylo tradit Clemens Admonitione ad gentes. Qui & ibidem nobis proditum reliquit de culto ab iis Astrabaco. Menelaum quoque esse veneratos , ait Pausanias Laconicis , & Athenagoras initio Apologiæ pro Christ. Æneas Gazæus in Theophrasto auctor de Menelao, Paride , ac Deiphobo , cultis Therapnis Laconicis. Ac Isocrates in Helenæ encomio refert,ei,& marito Menelao , honorem habitum , οὐχ ὡς ἥρωσιν, ἀλλ' ὡς θεοῖς ἀμφοτέροις οὖσιν· *non ut heroibus, sed utrique ut Diis.* Vbi videmus , distinguere honorem divinum , & heroicum; & heroibus etiam honorem præstitum Dei. Vti quod iis sacrificatum,ut ibidem refertur. Templum item Spartani dicarunt Lycurgo ; ut inquit Plutarchus in ejus vita : ac similiter Leonidæ ; quemadmodum tradit Strabo lib. VIII : adhæc Brasidæ ; de quo auctores Thucydides lib. V , Aristoteles in Nicomachiis lib.v, cap.VII , & Pausanias in Laconicis. Sed de Laconibus satis : de aliis in eadem Peloponneso videamus.

Arcades, ut de Arcade & Callisto in sidera relatis taceam , divinos exhibuere honores Aristæo : de quo Maro I Georg.

— Et cultor nemorum, cui pinguja Ceæ
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Vbi sic Servius : *Pindarus ait , Aristæum de Cea insula in Arcadiam migrasse,ibique vitam coluisse. Nam apud Arcadas pro Iove colitur,quod primus ostenderit ,*

derit, qualiter apes debeant reparari: ut ait poeta de hoc ipso Aristæo:

Tempus & Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere.

Mantinea etiam Arcadiæ civitas clara Epaminondæ ad eam victoria, ac morte. Hujus cives annuis sacris, & quinquennali certamine coluerunt Antinoum, delicias Hadriani imperatoris. Auctor Pausanias in Arcadicis. Sed apud eum perperam Ἀντίνῳ legas, pro Ἀντινόῳ.

Elienses Anium pro Deo habuere: teste Clemente Admonitione ad Gentes. Sed cum conditores urbium soleant in Deos referri, suspicio mihi oborta, *Alium* legi debere. Nam Eliorum urbs ab Elio sive Alio: unde & ipsi Dorice Plauto Captivis *Alii*, non *Elii* dicuntur: & *Alis* ibidem pro *Elis*, constanter legas.

Argivos Persea pro numine veneratos, præter Athenagoram in Legatione, Sidonius indicat Carm. IX: ubi varios Deos topicos recensens, inter alia, inquit:

Argis Persea, Lampsaco Priapum.

In stellas receptum, inter alios etiam Hyginus dicit fab. CCXXIV. Iidem Lynceo, & Hypermnestræ, festum celebrarunt: quod πυρσῶν ἑορτὴν * vocatum; ut est apud Pausaniam Corinthiacis.

* *facis festum.*

In Argia quoque Epidaurus: quæ prima Æsculapio Messenio, ob medicæ artis principatum, statuit fanum: sed extra urbem; ut est apud Pausaniam in Corinthiacis; quinquies M. P. ab Epidauro, ut Livius ait lib. XLV. Ac cultus hujus ab Epidauriis meminit quoque lib. V: uti è nostris Minucius in Octavio, Arnobius lib. VII, atque alii. Festum Ἀσκληπίεια: quod Epidauriis fuisse, Plato ait in Ione, & Pausanias loco memorato. Exemplum Epidauriorum secuta mox reliqua Græcia, ut ex Tullio antè vidimus. Imò & Romani; sed itidem extra urbem, in insula Tiberina. In inscriptionibus antiquis crebro junctim reperias, ΑΣΚΛΗΠΙΩ, ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ: item ÆSCVLAPIO, ET SALVTI. Ac interdum subjicitur, σώτηρσιν πολιούχοις †, vel θεοῖς ὀπικυρίοις ‡. Particulatim autē legas, nunc κυρίῳ Ἀσκληπίῳ, nunc *Æsculapio Deo*, vel *Numini Æsculapio*, vel *Æsculapio Sancto*. Æsculapius iste Herculis Thebani σύγχρονος * fuit; ut argumento est, quod à Chirone in Pelio monte didicerit medicinam; ut Tarquitius prodidit libro de viris illustribus, & ex eo Lactantius lib. I de falsa religione cap. X. At Chiron ille, ut Æsculapium medicina, ita Achillem cithara, Herculem imbuit astrologia; quemadmodum est apud veterem Arateorum Germanici Cæsaris interpretem. Etiam ætatem indicat, quod Hippolytum, Thesei filium, desperato in morbo curârit; unde & ab eo vitæ dicitur restitutus. Variè parentes recensent, quia varii Æsculapii fuere.

† *servatoribus urbis præsidibus.*
‡ *Diis auxiliaribus.*
* *coætaneus.*

fuere. Sed hujus, qui Chironis fuit discipulus, incerti erant parentes, ut Tarquitius auctor. Fulmine ictus, ut ajunt, decessit, ac Epidauri sepultus, ut vult Clemens Romanus. Cynosuris tamen oppido sepultum, tradidere Marcus Tullius, & Clemens Alex. in Protreptico.

Vt Apis Argivus à poetis Iovis nomine sit celebratus; item Io, Argivæ Iunonis sacerdos, in Iside colatur: meliùs exponetur, in Deorum Consentium cultu. Nunc eos, qui nihil nisi heroes crediti, persequamur. Ac quia, nisi fallor, de Peloponnesiis satis diximus, nunc extra Peloponnesum eamus.

Acarnanii colunt Amphilochum vatem: ut est apud Origenem in tertio contra Celsum.

In Oropo item Atticæ cultum, indicant hæc Livii lib. XLV: *Inde Oropum Atticæ ventum est: ubi pro Deo vates Amphilochus colitur, templumque vetustum est fontibus rivisque circa amœnum.*

Item Athenis cultus. Sed inclytum hujus civitatis nomen meretur, ne perfunctoriè de ea dicamus. Paullum igitur ejus numinibus, quæ homines fuerint, insistam. Sequar autem temporum rationem.

Primus Athenis regnum tenuit Cecrops cognomento Διφυὴς †: qui post † *biformis,*
mortem in Aquarium conversus dicitur: ut est apud Hyginum Poet. Astron. lib. II. Hic præter Erysichthonem filium, filias habuit tres, Agraulum, Hersen, & Pandroson; ut est apud Apollodorum lib. III, Ovidiũ II Met. Hyginum fab. CLXVI. De Agraulo testis Demosthenes orat. de falsa legatione: & ibidem sic Vlpianus: Ἐστι μία τῶν Κέκροπος θυγατέρων Ἄγραυλος. ἐν δὲ τῷ τεμένει αὐτῆς οἱ ἐξιόντες εἰς τὰς ἐφήβους ἐκ παίδων, μὴ πανοπλίων ὤμνυον, ὑπερμαχεῖν ἄχρι θανάτου τῆς πατρίδος· *Est una è Cecropis filiabus Agraulus: in ejus autem templo, qui pueritiam excessissent, in omni armatura jurabant, pugnaturos se ad mortem usque pro patria.* Quem ritum Atticum pluribus illustrat, ut alio non uno nomine laudatissimus, ita egregius Græcanicæ Antiquitatis vindex Ioannes Meursius de Athenis Atticis lib. I, cap. VII.

Ab altera filia, quæ dicta Ἕρση, Cephali matre, dicta Ἑρσηφόρεια: cujus festi meminere Suidas, & Etymologici auctor.

Tertiæ filiarum Pandroso, Ceryci matri, sacra feciisse Athenienses, docet Athenagoras in Legatione.

Cecropi in regno successit Cranaus. Cujus filius Rharus, juxta Hesych. Is vel pater Triptolemi fuit, ut censet Pausanias in Atticis, qui & Chœrilum laudat auctorem; vel pater Celei, avus Triptolemi, ut mavult Suidas. Quia verò sive Rarus, sive Celeus, Cererem exceperat hospitio (quæ illa fuerit, inferius exquirimus) Triptolemum docuit agriculturam. A

Rharo

Rharo Ceres dicta *Rharias*, ut est apud Stephanum. Celeum cum conjuge Metanira divinis affectos honoribus, Athenagoras indicat in Legatione. Ac meminere utriusque etiam Apollodorus lib. III bibliothecæ, Nicander in Theriacis, Pausanias in Atticis; ut taceam cæteros. Triptolemus à plerisque intelligitur 1 Georg. ubi poeta inter Deos rusticos memorat puerum unci monstratorem aratri; aliis tamen existimantibus, non tam Græcum Triptolemi, quàm Ægyptium Osiridis numen signari. Aliqui verò eum ad Pandionis tempora referunt.

Cranao Amphictyon successit, uti illi Erichthonius: qui, ob quadrigarum inventum, inter sidera relatus, *Heniochus* vel *Auriga* dicitur: ut tradunt Cæsar Germanicus, & interpres; item Hyginus in Poetico Astronomico. Hujus etiam tempore vixit Icarius; qui à Libero vini faciendi modum edoctus creditur. Item filia Erigone; quæ, ut patrem occisum agnovit, laqueo vitam finivit. Ob pietatem autem erga patrem in cæleste Virginis signum dicitur conversa; ut inter alios refert Hyginus fab. CCXXVI. Ac plerique censent, in hujus honorem Athenienses instituisse festum, quod Αἰώρα dicitur. Sed alii putant, factum id honori alterius Erigonæ; Ægisthi & Clytemnestræ filiæ. Vtramque opinionem adducit Hesychius in Αἰώρα.

Post Erichthonium habuit imperium Pandion: ad cujus tempora non pauci veterum referre malunt, quæ de Cerere, Rharo, Celeo, ac Triptolemo, antea diximus.

Pandionem in regno excepit Erechtheus; cujus filiæ cum parente in Deorum numerum relatæ; pater quidem, quia paruisset oraculo dicenti, superiorem fore bello contra Eumolpum, Thracum regem, si filiarum unam immolaret: filias autem, quia & illa, quam parens sacrificio destinârat, lubenti animo se ad hoc obtulit; & soror, imò universæ, ut alii ajunt, sorores, sese pro salute patriæ interemissent. *Hyacinthidas* vocat Demosthenes oratione funebri, quia in Hyacintho pago immolatæ; ut ait Suidas. Item κατ' ἐξοχὴν παρθένους * vocarunt, eodem auctore. Græcorumque exemplo similiter Tullius pro S. Roscio: *Mortes etiam Virgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiæ, pro patria contemsisse dicuntur.* De ἀποθεώσει patris, & filiarum, sic idem lib. III de Nat. Deorum: *Ob eam enim ipsam caussam Erechtheus Athenis, filiæque ejus, in numero Deorum sunt.* Habuit & filium Buten; ut Apollodorus testis; item Tzetzes Chil. V, hist. XIX. Et huic sacra esse facta, indicat Pausanias in Atticis: Εἰσελθοῦσι δὲ (τὸ Ἐρεχθειον) τρεῖς εἰσὶ βωμοὶ· Ποσειδῶνος, ἐφ' ᾧ δὲ Ἐρεχθεῖ θύουσιν, ἐκ δὲ μανλεύματος· ἥρωος Βύτου· τρίτος δὲ, Ἡφαίστου· *Ingredientibus verò (Erechthêum) tres se offerunt aræ: Neptuni una, in qua & sacra faciunt Erechtheo, ex oracnlo: altera heroïs Butæ: tertia autem Vulcani.* Erech-

* per excellentiam Virgines.

Erechtheo Cecrops II, huic Pandion II, illi Ægeus succeſſit : de cujus fano ex Dinarcho teſtes Harpocration, & Suidas. Vixit & tum Dædalus ; qui Perdicem, Eupalemo, & ſorore ſua natum, interemit. De cultu hujus Perdicis auctor Suidas in Περδίκος ἱερὸν, & exinde Apoſtolius in Proverbiis. Claruit eodem tempore Æacus : cujus delubrum celebrat Herodotus lib. v, Plutarchus in Theſeo, Heſychius in Αιακέϊον. Item Alcmena, de cujus fano apud Athenienſes Pauſanias in Atticis. Adhęc Androgeos, qui ab Athenienſibus & Megarenſibus necatus fuit, dum Panathenæa celebrantur. Propterea coacti Athenienſes liberos ſeptenos è ſuis quotannis in Cretam mittere Tauro ; cujus ductu Minos bellum geſſerat adverſus Athenienſes ; unde Minotaurus vocabatur. De Androgeone in Ceramico ab Athenienſibus culto, teſtis Heſychius.

Ægeo ſucceſſit Theſeus ; cui Athenis fana complura ; unum imprimis memorabile in Vrbe media, in quo oſſa Theſei. De quo Plutarchus in vita Theſei, & Diodorus Siculus lib. IV. Cultus & Connidas, Theſei pædagogus, de quo Plutarchus ibidem. De æquali Theſei Hercule, notum. Vti & Hebe ; quæ uxor ei data. Sed ea ad rerum potius naturam, quam defunctos, pertinet. Præter aras verò his duobus ſtatutas, etiam quædam Athenis fuit Iolai, ut Herculeorum laborum ſocii. Auctor ibidem Pauſanias. De templo etiam Dioſcurorum, quod Ανακεῖον vocabatur, præter eundem teſtes Harpocration, & Heſychius.

Poſt Theſeum regnavit Meneſtheus : cujus temporibus fuit bellum Trojanum. Vt ſatis conſtet, tum fuiſſe Amphilochum. De cujus apud Athenienſes ara Pauſanias, qui eam deſcribit, & Ammonius in vita Ariſtotelis. Etiam oraculum ejus memorat Clemens admonitione ad Gentes.

Poſt bellum Trojanum claruit Erigone, Ægiſthi & Clytemneſtræ filia ; cujus honori feſtum Αἰώρα, ut pleroſque putare antea diximus. Eaque etiam in ſententia eſt Etymologici magni auctor. De hoc plura clariſſimus Meurſius in primo Græciæ feriatæ.

Poſt Meneſtheum imperarunt Demophoon, Oxyntes, Aphidas, Thymoetes, Melanthus, & ultimus regum Codrus. Quem quia pro patria ſe devoviſſet, eò nactum τιμὰς ἡρώων * , ait Polyænus lib. I. De eodem Auguſtinus lib. XVIII de Civit. Dei cap. XIX : *Et hunc* (Codrum) *Athenienſes, tanquam Deum, ſacrificiorum honore coluerunt.* Divinumque etiam honorem appellat Otho Friſingenſis lib. I, cap. XXVIII.

* *heroum honores.*

Sed de regiis temporibus hæc ſufficiant. Etiam ſub Archontibus aliqui honorem nacti heroicum, aut divinum : uti inter alios Toxaris Scytha ; quem cum ſacra ei facerent, *medicum peregrinum* vocarunt ; ut eſt apud Lucianum in Scytha. Sed metuo faſtidium, ſi ulterius inſiſtam. Vti & ſi

poſt Athenienſes aliis Atticæ locis immorer. Velut Rhamnunti Atticæ: de qua ſic Mela lib. II, cap. III: *Rhamnus parva, illuſtris tamen, quod in ea fanum eſt Amphiarai.* Vel Megarenſibus, qui venerati ſunt Alcathoum; ut eſt apud Pauſaniam in Atticis, & Scholiaſten Pindari Nemeon. od. v. Satius cenſeo, ut extra Atticam ponamus pedem.

Delphenſes coluere Neoptolemum; de cujus feſto Pauſanias in Phocicis, ac fuſè Heliodorus III Æthiop.

Oropii in Bœotia Amphiaraum primi in Deos retulerunt, ac templum ei fecere, & ſtatuam è lapide candido. Ita Pauſanias in Atticis. Meminit & delubri à Bœotis ei conſtituti Appulejus de Deo Socratis.

Hinc nos ad ſe vocant Thebæ Bœoticæ. De Dionyſo tamen, ſive Libero, rege Thebano, potius in Diis dicam Selectis. Hujus amita fuit Ino, quippe quæ fuerit ſoror Semeles; unde natus Liber. Vtraque autem Cadmi & Harmoniæ filia erat. Nec illam ſolùm cælo donavit; ſed etiam filium Melicerten. Qua de re ſic Hyginus fab. II: *At Ino cum Melicerte filio ſuo in mare ſe præcipitavit. Quam Liber Leucotheam voluit appellari: nos matrem Matutam dicimus: Melicerten autem Deum Palæmonem, quem nos Portunum dicimus. Huic quincto quoque anno ludi Gymnici fiunt, qui appellantur ἰσθμια.* Idem legas fab. II. Hinc Palæmonem Maro inter nautica recenſens numina, *Inoum Melicertam* vocat I Georg. Nepos autem ille Cadmi Phœnicis, (Liberum dico) nomen ſuo conſobrino Phœnicium impoſuit. Nam *melech* rex, *carta* civitas. Vt ſic dixerit, quaſi θεὸν πολιοῦχον, ſive Deum tutelarem. De cultu Inûs, & Melicertæ, vide & Euſtathium in Odyſſ. E *.

* pag. 1543, edit. Rom.

Thebanus etiam Hercules erat: quem, ut hominem deſcripſit quoque Homerus. Quo corporis habitu fuerit, ex Hieronymo philoſopho, & Dicæarcho, tradit Clemens Alex. in Admonit. ad Gentes. Vbi & refert, ut annorum fuerit LII, eum exceſſit, amicis mox pyram in Oeta ſtruentibus defuncto; vel, ut alii malunt, cùm peſtilentia correptus, ſe in Oeteam ipſe pyram conjecit. Etſi verò Thebani à Phœnice Cadmo originem ducant; longè tamen alius Thebanus hic Hercules a Phœnicio, cui Deſanao nomen. Hic, ut ſuo loco dicam, temporibus vixit Moſaicis. Thebanus trecentis, vel amplius annis eo junior fuit. Quippe extremis Moſis temporibus, vel etiam Ioſuæ & Othonielis, fuit Agenor, pater Cadmi Thebani, & Beli, à quo Hercules decimus eſt. Hujuſmodi enim ſeries eſt: Belus, Ægyptus, Lynceus, Abas, Acriſius, Danaë, Perſeus, Alcæus, Amphitryo, Hercules. Tres verò generationes ſeculum conficiunt. Etiam ætatem hujus Herculis inde cognoſcimus, quòd agona Olympiacum inſtituerit ccccxxx annis, antequam eum inſtauravit Iphitus; ſicut Euſebius

ait ad

ait ad num. Io cccxi. Item ex eo, quod interfuerit expeditioni Argonauticæ; in qua & Helenæ fratres, item Zethus & Calais,

Phrenetici Septentrionis filii,

hoc est, è Thracia, quæ Græcis est Septentrionalis, originem ducentes. Quos & Hercules suis telis occidit: ut est apud Hyginum fab. xiv. Item quod amicus fuerit Thesei, Athenienſium regis; cujus filius eo regnare anno cœpit, quo capta est Troja. Denique ex eo, quod Philoctetes, cui moriturus arcum & sagittam donârat, ad Trojam militârit. Vt viginti circiter annis vixerit ante Trojam captam: imò Eusebius arbitratur, unico tantum anno decessisse, antequam Helenam raperet Paris.

Thebani ante Herculis sacra præmisere illa Galinthiadis, Prœti filiæ; ut ait Antonius Liberalis cap. xxix. Itidem Herculis socium Iolaum venerati. Ejus festo certamen, de quo Pindari scholiastes Isthm. od. iv.

Etiam cultus iis Amphiaraus; uti testis Origenes in tertio contra Celsum.

Lebadii quoque in Bœotia. His venerationi erat Trophonius: de quo complura Pausanias in Bœoticis: ac è junioribus Nicolaus Leonicenus lib. de Antro Trophonii.

In eâdem regione Platæenses. Quales Androcrates, Democrates, Cyclæus, & Leuco: quos tempore belli Medici coli à Græcis jussit Pythia; ut quin vel maximè Platæensibus culti sint, minimè sit dubium.

Pellæi in Thessalia sacrificant Peleo & Chironi, & hominem quidem, cujus meliorem non possum adducere testem Clemente in Admonitione ad gentes.

Stagiritæ agitabant ἑορτὴν Ἀριστοτέλειαν in memoriam civis sui Aristotelis; cujus hortatu ac suasu urbem eam instauravit Alexander Magnus. Reperio hoc festum apud Ammonium in Aristotelis vita, nisi is Philoponus potius.

Chersonitæ festum instituerunt Miltiadi: ut est apud Herodotum in vi. Hinc in insulas navigemus.

In Leuce quam Achilli sacram esse Strabo in vii ait, aliterque Achillis δρόμος * nominatur, templum est Achillis cum multis anathematis. Meminit ejus Antigonus Carystius cap. cxxxiv. Fusè autem describitur ab Arriano in Periplo. * *cursus.*

Tenedii venerantur Tenem: ut Athenagoras in Legat. tradit, ac antè vidimus ex Tullii lib. iii de Natura Deorum. Pleniusque idem libro i in Verrem: *Tenedo Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus Deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse, cujus ex nomine Tenedus nominatur, hunc ipsum inquam Tenem pulcherrimè factum, quem quondam in comitio vidistis, abstulit magno cum gemitu civitatis.*

Thasii coluere Theagenem athletam; ut est apud Pausaniam in Eliacis & Athenagoram in Legatione.

Lesbo, si Myrsilum Lesbium audimus, novem Musas debemus. Ita quidem ex eo refert Clemens Alexandrinus in Protreptico. Macarim ait, regem Lesbium, perpetuò cum conjuge solitum jurgari: hoc ægrè admodum amantissimam matris filiam tulisse, nomine Megaclo. Emisse igitur ancillas novem è Mysia, ac curavisse, ut discerent tum assa voce, tum cithara canere veterum gesta. Sic edoctas, multum cantu suo levasse dolorem matris. Megaclo igitur referendæ gratiæ posuisse illis statuas æreas, ac præterea jussisse, ut omnibus in templis divinus iis honos præstaretur: ac pro Mysis inde, dialecto Æolica, Μώσας esse nuncupatas. Sed non leviter narratio hæc eo redditur suspecta: quod multis partibus verisimilius sit, ab Hebræo מוסר, *Mosar*, quod artem, seu disciplinam notat, venire Μῶσα, ut Dores efferunt. Nec animo meo placet, quod is, qui istud primus retulit, Lesbius fuit. Valde enim metuo, ne Myrsilus illud commentus sit in patriæ honorem. Potius censeo, Megaclo jussisse, ut Mysæ illæ ad Musarum exemplum, instituerentur, postea etiam colerentur cum Musis.

Chios Aristæum venerata; de quo in cultu mixto dicam. Etiam erexit sacellum Drimaco, fugitivorum duci: de quo ex Nymphodoro Athenæus libro VI.

Samii honori Lysandri festum agitabant: ut prodit Plutarchus in ejus vita, & Hesychius: item Athenagoras in Legatione.

Tenos Callistagoram coluit: de quorum utroque fidem fecerit Clemens Alexandrinus Admonitione ad gentes. Vti & de Edemo, quem Cythnos venerata.

Naxus duabus sacra instituit Ariadnis; illi Liberi uxori cum hilaritate: at alteri, à Theseo raptæ, cum mœstitia: quas alii confundunt. Vide Plutarchi Theseum.

Salaminii coluere civem suum, Telamonium Ajacem. Cujus festum Αἰάντεια, ut auctor Hesychius.

Æginenses, qui sic dicti ab Ægina Asopide, matre Æaci, qui Telamonis, & Pelei, parens fuit, imprimis venerati sunt Æacum: cujus fanum apud eos communi Græcorum nomine fuisse exstructum, auctor est Isocrates in Euagora. Meminere quoque ejus fani Plutarchus in Demosthene, & Pausanias in Corinthiacis; adhæc Pindari scholiastes Olympion. od. VII, & XIII, item Nem. od. V.

Astypalæis summa in veneratione fuit Cleomedes athleta: ut auctor nobis Pausanias in Eliacis.

Ab Asty-

Ab Astypalæa demus vela in Cretam. Vbi culta fuit Europa, Agenoris Phœnicis filia : uti Hesychius testis ; qui & auctor, ejus festum esse dictum Ελλώτια. Sed de hac plura dicam in Diis Phœniciis. De fratre ejus Cadmo, Gortynæ, mediterraneæ Cretensium urbi, culto, sic Solinus cap. XVII : *Iidem Gortynii & Cadmum colunt, Europæ fratrem : ita enim memorant.* Nisi hic non *Cadmum* scripserat, sed *Atymnum*, ex Iove & Cassiopea natum : ut est legere apud Apollodorum in bibliotheca. Epimenidem etiam, civem suum, divino coluisse honore, disertim ait Laertiensis Diogenes in ejus vita. Præterea Diognetum pugilem venerationi iis fuisse, testis nobis Ptolomæus Hephæstionis lib. v. Atque addit, honore hoc Diognetum dignatos, quia non aliâ de caussâ excidisset coronæ præmio, quàm quia adversarius, quem vicisset, nomen habuisset Herculis. Tanti enim illis Hercules erat, ut etiam ad ignominiam ejus pertinere arbitrarentur, si aliquis vinceretur Herculi cognominis.

CAPVT XIV.

Acceditur ad deos Consentes, ac Selectos. Minimùm fuisse duos Ioves Argivos : quorum prior cum Niobe habuerit rem : eumque Apim videri, Phoronei successorem. Geminus Apis, gemina Niobe, gemina item Io. Posse eundem videri, qui Niobæ, quique Ioni illuserit. Occasio fabulæ Iûs in vaccam conversæ. Apollodorus bis emendatus. Alter, si non tertius, Iupiter Argivus Acrisii æqualis fuit, ac, ut videtur, frater ejus Prœtus : quantumque sit temporis interstitium inter priorem, posterioremque hunc Iovem : quanta item intercapedine ab utroque distet Iupiter ille, qui cum Alcmena consuevit. Tantalum, regem Phrygium, signari per Iovem, Ganymedis raptorem : & cur in aquilam dicatur conversus : & quando vixerit. Duo Ioves Cretenses : ætas prioris : à posteriori raptam esse Europam, & origo fabulæ de Iove in taurum mutato, & quod verum ei nomen. Minotauri, Dædali, Icari fabula historicè relata. Quando vixerit Iupiter ille, qui Ledam violavit. Vnde origo fabulæ de Helena, Pollucéque, ex ovo prognatis.

EXistimet aliquis, postquam ad Cretam deventũ fuit, longè alios Deorum memorari nobis debuisse : quandoquidẽ, ut Sallustius apud Servium in III Æn. ait, *Primos Cretenses constat invenisse religionem.* Ac proinde vel imprimis de Iove Cretensi hic fuisse dicendum. Sed enim hactenus de iis tantumodo agere propositum fuit, qui à Romanis, vel Græcis, pro semideis sunt habiti. Nunc verò, ut altero etiam satisfaciam, antequam in Asiam navigemus, dicam de majorum gentium Diis. Duplices enim Dii erant ; alii *Semidei*, *Semones*, *Indigetes*, *Minores*, & *Minorum gentium* dicebantur, & habebantur : alii verò *Majorum gentium*, aut *Cælestes*. Quales

Dii Selecti : nempe XII Consentes, ab Ennio his versiculis memorati :

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus ; Mars ,
Mercurius, Iovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Ac præterea octo alii ; qui , XII Consentibus additi, constituebant *Selectos.* Ex octonis illis fuere, Ianus, Saturnus, Orcus,Liber. De Consentibus priùs agam.

Ab Iove principium. Hoc nomine fabulosa vetustas dignata est reges ac principes , qui sui ordinis cæteros potentiâ antistarent. Itaque videas , nullo prope seculo defuisse suum Iovem, usque ad tempora belli Trojani. Tot heroum ; qui Ioves dici meruere,ex nationum saltem opinione ; bona,mala ; vera,ficta ; uni Iovi Cretensi tribuerunt poetæ; etiam furta Venerea, & raptus. Vt concubitum cum Danaë,& Inone; item raptum Ganymedis, & Europæ : atque ita in cæteris. Homerum audiamus, qui Iovem sic loquentem inducit Iliados Ξ * :

* vers.315 , & segq.

Οὐ γὰρ πώποτέ μ' ὧδε θεᾶς ἔρος ὐδὲ γυναικὸς
Θυμὸν ἐνὶ ϛήθεσι πεπειροχυθεὶς ἐδάμασεν,
Οὐδ' ὁπότ' ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο,
Ἣ τέκε Πειρίθοον, θεόφιν μήϛωρ' ἀτάλαντον·
Οὐδ' ὅτε περ Δανάης καλλισφύρου Ἀκρισιώνης,
Ἣ τέκε Περσῆα πάντων ἀριδείκελον ἀνδρῶν·
Οὐδ' ὅτε Φοίνικος κύρης τηλεκλειτοῖο,
Ἣ τέκε μοι Μίνω τε ϛ ἀντίθεον Ῥαδάμανθυν·
Οὐδ' ὅτε περ Σεμέλης, ὐδ' Ἀλκμήνης ἐνὶ Θήβῃ,
Ἣ' Ἡρακλῆα κρατερόφρονα γείνατο παῖδα·
Ἣδε Διόνυϛον Σεμέλη τέκε, χάρμα βροτοῖσιν·
Οὐδ' ὅτε Δήμητρος καλλιπλοκάμοιο ἀνάσσης·
Οὐδ' ὁπότε Λητὼς ἐρικυδέος, ὐδὲ σεῦ αὐτῆς·
Ὡς σέο νῦν ἔραμαι, ϛ μὲ γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ.

Neque enim unquam mihi sic deæ amor, neque mulieris
Animum pectoribus circumfusus domuit :
Neque quando captus fui amore Ixionìæ uxoris ,
Quæ peperit Pirithoum diis prudentem similem :
Neque quando Danaës formosæ Acrisii filiæ ,
Quæ peperit Perseum, omnium clarissimum virorum :
Neque quando captus fui amore Phœnicis filiæ inclyti ,
Quæ peperit Minoaque, & divinum Rhadamanthum ;
Neque quando Semeles, neque Alcmenes in Thebis ,
Quæ Herculem fortem peperit filium :
At Bacchum Semele peperit, gaudium mortalibus :

Neque

Neque quando captus fui amore Cereris pulchricomæ reginæ,
Nec quando Latonæ valde illustris, neque tui ipsius;
Vt tui nunc amore teneor, & me dulce desiderium capit.

Itidem Ovidius in VI Met. * partim eosdem, partim alios etiam amores uni tribuit Iovi. Sic enim Arachnes telam describit: * *sub.* 20.

Mæonis illusam designat imagine tauri
Europam. verum taurum, freta vera putares.
Ipsa videbatur terras spectare relictas,
Et comites clamare suas; tactumque vereri
Assilientis aquæ; timidasque recondere plantas.
Fecit & Asterien aquila luctante teneri.
Fecit olorinis Ledam recubare sub alis.
Addidit ut Satyri cælatus imagine pulchram
Iupiter implerit gemino Nycteida fœtu:
Amphitryon fuerit, cum te Tirynthia cepit:
Aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis,
Mnemosynen pastor, varius Deoida serpens.

In hisce Iovis amoribus distinguere oportet antiquitatis amantes, quæ historica fide, quæ item poetica dicantur. Præit ad hoc discrimen nobis Lactantius lib. I de Falſ. relig. cap. XI. Verba adscribi merentur: *Danaen violaturus Iupiter aureos nummos largiter in ejus sinum infudit. Hæc stupri merces fuit. At poetæ, qui quasi de Deo loquebantur, ne auctoritatem creditæ majestatis infringerent, finxerunt ipsum in aureo imbre delapsum, eadem figura, qua imbres ferreos dicunt, cum multitudinem telorum sagittarumque describunt. Rapuisse dicitur in aquila catamitum. Poeticus color est. Sed aut per legionem rapuit, cujus insigne aquila est: aut navis, in qua est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam: sicut taurum, cum rapuit & transvexit Europam. Eodem modo convertisse in bovem traditur Io Inachi filiam: quæ, ut iram Iunonis effugeret, ut erat jam setis obsita, jam bos, tranâsse dicitur mare, in Ægyptumque venisse: atque ibi receptâ pristinâ formâ dea facta, quæ nunc Isis vocatur. Quo igitur argumento probari potest, nec Europam in tauro sedisse, nec Io factam bovem? Quod certus dies habetur in Fastis, quo Isidis navigium celebratur: quæ res docet, non tranâsse illam, sed navigâsse.* Subjungit deinde ista: *Non res ipsas gestas finxerunt poetæ: sed rebus gestis addiderunt quendam colorem: cum officium poetæ sit in eo, ut ea, quæ gesta sunt verè, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traducat.*

Multum lucis his Lactantii verbis, imò & aliis veterum Theologorum locis, atque adeò universæ accesserit historiæ fabulari, si quadruplicem illam historiam, è Lactantio adductam, ad sua referamus tempora: & eâdem

eâdem operâ, addamus tempora illa, quibus alii aliquot Ioves vixerint. Scio, hæc pro moleſtis nugis haberi à doctrinæ temporum ignaris. Sed miſeri ſimus, ſi horum judicio ſtandum aut cadendum ſit nobis; qui non eorum approbatione, quam ab iſtis moribus deſperamus; ſed bono publico, & candidorum pectorum judicio, ſtudia hactenus noſtra dimenſi ſumus.

Ordiar ab Iove Argivo. Sed non unus is fuit. Antiquiſſimus videtur, qui proprio nomine Apis vocabatur: non Ægyptius ille, ſed Sicyonius, à quo Peloponneſus *Apia* vocabatur, priuſquam dicta *Ægialea*: ut Pauſanias, ac Euſebius, tradidere; ac Æſchylus firmat in Supplicibus. Perperam verò Apes hoſce duos multi etiam veterum confundunt. Is, de quo nunc ſermo nobis, ſecundus, aut tertius fuit Argivorum Rex. Primus enim quædam futuri regni fundamenta jecit Inachus, avus Apis. Mox pleniùs poteſtatem habuit Phoroneus, ex Inacho & Meliſſa Oceanina natus: quem Hyginus primùm omnium Iunoni ſacra feciſſe, primum item mortalium (vellem ad Argivos reſtrinxiſſet) regnâſſe, tradit fab. CXLIII. Poſt Phoroneum Apis tenuit imperii habenas. Atque hic, credo, fuerit Iupiter ille, qui cum Niobe, Phoronei filia, rem habuit. Quippe non alienum fuerit à moribus Apis violare ſororem. Nam, ut Apollodorus in II ait, εἰς τυραννίδα τὴν ἑαυτοῦ μετέστησε δύναμιν, ὁ βίαιος ὢν τύραννος· *poteſtatem regni in dominandi libidinem convertit, planeque violentus erat tyrannus.* Iovis ei nomen conveniebat, qui rex eſſet. Præſertim qui cum ſorore ſua rem haberet. Quomodo & P. Clodius, quia nec ſorores ab eo caſtæ eſſent, *Romanus Iupiter* vocabatur: ut videre eſt apud Cicer. pro domo ſua. Sed fuerit ſanè alius: ſaltem Sicyonii hujus regis σύγγονος † erat. Nam Nioben iſtam Apis fuiſſe ſororem, ſatis convenit. Intelligo autem non Nioben Phrygiam, Tantali filiam, quæ Amphioni nupſit: ſed Nioben Argivam, Phoroneo, ut Hyginus etiam teſtatur, prognatam. Ex Niobes hujus, & tralatitii illius Iovis concubitu, natus eſt Argus; qui Api, ſi non patri, ſaltem avunculo, ſucceſſit. Atque ab hoc Argo eſt Peloponneſi *Argos* dicta. Vxorem habuit Euadnen; unde ei liberi Iaſus, Piranthus, Epidaurus, & Criaſus. Ex Iaſo natus Agenor, ex Agenore Argus alter, ex Argo hoc Iaſus, ex Iaſo Io. Niſi potiùs audiendus Caſtor, Deiotari regis nepos: qui in opere illo, quod χρονικὰ ἀγνοήματα * inſcripſerat, Inachi fuiſſe filiam tradidit: ut ex Apollodoro conſtat. Sed hoc ſi eſt, quomodo verum erit, quod aliquanto antè dixerat Apollodorus, primam mortalium, quam Iupiter attigerit, Nioben fuiſſe? Quod & Diodorus Siculus refert lib. IV, & Hyginus fab. CXLV. Quippe Niobe hæc Phoronei filia, Inachi neptis fuit: ut ſi Io fuerit Inachi filia, dicendum ſit Phoronei ſorem,

† *cognatus.*

* *errores ex inſcitia temporum orti.*

rorem, Niobes amitam fuisse. Invitus recessero à Castore, quo nemo videtur exactiùs tempora distinxisse : unde à Tatiano, & aliis, toties ad partes advocatur. Vide sis, quæ fusè de eo diximus in opere nostro de Historicis Græcis. Quamobrem sic potiùs statuero, geminam fuisse Io, priorem Inachi, alteram Iasi filiam. Prior illa aliter Callithoe vocata, primáque Iunonis Argivæ sacerdos fuit; ut Theo in Aratum scribit; item Hesychius. Sed bene Scaligero observatum, pro Καλλιθόεσσα apud eum Καλλιθόη, uti & apud Eusebium pro *Calirrhoe*, legi oportere. Quod si Io non Iasi, sed Inachi intelligenda; idem credo, qui Nioben, etiam Io violârit. Nec enim indignum Apide tyranno, ut priùs sororis, mox & amitæ suæ pudicitiæ illuderet. Eo autem minus filia Inachi cum illa Iasi confundi debet : quia inter eas ducentorum circiter annorum est intervallum. Quippe Niobe fuerit tritavia Iûs, Iasi filiæ. Io autem sit amita Niobes. Vt posterior Io à priori sex generationibus distet : verè à Niobe, undè descendit, quinis; impropriè verò ab amita Niobes, senis; quia eadem Phoronei & Niobes, ut fratris ac sororis, ætas censetur.

Cæterùm Io hæc, primùm postulato Iunonis, hoc est, reginæ (si Io hæc, quam Inachi filiam dicebamus, uxor fuit Apidis) tradita est Argo, vigilantissimo homini, custodienda. Interemto hoc à Mercurio, hoc est, oratore, aut nuncio, aut satellite regio, in varias illa terras mari profugit. Navis Βόεσιμον † erat bos : unde Io in bovem dicitur conversa. Quemadmodum commodè expositi Lutatius, Statii interpres. Tandem ea appulit in Ægyptum : atque ibi peperit Epaphum. Qui cum Memphim duxisset, Ægyptii regis filiam; urbem condidit, cui nomen dedit uxoris. Ex Epapho nata est Libya : ex qua, & Neptuno, hoc est, principe sive regulo insulari, cujus verum nomen vetustas delevit, nati sunt duo inclyti heroes, Agenor, & Belus : quorum ille profectus in terram Canaan, sedes ibi fixit, ac successorem habuit filium Phœnicem; unde Phœnicia nomen accepit : alterum autem Cadmum in Bœotiam misit, qui Thebas condidit. Belus verò, quomodo Agenoris fratrem vocatum dicebamus, in Ægypto remansit. Cujus filii, Ægyptus, & Danaus, ille quinquaginta filiis, hic quinquaginta filiabus nobilis fuit. Quod minimè mirandum in iis, qui tot conjuges, vel concubinas haberent : ut etiam Eusebius annotavit. Ab Ægypto hoc ἡ Μελάμποδος χώρα (sic apud Apollodorum rescribe, ubi vulgo Μελαμπόδων) dicta esse Ægyptus creditur. Danaus profectus est Argos, ibique in imperio successit Gelanori. Sed apud Apollodorum pro Γελάνωρ perperam Ελάνωρ legitur. Danao Argis suffectus gener Lynceus. Nam Hypermnestram, Danai filiam, duxerat uxorem. Ex his natus Abas, qui post Lynceum regnavit. Abanti ex Ocaléa, Mantinei

† *insigne, unde navi nomen.*

filia nati Acrisius,& Prœtus,duo reges Argivi. Acrisio filia Danaë; quam pater æneo sub terra thalamo incluserat, multis additis custodibus. Subterraneum hoc ædificium exstitit usque ad tempora Perilai, tyranni Argivi, qui illud disjecit : ut est apud Pausaniam in Corinthiacis. Cæterùm Prœtus,auro corruptis custodibus,Danaen vitiavit. Hic enim est ille Danaes Iupiter; ut rectè tradidere,qui rem historice,quàm poetice,proponere malebant. Testis nobis de eo Apollodorus lib.II. Atque addit, ortam hinc gravem inter fratres contentionem. Dicere verò poterat; in apertum etiam bellum erupisse. Sed cum æquo esset Marte pugnatum,& uterque videret, non se posse fraterno sine auxilio regnum suum tueri; ad pacis conditiones deventum est: uti idem Pausanias narrat. Ex hoc concubitu Danaes cum Iove illo Argivo,patruo suo, Argolici sinus domino, natus est Perseus; qui tandem avum suum Acrisium non sponte sua disco interemit : cumque propterea vivere nollet Argis, imperium Mycenas transtulit. Videmus ex istis, longè alium esse Iovem, qui Nioben vel Io, quàm qui Danaen violavit. Sanè Danaë ab Ione Iasi generatione distat octava : quod spatium sit annorum circiter CCLXVI. A Niobe autem sunt generationes quatuordecim : nempe anni præterea ducenti. Ac proinde à Niobes amita,quæ parenti Niobes Phoroneo σύγγονος erat, sunt generationes XV ; anni quasi quingenti. Atque ut iis assentiremus, qui Io antiquam (ad cujus discrimen Eusebius illam Iasi vocat alteram Io) ajunt, non amitam Niobes,ut nos dicebamus Castorem secuti,sed filiam fuisse : sic generationes inter Io & Danaen, tredecim intersint : nempe duabus minus, quia sic Inachi filia,filiæ, quam ex eorum sententia Niobe habuit, amita foret magna.

Nunc videamus, quanta sit temporis intercapedo inter Argolicum hunc Iovem,qui vero nomine Prœtus dicebatur,& illum Iovem,qui Amphitryonis rivalis fuit. Danae,de qua proximè diximus,ex Prœto Persea genuit. Perseus ex Andromeda, præter Persen, quem apud socerum Cepheum reliquit,genuit Alcæum,& Electryonem. Hic Alcmenæ,ille Amphitryonis fuit parens. Nupsitque patrueli suo Alcmena. Sed dum unà cum rege Creonte maritus Amphitryo adversas Teleboas bellum gerit; Iupiter aliquis,priorum similis, nequiter apud Alcmenam res agit mariti. Vnde Hercules natus; qui anno uno altero decessit ante initia belli Trojani : ut postea planius fiet. Hic Alcmenæ Iupiter ab illo Iove Danaes distat annis circiter centum. Quippe Alcmena generatione tertia abest à Danae, uti dictum. Tot verò generationes seculo tribui solent.

De Iove Niobes,Ius,Danaes,& Alcmenæ, satis dictum. Ex quibus uti Niobe prima, ita Alcmene postrema fuisse mulier dicitur, quam Iupiter agno-

agnoverit : hoc est, cujus amores sub Iovis nomine occultarint poetæ. Nunc accedo ad Iovem Phrygium; qui & ipse bene est antiquus. Est hic ille, qui rapuit Ganymedem. Raptor is Tantalus, Phrygiæ & Paphlagoniæ rex erat. De quo sic Eusebius ad annum XLII judicis Israelitici Aod sive Ehud : *Ob raptum Ganymedis Troi patri Ganymedis & Tantalo bellum exortum est, ut scribit Phanocles poeta.* Subjicit inde : *Frustra igitur Iovis fabula, & raptrix Aquila confingitur.* Tantalus ille, ut paullo antè dixerat, *Phrygas rexit.* Sed quod addit, Phrygas priùs Mæonas vocatos ; id falsum videtur, cum Mæonia non Phrygiæ, sed Lydiæ pars sit. De eodem Iove sic Orosius lib. I, cap. XII : *Tantalus rex Phrygiorum Ganymedem Trois, Dardaniorum regis filium, cùm flagitiosissimè rapuisset, majore conserti certaminis fæditate continuit; sicut Phanocles poeta confirmat ; qui maximum bellum excitatum ob hoc fuisse commemorat.* Iupiter igitur generali regum omnium nomine accipitur. Quod verò aquila abstuliſſe Ganymedem dicitur, id vel celeritatem raptus indicat; vel, quod Epiphanio visum, aquila fuerit σῆμον † navis; ut taurus ejus, quâ avecta est Europa. Quanto hic Iupiter Phrygius tempore vixerit ante bellum Trojanum; non operosum est ex rapti & raptoris stirpe cognoscere. Quippe raptus fuit frater Ili, qui Ilium condidit ; filius Trois, unde *Troas*, & *Troja* dicta; nepos Erichthonii; pronepos Dardani ; qui, interemto fratre, in Samothraciam fugerat ; unde Cabirorum sacris expiatus in Teucriam se contulit, ac filiâ Teucri Bateâ ductâ, in partem regni est receptus. Is auctor Dardanidarum, Iovis eo filius vocatus, quia externi hominis parentes vulgò nescirentur. Ilus autem pater fuit Laomedontis, avus Priami, proavus Hectoris, & Alexandri sive Paridis. Vt hi ab Ilo, Ganymedis fratre, tertia distent generatione. Fuit & frater Ganymedis Assaracus, pater Capyos, avus Anchisæ, proavus Æneæ. Vbi itidem Æneam tertia generatione abesse videmus ab Assaraco. Nunc Tantalum spectemus. Ejus filius Pelops : hujus Atreus, & Thyestes : Atrei Plisthenes, qui perperam præteritur à multis : Plisthenis Agamemnon, & Menelaus. Vt hi quarta distent generatione à Tantalo. Vna igitur hic generatione amplius. Nempe Ganymedes cum raperetur, adolescens admodũ erat : raptor Tantalus generatione tota, hoc est, XXX annis vel circiter provectior. Vt bene tempora conspirent : Phrygiusque ille Iupiter centum quasi annis ante bellum Trojanum rapuerit Ganymedem.

† *insigne.*

Dicam nunc de Iove Cretensi. Vbi distinguendum inter antiquissimum illum, quem Curetes infantem adservarunt, & longe juniorem, qui rapuit Europam. Vetustissimi illius ætas ex eo colligitur, quod inter Curetas, à quibus recens natus occultabatur, Cres erat : ut ex Arriano refert Eustathius in περιήγησιν Dionysii. Cres ille fuit, rex Cretæ antiquissi-

mus, à quo & Creta nomen accepit : ut ex Ephoro tradit Marcianus Heracleotes. Estque idem, à quo Cnoson in Creta conditam, & templum Cybelles, apud Eusebium in canone Chronico legas. Quare Iupiter ille Isaaci vel Iacobi patriarchæ ætate claruerit : modò Cres ille, de quo dictum, rectè ab Eusebio referatur ad tempora Abrahæ, & Isaaci. Vide eum num. LVI, & CXXVIII.

Liquidiora omnia de Iove Cretensi juniore : qui rapuit Europam, ac cujus in Creta sepulchrum : quo de sepulchro ex Euhemero, ac Cicerone, Lactantius lib. I de falsa relig. cap. XI. Fuit hic rex Cretensis nomine vero Asterius, ut Eusebius vocat; vel Xanthus, ut Augustino dicitur. Famulum habuit, cui nomen Marnas, teste Epiphanio; qui & hunc Asterii famulum à Gazæis cultum tradit. Videtur autem ea generalis appellatio; cùm virgines sic à Cretensibus vocatas, Stephanus † tradat. Quando Cretensis ille Iupiter vixerit, hunc in modum cognoscitur. Europa, quam rapuit, soror fuit Cadmi & Phœnicis, filia Agenoris, regis Cananæi, sive, ut postea dixere, Phœnicum. Hujus majores antea retulimus, cùm exponeremus stirpem Inachi : à quo Agenor undecimâ distat generatione : hoc est, annis pene quadringentis. Cadmo autem, Agenoris filio, natus Polydorus; hoc Labdacus, eo Lajus, illo Oedipus, isto Eteocles, & Polynices. Vt hi quincta generatione absint à Cadmo, Europæ fratre. Atqui Eteocles & Polynices fuere Herculi & Theseo σύγχρονοι *. Nam cùm Creon, rex Thebarum, & Iocastæ, quæ Oedipi mater & uxor fuit, frater, edicto vetuisset, ne sepelirentur Oedipodarum cadavera : Theseus propterea Bœotis bellum intulit : ut est apud Pausaniam in Atticis. Theseus verò unâ solum generatione antecessit bellum Trojanum. Quare ducentis quasi annis Europæ raptus præcesserit raptum Helenæ, bellumque Trojanum. Ex progenie etiam Europæ idem scitur. Nam ex Iovis Cretensis, hoc est, Asterii concubitu cum Europa, nati Minos, qui Asterio successit in regno, item Rhadamanthus, & Sarpedon, Lyciorum reges. Minos ex Ithone genuit Lycastum. Lycastus ex Ida Minoem juniorem. Minor hic Deucalionem, Deucalio Phædram, Theseo nuptam. Sic quoque Phædra generatione quinctâ descendat ab Europa. Vt omnia optimè conveniant. Turbant solum, qui duos Minoes nesciunt distinguere. Vnde coguntur, raptum Europæ referre ad tempora Pandionis, qui Thesei proavus fuit : hoc est, CXXXIII annis ante bellum Trojanum. Verùm addendi anni LXVI, propter generationes Lycasti, & Minois senioris. Quorum hic Europæ filius, Rhadamanthi frater. Atque idem credo ille est, qui novennio se referre solitus in antrum montis Idæ, diceretque, hic se conversari cum Iove, indeque leges suas accipere; haut aliter ac postea Numa Pompilius simu-

† περὶ πόλιων, τοῦ Γάζα.

* coætanei.

simulabat, se sacra illa, quæ Romanis traderet, accipere ab nympha Ægeria. Quamquam nec magnopere adverser, si quis juniorem credat. Vtcunque illud, saltem junior est ille, qui maris habuit imperium, cujus item filius Androgeos, præclarus adolescens, invidiâ Athenis occisus post Panathenæa: unde bellum adversus tum Megarenses, de quorum obsidione Virgilius vel alius in Ciri; tum Athenienses, qui sub rege Ægeo eò adacti, ut in Cretam Tauro, Minois στρατηγῷ* , qui Minotaurus vocari solet, pueros mitterent tributarios: eaque consuetudo demum sub Theseo, cum is Taurum deviciſſet, cessavit. Denique junior hic Minos est ille, qui Dædalum, cùm in domo ejus Taurus Pasiphaen, filiam regis, violasset, atque eo Dædalus iram Minois metuens, cum Icaro filio, navigio, velorum pandens alas, ut cum poeta loquar, avolâsset, eum in Siciliam usque est insecutus: ubi, non satiatus eo, quod Icarus in via imprudentia sua submersus fuisset, à Cocalo, rege Siculo, sibi ipsum Dædalum reddi postulavit. Cocalus verò, sub specie amicitiæ Minoa, allectum thermarum æstu suffocavit. Hæc abunde aperiunt tempora utriusque Minois, & pariter Asterii, Iovis Cretici, à quo rapta est Europa: & quam multi etiam veterum fallantur, qui raptum hunc toto referunt seculo ante utriusque Minois ætatem. Quod satis docent, quæ tam varie, varios secutus auctores, de raptu Europæ, ac Minoe, in Chronico suo canone prodidit Eusebius.

* *duci, sive exercitus præfecto.*

Quid cæteros persequar Ioves? Vt illum, qui ex Leda genuit Pollucem, & Helenam: imò & Castorem, si audimus Homerum, vel alium, hymno in Διοσκύρους. Verum aliter Homerus Odyss. λ, & Pindarus Nem. Idyll. A; qui Castorem Tyndarei filium tradunt, eoque natum mortalem: unde & interfectus, sive ab Ida; ut est apud Theocritum idyllio memorato, & Pausaniam Messeniacis: sive, juxta alios, à Meleagro, aut Polynice. Pollucis igitur ille, & Helenæ parens, qui Iupiter dictus, vel ipse erat Ledę maritus, Tyndareus, vel adulter aliquis. Ætatem ejus ac Castoris non possumus ignorare, cum eos constet, Helenæ fuisse fratres; cujus gratiâ bellum ad Trojam gestum fuit. Itaque ut Helena *Tyndaris* à patre, *Oebalis* ab avo; ita & illi *Tyndaridæ*, & *Oebalidæ* appellantur. Dixeris, si fratres fuissent, fore inter eos, quos Homerus ait pugnâsse ad Trojam. Sed ex Homero ipso facilè occurritur. Vbi Helena ait, se auxilio eorum destitui, quia paullo antè decesserint. Dicitur Helena cum Polluce ex ovo prognata, quia uterque educatus in superiori ædium parte, quæ Lacedæmoniis, Eustathio † teste, vocabatur ᾠὸν: unde in usu ὑπερῷον. Tempori autem repugnare videtur, quod à veteribus proditum, Alcmenam fuisse postremam mulierum, cui vim intulerit aliquis, Iovis nomine à poetis nuncupatus. Nam potiùs ea fuerit Leda. Quippe Hercules ex Alcmena: Helena ex ovo Ledæo.

† *Odyss. α, pag. 1420, edit. Rom. & Od. λ, pag. 1686.*

Hercules autem, natu jam grandis, deceſſit ante bellum Trojanum. Helenam verò minorem natu fuiſſe; arguit, quod eam poſtea formâ captus rapuerit Paris.

Ad eorum exemplum, quo Ioves hoſce diſtinximus, non operoſum erit cæteros Ioves, Naſoni in Metamorphoſios opere, atque aliis memoratos, ad tempora ſua referre. Vti illum, qui ex uxore Ixionis genuit Pirithoum, amicum Theſei: cujus tempus antea vidimus: item eum, qui ex Calliſto genuit Arcada; unde dicta Arcadia, cùm Pelaſgos in ſuam redegiſſet poteſtatem: ut ait Euſebius num. Iɔ xxxii. Atque ita in aliis.

CAPVT XV.

Neptuni antiquiſſimi nomine Iapetum, Noe filium, ſignari. Cur Neptuno non maris ſolùm imperium dederint, ſed etiam arti præfecerint equeſtri. De Conſo, & Conſualibus, & ea à Neptunalibus differre. Primos Græcorum equis vectos Lapithas, & Centauros; unde origo fabulæ de biformi monſtro, quod homine, & equo conſtaret. Varii Græcorum Neptuni ſua ad tempora reducuntur. Neptuni filios dici, cùm alios, tum moribus aſperos & inhumanos: item qui mari periiſſent. Quis ille Neptunus, qui cum Pallade in Athenarum primordiis decertârit. Quis item alter ille, qui exſtruxiſſe dicitur muros Trojanos.

QVomodo verò multi erant Ioves; ita & Neptuni multi. Quorum antiquiſſimus mihi unus è Noachi filiis videtur. Nam velut in Saturno Noë; ita in tribus Saturni liberis, qui mundi imperium diviſiſſe dicuntur, adumbrati ſunt tres filii Noe, eorumve poſteri; ut plenius exponam, ubi ad Saturni cultum fuerit deventum. Porrò uti Semi progenies ſeptentrionalem & orientalem Aſiam obtinuit; Chami autem ſtirpi Aſia meridionalis cum Africa ceſſit: ita Iapheto obtigere maris mediterranei inſulæ, & continens Europæa: ut in quam ex inſulis ulteriùs veniretur. Hujus igitur poſteris duplici ſcientiâ opus fuit: nauticâ, ad tranſmittendum vaſtum mare; & equeſtri, ut in loca venientes longè latéque patentia, ſed inculta, & ſæpe ſylveſtribus, efferis, ac venenatis animalibus obſeſſa, celeriùs tutiuſque quàm maxima ſpatia conficerent; donec de locis maximè ſibi idoneis ſatis deſpicere poſſent, eaque inter ſeſe partirentur. Hanc eſſe cauſſam exiſtimo, cur Neptunum, quem Iapetum interpretor, non nauticæ ſolum rei, ſed equeſtri etiam præfecerint. Audiamus, quam belle cum his conſentiat Diodorus Siculus lib. v: Τῶν δ' ἄλλων θεῶν τῶν ἐκ Κρόνου καὶ Ῥέας γενομένων φασὶν οἱ Κρῆτες Ποσειδῶνα μὲν πρῶτον χρήσασθαι τῇ κατὰ θάλασσαν ἐργασίαις, καὶ στόλους συστήσασθαι, παραδόντος αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν ταύτην τοῦ Κρόνου. διὸ καὶ παραδίδοσθαι τοῖς ἐπιγονομένοις τοῦτον κύριον ὑπάρχειν τῶν κατὰ θάλασσαν

λασσαν πραττομένων, καὶ θυσίαις ὑπὸ τῶν ναυτιλλομένων τιμᾶσθαι· προσάπτουσι δ' αὐτῷ καὶ τὸ τοὺς ἵππους δαμάσαι πρῶτον, καὶ τὴν ἐπιστήμην καταδεῖξαι τὴν περὶ τὴν ἱππικήν. ἀφ' ἧς Ιππειον αὐτὸν ὠνομάσθαι. *Inter alios autem Deos, è Saturno & Rhea genitos, ajunt Cretenses, Neptunum primùm maris negotium tractare cœpisse, classemque instituisse, hanc præfecturam à Saturno adeptum. Ideoque fama apud posteros increbuit, quæ in mari geruntur, in hujus arbitrio esse: & propterea eum sacrificio nautæ honorant. Adjiciunt & hoc, equos à Neptuno primùm domitos, & equestris rei scientiam ab eo traditam. Vnde Hippius, id est, equestris, nominatur.* Hunc Neptunum equestrem Romani *Consum* dixere: unde *Consualibus* nomen: de quibus Varro lib. v de L. L. Item Livius lib. I: *Romulus*, inquit, *ludos ex industria parat Neptuno Equestri sollemnes: Consualia vocat.* Vide & Dionysium lib. I, Plutarchum in Romulo, Tertullianum de spectaculis cap. v, Servium in VIII Æn. Interim quia latiùs Neptuni, quàm equestris Neptuni, nomen pateret; eò aliud *Consualia*, aliud *Neptunalia*: illa erant Ποσειδῶνος ἱππίου *, ac non quidem mense Martio, ut Servius ad VIII Æn. scripsit, sed in Augusto celebrabantur; ut ex Plutarchi Romulo constat: hæc autem fuere Ποσειδῶνος Σεισίχθονος †, hoc est, ejus qui maris haberet potestatem: ut perperam hæc nonnulli confundant. Atque hæc de Neptuno illo vetustissimo. Postea tot prope Neptuni, quot principes insulares: quod ex poetarum fabulis, si ad historiam eas referamus, non obscurè cognoscitur. Ac præter istos & continenti fuere Neptuni sui: in his principes, qui arte equestri excellerent. Talis fuit Ixion, aliusve rex Thessalus, qui artem eam docuit gentem suam; unde ad Græcorum alios se diffudit. Primi autem è Thessalis Pelethronii Lapithæ, ac Centauri, parte hac artéque valuere. Vnde Maro lib. III Georg.

Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Quo loco sic Servius: *Pelethronium oppidum est Thessaliæ; ubi primus domandorum equorum repertus est usus. Nam cum quidam* THESSALVS REX, *bobus œstro exagitatis, satellites suos ad eos revocandos ire jussisset, illique cursu non sufficerent: adscenderunt equos, & horum velocitate boves secuti, eos stimulis ad tecta revocarunt. Sed hi visi, aut cum irent velociter, aut cum eorum equi circa flumen Peneum potarent capitibus inclinatis, locum fabulæ dederunt, ut Centauri esse crederentur: qui dicti sunt, Centauri* ἀπὸ τοῦ κεντᾶν τοὺς ταύρους. Etiam Valerius Probus in primum Georgicôn annotavit, primum in Thessalia equum esse conspectum; quem istic exhibuerit Neptunus. Qui Neptunus, si extra fabulas eatur, non alius sit, quàm rex Thessalus; ut à Servio eum vocari vidimus. Plinius, etsi Bellerophontem dicat primum docuisse equis vehi:

* *Neptuni equestris.*

† *terram quatientis.*

vehi : tamen juxta illum quoque magna huic arti incrementa dederint Theſſali. Sic enim ſcribit lib. VII, cap. LVI : *Equo vehi* (inveniſſe) *Bellerophontem : frenos & ſtrata, Pelethronium : pugnare ex equo, Theſſalos, qui Centauri appellati ſunt, habitantes ſecundùm Pelium montem.* Vbi paullum à Marone abire videtur. Ille enim loquitur de Lapithis Pelethronium Theſſaliæ montem incolentibus, à quo & Chiron *Pelethronius* eſt appellatus : at Plinio, uti & Solino, Pelethronius propriũ eſt hominis nomen. Niſi, ut ſuſpicor, apud Plinium *Pelethronios* ſcribendum. Etiam apud Palæphatum initio operis legimus, ut quo tempore Ixion, rex Lariſſæ in Theſſalia, imperium haberet, bellum geſtum ſit Centaurorum & Lapitharum : & quæ res occaſionem præbuerit, ut Centauris formam tribuerent adeo monſtroſam. Eamque rem ex eo politicis verſibus expreſſit Iſacius Tzetzes Chil. VII, Hiſt. XCIX. Sed, juxta Palæphatum, non tam Ixion hac arte Theſſalis præiverit, quàm ab iis hauſerit. Quamquam nihil impedit, quo minus & à ſuorum nonnullis eam rex didicerit, & deinde docuerit alios, vel doceri juſſerit. Quando Ixion ille vixerit, ex Euſebio cognoſcere eſt ; qui bellum iſtud refert ad tempora Ægei Athenienſis, & Atrei ac Thyeſtæ, Mycenæorum regum : nempe duabus generationibus ante captam Trojam.

Sed ſatis de equeſtris artis invento inter Græcos. Venio ad eos, qui Neptuni nomine à Græcis vocari ſolent. Quos temporibus ſuos diſtinguere non adeò eſt operoſum, quàm primâ facie videatur. Vt ſi quæſtio ſit de Neptuno illo, qui ex Libya, vel, ſecundùm alios, ex Eriphyle, genuiſſe dicitur Agenorem, Belum, Phœnicem : quorum Belus parens fuerit Danai, & Ægypti. Horum enim tempora jam antea excuſſimus. Vnde etiam cognoſcere eſt, de ætate Neptuni ejus, qui ex Amymone, Danai filia, genuerit Nauplium, parentem Palamedis illius, qui ad Trojam militans, miſerè, fraudibus Vlyſſis circumventus, periit. Neptuni etiam ex Laide filius erat Cercyon latro ; qui cum Atticam infeſtaret, à Theſeo eſt ſublatus. At nota Theſei tempora. Itidem Neptuno ex Tyro, Salmonei filia, natus eſt Pelias, rex Theſſalus, quem Pelopia, Euadne, cæteræque filiæ, diſſecuiſſe dicuntur, deceptæ à Medea, ut Iaſon Theſſaliæ regno potiretur. Neptuni quoque, ex eadem Tyro, filius fuit Neleus, duodecim filiorum ex Chloride parens : quos omnes Hercules, captâ Pylo, interemit, præter facundum illum Neſtorem : qui aliò tum ſortè miſſus erat. Meſſapus etiam Neptunia proles * vocatur : qui cum Turno bellum adverſus Æneam geſſit in Italia. Horum omnium tempora ſunt aperta : cùm ex liberis ac nepotibus non difficile ſit ſtatuere de parente, vel avo Neptuno. Sed enim, quod Neptuni aliquis filius nuncupatur, à variis cauſſis proficiſcitur. Eſt cùm Neptuni nomine occultatur nomen principis alicujus inſularis,

* Virg. Æn. 7.

sularis,vel qui per mare venisset †, vel præesset populo θαλασσοκρατοῦντι *. Est cùm intelligitur Neptunius sacerdos. Vel attenditur,quod aliquis perierit in mari. Est etiam cũ spectantur mores Neptunii,sive,ut cum Plauto potius dicam,maritimi †. De postremo illorum sic Agellius lib.xv Noct. Att. cap.xxi : *Præstantissimos virtute,prudentiâ,viribus, Iovis filios poetæ appellaverunt; ut Æacum,& Minoa,& Sarpedona: ferocissimos,& immanes,& alienos ab omni humanitate,tanquã è mari genitos,Neptuni filios dixerunt; Cyclopa,& Cercyona,& Scyrona,& Lestrygonas.* Ac similiter fere Tzetzes Chil.xi,hist.li :

† *Servius in Æn.7, vers. 691.*
* *imperium maris habenti.*
† *Cistell.2,1.*

Θησεὺς γὰρ ἦν τῶν Ἀττικῶν Αἰγέως, & τῆς Αἴθρας.
Ὡς δὲ ἀνδρεῖον, ἔφασαν παῖδα τοῦ Ποσειδῶνος.
Τὰς θυμικὰς γὰρ σύμπαντας, καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους,
Υἱοὺς καὶ φίλους, ἑραστὰς φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος.
Theseus filius erat Attici Ægei, & Æthræ.
Tanquam autem strenuum, dixerunt filium Neptuni.
Anima enim elatos cunctos, & omnes strenuos,
Filios & amicos, amasiosque dicunt Neptuni.

Sed hoc inter eos discriminis est, quod laxiùs aliquanto Tzetzæ, quàm Agellio,filiorum Neptuni, pateat appellatio. Quippe licet Theseus animosus, ac strenuus; non immanis tamen, & ab omni humanitate alienus. Atque idem dixero de Ægeo : qui, etsi Pandionis filius foret, Neptuno tamen prognatus dicitur. Nempe quia cum Theseus, jussi immemor paterni,Cretâ nigris reverteretur velis; sese Ægeus in mare dederit præcipitem. Quomodo & Arion, fidicen, ac poeta lyricus, (cujus parentes veri nesciuntur, ut sæpe insignes artifices genere sunt obscuro) Neptuni ex Oncæa nympha filius dictus, quoniam in mare desilierit; unde, portante delphino, Tænarium in promontorium creditur delatus : ut est apud Herodotum,Diodorum,Plutarchum : è Latinis Ovidium ii Fast. & Agellium lib.xvi, cap.xix.

Sed duo præterea sunt Neptuni valde memorabiles : unus in re Attica, alter in Trojana. Vetustior ille prior, de quo propterea priùs dicam. Satis constat, cùm urbs conderetur, quam Athenas dicimus, controversiam fuisse obortam, utrum à Pallade, an Neptuno, ei esset dandum nomen. Hanc litem fuisse censeo inter Senatum, & plebem, quæ nautis & remigibus præcipuè constabat. Et ut Senatus suum principem, ita & plebes suum habuerit ducem. Posterior iste cum factione sua Neptuni nomine censetur. At Senatus, qui sapientia plus pollebat, Minervæ nomine intelligendus. Quare cum Minerva prævaluisse dicitur, hoc sic capere oportet, quod priores tulit Vrbis Senatus, & flos populi : posteriores autem Neptunia proles, turba nautica. Atque ea imperii forma,

ma, ut plus possent Vrbis incolæ, quam qui Piræeum incolerent; deinceps etiam permansit, usque dum Themistocles, non tam Piræeum Vrbi, quàm Vrbem Piræeo adjunxit. Sic enim major esse nautarum & remigum potentia, quam urbanorum cœpit. Multum hæc firmantur egregiis Plutarchi verbis in Themistocle, ubi de viro hoc ita scribit: Εκ δὲ τούτου τὴν Πειραιᾶ κατεσκεύασε, τὴν τῶν λιμένων εὐφυΐαν κατανοήσας, καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἁρμοττόμενος πρὸς τὴν θάλασσαν, καὶ τρόπον τινὰ τοῖς παλαιοῖς βασιλεῦσι τῶν Αθηναίων ἀντιπολιτευόμενος. Εκεῖνοι μὲν γὰρ (ὡς λέγεται) πραγματευόμενοι τοὺς πολίτας ἀποσπάσαι τῆς θαλάσσης, καὶ συνεθίσαι ζῆν μὴ πλέοντας, ἀλλὰ τὴν χώραν φυτεύοντας, τὴν περὶ τῆς Αθηνᾶς διέδοσαν λόγον, ὡς ἐρίσαντος περὶ τῆς χώρας τοῦ Ποσειδῶνος, δείξασα τὴν μορίαν τοῖς δικασταῖς, ἐνίκησε. Θεμιστοκλῆς δ' οὐχ, ὡς Αριστοφάνης ὁ Κωμικὸς λέγει, τῇ πόλει τὴν Πειραιᾶ προσέμιξεν †, ἀλλὰ τὴν πόλιν ἐξῆψε τοῦ Πειραιῶς, καὶ τὴν γῆν τῆς θαλάττης· ὁ καὶ τὴν δῆμον ἤυξεσε κατὰ τῶν ἀρίστων, καὶ θράσους ἐνέπλησεν, εἰς ναύτας καὶ κελευστὰς καὶ κυβερνήτας τῆς δυνάμεως ἀφικομένης. διὸ καὶ τὸ βῆμα τὸ ἐν Πνυκὶ πεποιημένον, ὥστ' ἀποβλέπειν πρὸς τὴν θάλασσαν, ὕστερον οἱ τριάκοντα πρὸς τὴν χώραν ἀπέστρεψαν, οἰόμενοι τὴν μὲν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν, γένεσιν εἶναι δημοκρατίας, ὀλιγαρχίᾳ δ' ἧττον δυσχεράινειν τοὺς γεωργοῦντας. *Hinc Piræeum, commoditate animadversa portus, extruxit, totamque urbem ad mare accommodavit, contrariam quodammodo sectam in civitate, ac veteres Atheniensium reges, instituens. Illi enim, ut fertur, intendentes revocare à mari cives, atque ad relinquendas naves, colendumque assuefacere agrum, dissipaverant illam de Pallade fabulam: ambigente de illa regione Neptuno, cum ostendisset judicibus olivam, causam eam obtinuisse. At Themistocles, non (ut comicus ait Aristophanes) urbi commisit Piræeum; imò urbem annexuit Piræeo, & terram mari. Quæ res vires populi aluit contra optimates, eumque audaciâ inflavit, omni ad nautas, hortatores, & gubernatores redundante potestate. Vnde suggestum, qui erectus in Pnyce erat, ut spectaret mare, converterunt pòst terram versus triginta tyranni, imperium maritimum rati gignere populi potentiam, & paucorum principatu minus offendi agricolas.*

† *Malim* προσέμιξεν, adjunxit.

Videamus nunc, quis ille fuerit Neptunus, qui cum Apolline muros condidit Trojanos. De eo placet sententia eorum, qui (ut Eustathius tradit ad Il. Φ *) οὐκ αὐτοὺς θητεῦσαι φασὶν, ἀλλὰ ἱερὰ κειμήλια δαπαναθῆναι εἰς ἀνέγερσιν τῆς Ιλίου· *non eos mercede serviisse ajunt; sed sacram pecuniam, ac quæ pretiosa numinis forent, impendisse muris exstruendis.* Nempe uti consuetudo multis est dicere, aliquid donari, vel adimi S. Petro, vel S. Laurentio, vel alteri Sancto, quod confertur vel aufertur templo ab Sancto illo nomen sortito: ita etiam Laomedon dicitur fraudâsse eo Neptunum, quod ex sacro templi thesauro à sacerdote, ad muros exstruendos, illâ acceperat conditione, ut muris perfectis restitueret. Quare, si per Neptunum sacerdotem Neptuni, ut ejus ministrum, intelligamus; minimè aberrabimus.

* *pag.* 1245, *edit. Rom.*

Atque

Atque idem dixero de Apolline, si una eum struxisse muros placet. Homeri quidem sententia est Iliados Φ, Laomedonte ædificante, Apollinem pecus pavisse regium. Sed, ut Eustathius ibidem observat, juniores utrumque exstruxisse mœnia arbitrantur. Ita Pindarus Olymp. idyll. H. Eumque hac parte secutus Horatius lib. III, od. III: cum de hoc Laomedonte ait in plurativo: *Mercede pactâ destituit* DEOS.

CAPVT XVI.

Licet Vulcanus rex fuisse Ægyptius, suæque genti primus monstrasse ignem dicatur: antiquissimum tamen Vulcanum potius videri Tubalcainum, indeque Vulcani nomen κατ' ἀφάιρεσιν esse factum: nec eum tamen tam ignem hominibus ostendisse, quàm ignis usum in arte fabrili. Conditorem Babylonii imperii Nimrodum, sive Belum, esse vetustissimum Martem: nisi in societatem accipere placeat, tum Ninum, tum Thurram, qui & ipse Assyrius rex fuit. Ενυάλιος *Mars. Chronicum Alexandrinum emendatur. Belum non esse alium à Baal. Ætas Martis Græcanici, & quis Mars ille, quo gentis suæ auctore Romani gloriantur. Antiquissimus Apollo est Iubal Mosis. Aliis tamen Mercurium credi. Mercurii Ægyptii ætas ex ætate Osiridos ostensa. Græcorum Mercurium Atlantiadem vixisse tempore belli Trojani, & Panos: multò tamen vetustiorem esse, juxta alios. Mercurii ejusdem ætas monstrata ex ætate Herculis, & Penelopes; unde Pan cum cruribus hircinis.*

A Neptuno venio ad quatuor istos, Vulcanum, Martem, Apollinem, & Mercurium: quos eopse ordine recenset, ac Iovis ait filios, Diodorus Siculus libro v. Loquitur autem de Iove Cretensi. Idem tamen lib. I dixerat, secundum sacerdotes Ægyptios primùm in Ægypto regnasse Vulcanum, eique divinos post mortem honores attributos propter ignem inventum. Reperisse autem hoc pacto: Arbore de cælo tactâ incensam fuisse sylvam vicinam: tum accessisse Vulcanum, & cum ob frigus hibernum magnam caperet ex calore voluptatem, ubi, materiâ deficiente, ardor remittebat, novam subjecisse; ita conservasse ignem, & accitis aliis, fecisse ejus participes. Sed ut fortasse hujusmodi quid Ægyptio regi acciderit; longè tamen antiquius est ignis inventum. Neque Vulcanus tam in Deos relatus ob repertum ignis, quàm ignis in arte fabrili usum. Quod clarè dicit Diodorus ipse *. Audiamus eum: Ηφαι- * lib. 5.
στον δὲ λέγουσιν εὑρεῖν ἡμέρᾳ τὸ μὲν τὸ σίδηρον ἐργασίας ἁπάσης, καὶ τὸ μὲν τὸ χαλκὸν καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον, καὶ τὴν ἄλλων ὅσα πλὴν ἓκ τὸ πυρὸς ἐργασίαν ἐπιδέχεσθαι· καὶ τὰς ἄλλας δὲ χρείας τὰς τὸ πυρὸς ἁπάσας προσεξευρεῖν, καὶ προδοῦναι τοῖς τε τὰς τέχνας ἐργαζομένοις, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις. διόπερ οἵ τε τὴν τεχνῶν τούτων δημιουργοὶ

μιȣργοὶ τὰς ἐυχὰς ϗ θυσίας τȣ́τῳ τῷ θεῷ μάλιςα ποιȣ̃σι, ϗ τὸ πῦρ ȣ̃τοι τε ϗ πάντες οἱ ἄνθρωποι προϛαγορεύȣσιν Ηφαιςον, εἰς μνήμην ϗ τιμὴν ἀθάνατον τιθέμενοι τ̃ ἐξ ἀρχῆς τῷ κοινῷ βίῳ δεδομένην ἐυρεργεσίαν. *A Vulcano fabricationem ferri, æris, auri, argenti, & cæterorum omnium, quæ ignis operationem recipiunt, inventam; & universum ignis usum excogitatum, & tum artificibus, tum cæteris quoque hominibus expromtum esse dicunt. Propterea harum artium magistri, vota & sacra huic Deo potissimum offerunt: & ab his, ut ab universis quoque mortalibus, ignis Vulcanus appellatur: ut hoc pacto beneficium, communi hominum vitæ tributum, immortali memoriæ & honori consecretur.* Rectè vidit Diodorus, Vulcanum esse hominem istum, qui artem reperit ærariam, ac ferrariam. Sed quis heros iste fuerit, vel quando vixerit, penitùs ignoravit. Est verò is Thobel, ut LXX, & Iosephus vocant, sive potiùs, ut Hebræis dicitur, Tubalcain, Lamechi ex Sella filius, Mehujalis nati ex nepote Caini, pronepos: quem eas invenisse artes, Moses tradit Genes. IV, 22. ubi etiam refert, ut fratrum unus Iabal, tentoria; alter autem, nomine Iubal, artem invenerit Musicam. Hunc igitur homines, ac imprimis ærarii, & ferrarii, ut suæ artis parentem, retulere in Deorum numerum, atque ut inferiùs dicam, cum Deo ignis præside coluerunt; poetæ autem Iovis fulmina fabricare sunt commenti. Hæc valde etiam firmantur nomine ipso Vulcani. Nam unde Vulcanus, nisi ex Tubalcanus, præter mutationem vocalis, B, ut fieri solet, in V converso, & principe syllaba recisa; quomodo ex *Atergatis* est *Dercetis*: item ab ἀμέλγω, *mulgeo*, à γάλακτα *lacte*, ab ἄρȣρα *rura*, atque ita in aliis multis: ut in Originum libris pleniùs explicamus.

Venio ad Martem: de quo sic in quincto Diodorus, ex sententia Cretensium: Τὸν Αρην δὲ μυθολογȣ̃σι πρῶτον κατασκευάσαι πανοπλίαν, ϗ ςρατιώτας καθοπλίσαι, καὶ τ̃ ἐν τ̃ μάχαις ἐναγώνιον ἐνέργειαν εἰσηγήϛασθ, φονεύοντα τȣ̀ς ἀπειθȣ̃ντας τοῖς θεοῖς. *Qui fabulas ad historiam referunt, hi Martem ajunt primum fuisse, qui universam fabricarit armaturam, ac milites armis instruxerit, & morem induxerit collatis signis decertandi, omnesque, qui Diis nollent credere, è medio sustulerit.* Iste armorum ac rei bellicæ inventor Nimrodus fuit; qui, Scriptura testante *, *cœpit potens esse in terra*: ac venatori confertur, quia ut homines feras, ita ille venatus homines. Vnde & (quemadmodum in Fastis Siculis, sive Chronico Alexandrino legas) in sidera à Persis relatus, ac *Orion* dictus fuit. Nimrodi nomen ignorant gentes: sed iis *Belus* dicitur: à quo Babylonicum cœpisse imperium, Eupolemon tradidit in historia Iudaica: ut retulit Alexander Polyhistor; atque ex eo Eusebius lib. VI de præpar. Euang. cap. IV. Etiam Servius primum Assyriis regnâsse Belum, prodit ad illud Maronis I Æn. — *Qua Belus, & omnes*

A Belo, soliti. — Similiter Eusebius initio Chronici: eumque

* *Genes.* 10, 8.

que secuti Isidorus, Beda, Ado, ac Chronologorum alii. Belum autem eundem esse ac Martem, clarè etiam cognoscimus ex Histiæo Milesio, antiquissimo rerum Phœniciarum scriptore; qui de campo Senaar, ubi Babylon condita, sic scribit: Τῶν δὲ ἱερέων τὺς διασωθέντας, τὰ τ ἐνυαλίυ Διὸς ἱερώματα λαβόντας, εἰς Σεναὰρ τ Βαβυλωνίας ἐλθεῖν. *Qui verò ex sacerdotibus conservati essent, acceptis Iovis Enyalii sacris, venêre in Senaar Babyloniæ.* Pro Ενυαλίυ apud Iosephum legitur Ενυελίυ. Sed Ενυαλίυ rectè est apud Syncellum ex Eusebii priori Chronicorum libro: prout editus is in Thesauro Temporum *. Videtur Rufinus, cùm quid Enyalius esset, ignoraret, vocem eam præteriisse. Saltem nec in MSo meo compâret, nec in editis ullis. Sed Enyalium esse inter Martis cognomina, auctor est Macrobius in Saturnalibus †: atque idem docet Eustathius ad Homerum, qui non semel usurpat. Vti & alii poetarum, & in his Bassus lib. 1 Ανθολογ. ‡ à quo Spartani trecenti, qui fortiter pugnantes ceciderant, vocantur

— ἀνικήτυ † δῆμος Ενυαλίυ.

Quamquam & vox ea sæpe adjectivè pro Martio aut bellicoso legatur: unde Hesychius πολεμις-ὼ & πολεμικὸν interpretatur. Nec moveat, quòd in Trogi epitome dicat Iustinus: *Primus omnium Ninus, rex Assyriorum, intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos terminos usque Libyæ perdomuit.* Nam Ninus ille filius fuit Beli: ut legas apud Tertullianum de Pallio cap. 11, Eusebium initio Chronici, Hieronymum in Osee cap. 11. Patri imperii Babylonici initia debentur, quæ tenuia fuere: longè majus iis fastigium dedit Ninus. Qui & paterno addidit imperio Assyrium. Et, credo, sene Nimrodo, auspiciis patris, ductu Nini, bella sunt gesta. Porrò quia belli initium sit à Belo, quem Martem esse diximus; eò & multi olim putarunt, *bellum* à *Belo* nomen accepisse. Cumque genus ignorarent, dixerunt esse filium Neptuni. Nam, ut monitum antea, feroces & inhumanos Neptuni filios vocabant. Atqui, ut cum Tibullo * dicam,

— *horrendos primus qui protulit enses*
Et ferus, & verè ferreus ille fuit.

De Belo quod dixi, acceptum fero Hygino fab. CCLXXIV: *Afri*, inquit, *& Ægyptii, primùm fustibus dimicaverunt: postea Belus, Neptuni filius, gladio belligeratus est: unde bellum dictum.* Quam sententiam secutus etiam Cassiodorus lib. 1, epist. xxx. Sed de origine vocis decepti uterque. Nam *bellum* est ex πόλεμος, recisâ terminatione, & vocalibus trajectis: P præterea abeunte in B: ut ab ἀπὸ, *ab*; ὑπὸ, *sub*; πυρρὸς, *burrus*. Nisi simplicius sit cum Varrone † dicere, ut à *dis, bis*, à *duonus, bonus*; ita *bellum* esse ex *duellum*: unde *perduelles* Plauto, & *Duellona*, quæ aliter *Bellona*. *Duellum* autem, quia inter duos ‡ sit, sive partes duas.

* *pag.* 13.

† *lib.* 1, *cap.* 19.

‡ *lib.* 1, *cap.* ὡς ἀνδρείων.

† *invicti populus Ennalii.*

* *lib.* 1, *el.* 10.

† *lib.* 6 *de* L. L.

‡ *Vetus Horatii interpres in epist.* 2, *lib.* 1.

Hactenus vidimus, ut Mars sit Nimrodus sive Belus, ejusve filius Ninus: quem cum patre veteres quoque sæpe confundunt. Ac tertia etiam sententia est, ut Thurram Martem credamus. Thurras iste Nino, ut Ninus Belo, successit. Ac ipse itidem egregius bellator fuit, & propterea pro Deo habitus, & Mars dictus est. Ad hanc opinionem præit Suidas in Θούῤῥας. Ac penè eadem legas in Fastis Siculis, sive Chronico Alexandrino. Cujus verba ex re fuerit apponere: Μετὰ δὲ Νίνον ἐβασίλευσεν Ασσυρίων Θούῤῥας ὀνόματι, ὅντινα μετωνόμασεν ὁ τούτου πατὴρ Ζάμης ἐκ τῆς Ρέας ἀδελφὸς Αρεα εἰς ὄνομα τοῦ πλάνητος ἀστέρος. *Post Ninum Assyriis imperavit rex nomine Thurras, cui pater Zames, idemque ex Rhea frater, Martis nomen indidit à planeta ejus nominis.* Sed quis ille Zames? Sanè dixerat antea, Iovem, patre suo Saturno in Occidentem profecto, duxisse uxorem ejus conjugem, matrem suam, cui nomen fuerit Semiramis, vel Rhea. Iovem igitur signari certum est. Quare pro Ζάμης conjicio rescribendum esse Ζάνης sive Ζὰν, quæ est inter veteres Iovis appellationes. Primitus verò idem Iupiter, ac Mars, imo & Sol: ut libro proximo declarabitur. Subjicit deinde idem Chronicon, Thurram hunc fuisse πικρὸν πολεμιστὴν, *acrem bellatorem:* eumque Arctoas paterno imperio plagas addidisse. Nempe vel eò colonos miserit, vel qui eò migrassent, adegerit, ut se dominum, vel principem agnoscerent. Nisi hoc solùm veteres spectarunt, Arctoas gentes, ut bellicosas, in tutela esse numinis, quod præsidet bello. Postea indicat, hunc Thurram non solùm Martem creditum; sed etiam vocatum Baal sive Belum. Sic enim subjungit: ᾧτινι Αρει ἀνέστησαν πρώτην στήλην οἱ Ασσύριοι, καὶ ὡς θεὸν προσεκύνουν αὐτὸν, καὶ ἕως τῆς νῦν καλοῦσι Περσιστὶ τὸν Βαὰλ θεὸν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον Αρης, πολέμων θεός. *Cui Marti primam Assyrii columnam constituêre, eumque velut Deum venerati sunt, & hactenus eum voce Persicâ nuncupant Baalem Deum: quod si transferatur, fuerit Mars, bellorum Deus.* Suspicor, & hîc mendam irrepsisse. Dicitur, eum Persicè vocatum βαὰλ θεόν. Sed pro θεὸν arbitror positam fuisse aliquam Orientis vocem, quæ bellum notaret: ut si Hebraicè dixisset, בַּעַל מִלְחָמוֹת, *dominus bellorum:* quod optimè conveniret cum eo, quod transfert, πολέμων θεόν. Sanè etiam Deus Hebræis vocatur יְהוָה צְבָאוֹת, *dominus exercituum.* Quamquam autem Chronicon hoc inter Βῆλος, & Βαὰλ, distinguat: revera tamen dialecto solùm differunt. Nam qui Hebræis בַּעַל, *dominus,* is Syris בְּעֵל, ut Ezræ IV, 8: Chaldæis, extritâ literâ pneumaticâ, בֵּל, Ies. XLVI, 1. Vnde Græcis Βῆλος.

Præter Martem hunc, ab Asia & Oriente acceptum, alium etiam memorant Græci. Is patriâ Spartanus erat, juxta Epicharmum; Thrax autem, ex sententia Sophoclis; aliis Arcas: uti de omnibus istis testis Clemens in Protreptico. Vbi & addit, Cares ei mactâsse canem: Scythas autem

autem asinum : & ejusce rei auctores laudat Apollodorum , & Callimachum. Quamquam ille Carum & Scytharum alius credo Mars fuit , & fortasse non alium, quam æthereum intellexerint, hoc est Solem, vel unum è quinque planetis. Ille verò Græcis memoratus , vixit tempore Cecropis , primi Athenienſium regis : uti est argumento , quod , occiso Halirrhothio, accusatus, in Areopago sententia XII Deorum, hoc est judicum (qui & in scripturis Elohim sive Dii dicuntur) fuerit absolutus. Vixit Mars iste tempore Mosis. Quippe *in Areopago primus accusatus est Mars* ; ut ait Iuvenalis scholiastes in sat. IX. At institutus Areopagus , vel XLI Cecropis; ut est apud Eusebium in Canone Chronico : vel XIV annis pòst, puta quincto anno Cranai ; quod legas apud Marianum Scotum.

Per se satis liquet ætas Martis illius Latini, ex quo Rhea Sylvia Romulum concepit. Is vel homo fuit Martialis, sive militaris, vel Martis sacerdos. Quamquam, ut neutrum esset, potuerint & Romuli genus ab eo deducere, partim ad velandam natalium regis ignominiam: partim quia bellicoso populo maximè tutelaris conveniret Deus, qui numen esset bellicũ.

Iam de Apolline videamus , cui Musica debetur. Inventum hoc Thraces tribuunt Orpheo , uni ex Argonautis : ut ætate unâ vixerit ante bellum Trojanum. Plato autem in tertio de Rep. organicam illam , ut qua canitur lyrâ, assignat Amphioni Thebano : illam, quæ assâ fit voce, Marsyæ Lydo, vel Olympo. Amphion quando vixerit , aliquis inter chronologos est dissensus. Eusebius, dum varios sequitur auctores, duplicem in canone chronico sententiam proponit. Interim convenit , regnâsse Thebis post Cadmum : hunc autem post Mosis & Iosuæ tempora claruisse. At multò antiquior est Musice. Fabium Quinctilianũ audiamus lib. I, cap. XVII * : *Timagenes auctor est, omnium in literis studiorum antiquissimam Musicen exstitisse.* Et sanè multò ante diluvium hanc artem fuisse , ex Mose est addiscere : secundum quem Genes. IV, 21 , Iubal vocatur *pater canentium cithara & organo.* Et possis hinc originem deducere *jubili,* vocis rusticæ, quo læta acclamatio signatur. Nisi potius à *jebel* , quo Hebræis signatur *tuba* , & μεταλπιγῶς † πεντηκονταέτεις ‡ , quando tuba promulgaretur libertas. Iubal iste germanus, sive, ut Iurisconsulti amant loqui, consanguineus frater fuit Tubalcaini, de quo antè diximus : ut dubium non sit, quin Iubal sit antiquissimus ille Apollo.

* *sive , ut alii distinguunt , IO.*

† *Hesych.*

‡ *spatium 49 annorum.*

Nisi forte Mercurii (ut ad eum nunc accedamus) gloria hæc magis videatur. Quando multi Musicen referunt inter Mercurii reperta. Sed possis hæc ita conciliare , idque Pausania , & Græcorum aliis præeuntibus, quod Apollo citharam , Mercurius lyram invenerit ; quæ quomodo differant , etsi à veteribus ipsis sæpius confundantur , ad barbaricam Manilii

nilii sphæram ostendit Ioſephus Scaliger. Et rectè ad veterum mentem. Nihil tamen impedit, quo minùs credamus, pro diversis gentibus Iubalem aliis Apollinis, aliis Mercurii nomine signatum. Sed si diversos placet, Apollo potiùs fuerit Iubal, quàm Mercurius. Præsertim si non penitus veteres respuimus fabulas. Nam apud Diodorum legas in quincto, Mercurium tum demum ex testudine lyram esse commentum, postquam Apollo, pœnâ sumtâ de Marsya à se devicto, ruptis citharæ nervis aliquanto tempore à Musicis abstinuisset.

Quamquam verò hæc non absurdè dicantur; magis tamen eò inclinat animus, ut putem, veteres, ac potissimùm poetas, veritatis historicæ sæpius corruptores, confudisse nobis Mercurios: quos plures fuisse, etiam Tullius in tertio docet de Natura Deorum. Sane ab Iubale, qui ante diluvium vixit, diversus est Ægyptius ille Noachides, qui Osiridis, hoc est, Mizraim tempore claruit. De ætate quidem Osiridis, videbimus in Diis Ægyptiorum. Ejus autem temporibus floruisse Mercurium, ex Ægyptiorum sententia docet Diodorus libro primo. Tradit enim fuisse Osiridis Ἱερογραμματέα, sive *sacrum scribam*: imò solere regem Osiridem ἅπαντ' αὐτῷ προσανακοινοῦσθαι, καὶ μάλιστα χρῆσθαι αὐτῷ συμβούλῳ· *omnia cum eo communicare, ac maximè ejus uti consilio.* Hic est ille, qui Ægyptiis leges & literas tradidit: ut ait Cicero in III de Nat. Deorum. Pluráque de eo & apud Diodorum loco memorato legas, & à nobis inferiùs dicentur.

Ex Græcorum Mercuriis non alius celebratior illo, qui erat, *Atlantis magni, Pleioneſque nepos,* ut Ovidius eum describit epist. Parid. Huic tribuunt tum legationes, & fœdera; tum mercaturam, & furta; tum palæstram, & lyram: ut ait Diodorus in quincto. Non fuerit admodum antiquus, si avus ejus Atlas fuit Herculi Thebano æqualis: quod traditum ab Apollodoro lib. II bibliothecæ. Ac convenit cum eo, quod Mercurius ex Penelope Vlyssis generarit Pana: ut etiam est apud Plutarchum de defectu Oraculorum, & Nonnum ‡, collect. Histor. apud Nazianz. Invect. I in Iulian. Fuerit igitur Mercurius ille tempore belli Trojani. Alii tamen Pana τραγοσκελῆ * genitum putant ex omnium procorum cum Penelope concubitu: ut ait Pausanias in Arcadicis. Atque idem tradidit Duris Samius libro de Agathocle: & ex eo Isacius Tzetzes in Lycophronis Cassandram. Sed is scholiastes aliam hanc fuisse Penelopen arbitratur. Nempe quia videret hoc repugnare Homero, qui Penelopen Vlyssis tantopere à pudicitia celebrat. Quasi non sæpius ab historiæ veritate abierit Homerus, ac propterea jure ab illo recesserint juniores. Rectiùs dixisset, Pana istum τραγοσκελῆ † potiùs ad rerum naturam, quam ad heroas, pertinere. Et tamen fateor de Atlantis ætate minimè olim conveniſse. Ab Eusebio quidem

‡ *pag. 141, edit. Etcon.*

* *hircinis cruribus.*

† *cruribus hirsutis.*

dem nunc xx, nunc L, ante Cecropem annis refertur. Nam recenſet Atlantem numero CCCLXXIX, ac ſecundùm alios CCCCXXXI; Cecropem autem numero CCCCLX. Agonis verò Olympiaci inſtitutionem ab Hercule Io CCCXII. Vt quatuor amplius ſeculis diſſideant. Quæ diverſitas provenit ex eo, quod multi & Atlantes,& Mercurii,& Hercules, forent, vel ſaltem à poetis varii hoc nomine vocarentur.

CAPVT XVII.

Acceditur ad ſex Deas Conſentes : quarum Minerva videtur eadem ac Naama, Thubalcaini ſoror : aliis tamen putari Venerem. Fabula Iudaica de Naama ab angelis,imò & Adamo adamata,atque exinde genitis dæmonibus. Minervæ Atticæ ætas,ac ſolum natale. Iuno Cretica, Argiva, Imbraſia, ſive Samia. An Veſta architecturæ repertrix. Σαωὴ, Caini ſoror & conjux. Ceres frugum inventrix, imò & legifera : unde Θεσμοφόρια. Eſſe eandem, quæ Ægyptiis Iſis, ſoror & uxor Oſiridis regis. Refellitur jactatio Athenienſium, gloriantium ſeſe frugibus uſos ante Ægyptios. Diana Cretica ſive Dictynna repertrix venatoriorum caſſium : item ejus ætas. Venus Cypria quæ fuerit ; & quædam de ſacris ejus.

EGimus de ſex Diis, qui, inter Conſentes, mares fuere. Venio ad totidem feminas. Ex quibus principatus eſt attributus Minervæ,ac Iunoni. Itaque in Capitolio medium inter eas locum Iovi dederunt : ac Minervam quidem ſtatuêre à dextris, à ſiniſtris Iunonem.

Romanos imitati, Minervæ primas dabimus. Ea fuerit Noema, ſive Naama,filia Lamechi,Moſi memorata Geneſ. cap. IV : ſi verum eſt,quod apud Genebrardum in Chronicis, imò & in Lipomani catena legas, eam lanificium ac texturam reperiſſe, ac propter ſingulare hoc inventum memorari præter morem Scripturæ,quæ non ſolet in genealogiis referre feminas, niſi ob virtutem eximiam, aut myſterii cauſſa. Alii tamen, quia *Noema* venuſtam notat,eo arbitrantur eſſe Venerem gentium. Nam quid Venere venuſtius? Itaque & *venuſtum* ab ea dictum, ut à *vetus vetuſtum*. Idem colligunt ex eo, quod jungatur fratri Thubalcaino, hoc eſt Vulcano : cujus uxor Venus. Tantam etiam venuſtatem fuiſſe unius Naama prædicant, ut duo angeli Dei, Aza, & Azael, ejus forma capti, concubuerint, & ex ea dæmones genuerint, qui *Sedim* appellantur. Legere hoc eſt in libro Haozar. Eoque referunt,quod Geneſ.VI,2,dicitur, *Viderunt filii Dei filias hominum eſſe pulcras, & acceperunt ex iis uxores,quas elegiſſent.* Sed ſi hæc ad Naama pertineant, fuerit ea diluvii cauſſa : eoque non meruerit virtutis ergo memorari in Scripturis. Præterea putidum eſt,quod de commiſtione angelorum cum feminis narrant. Eò alii Adamum

ipsum, illis centum & triginta annis, quibus, ut ajunt isti, ab Eva fuit separatus, concubuit cum Naama, uti & Ohereth, Lilith, & Mahalath. Quatuor enim has esse dæmonum ex Adamo matres. Sed sunt ista tam insulsa, ut ea posuisse, sit eâdem refutâsse. Alii igitur, ut in Beresith Rabba legas, eò censent commemorari à Mose, quia fuerit uxor Noe: ex qua is genuerit Sem, Cham, Iaphet. Sed cum Noema fuerit septima à Caino; sic omne humanum genus, cumque beata Virgine ipse Iesus Christus, ex Caino descenderit. Id cum animus abhorreat putare, credere malo, omnẽ Caini progeniem diluvio interiisse. Quare etsi incertum sit, qua de caussa Moses Noema nomen expresserit: maximè tamen verisimilis est eorum sententia, qui quia jungitur tribus præclaræ rei inventoribus, Iabel, Iubal, & Tubalcain; eò & ipsam conjectant rei egregiæ repertricem. At nullum inventum feminâ dignius est texturâ, & lanificio. Satis enim notum arbitror, apud antiquos non viros texuisse, sed feminas: nec repertum hoc à gentibus viro tributum, sed illi, quam Minervam dixere: uti & Diodorus in quincto fidem fecerit; ubi varia ejus inventa refert; atque in his reponit, Ἢ τὴ ἐσθῆτος κατασκευὴν, *rationem conficiendarum vestium.* Solùm in eo peccat Diodorus, quòd tot reperta uni adsignet. Nam variæ hoc nomine donatæ fuerunt. Itaque quinque Minervas recenset Tullius in tertio de Natura Deorum. In his & illa Ægyptia, quæ Sais dicebatur. Verùm Græci omnia tribuere suæ malunt. Ea, regnante Ogyge, Bœotiæ rege, & Eleusinis in Attica conditore, nata fuit, & educata ab Alalcomenia, Ogygis filia; indeque Ἀλαλκομενὶς est vocata: uti quia est genita & enutrita juxta Tritonem, Bœotiæ fluvium, eò dicta est Τριτογένεια & *Tritonia.* Hæc si sunt, fuerit ea Isaaci, & Iacobi, patriarcharum temporibus. Quæ etiam sententia est Eusebii in Chronicis. Sed dubiam, inter alia, narrationem reddit, quod plerique Minervam eam natam dicant juxta Tritonem Libyæ. Tres enim Tritones fuere, secundùm Apollonii scholiasten, Bœotiæ, Thessaliæ, & Libyæ. Postremo horum tribuit quoque Statius Papinius lib. 11 Thebaid.

— Seu tu Libyco Tritone repexas
Læta comas.

Sed parum credibile est, inter Libyas, & Græcos, tam vasto mari discretos, tantam antiquissimis temporibus conjunctionem animorum fuisse, ut Græci inter Deos Libyssam referrent. Et quid ad Libyæ Tritona recurrere est opus, si geminus sit Trito in Græcia, & utrobique tantopere culta sit Minerva? At de gentium hac diva satis.

Nunc de Iunone dicamus: quam apud se natam prædicant Cretenses: ut, præter alios, testis est Diodorus in v. Qui & refert nuptias ejus cum Iove

Iove Cretenſi celebratas in Gnoſiorum terra ad fluvium Theronem : ubi poſtea conditum fuit Iunonis fanum, feſtumque etiam anniverſarium magna cum religione peragi ſolitum eſt à ſacerdotibus. Non minori tamen ſtudio hanc ſibi divam, tum Argivi vindicabant, tum Samii. Favet Argivis Homerus, qui Iliad. Δ eam Αργείαν * vocat. Pluraque de hac Pauſanias in Corinthiacis. Pro Samiis eſt, quod Apollonius, in Argonaut. primo, Ιμβρασίλω nuncupat. Vbi ſic vetus interpres : Ιμβραζος, ποταμὸς Σάμυ, ὃς μετωνομάσθη παρθένιος, διὰ τὸ ἐκεῖ παρθένον οὖσαν τετράφθαι τὴν Ηραν. *Imbraſus fluvius Sami, qui cognominatus Virgineus, eo quod illic Iuno, cum virgo eſſet, fuerit educata.* Nihil impedit, quo minùs omnes hi verum dicant. Nam quemadmodum multi fuere Ioves, ut ſuperiùs oſtenſum ; ſic Iunones item multæ. Quarum ætates magna ex parte ſui Ioves oſtendunt. Argiva quidem Iuno Io fuit : quæ cum Iunone cæleſti, & in ea, colebatur : quod ex parte expoſitum antea, & plenius poſtea explicabitur.

* *Argivam.*

Proximus eſto Veſtæ locus ; vel ob cultus vetuſtatem, & ſummam quam in eo ſanctimoniam poſuere. Eam quoque Cretenſes apud ſe natam perhibent ; ut refert Diodorus in v. Atque addit : Λέγεται δὲ Εστίαν τὴν τῶν οἰκιῶν κατασκευὴν εὑρεῖν, διὰ τὴν εὐεργεσίαν ταύτην καὶ πᾶσι μὲν ἀνθρώποις ἐν πάσαις οἰκίαις καθιδρυθῆναι, τιμῶν δὲ θυσιῶν τυγχάνειν. *Dicitur Veſta reperiſſe domorum architecturam: & ob hoc beneficium, ab hominibus univerſis, cunctis in ædibus honores & ſacrificii cultum eſſe adeptã.* At quomodo illa Veſtæ gloria eſt, ut architecturæ ſit repertrix, ſi ars ea tam antiqua eſt, ut penè à mundi fuerit incunabulis ? An dicemus, uti Adamus eſt Saturnus, quod poſtea oſtendam ; ſic filiam ejus Veſtam eſſe filiam Adami, quæ nupſerat Caino ? Poſſum aliquid pro hac ſententia adferre ex Epiphanio : qui ſive ex Leptogeneſi, ſive aliunde, tradit, ex filiabus Adami natu maximam, quæ Σαυὴ diceretur, nupſiſſe fratri ſuo Caino. Cainus autem urbem ædificavit primus, quam à filii nomine Henochiam appellavit : ut eſt Geneſ. IV, 17. Magis veriſimilia adferant, qui poſſunt. Mihi proprium etiam inventum eo minus placet, quia Veſta potius foci, imprimis publici, præſes erat : architecturæ autem præerat Pallas : de quo Maro Ecl. II :

— Pallas, quas condidit arces,
Ipſa colat.

Sed illuſtris imprimis eſt locus ille Luciani in Hermotimo : Φησὶ γὰρ ὁ μῦθος ἐρίσαι Αθηνᾶν, καὶ Ποσειδῶνα, καὶ Ηφαιστον, ἐντεχνίας πέρι· καὶ τὸν μὲν Ποσειδῶ ταῦρόν τινα ἀναπλάσαι, τὴν Αθηνᾶν δὲ οἰκίαν ἐπινοῆσαι. *Fabula enim ait, Minervam & Neptunum ac Vulcanum contendiſſe de artificio : ac Neptunum quidem efformâſſe taurum, Minervam vero domum.* Quamobrem eò inclino, ut Veſtam non tam cenſeam eſſe numen animale, quàm naturale : de quo pleniùs libro dicam proximo.

Ceres unde hoc nomen acceperit, in naturæ cultu dicam. Neque enim hoc habuit nomen, dum in hominibus ageret; sed aliud, quod intercidit: uti & filia ejus; cujus vetus vocabulum quia effari non liceret, eò ἄῤῥητος κόρη † dicta est à Carcino, poeta tragico. Nempe in Deos relatis nomina mutabantur: quomodo, quæ antea Ino, vocata est Leucothea, vel Matuta; Romulus item Quirinus. Cur ea Deorum numero adscripta sit, docet his verbis Plinius lib. VII Nat. histor. cap. LVI: *Ceres* (docuit) *frumenta, cum antea glande vescerentur. eadem molere, & conficere* (panem) *in Attica, Italia, & Sicilia: ob id Dea judicata.* Vbi videmus principem Atticæ locum dari. Et favet huic sententiæ Lucretius lib. VI:

† non nominanda virgo.

Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreaverunt vitam, legésque crearunt.

Nec obscura est ratio, cur eidem & frugum inventio, & legislatio, tribuatur. Nam postquam glandibus vesci homines desiere: necesse fuit agros discerni ad conserendum: unde jura nata sunt. Hanc rationem adducit etiam Servius in illud Maronis IV Æn.

— Mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereris.

Vbi *Legiferam* vocat, ut Græci θεσμοφόρον, unde festum θεσμοφόρια, memoratum Aristophani, Demostheni, Isæo, & cui non veterum?

Vtrumque repertum etiam junxit M. Tullius Act. VII in Verrem. Item Ovidius V Metamorph.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

Docuit verò Eleusinios frugum sationem ac leges, cum in Atticam venisset ad filiam quærendam. Tum eam à Celeo, Eleusinis rege, hospitio exceptam, ait Apollodorus lib. I Biblioth. Ac similiter Menander rhetor, & scholiastes Hephæstionis, ubi de Iambico versu, ac Iambe, Celei famula, agit. Hujus filius, ex plurium sententia, Triptolemus fuit; quem Ceres, ut beneficium patri rependeret, frugum docuit sationem. Is postea longâ navi, ut Philochorus ait, frumentum urbibus distribuit. Quo occasionem dedit fabulæ, quod serpente sit vectus alato. Nam navis longitudo, serpentem; vela autem visa sunt alas referre. Quamquam & draco potuerit esse σῆμον * navis. Cereris ætatem ex Celei & Triptolemi temporibus cognoscimus. Sed de eo jam diximus, cùm superiùs de Atticis heroibus videremus. At falso gloriabantur Athenienses, à se fruges repertas. Quos rectè refellit Diodorus in quincto. Nam quomodo primi

* insigne.

mi eas invenerint, cum aliunde illatæ sint, quas sererent? Verisimile autem, deportatas eò è Sicilia. Nam, ut Cicero ait actione VI in Verrem, *constat ex antiquissimis Græcorum literis atque monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri, & Libero, consecratam.* Communis etiam opinio est, in Sicilia raptam esse Proserpinam : idque cum se oblectaret colligendis floribus in prato Ennæo : qua de re sic M. Tullius Verr. VI : *Nam & natas esse has his in locis Deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, & raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam putant, ex Ennensium tempore : qui locus, quod in media est Sicilia situs, umbilicus Siciliæ nominatur.* Pluribusque locum, ubi rapta est, postea describit. Consentit Diodorus lib. V. Plutarchus in Timoleonte, ac è nostris Clemens in Protreptico, & Arnobius lib. V. Cùm verò Tullius, ut vidimus, dicat Cererem, & Proserpinam, in Sicilia fuisse natas : verisimile est homines Atticos à Cerere, heroina Sicula, modum illum sationis edoctos, qui in Sicilia multò antè obtineret. Quare non audio Cretenses, qui, ut Diodorus in V ait, Cererem tradunt apud se natam, inde in Atticam, hinc in Siciliam, denique in Ægyptum profectam : & quia omnes isti sationem frugum à Cretensi hac heroina didicissent, eò à morte divinis illam honoribus coluisse. In quo bis minimùm peccant : primùm quòd Siculos putant post Athenienses accepisse fruges : deinde, ac imprimis, quòd etiam Ægyptios post eos frugibus usos arbitrantur. Nec enim Athenienses ipsi diffitentur, summùm sub Cranao rege Cererem in Atticam venisse. At eo prior Cecrops rex Mosi fuit æqualis. Quanto autem priùs frumento Ægyptus usa sit, constare potest ex Iosephi historia apud Mosem. Imò & antea in frugum penuria è Cananæa eò profugit patriarcha Abrahamus; ut est Genes. XII, 10. Et sanè quis Europæos credat sationem frumenti scisse ante Ægyptum, terrã tam frugiferam, tam vicinam Asiæ, nec multo post diluvium à Noachi posteris cultam : unde & à Chamo ejus filio, terra Cham; à Chami filio, terra Misraim, vocatur in Scripturis : ut inferiùs dicemus. Quanto igitur credibilius, & Cretenses, & Siculos, & Athenienses, beneficium hoc debere Ægyptiis! Apud quos rex Osiris, & Isis regina, tum sationẽ docuere frumenti; tum leges de agrorum discretione, ob Nili inundationem annuam, tulisse dicuntur. Ad horum exemplum sacra sua instituerunt Græci in honorem seu Siculæ Cereris, seu Ægyptiæ Isidos. Imò satis est verisimile, eandem esse Cererem ac Isidem, ut ab Ægyptiis traditum fuit. Diodorus in V : Αιγύπτιοι μὲν γὰρ λέγουσι τὴν τε Δήμητραν & τὴν Ισιν τὴν αὐτὴν εἶναι, καὶ εἰς Αἴγυπτον ἐνεγκεῖν πρώτην τὸ σπέρμα. *Ægyptii dicunt, eandem esse Cererem ac Isidem, primámque hanc semina intulisse Ægypto.* Valdeque hanc sententiam firmat, quod Cereris sacra apud Athenienses tantopere convenirent cum sacris

Isiacis ; ut inferiùs ostendam. Quid mirum ? quando Danai filiæ hæc sacra edocuere mulieres Pelasgas : de quo credere debemus Herodoto in Euterpe. Danaus autem ex Ægypto Argos venit, quo tempore regnaret apud Athenienses quartus rex Erichthonius. Græcorum igitur Ceres eadem ac regina Isis : vel si id Siculis concedi postulamus, ut Græcorum Ceres heroina fuerit Sicula, multo saltem posterior fuerit Iside : cujus sacra adaptarint Græci Cereri suæ ; præeuntibus sive Danai filiabus, ut dicebamus ; sive, ut alii malunt, Diocle, & Eumolpo Thrace : ubi, ut tempora conveniant, (nam à Cerere hos sacra edoctos ajunt) intelligendus junior Eumolpus ; de quo vetus scholiastes ad Sophoclis Oedipum Coloneum.

Supersunt ex Deabus Consentibus duæ divæ moribus admodum contrariis, Diana virginitate gaudens, & Venus, vulgivagos amans amores.

Diana, sive, ut Græci dicunt, Ἄρτεμις, virgo fuit Cressa, Eubuli filia, venationi addictissima, eoque post mortem culta cum Diana, hoc est, Luna, & communi propterea nomine appellata. Hæc aliter Βεϊτόμαρτις dicitur à Cretensibus ; teste Hesychio. Id nomen legas apud Callimachum hymno Dianæ, Strabonem lib. x, & alios. Significat *dulcem virginem*, teste Solino cap. XVII. Prior pars βεϊτὺ : de qua Hesychius : Βεϊτὺ, τὸ γλυκύ, ὡς Κρῆτες. Altera μάρτις, *virgo* : ex ὅμαρτις, ut videtur, quia ὁμαρτεῖ τῇ μητρὶ, *matrem comitetur ac sequatur* : ut παρθένος, ἀπὸ τὸ παρθένειν τῇ μητρὶ, *quia matrem circumcurset*. Belgis etiam famula, **maerte** ; nec tamen, ut puto, ex μάρτις, quomodo eandem **maget**, vel **maegt**, hoc est παρθένον vocamus : sed à sollicitudine Marthæ, de qua Euangelistæ. Nec βεϊτόμαρτις modò, sed & Δίκτυννα, Cretensibus vocabatur. Quod & Palæphatus refert. Ejus nominis ratio gemina adducitur. Vna est, quia invenerit casses venatorios. At δίκτυα, *retia* ; quomodo Dictynna sit *retiaria*. Altera autem, quia cum fugeret violentiam Minois regis, sese præcipitans de monte inciderit in retia, quæ jecerant piscatores. Priorem nominis rationem leges apud Diodorum in quinto : imò & alteram, sed ut refellat. Probat autem eam Pausanias in Corinthiacis. Atque addit ille, uti Cretensis est *Britomartis*, & *Dictynna* ; ita ab Æginetis Ἀφαίαν nuncupari. Eandem esse, testis etiam Hesychius : imò & Antoninus Liberalis cap. XL, ubi itidem legas, ut cum Minos amore ejus captus insequeretur ; illa fugiens, à piscatoribus sub retibus sit occultata, atque ex eo *Dictynnæ* sit nomen. Sed neque prætereundus illustris Maronis, seu alterius, in Ciri locus : qui corruptissimè legitur vulgo ; sed apponam, prout eum feliciter restituit Iosephus Scaliger :

Nunquam tam obnixè fugiens Minois amores
Præceps aërei speculâ de montis abisses :

Vnde

Vnde alii fugisse ferunt, & nomen Aphææ
Virginis assignant : alii, quò notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.

Vbi videmus, ut poeta eam sit opinionem secutus, quam Pausanias adfert de Britomarti sive Dictynna sese præcipitante de monte. Eum montem vocatum Dictam, Callimachus retulit hymno in Dianam. Sed nonnullis improbari hoc Strabo ait in x : idque quia illa Dictynnæ appellatio sit à Cydoniatis : mons autem Dictæ longissimè à Cydoniatis absit. Atqui illi sic potest occurri, non esse Cydoniorum tantùm appellationem, sed omnium Cretensium, & quando Cydones sive Cydoniatæ soli nominantur, id fieri κ' συνεκδοχῶ, qua species sive pars ponitur pro toto. Aliter autem diluere conatur Diodorus Siculus. Ait is, adversari hoc moribus regis Minois, ut vim inferre voluerit honestæ præclareque adeo natæ virgini : quippe qui ab omnibus justitiæ nomine commendetur. Notum, ut propterea poetæ sint commenti, eum cum Æaco, & Rhadamantho, judicia apud inferos exercere. Sed hæc quoque infirma sunt. Nam confundit Diodorus Minoas duos : quorum uterque in Creta regnavit : uti ostensum nobis, cum de Iove Cretico tractaremus. Sic igitur statuimus, adamatam Britomartim à seniori Minoe : ac quia tantæ fuisset pudicitiæ, ut omnes omnium, etiam regis Minois, impudicos sperneret amores, eò post excessum in Deas relatam : quoniam autem Dianam venatricem coluisset, imò casses venatorum reperisset, eodem Cretenses illam & nomine, & fano, & cultu, quo Dianam, coluisse. Diana enim venationi præest, quia venationes nocturnæ lumine egent Lunari.

Sub Veneris nomine Cyprii coluere amicam vel concubinam Cinyræ, regis Cyprii; quem Cecropis ætate, vel paullo pòst vixisse, colligo ex Apollodori libro III. At Cecropem Mosi fuisse æqualem, satis convenit. Primus autem Cinyras fuit, qui hanc Cypriam Venerem referret in Deos : ut prodidit Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes, & Theodoretus lib. III de Curatione Græc. Affect. Non uxorem tamen, sed scortillum ejus fuisse, arguit etiam cognomentum φιλομήδης, quasi dicas *genitalium amantem*. Nam Græcis ea μήδεα, teste Hesychio. Idem firmat ritus ille, quo nummus offerretur ab initiatis, ut amator meretrici solet. Ejusdem est generis, quòd in sacris ejus ostenderentur salis pugillus, & phallus sive veretrum. Prius inde erat, quod salis esus faciat salaces. Phallus autem συμβόλας * erat symbolum.

* concubitus.

CAPVT

CAPVT XVIII.

A Diis Consentibus ad alios itur Selectos. Quàm variè Romani interpretẽntur vocabulum Genii. *Varia allata, quibus comprobari videatur, Ianum esse Noe : qui &* Xysithus *vocatus à gentibus. Verisimilius interim esse, Ianum esse Iavan, patrem Iaonum, sive Ionum. Horum dialectum cum Dorica obtinere principatum. Romanos sacra sua accepisse ab Albanis, Sabinis, Thuscis. Saturnum videri Adamum, tum ob ea, quæ de aureo seculo sub Saturno fabulantur: tum quia gentiles ipsi confiteantur, ante Saturnum hominẽ fuisse neminem : tum ob multa adeò, in quibus historia Saturni, & Adami conveniant. De Saturnalitia servorũ libertate. In Saturno, & filiis, umbram conspici doctrinæ de Noacho cum liberis. Pluto cur* Agesilaus *dictus. Noachum etiam adumbratum in Prometheo, sub quo diluvium dicitur contigisse : sed præter eum alios celebrari à poetis. An & Saturnus intelligatur in Abrahamo patriarcha, sacrificare parato filiũ unigenitum. Eusebius emendatus.*

HAbemus de XII Diis Consentibus : sequitur de iis, qui licet in Consentibus non sint, in Selectis tamen numerantur. Quales sunt octo, tres corporales, Sol, Luna, Tellus ; de quibus libro proximo : quinque item spirituales, Genius, Ianus, Saturnus, Liber, & Pluto.

Genii vox variè à Romanis accipitur. Est cùm intelligunt animam corpori conjunctam humano. Vnde dixere, genium unà gigni nobiscum : ut videre est apud Censorinum de die natali cap. III. Sic sumitur, cum dicimur, *genio indulgere*, vel *eum defrudare*. Ea significatio non est hujus loci, quia agimus nunc de spiritu à corpore libero. Est item cum genius ponitur pro anima defuncti. Hinc Servius in VI Æn. *Genios* interpretatur *manes*. Imò, ut Censorinus inquit, *Eundem esse genium ac Larem, multi veteres memoriæ prodiderunt : in queis etiam Granius Flaccus, in libro, quem ad Cæsarem de Indigitamentis scriptum reliquit.* Verùm de Manibus ac Laribus universè diximus antea : particulatim autem nunc tractamus de manibus eorum, quos inter Deos publica adscivit auctoritas. Præterea genios dixere spiritus custodes ; quos Deus, vel observatores homini appositi, vel tutelæ præfecit loci, præcipuè urbis, vel regionis. Hinc Servius in I Georg. *Genium dicebant antiqui naturalem Deum unicujusque loci, vel rei, aut hominis.* Qui hominis est, is Ammiano Marcellino lib. XXI dicitur, *Genius tutelæ salutis appositus.* Hic est, — *genius, natale comes qui temperat astrum :* ut Horatius* describit. Qualis generali quidem nomine, seu viro, seu feminæ additus, *genius* vocatur : sed particulatim appositus feminæ, dicitur † *Iuno.* Loci vero Deos genios appellari, indicat Festus. Vnde veteres quædam inscriptiones, LOCI HVIVS GENIO. Et apud Arnobium lib. I, *Civitatum*

* *lib. 2, epist. 2.*
† *Sen. ep. 110, Plin. Hist. lib. 2, c. 7, Iun. Philarg. in Ecl. IV, & ex eo Politian.*

tatum genios. Etiam Claudianus epist. ad Severam, *regni genium* dixit. Symmachus quoque Relatione ad Valentin. Theodos. & Arcad. *Vt animæ nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur.* De quibus dictum antea, cùm de angelorum natura, officio, & cultu ageremus. Quamobrem non est, quod hic de Genio plura quis exspectet. Ad cæteros igitur pergam Deos Selectos.

De Iano multorum ea opinio est, hunc Noë esse. Et favet vocabulum, quòd vicinum est voci יין, *jain*, id est, *vinum.* Imò & ab יין Græci dixere οἶνον, Æoles Ϝοῖνον, unde Latini, extrito o, *vinum.* Noë vinum reperisse, jam antea diximus. Pro eâdem opinione est, quòd Ianus fingitur bifrons; quia & priorem viderit mundum, & illum post diluvium. Item quòd Latium, (ubi Ianum esse cultum constat, unde & parti veteris Romæ nomen erat *Ianiculi*) Oenotria tellus vocabatur: Οἰνωτρία enim ab οἶνος †. Etiam quia Noë initium erat alterum generis humani, eò illi sub Iani nomine rerum initia dicarint. Itaque initio ædium nomen datum *januæ:* initio mensium, *Ianuario.* Forte & eò referendum, quòd Alexandro Polyhistori, & Abydeno, diluvii universalis historiam narrantibus, Noe dicitur Xysuthrus: ut est apud B. Cyrillum initio libri primi contra Julianum desertorem: atque addit, Assyriam vocem videri. Nec adversor, quandoquidem vicina vox זיז, *ziz*, unde מזוזה, mezuza, *postis, limen.* Habes Deuter. VI, 9. A *ziz*, vel *zus*, quatenus *postis*, vel *liminis*, habet significationem, per ἀναδίπλωσιν fuerit *Xisuthrus:* atque ita dictus sit Noë, tanquam postis, sive limen, vel janua, hoc est, primordium omnium, qui ab diluvio fuere, sunt, vel erunt.

† *vinum.*

Etsi verò opinionem hanc nolim improbare: potiùs tamen Ianus vitur esse יון Iavan, filius Iapeti, Europæorum parentis: unde Horatio * dicimur, *Iapeti genus.* Atque uti Iapetus Europæorum, ita Iavan Græcorum origo erat. Imò & nomen ab eo Ionibus: Græci autem veteres in Iones, & Dores, dividebantur: Attici ad Iones pertinent: unde mari inter Italiam, & Græciam, Ionio nomen. Æoles verò ad Dores referuntur: unde Pindarus, quem constat Doricè scripsisse, ait se canere Αἰολίδι μολπῇ †. Vt duæ sint principes dialecti. Communis enim lingua non est propria dialectus; sed accidunt ei dialecti. Qui autem Ἴωνες vulgo, hi primitus Ἰάονες vocabantur. Vnde Homerus Iliad. N ‡:

* *lib. 1, od. 3.*

† *Æolico cantu.*

‡ *vers. 685.*

Ἔνθα δὲ Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες ἑλκεχίτωνες.
Illic autem Bœoti, & Iaones longis vestibus.

Quo ipso Strabo in IX adstruit, quemadmodum Ἰωνία primò dicta Ἰάς, sic Ἴωνας priùs nuncupatos Ἰάονας. Ex Ἰάων igitur, sive obliquo Ἰάονος sit *Iaonus.* Solent enim Latini rectos formare ex obliquis; ut à κυνὸς, *canis.* Ex

Iaonus autem *Ianus*; ſimili ſyncope; ac ex Ιάων, Ιων. Pro Ιάων autem Æoles dixere Ιάϝων, cum digamma: ut ὄϝις, pro ὄις, unde *ovis*. Ac Ιάϝων propiùs accedit ad Hebræum *Iavan*. Nihil verò refert, utrùm *Ianus* factum dicas ex *Iaonus*, vel *Iavonus*, aut *Iavanus*. Sufficit, quòd, ut Noë fons & caput omnium fuit; ejus autem filius Iapetus origo erat Europæorum: ita in Europæis nepos Iavan, tum Græcorum, tum Latinorum, fuerit parens. Quamquam nec fortaſſe opus ſit recurrere ad Græcos; modò Latini à Thuſcis, Thuſci ab Aſiaticis, hoc numen acceperint. Quæcunque enim ſacra habuere Romani, ea vel habuere ab Albanis, qui à Phrygibus oriundi: vel ab Oſca Sabinorum gente; quos aliqui, quaſi *Sebinos*, ἀπὸ τῆ σέβεσθαι * dici putarunt; teſte Plinio lib. III Hiſt. Nat. cap. XII, & Feſto Pompejo: vel à Thuſcis; quos quaſi θυοσκόους † ἀπὸ τῆ θύειν ‡, ob ſacrificiorum frequentiam, dictos eſſe, cenſet Servius in x Æn. & Iſidorus inde libro XIV Orig. cap. IV. Thuſcos autem ex Aſia veniſſe, ibidem indicat Servius: ut qui dicat, eos ex Mæonia in Italiam profectos.

* *colendo Deos.*

† *ſacrificos.*
‡ *à ſacrificando.*

Atque ex his cognoſcere eſt, unde Romani acceperint Iani numen. Cum verò ſcirent, reges antiquis ſolere temporibus inſeri ordinibus Deorum: facilè ſibi perſuaſerunt, Ianum eſſe veterem Latii regem: quam ſententiam etiam ſecutus eſt Iunianus Iuſtinus Philippicæ ex Trogo hiſtoriæ lib. XLIII. Sed ſi Ianus eſt Iavan, parum eſt veriſimile poſuiſſe in Latio ſedem. Potiùs ſeu Aſiatici, ſeu Græci, hoc Iavani ſive Iani numen in Thuſciam, vel Latium intulerint.

Qui Ianum Italiæ regem fuiſſe volunt, pro ſe adferunt, quòd Ianiculum condiderit: ut ait Maro lib. VIII, & Macrobius lib. I Sat. cap. VII. Sed potiùs Ianiculum ex eo nomen acceperit, quia olim in Iani fuerit tutela. Quamquam ſic quoque homo fuerit; eóque rectè à nobis inter illos ex hominibus in Deorum numerum relatos, tribuatur locus.

De Iano ſatis dictum: deinceps ad Saturnum tranſeamus. Quem Adamum eſſe ſtatuimus. Atque hoc ut melius perſpiciatur; conſiderabimus, quantopere ea, quæ de aurea Saturni ætate fabulantur poetæ, conveniant primæ primi hominis ætati: quam graphicè admodum depinxit nobis poetarum ingenioſiſſimus *:

* I *Met.*

Aurea prima ſata eſt ætas: quæ vindice nullo
Sponte ſuâ ſine lege fidem, rectumque colebat.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non galeæ, non enſis erat. Addit deinde:
Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis

Arbu-

Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores:
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Quàm bellè ea conveniunt hominis statui in paradiso! Vt mihi quidem dubium sit nullum, quin ex traditione aliqua hæc hauserint poetæ. Nempe prima hominum ætas in poetis est eadem, ac prima in Scripturis: eoque Saturnus est idem, ac Adamus. Saturnum enim non aliud, quàm hominem, fuisse; ne gentium quidem historici negare ausi unquam fuerunt. Advocare eos omnes longum foret: contentus nunc ero locupletissimo teste, Tertulliano; cui etiam hac parte subscribunt Minucius Felix in Octavio, & Lactantius lib. 1 de falsa relig. cap. XIII. Verba gravissimi illius scriptoris, (Tertullianum dico) hujusmodi sunt Apologetici cap. x: *Ante Saturnum Deus penes vos nemo est. Ab illo census totius, vel potioris, vel notioris divinitatis. Itaque quod de origine constiterit, id & de posteritate conveniet. Saturnum itaque, quantum literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejusmodi antiquitatum, aliud, quàm hominem, promulgaverunt.* Si omnes gentium Dii fuere homines; nec ante Saturnum ullus gentium Deus fuit: quis Saturnus sit, nisi Adamus, ante quem homo non fuit? Quid mirum igitur, si tam multa, quæ conveniebant Adamo, gentiles tribuerint Saturno? Quod nomen tum meruit Adamus, cùm pudore nuditatis * se absconderet à facie Domini. Nam *satar* Hebræis *latère*: ut *Saturnus* idem sit ac *Latius*: unde terra, quæ veteri linguâ dicta est *Saturnia*, *Latium* etiam vocabatur: ut ex Marone, & aliis, discimus. Imperium igitur, quod primus obtinuit Saturnus, imperium est illud, quod primus obtinuit Adamus: cùm ei, & uxori Dominus dixisset ‡, *Replete terrã, & subjicite terram, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Sed excidit hoc dominio Adamus; imò paradiso est exactus: atque ita finem habet primæva felicitas. Etiam imperio excidit Saturnus; quippe regno expulsus: atque ita finem seculum habet aureum. Postea Adamus factus est agricola, & agriculturam docuit suos. Primus etiam Saturnus invenisse ac docuisse dicitur agriculturam: unde & cum falce messoria fingebatur: & à Latinè tantum gnaris à satione ita dici putabatur. Quid quòd ne natales quidem discordant? Adamus Dei filius vocatur †: quia non alium agnosceret patrem, quàm cælestem. Etiam Cæli filius fuisse dicitur Saturnus. Adamus formatus ex argilla, & pulvere terræ. Saturno quoque mater tribuitur Tellus, non ab Hesiodo modò; sed in hymnis etiam, sive potius Initiis, quæ Orpheo tribuuntur, cùm * Onomacriti sint.

* *Genes.* 3, 10.

‡ *Genes.* 1, 18.

† *Luc.* 3, 38.

* *Tatianus, & Suidas.*

Idem ostendit cultus ratio apud Græcos,& Romanos. Vt quod mense Decembri XVI Kal. qui dies Saturnalium erat Romanis, servi libertate fruebantur. Imò per id tempus servis accumbentibus Domini ministrabant. Quod ostendunt hi Attii versus apud Macrobium Saturnalium lib. I, cap. VII:

* *al.* maximæ.

*Maxima pars Grajûm Saturno, & maximè * Athenæ,*
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Eumque † diem celebrant: per agros urbesque fere ‡ omnes
*Exercent epulas * læti: famulosque procurant*
Quisque suos: nostrique itidem. Et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli † epulentur ibidem.

† *vel* ἀρχαιῶς inque: *quod Isacius Pontanus malebat.*
‡ *vel* urbesque per omnes: *ut in Anglicano codice reperit Pontanus. Sed malim* fere, *quia non ubique ea consuetudo.*
* *al.* epulis.
† *quâ hiatum poetis veteribus usitatum refugiunt, malunt,* famuli tum.

Atque hoc *libertatem Decembrem* vocat Horatius Sat.VII,lib.II. Clarè etiam hanc consuetudinem referunt Athenæus in XIV, & Dio lib.LVIII. Nempe ratio proclivis ex mixto hoc cultu Naturæ, & Adami. Nam naturâ omnes liberi nascimur: eoque antiquissimis temporibus, quibus naturæ sequebantur ductum, homines servitio aut libertate minimè distinguebantur. Rationem hanc in Trogi epitome adfert Iustinus lib. XLIII: *Rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, passim in convivijs servi cum dominis recumbant.* Ac similiter Saturnus ipse loquitur apud Lucianum ἐν τοῖς πρὸς Κρόνον, dialogo I: Καὶ δὴ τοῦτο ἁπανταχοῦ πρότος, ἢ ᾠδὴ, καὶ παιδιὰ, ἢ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ δήλοις, ἢ ἐλευθέροις. οὐδεὶς γὰρ ἐπ' ἐμοῦ δοῦλος ἦν. *Ac propterea ubique plausus, & cantus, & ludus, & æqualitas honoris, omnibus tum servis, tum liberis. Nullus enim me regnante erat servus.*

Præterea in Saturno conservatæ nobis reliquiæ quædam de patriarcha Noe. Nimirum videbant, ut Adamus omnium, excepto nemine, origo est: ita Noe primum esse omnium, qui post cataclysmum vixere. Adam habuit imperium totius orbis. Habuit & Noe cum sua familia. Saturni tres filii dicuntur. Totidē sunt Noachi. Distribuêre illi inter se orbis imperium. Hi item,vel eorum posteri,divisere orbem universum. Nec ejus divisionis memoriam penitus inter gentes esse exstinctam, ostendunt verba Euhemeri in sacra historia ab Ennio translata: *Iupiter imperium Neptuno dat maris ac insulis omnibus, & quæ loca secundùm mare essent, omnibus regnaret.* Citat Lactantius lib. I de falsa relig. cap. XI. Atque idem Lactantius paullo ante sic scripserat: *Ita partiti sortitique sunt, ut Orientis imperium Iovi cederet; Plutoni, cui nomen Agesilao fuit, pars Occidentis obtingeret; eo quod plaga Orientis, ex qua lux mortalibus datur, superior; Occidentis autem inferior esse videatur.*

deatur. Vbi quòd Orcum ait vocatum *Agesilaum*, id quoque ex Athenæi tertio constat. Sed sic dictus à poetis, quia πάντας ἄγει λαοὺς, *omnes agat populos.* Vt hæc appellatio non videatur Plutonis, quatenus hominem; sed quatenus naturam notat hominum, quibus omnibus moriendum. Verum autem Plutonis nomen, si consistimus in tripartita orbis divisione, unius fuerit è liberis Noachi: non Semi quidem, cui Oriens obtigit; sed vel Chami, unde Ægyptii & Libyes; vel Iapeti, à quo Europæi. Nam cuncti hi ad Occidentem, ratione Asiaticorum. Commodiùs tamen Chamum credas Plutonem, tum ob caussas quas antea dixi; tum ut improbus ille sortitus sit nomen inferi numinis. Iapetum verò dixeris Neptunum, quia ejus posteri priùs occuparunt mare & insulas Asiæ vicinas, quàm Europæ continentem. Alia etiam firmandæ huic sententiæ adducit Goropius Becanus. Ipsum adi. Nam, uti Ovidius ait, non omnia fingere Cretenses: ita Becanum dixero, non semper nugari; virum judicii quidem mediocris duntaxat, sed magni ingenii, nec minoris doctrinæ.

Nec propterea existimandum, per Iovis, Neptuni, Plutonis nomina, quando per ea heroes potiùs, quàm naturæ partes, intelliguntur, semper Noachi tres filios signari. Longè enim aliter se rem habere, fidem ea fecerint, quæ superiùs diximus, cùm multos recenseremus Ioves, eosque ad tempora sua reduceremus.

Obiter hoc addam, patriarcham Noe non in solo nobis adumbrari Saturno, sed etiam Prometheo: cujus festum Athenis Προμήθεια dictum; in quo certamen lampadum; ara item in Academia, ad quam accendi in certamine hoc lampades solent; uti auctores Harpocration, & Aristophanis scholiastes in Ranas. In Prometheo autem Noe quandoque intelligi, arguit, quod diluvium sub eo contigisse prædicant. Sic enim Diodorus in primo his verbis: Τὸν Νεῖλον φασὶ ῥαγεῖτα κατακλύσαι πολλὴν τῆς Αἰγύπτου. καὶ μάλιστα τοῦτο τὸ μέρος ἐπελθεῖν, οὗ Προμηθεὺς εἶχε τὴν ἐπιμέλειαν, διαφθαρέντων σχεδὸν ἁπάντων τῶν κατὰ ταύτην τὴν χώραν· *Nilum ajunt, ruptis aggeribus, magnam Ægypti partem inundasse, maximeque eam partem, cui Prometheus cum imperio præerat; cum omnes pene ejus ditionis homines diluvio perirent.* Neque est, quod dicat aliquis, non de universali cataclysmo loqui, sed particulari; ut quem in Ægypto terram Promethei dicat obruisse. Nam, ut Græci suis omnia heroibus tribuunt, ita & suis Ægyptii. Itaque ex diluvio universali fecerunt particulare Ægypti: quale nullũ fuit. Scio, ab Eusebio in Chronico canone dici, sub Ogyge fuisse diluvium Ægypti. Sed Ogygium diluvium in Attica, non Ægypto fuit. Vti Deucalioneum postea in Thessalia, Cecrope, vel aliquanto post eum, Cranao in Attica imperium obtinente. Qua de re vide, quæ ex Africano, vel alio, apud Cedrenum legere est.

Quamobrem sic censeo, quæ de Ægypti diluvio sub Prometheo dicuntur, reliquias quasdam veteris esse traditionis de diluvio sub Prometheo. Nulli quidem meliùs illa de Prometheo, quam Noë conveniunt. Primum nomen ipsum spectemus. Προμηθεὺς eum sonat, qui ante malum sapit; uti Επιμηθεὺς, qui serò sapit. Noë autem, divinitus edoctus, diluvium prævidit, ac, credens Deo, se, & suos servavit; incredulis, Epimethei instar, serò nimis, diluvio jam omnia occupante, stultitiam suam deplorantibus. Præterea Prometheus condidisse dicitur humanum genus. At pater omnium mortalium Noachus. Vxor ejus Asia dicitur, etiam Herodoto in IV. At non alia Noacho uxor, quam Asia, sive Asiatica; omnesque ex terra Asia originem ducimus. In uno discordant, quod Prometheus Iapeti dicitur filius. Sed nihil mirum, si in seculis, tam longè remotis, antiquitas patris & filii nomina confuderit. Nam Iapetus, qui est Iaphet, filius Noachi fuit, Europæorum pater: unde *Iapeti genus* dicimur à poeta *: quamquam ille hoc de omni genere humano accipi voluerit. Interea sic ruderibus in istis quoque reliquiæ apparent quædam priscæ traditionis. Quod nomen habuerit uxor Iapeti, ne Moses quidem prodidit. Quare cum ignoraretur, finxere Græci nomen non ineptum. Nam Hesiodo in Theogonia vocatur Κλυμένη, quasi κλυτὸν, sive inclytam mulierem dicas: quippe tot inclytarum Europæ gentium matrem. Itaque facilè mihi persuadeo, ut plures Ioves, & Hercules, sic plures fuisse Prometheos: quorum Græcis celebratissimus Atlantis Astrologi pater, à quo & monti nomen attributum. Ad Abrahæ annum cccxxxi refert Eusebius; ad ann. cxi ante diluvium Deucalionis. Atqui dicitur pater fuisse Antæi illius, quicum Hercules decertavit: ubi si Hercules Thebanus intelligatur, Prometheus duabus solùm generationibus antecesserit bellum Trojanum. Vt is quidem longè alius sit à Noë patriarcha. Sed, ut dixi, plures poetæ in unum confuderunt: quemadmodum, quæ tot Hercules gessere, ea perperam uni tribuunt Thebano.

* *Horat. lib. 1 od. 3.*

Fortasse & patriarcha Abraham in Saturno colebatur. Pro quo non aliud occurrit, quàm locus ille Porphyrii ab Eusebio adductus in primo Præparationis Euangelicæ: Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ισραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας (Φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ὀπαδείας Νύμφης Ανωβρὲτ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ· ὃν δὴ καὶ τοῦτο Ιεοὺδ ἐκάλουν, τὸ μονογενοῦς ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι· κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων καταιφόντων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος, καθιέρευσεν. *Saturnus igitur, quem Phœnices Israelem nominant, quemque post obitum in astrum ejusdem nominis consecrarunt; cum iis in locis regnaret, ac filium unigenam ex nympha quadam indigena, nomine Anobret,*

bret, haberet, quem propterea Ieoud dixere vocabulo hodieque unigenam notante lingua Phœnicia, cumque in gravissimum belli periculum regio incidisset; illum ipsum regio ornatum habitu in ara ad hoc exstructa immolavit. Vbi tria hæc dici videmus; Israel esse Phœniciæ regem vetustissimum, eundem ac Saturnum: fuisse Israeli filium μονογενῆ *, unde *Ieoud* dictus sit Phœnicibus: illum esse à parente immolatum. Vnde potiùs hæc originem duxisse arbitremur; quàm quod Israelem nepotem confuderit cum avo Abrahamo? cui mandatum, ut sacrificaret Deo filium μονογενῆ. Sic enim est Genes. XXII, 1: *Accipe filium tuum, unicum tuum.* Vbi *unicum* Hebraicè dicit יְחִיד, *jehid*: quod valde convenit cum Phœnicio *jehoud*. Nempe hæ linguæ solâ differebant dialecto. Et sanè in Orphaicis etiam, sive Onomacriticis, Abraham vocatur μονογενὴς; ubi confunduntur Abraham & Isaac; uti superiùs Abraham, & Iacob. Hæc arbitror sic satis verisimilia videri. Nolim tamen super istis cum aliquo contendere. Video ipse, quæ jure scrupulum injicere possint. Præcipuè illud, quod parùm credibile est, Phœnices pro Deo summo, hoc est Molocho, sive Saturno, habituros Israelem, parentem gentis vicinæ, maximéque exosæ: quod satis sacra testatur historia. Itaque corruptus videtur Eusebii locus, proque Ισραὴλ legendum ΙΛ. Occasionem præbuerit errori, quod qui compendio literarum studerent, sæpius ΙΛ pro ισραὴλ lineolâ superinductâ exararent. Atqui hic nihil tale erat: quia Phœnicibus *il*, qui Hebræis *el*: quod unum ex decem † Dei nominibus. Eos verò Saturnum, non Israelem, sed Ilum dixisse; ipse nobis auctor Sanchoniathon, idque apud Eusebium hunc, eodem libro. Verba sunt ista: Παραλαβὼν δὲ ὁ Οὐρανὸς τὴν τοῦ πατρὸς ἀρχὴν, ἄγεται πρὸς γάμον τὴν Γῆν, καὶ ποιεῖται ἐξ αὐτῆς παῖδας δ', Ιλον, τὸν καὶ Κρόνον, καὶ Βέτυλον, καὶ Δαγὼν, ὃς ἐστι Σίτων, καὶ Ατλαντα. *Cœlus autem, ubi paternum accepit imperium, Tellurem duxit uxorem, ac filios ex ea genuit quatuor; Ilum, qui Saturnus dictus est, & Betylon, & Dagonem, qui aliter Sito, & Atlantem.* Apertior etiam locus iste ejusdem Sanchoniathonis ibidem: Οἱ δὲ σύμμαχοι Ιλου, τοῦ Κρόνου, Ελωείμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι ὄντοι ἦσαν οἱ λεγόμενοι ὑπὸ Κρόνου· *Socii autem Ili, qui idem Saturnus erat, Eloim, quasi Saturnios appellarunt à Saturno.* Vbi Ελοείμ nõ aliud est, quam Hebræorum אֱלֹהִים, *Elohim*: quomodo subinde angelos, judices, falsos etiam Deos; imò & summum atque unicum Deum, Mosaici operis initio, & passim in Scripturis vocari, vel pueris constat. Atque ad hanc conjecturam, quam certissimam arbitror, in familiari sermone mihi præire memini divinum virũm, Hugonem Grotium, illustrissimum regni Suecici, apud Christianissimum regem, legatum.

* unigenam.

† *Hieronymus epist. 136 ad Marcellam.*

CAPVT

CAPVT XIX.

Noë esse in Libero cultum : perperam tamen ex Noachi vocabulo nomen Bacchi deduci. Triplex ratio, cur Liber Iovis filius dicatur : una quia omnes simus filii Dei : altera, quia natus, illegitimè quidem, sed patre præcellenti : tertia quia ipse excellens virtute, & Iove dignus filius. Liber è Iovis femore natus dicitur : quo allusum fortè à Guilielmo Conquæstore : & quæ caussa, cur inde editus Liber dicatur. Ætas Liberi Thebani. Διόνυσος *unde nomen acceperit, variè disseritur. Plutonem videri Chamum : atque hoc etiam verisimilius reddi, si Ianus sit Noë. Nam quod Ianus bifrons dicitur, optime Noe convenire : & Saturnum, cujus filius Pluto, Phœnicibus creditum bifrontem. Plutonem, si is quidem Chamus, non tam à parente Noe, quàm à posteris, in Deos relatum esse. Cur Pluto mortuis præfectus. Plutonis Græcanici ætas ostensa.*

COgnovimus de Saturno. Nunc venio ad Liberum sive Bacchum. Cum autem multi fuerint Bacchi, primùm videamus de antiquissimo : qui & ipse non alius est, quàm Noë. Quippe hic primus vites plantavit, vinique conficiendi docuit rationem : ut cognoscere est ex Genes. IX, 26. At hoc inventum Liberi est. Qui iccirco Nasoni in IV Metam. dicitur, — *Lenæus genialis consitor uvæ.*

De eodem sic Diodorus lib. V ex Cretensium fide loquitur : Διόνυσον δὲ μυθολογοῦσιν εὑρετὴν γενέσθαι τοῦ ἀμπέλου καὶ τοῦ περὶ ταύτην ἐργασίας, ἔτι δ' οἰνοποιίας· καὶ τὰς πολλὰς τῶν ὡρῶν καρπῶν ἀποθησαυρίζειν, καὶ τὰς χρείας καὶ τὰς τροφὰς παρέχεσθαι τοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ πολὺν χρόνον. *Qui fabulas ad historiam revocant, tradunt, Liberum invenisse vitem, & ejus culturam, & vini faciendi modum : præterea rationem multos fructus autumnales condendi, ut usum & alimentum hominibus præbeant in longum tempus.* Singula horum, præsertim illa de vite, & vino, nulli æquè conveniunt, ac Noacho : ut quin ille sit vetustissimus Liber, minimè dubium videatur. Nec desunt homines eruditi, qui huic sententiæ ipsum Bacchi nomen facere arbitrentur. Volunt enim ex נח, *Noach*, esse *Noachus*, hinc *Nachus*, inde *Bachus*, tum *Bacchus*. Sed licet in Baccho Noë cultum putem : tamen hæc dura adeo originatio placere nequit. Præsertim cum non videantur Græci dixisse *Noach*, sed *Noe*. Alterum illud demum in usu esse cœpit post introducta Massoritarum puncta. Scio, apud Berosum Annii *Noah*, legi : & Augustinum Steuchum Eugubinum in Recognitione, ut vocat, V. T. ad Gen. cap. VI, mirari, integrè Beroso *Noach* dici ; corruptè verò *Noe* vocari & LXX interpretibus, & Latino veteri. Sed ὑποβολιμαῖος * ille Annii Berosus est ejus notæ, ac reliquæ ejus quisquiliæ. Nec corruptum est *Noe*, sed ex *Noach* factum, ut *Thare* ex *Tharach*,

* *suppositius.*

rach, ut *Sue*, ex *Suah*, & similia. Atque ut dixissent Νοὰχ, puto, qui hac parte imitarentur Hebræos, in eo etiam sequerentur, quod siquid addatur post A furtivum, quale illud in *Noach*, A soleant omittere. Quomodo à רוּחַ, *ruach*, id est, *ventus, spiritus*, in plurativo est רוּחוֹת, *ruchot, ventos*: ut Ier. XLIX, 36, non *ruachot*. Similiter igitur, si ad נֹחַ, *Noach*, aliquid accedat, perit litera rapta. Eoque inde non Νώαχος sit, sed Νῶχος. Quàm parum autem, si excipias terminationem, qua nihil minus in considerationem venire debet, conveniunt Νῶχος, & Βάκχος! Longè autem verisimilius Bacchi etymon libro adducam proximo.

Quod Liber filius habeatur Iovis, id partim communi nititur ratione, partim singulari. Communis est ea, quòd omnes simus filii Iovis, hoc est Dei. Nam juxta Aratum, Διὸς πάντες γένος ἐσμέν· *Iovis omnes progenies sumus*. Singularis verò ratio est duplex: quarum una excellentiam respicit parentis, altera filii. De priori inde cognoscimus, quia multis liquet exemplis, moris fuisse gentilibus, ut, qui nati essent hominibus regiæ sortis, vel saltem præpotentibus, hi Iovis filii vocarentur: præsertim si probro lecti essent. Tum enim hoc faciebat ad tegendum generis dedecus. A filii verò virtute ratio petitur, si Iove patre digni videantur filii. Qualis Alexander Magnus, priusquam dulcis eum fortuna, & Asiaticus inebriavit luxus. Is cum in Ammonitide Iovis esse filius diceretur, modestè hoc interpretatus, Nempe, inquit, Iupiter naturâ, omnium est pater; sed adoptare optimum quemque solet. Quemadmodum apud Plutarchum legimus in Apophthegmatis Alexandri.

Sed porrò considerandum, quod Liber non Iovis solùm filius dicatur, sed Iovis femore prognatus, atque ita bis natus, semel è Semele, semel è Iove. Fabulantur enim * Semelen, cùm octavum jam mensem gestaret uterum, à Iunone zelotypa ita persuasam, petiisse à Iove, ut polliceretur, obtenturam, quod postularet: tum illum, ex ejus sententia, per Stygiam jurasse paludem,

Di † *cujus jurare timent, & fallere numen.*

Illam verò rogasse Iovem, ne accedere ad se more vellet humano, sed eo, quo veniret ad Iunonem suam. Tum illũ curru suo cum fulmine venisse. Miseram autem Semelen, vel metu inde examinatam, vel fulmine exustam. Iovem igitur, misericordiâ pueri tactum, ne unà periret, eripuisse illum flammis, suoque inseruisse femori. Atque hoc inter cæteros apud Euripidem legas in Bacchis. Ad quam fabellam scitè alluśit Guilielmus Normannus, sive Conquæstor. Cum enim Rothomagi diutius commoranti (id anno fuit cIↃ LXXXVII) Philippus, Francorum rex, apud suos exprobrasset, sive prominulum ventrem, sive longum belli apparatum; eoque

* *Ovid. III Met.*

† *Æn. 6.*

rogâſſet, quando tandem eſſet pariturus : dixiſſe dicitur, Pariam, ſed, ut Semele, cum fulmine. Nec multò poſt longè latéque Francorum terras ferro & incendio vaſtavit. Quod tamen paullo aliter referunt Matthæi duo, Pariſius, & Weſtmonaſterienſis. Quod verò Liber è femore natus dicitur, id more fit poetarum : qui, ut magis admirationi ſint, τὰ * κοινὰ καινῶς dicere, & quæ κατὰ μεταφορὰν † prolata, propriè amant intelligere. Omnes enim è femore patris naſcimur. Vnde etiam in Scripturis legas, liberos è parentis femore egreſſos. Vt Geneſ. XLIX, 10, atq; alibi crebro. Nempe יָרֵךְ, quod eſt *femur*, decorè pro partibus ſumitur, quibus viri ſumus. Vnde Procopius Gazæus in Geneſ. XXXII, *Femur ejus emarcuit : Femur*, inquit, *ſignificat ſemen, ſecundum quod adjuravit ſervum ſuum in Meſopotamiam profecturum Abrahamus. Huic concinit & illud oraculum* ‡ *: Non deerit dux ex Iuda, nec princeps ex femoribus ejus.* Etſi verò illud Libero cum cæteris commune erat, ut è femore naſceretur : ſingulari tamen ratione hoc ei competebat, quatenus in eo ſpectamus Noachum, qui ſemel natus, more omnium hominum : poſtea quaſi renatus, cum in arca à Deo fuit conſervatus, diluvio aliis pereuntibus. Nihil quidem hæc nativitas altera ad Liberum Thebanum, ſi intra unius illius hiſtoriam conſiſtatur : ſed cum uni Thebano tribuantur, quæ plurium erant; negare non poſſumus, & hoc convenire Thebano, quatenus juxta fabulas, & gentium errorem, in uno plures comprehendimus. Cæteroquin inter vini inventorem Noachum, & Thebanum Liberum, intervallum ſit annorum quaſi mille. Hoc ita eſſe, ex ætate Semeles cognoſcitur : quæ Bacchi erat mater, Cadmi filia, Agenoris neptis ; ſoror autem tum Agaves, Penthei matris, proavi Iocaſtæ, quæ mater & uxor Oedipi fuit : tum Polydori, qui unicus Cadmi filius, pater Labdaci fuit; uti hic pater Laii, avus Oedipi, proavus Eteoclis, & Polynicis ; qui Theſei & Herculis temporibus claruerunt, unâ generatione ante excidium Trojanum. Sunt igitur à Labdaco, Liberi amitino, ad Herculem & Theſeum generationes tres : puta Laii, Oedipi, Eteoclis. Ac proinde Liber ante excidium Trojanum, quod ab diluvio plus undecim ſeculis abeſt, generationibus fuerit quatuor, annis circiter CXX.

Veriſimile autem eſt, ut Caſtori, & Polluci, nomen datum Διοσκόρων, hoc eſt filiorum Iovis ; ita & Bacchum eſſe Διόνυσον vocatum, quaſi dicas *Iovis filium*. Nempe Διόνυσος ſit ex Διὸς υἱὸς, σ priùs poſt υ trajecto : ι item trajecto ante υ, ſed deinde in ν converſo. Vt hæc ſententia placeat, eo potiſſimùm compellor, quod *Liber* ſimiliter quaſi Iovis liber ſive filius vocetur : ut Proſerpina dicitur Κόρη ſive *Libera*, hoc eſt, filia. Antiqui enim non minùs ſingulo numero *liberum*, & *liberam* dixere, quàm nunc *liberos* in plurativo uſurpamus. Nec tamen defugiam alteram etiam nominis cauſſam adferre

* *res vulgares novo modo.*

† *per tranſlationem.*

‡ *Geneſ.* 49, 10.

adferre, quæ jamdudum in mentem venit. Vt Hercules, quia verus pater neſciatur, Iovis dicitur filius: atque idem tamen à vitrico, qui educavit, *Amphitryoniades* nominatur: ſimiliter & Liber, cujus pater itidem ignoratur, Iovis prædicatur filius: pro parente autem ſortitus Niſum ſive potius Nyſum: qui ejus fuit nutritius, imò & poſtmodo, expeditionem eo in Aſiam ſuſcipiente, ſive, ut Phœnicibus, quorum coloni erant Thebani, opem ferret, ſive, ut alii conſanguineæ genti auxiliaretur, ſolus imperium adminiſtravit, idque triennio toto, ſi credimus Hygino fab. cxxxi. Sunt verò nutritii quaſi alteri patres: ſicut & nutrices, matres alteræ. Vnde Plautus prologo Menæchm. — *Vti mater ſua*

Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat;
Neque adeo mater ipſa, quæ illos pepererat.

Quare quid ſi nomen conflatum dicamus ex utroque horum, ut Διόνυσος dicatur quaſi *Iovi-Nyſius*: quia quodammodo & Iovis & Nyſi filius foret?

Impenſius interim hæc arriderent, ſi ſatis eſſet exploratum, an Thebanus ille unquam in Oriente bellum geſſerit. Longè enim veriſimiliùs eſt, illa ad Oſiridem ſive Liberum Ægyptium pertinere: Thebanos autem ea ſuo Libero, qui multo erat junior, adſcripſiſſe. Hic enim veterum mos erat, quo magis admirandæ eſſent virtutes eorum, quos in Deos retuliſſent, varios eximiæ virtutis in unum conflare, unique omnium geſta attribuere; quod difficile non erat in rebus ab ætate ſua remotis, & geſtis in terris longè diſſitis. Qua verò occaſione ad Thebanos notitia hujus Ægyptii Liberi pervenerit; exponit Diodorus Siculus in primo. Tradit enim, Ægyptios valde in eo adverſatos eſſe Græcis, quod Liberum Indica expeditione illuſtrem, & cujus ſacra tanto in honore eſſent apud Ægyptios, apud ſe natum dicerent; cum Ægyptius Liber, qui idem ac Oſiris, longè illum Thebanum Liberum, Cadmi nepotem, ætate anteceſſerit. Idem ait, Orphea Thracem in Ægypto res geſtas Ægyptii hujus, item ſacra ejus didiciſſe: poſteáque ad ſuos reducem, cum familiaris eſſet factus Cadmeis, ut iis gratificaretur, hæc accommodâſſe Libero, Cadmi ex Semele nepoti. Græcos verò partim antiquorum temporum inſcitiâ, partim quia ad gloriam gentis ſuæ pertineret, ſi numen tanto Ægyptiis honore celebratum apud ſe natũ crederetur, lubentes ea ſacra recepiſſe: magnaque apud eos opinionem iſtam cœpiſſe incrementa, poſtquam hac poetarum natio theatra omnia implevit. Quis verò ſit ille Oſiris, ſive Ægyptius Liber, commodiùs explicabitur inferiùs, cùm de Diis Ægyptiis dicam, planumque faciam, prope omnia, quæ de Moſe legimus in Scripturis, attributa eſſe Libero: ſed ad modum, quo hiſtoriæ à fabulatoribus ſolent corrumpi.

Habemus de Libero. Supereſt, ut de Plutone agamus: qui cum Saturni

turni filius dicatur; Saturnus autem ille tribus filiis inclytus, qui orbem inter se diviserint, non alius sit ac Noë: Pluto etiam unus ex Noë filiis videtur: puta Chamus, quē in Plutone cultum fuisse, jam antea ostendimus. Et sanè eundem esse, Noë, & Saturnum, facile largientur, qui credunt, Noë esse Ianum. Nam Saturnus itidem bifrons Phœnicibus: à quibus, & Ægyptiis, antiquior omnis Græcorū religio profluxit. Si vero Ianus est Noë, vel is bifrons pingitur, quia utrumque mundū conspexerit; vel ob prudentiam, quia diluvii mala, ut divino monitu præviderit, sic fide effugerit. De Saturno autē & à fronte & à tergo oculato, fidē fecerit Sanchoniathon * his verbis: Τάαυτος ἐπενόησε δὲ καὶ τῷ Κρόνῳ παράσημα βασιλείας, ὄμματα τέσσαρα ἐκ τῶν ἐμπροσθίων καὶ τῶν ὀπισθίων μερῶν· *Taautus excogitavit Saturno ejusmodi insigne regni; oculos quaternos, binos in vultu, ac totidem in occipite.* Aliam tamen, quam de Iano sive Noe allatam nobis rationem adfert: nempe quod & vigilando dormierit Saturnus, & dormiendo vigilârit: unde binos ex oculis placidè connivisse: ac similiter ex alis quaternis, quæ humeris appositæ, duas fuisse erectas, duas contractas, ad denotandum, & volando quievisse, & quiescendo volasse. Nec repugno, sicui Phœnicium hoc acumen magis placeat. Solùm non video, cur non & ista æquè Noacho, quàm mortalium alteri, conveniant. Plutonem verò Saturni filium esse, idem tradit Sanchoniathon: sed addit, ante parentem fatis concessisse, fuisseque ab eo consecratum: quod postremum Noachi integritate foret indignum. Audiamus Sanchoniathonem: Καὶ μετ' οὐ πολὺ, ἕτερον αὐτοῦ παῖδα ἀπὸ Ρέας ὀνομαζόμενον Μοὺθ ἀποθανόντα ἀφιεροῖ. θάνατον δὲ τοῦτον, καὶ Πλούτωνα, Φοίνικες ὀνομάζουσι. *Nec multo pòst* (Saturnus) *alterum ex Rhea filium, nomine Mouth, vita functum consecrat: quem Phœnices modò Mortem, modò Plutonem nominant.* Nempe Saturno attributum, quod factum à posteris Plutonis. Quamquam esto sanè, ut Saturnus, non Noachus, rex orbis totius; sed solius Phœniciæ, vel ut Cretenses malunt, rex Cretæ fuerit: nihil id præcipuo repugnat instituto nostro: quia sic quoque Pluto fuerit homo, è rege seu Phœniciæ, seu Cretæ natus. Miretur fortasse aliquis, cur ei sit nomen datum Mortis: ut Sanchoniathon ait. Nihil nunc verisimilius occurrit, quàm quod Diodorus Siculus de Plutone scribit lib. v: Τὸν δ' Ἀδὴν λέγεται τὰ περὶ τὰς ταφὰς καὶ τὰς ἐκφορὰς καὶ τιμὰς τῶν τεθνεώτων καταδεῖξαι, τὴν προτοῦ χρόνον μηδεμιᾶς οὔσης ἐπιμελείας περὶ αὐτούς· διὸ καὶ τῶν τετελευτηκότων ὁ θεὸς οὗτος παρείληπται κυριεύειν, ἀπονεμηθείσης τὸ παλαιὸν αὐτῷ τῆς τούτων ἀρχῆς καὶ φροντίδος· *Plutonem verò funerum, & sepulturæ, ac parentationis ritus ostendisse ferunt: cum prius nulla eorum curâ tangerentur. Quapropter dictum, potestatem ei esse mortuorum: ac antiquitus ei principatus & cura attributa mortuorum.* Hæc sanè Orientis potiùs Plutoni conveniunt, quàm Græco; cùm sine dubio Græci ab Orien-

* *apud Euseb. lib. 1 de Præpar. Euang.*

ab Orientalibus funerandi ritus acceperint. Græcanicum verò appello, illum Proſerpinæ raptu celebrem. Cujus ætatem nunc indagabimus. Proſerpina, quam is rapuit, filia erat heroinæ, quæ populum Atticum docuit ſationem frumenti: ac ab Euſebio ad Ioſuæ tempora refertur. Sed vel duos Græciæ Plutones ſtatuere eſt neceſſe; geminum item raptum Proſerpinæ (& ſolent poetæ, ut antea etiam dixi, hiſtorias temporum diverſorum in unum commiſcere) vel ſtatuendum, Aidoneum illum unâ ſolùm ætate vixiſſe ante bellum Trojanum. Fuit enim Aidoneus Moloſſorum rex, ac Theſea tenuit captivum, uſque dum Hercules eum liberavit: quod refert Plutarchus in Theſei vita. Atque hanc etiã ſententiam poſuit Euſebius in Canone Chronico. Quod oſtendunt hæc ejus verba, ut Hieronymus quidem tranſtulit ad num. Io cxx: *Fabula Proſerpinæ, quam rapuit Aidoneus, id eſt, Orcus, rex Moloſſorum: cujus canis ingentis magnitudinis, Cerberus nomine, Pirithoum devoravit, qui ad raptum ejus eum Theſeo venerat. Quem & ipſum, jam in mortis periculo conſtitutum, adveniens Hercules liberavit, & ob id, quaſi ab inferis receptus ſcribitur. Scribit Philochorus in Atthidis libro ſecundo.* Similiter Cyrillus penè initio lib. 1 contra Iulianum deſertorem: *Centeſimo*, inquit, *& nonageſimo quinto anno poſt Moſen ferunt fuiſſe Proſerpinam virginem raptam ab Ædoneo, id eſt, Orco, rege Moloſſorum.* Subjungit deinde de Cerbero, Pirithoo, Theſeo, & Hercule, quæ antea adduximus.

CAPVT XX.

De Dea Phrygia, quicum Attis colebatur. Variæ hujus Deæ appellationes. Diodori de ea narratio. Cur ab leonibus alita dicatur. Attis aliter Papa nominatus. Servius ut hæc referat: ut item Arnobius. Agdiſtis ſive Agdeſtis nunc idem ac lapis Agdus, nunc juvenis ex eo natus, nunc ipſa Cybele. Fabuloſa mali Punici origo. Mala ſymbolum τῶν δώδεκα μηνῶν. Attin unde dictus: fuiſſe bubulcũ Phrygium. Flagitioſum fuiſſe amorem Cybeles, quo proſecuta paſtorem. Attidos nuptiæ cum Midæ filia à Cybele diſturbatæ. Ejus exſectio, dubium an ab ipſo. Sponſæ, cui Ia nomen, αὐτοφονία. Cultus Attidi decretus ab Agdeſti & Cybele. Solis abſciſſis fas fieri ſacerdotes Cybeles. Caſtrari ſolitos ad tibiæ cantum: & quæ cauſſa ejus ritus. Cur ſacerdotes hi dicantur Galli: deque eo B. Hieronymi opinio rejecta. Cur pinus in ſacris Cybeles geſtaretur ab iis, quos δενδροφόρους dixere. Simulacrũ Attidos, cui pectus illidebant Galli. Cur lana pinum velarint Galli, ac ramos ejus ornarint corollis violaceis. Cur in ſacris hiſce omnia perſonuerint planctibus ac lamentis. Cur panem vel ullum Cereale munus non guſtarint. Cur Galli caput jactarint.

EX inſulis ambulabimus in continentem. Ac primùm in magnam peninſulam; ut eam vocat Appianus in tertio belli civilis: ſive, ut Ptolomæus

mæus nominat, Asiam minorem: quæ etsi Occidentem respiciat, si cum Asia magna conferatur, Græciæ tamen ratione ad Orientem sita est: unde nomen illi hodie *Natolia*, quasi *Anatolia*, quia Oriens Græcis ἀνατολὴ dicitur. Civitatum ejus aliæ Græcanicæ, ut Ionicæ: aliæ barbaræ, ut Phrygiæ. Non est hujus loci, ubi agimus de cultu Deorum, anxiè eas discriminare. Potius pro situ ac propinquitate illas digeremus. Interim propter gentis Trojanæ, & Romanæ propaginis claritudinem; simul etiam ob vetustatem sacrorum Deæ Phrygiæ; hoc honoris Phrygiæ dabitur, ut de Creta non in Cariam vicinam, sed remotiorem Phrygiam, primùm vela pandamus.

In Phrygia Cybele, & cum ea Attis, colebatur. Vnde Servius in VII Æn. *Virbius est numen conjunctum Dianæ, ut matri Deûm Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.* Nec ut heroem, sed ut Deum esse cultum, indicat hoc Arnobii in quincto: *Nonne illum Attin Phrygem abscissum & spoliatum viro Magnæ Matris in adytis Deum propitium, Deum sanctum, Gallorum conclamatione testamini?* Conjungit etiam vetus lapis Romæ: M. D. M. I. ET ATTINIS. Vbi singulares literæ valent, *Magnæ Deum matris Idææ.*

Cybeles varia nomina. Strabo in X: Οἱ δὲ Βερέκυντες, Φρυγῶν τι φῦλον, καὶ ἁπλῶς οἱ Φρύγες, καὶ τῆς Τρώων οἱ περὶ τὴν Ἴδην καλοικοῦντες Ρεαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι, καὶ ὀργιάζουσι, ταύτην μητέρα καλοῦντες θεῶν, & Αἰέσιν (Ἀγδέστιν rectè emendarunt viri eruditi) & Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην· ἀπὸ δὲ τόπων Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμήνην, & Πυλήνην, καὶ Πεσσινουντίδα, & Κυβέλην· *Berecynthii autem, Phrygia gens, & in universum Phryges ac Troum illi, qui Idam accolunt, Rheam & ipsi colunt, eique orgia peragunt; matrem appellantes Deorum, & Agdestin, & Phrygiam, magnam Deam; à locis autem Idæam, Dindymenen, Pylenen, Pessinuntiam, & Cybelen.*

Vt verò Cybelen non minùs, quàm Attin, hominem fuisse liqueat: duo agam. Primum exponam historiam Cybeles, & Attidos: deinde ejus veritatẽ adstruam quoque ex ritibus, qui in sacris Cybeles observari solent.

Historia Cybeles & Attidos non uno à veteribus modo narratur. Ab cæteris abit Catullus in Galliambo suo. Sed poetis major fingendi licentia est. Quare adducere malo Diodorum Siculum: qui lib. III ait, sic eam referri à Phrygibus ipsis, & Atlantiis Oceani accolis. Meon, Phrygiæ ac Lydiæ rex, ex Dindyma uxore filiam genuit: quam, ob sexum, aspernatus, in Cybelo monte exposuit. Vbi leones & pardales uberibus suis eam aluisse dicuntur. Credo, hoc fictum, quia locus is, ab hominibus efferis inhabitaretur, vel quia Cybele ipsa moribus fuerit minimè humanis. Notum illud Didus de Æneæ: *Non tibi Diva parens*, & quæ sequuntur. Vel etiam referre possis ad impotentem ejus ardorem furoremque erga Attin. Hinc narrat Diodorus, Cybelen annis viribusque auctam

auctam formâ præcelluisse : reperisse etiam fistulam, tympana, atque alia choreis convenientia : item remedia multa ad pellendos puerorum morbos : quæ tantam ei gratiam conciliarunt, ut *Mater montana* vulgo audiret. Familiariter autem versatam ait cum Marsya, viro eximiæ sollertiæ : castitatis verò tantæ, ut omni vitâ Veneris fuerit expers. At aliis moribus Cybele, quæ impotenti amore prosecuta est adolescentem Phrygium, & dum cum eo est, florem virginitatis amisit. Huic primo *Attis*, postea *Papa* nomen fuit. Dum prægnans est, à parente Meone, amorum ejus nescio, in regiam accitur. Mox gravidam ex Atti esse, cognoscit parens : ac propterea adolescentem interimit, corpus abjicit insepultum. Cybele hæc tam impatienter tulit, ut furore corriperetur. Itaque, diffusis capillis, per regionem omnem magno cum ululatu vaga animi discurrit. Misertus ejus, ob veterem familiaritatem, Marsyas fuit : qui propterea, quaqua pedē poneret, comitem se addebat. Deventum est in hoc furore ejus ad Apollinem : quem interpretari liceat vel sacerdotem Apollinis, vel alium virum Apollinarem sive Musicum. Hîc in Musicum certamen Marsyas venit cum Apolline. Et assâ quidem fistulâ vincere Marsyas : sed præstare Apollinis cantus, ubi pariter ore concineret. Id iniquum Marsyæ certamen visum, cum sola fistula provocasset. Phryges nihilo secius palmam Apollini dedêre : qui, præ iracundia, Marsyæ vivo pellem detrahi jussit. Postea tamen, pœnitudine crudelitatis suæ ductus, Musicen intermisit, ac amore Cybeles captus cum ea ad Hyperboreos profectus fuit. Interim divinum numen gravem Phrygibus pestilentiam immittit. Ergo consulitur oraculum; quod respondit, si liberari pestilentiâ Phryges vellent, corpus Attidos esse mandandum terræ : Cybelen autem colendam, ut Deam. Tum Phryges, adjutante etiam rege Mida, templum Cybelæ condiderunt. In hoc tumulassent Attidem : sed corpus jam vetustate erat absumtum. Quare simulachrum fecerunt : atque ad illud lamentis & planctibus, nulloque non honoris genere, commissam à Meone cædem expiarunt. Atque ita Diodorus.

At neque cum eo per omnia convenit Servius. Qui sic rem narrat in IX Æn. *Attis, puer speciosus, cum Matris magnæ præesset sacris, à rege civitatis suæ adamatus est : sed cum intelligeret, vim sibi à rege instare, quasdam in sylvas profugit. Cùm ergo inventus vim sibi videret inferri, verenda stupratoris abscidit : qui moriens eandem ipsam partem corporis puero abscidit : quem semianimem, sub pinu latentem, cùm invenissent antistites Matris magnæ ; perlatum in templum deæ frustra conati reficere, defunctum sepelierunt : cujus ut perpetua maneret memoria, Mater magna instituit, ut quotannis in sacris suis plangeretur : & effecit, ut cultores sui viriles sibi partes amputarent, qui Archigalli appellantur.* Hæc ille.

Ab

Ab hiſce itidem abit Firmicus Maternus ad Conſtantium & Conſtantem Auguſtos : *Vt & ipſi* (Phryges) *annuum ſibi ſacrorum ordinem facerent, mulieris divitis, ac reginæ ſuæ amorem, quæ faſtus amati adoleſcentis tyrannicè voluit ulciſci, cum luctibus annuis conſecrarunt. Et ut ſatis iratæ mulieri facerent, aut ut pœnitenti ſolatium quærerent, quem paullo antè ſepelierunt, revixiſſe jactarunt, & cùm mulieris animus ex impatientia nimii amoris arderet, mortuo adoleſcenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro injuria ſpretæ fecerat formæ, hoc ordinantes à ſe pati voluere ſacerdotes.* Sed multò fuſiùs, plurimiſque admiſtis fabulis, hæc ediſſerit Arnobius in quincto : *Apud Timotheum*, inquit, *non ignobilem theologorum virum, nec non apud alios æquè doctos, ſuper magna Deorum matre, ſuperque ſacris ejus, origo hæc ſita eſt, ex reconditis antiquitatum libris, & ex intimis eruta (quemadmodum ipſe ſcribit, inſinuatque) myſteriis.* Hinc longam texit fabulam, vel mythiſtoriam potius. Nam hiſtoria videtur : ſed, ut Arnobius vocat, *mendaciis interpolata fallacibus.* Primùm refert, ut in finibus Phrygiæ petra inauditæ ſit vaſtitatis, nomine Acdus ſive Agdus. Ab hiſtoria hac it ad fabulam receptam : nam inde ait homines factos, cum Deucalio & Pyrrha lapidum jactu crearent genus humanum : imò ipſam inde originem trahere Deûm matrem : etiam addit, hac fruſtra à Iove appetitâ, cupiditatem ejus in lapidem fuſam, unde decimo menſe natus ſit puer, qui, quia mater Deum eſſet nata ex petra Agdo, eò dictus ſit Agdeſtis. Aliis tamen idem *Agdus*, & *Agdeſtis.* Pauſaniæ enim in Atticis memoratur Phrygiæ mons Ἀγδίϛις, prope Peſſinuntem oppidum, ubi Attis ſepultus. Quin & mater Deûm ſic nuncupata. Heſychius : Ἀγδίϛις, ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν· *Agdiſtis, eadem ac mater Deorum.* Imò, ut antea vidimus, docuit idem Strabo in x, ubi vulgo quidem legitur, matrem Deûm etiam Ἀιδῖϛιν dici : unde Lilius Gyraldus Ἐϛίαν cudebat : ſed rectum eſt Ἀγδίϛιν, vel Ἀγδῖϛιν : quomodo legi oportere, eodem tempore viſum duobus eruditiſſimis viris, Iſaaco Caſaubono, & Theodoro Cantero. A qua Scriptura quam proximè abeunt excerpta ſive epitome Strabonis, ubi, unâ præteritâ literâ Ἀγέϛιν ſcriptum. Quemadmodum unâ amplius ſyllabâ eſt in XII Strabonis, quo loco legas, vocari Ἀγδιϛῖϛιν. Sed redeo ad juvenem illum è petra natum nomine Agdiſtin. Hunc ait Arnobius invicti evaſiſſe roboris, & animi ferocis. Fabuloſum hoc mox ſubjicit, ut cum Liber ei in ſomno amputâſſet virilia, ex fluore iſto in terram natum ſit malum Punicum ; quo in finum admiſſo, gravida ſit facta Nana, Sangarii regis fluminis filia. Intellige regulum ad flumen illud imperantem. Cujus filia quid admiſerit, cum malum admiſit; facile videt, qui legerit Servium in illud Ecl. II : *Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala.*

Qui item cogitet, quantum in amoribus valere veteres putarint mala

Dio-

Dionysi : de quibus Theocritus εἰδυλλ. β. item Attii hoc in Annalibus :

Mala manu retinens gravidâ concepit in alvo.

Addit deinde ex Timotheo Arnobius, ut puer hic expositus sit, repertumque lacte aluerint hircino : & (verba Arnobii sunt †) *quoniam Lydia scitulos sic vocat, vel quia hircos Phryges suis Atagos elocutionibus nuncupant, inde Attin nomen effluxerit.* Evasit verò puer hic pastor ; ejusque amore regina Cybele jam vetula exarsit. Vnde Arnobio alibi * dicitur, *Contra decus ætatis illa Pessinuntia Dindymene in bubulci unius amplexu flagitiosa appetitione gestire.* Fuisse eum amorem impurum, indicat Lucianus his verbis libro de Sacrificiis : Η δὲ Ρέα πῶς οὐκ ἀσχημονεῖ, καὶ δεινὰ ποιεῖ, καὶ ἔξωρος οὖσα, καὶ τοσούτων μήτηρ θεῶν, παιδεραστοῦσα δ' ἔτι καὶ ζηλοτοποῦσα, καὶ τὸν Ἄττιν ἐπὶ τῶν λεόντων φέρουσα, καὶ ταῦτα μηκέτι χρήσιμον εἶναι δυνάμενον· *Rhea verò quomodo non indecorè indignéque facit, vetula jam, & tot Deorum mater, puerorum amoribus indulgens, & zelotypiâ prosequens, & Attin ipsum leonibus secum circumvehens, & quidem postquam utilis ei esse nequit?* Etiam ἀσέλγειαν ‡ vocat Theophilus lib. III ad Autolycum. Deque eodem sic Arnobius in V : *Mater eum dilexit magna. Si nepotem ut avia, res simplex : sin theatra ut percrepant, infamis & flagitiosa dilectio est.* Verùm bubulcus Attis amorem vetulæ, licet reginæ, contemsit. Vnde Tertullianus in Apolog. cap. XV : *Cybele pastorem suspirat fastidiosum.* Nec Cybele solùm, sed Agdestis etiam, formâ Attidos captus fuit : quod Attin ipse in vino confessus; ut Arnobius ait. Atque idē narrat, ut Midas, rex Pessinuntius, quo tam infami puerum amore liberaret, suā ei filiam destinârit uxorem. Hoc non tulit Cybele, rivalis impatiens. Non ignorabat Midas, quid femina posset, præcipuè zelotypa. Itaq; nuptiarum tempore portas urbis jussit occludi. At Cybele, ut fabulantur, capite muros sublevans in urbem venit. Quod, si fabulam ad historiam referas, nihil aliud videtur, quàm corrupisse eam Vrbis custodes, atque ita ingressam. Hinc maximæ sunt turbæ consecutæ. In furore omnium furere etiam Attin : qui sub pinum profugit. Hic ei jussu zelotypæ Cybeles resectum veretrum. Vnde Minucius Felix in Octavio : *Cybele Dyndimene (pudet dicere) adulterum suum infeliciter placitum, quoniam & ipsa deformis & vetula, ut multorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut Deum scilicet faceret eunuchum.* Similiter Augustinus lib. VI de Civ. Dei cap. VII. In eo tamen dissident, à quo Attis sit eviratus, ut Catulli exemplo loquitur Hieronymus ad Gerontiam ; sive, ut Græci dicunt, ὑδροτομημένος. Iuxta Catullum, *Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.*

Similiter ex Timotheo Arnobius : atque addit, id cum faceret, dixisse : *Tibi, Acdesti, hæc habe, propter quæ motus tantos furialium discriminum concitasti.* Sponsa, cui idem ex Valerio pontifice ait Iam fuisse nomen, se

† lib. 5.

* lib. 4.

‡ lasciviam, ac libidinem.

ipſam interemit. Tot malis obortis,& reginam Cybelen,& Agdeſtin,ſera facti ſui ſubiit pœnitentia. Statutum igitur,ut ſacra Attidos,ſive Attinis malis (utrumq; inclinandi morem invenio apud antiquos) ceremoniis annuis à ſacerdotibus celebrarentur. Id ab Agdeſti factum ait Arnobius in v. Cybelen verò id ſtatuiſſe, ait Tatianus Aſſyrius; cujus verba mox adducam. Nempe & Cybele pariter ſanxerit, & Agdeſtis. Imò ex plerorumque ſententia eadem Cybele, & Agdeſtis; ut ex Strabone,& Heſychio, antea vidimus.

Quæ hactenus de Cybele,& Attine diximus,etſi diſcrepent in multis,ut fieri ſolet in rebus longè ab hominum memoria remotis; non obſcurè tamen docent, & Cybelen,& Attin, homines fuiſſe. Atque hoc magis elucebit, ſi conſideremus ritus, quibus hiſtoriam veterem in ſacris Cybeles expreſſerunt. Hoc enim alterum eorum fuit, de quibus me acturum receperam.

Ac primùm conſtat,ut in honorem evirati Attinis ſit conſtitutum, nulli in magnæ matris ſacerdotibus locum fore, niſi qui, ejus inſtar, fuerit eviratus. In tanta teſtium copia ſuffecerit nunc Tatianus Aſſyrius oratione contra gentes, his verbis: Ρέα, ἣν οἱ ἀπὸ τῶν Φρυγίων ὀρῶν Κυβέλην φασὶν, ἀποτμήσεις αἰδοίων νενομοτέθηκε διὰ τὴν ἐρώμενον αὐτῆς Ατιν· *Rhea,quam in Phrygiis montibus Cybelen vocant, exſectionem virilium lege inſtituit propter adamatum ſibi Attin.* Suſpicetur aliquis,Gallos non verè caſtratos; ſed vulgo ſic ferri ſolere; quia, quaſi caſtrati, Venereo abſtinerent contubernio, poſtquam ſacerdotio inaugurati. Sed nihil certius eſt, quàm verè caſtratos. In quo tum gentiles, tum noſtri conſentiunt. Vnde & Prudentius hymno in Romanum:

Aſt hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciſo mitigans ab inguine:
Offert pudendum ſemivir donum Deæ:
Illam revulsâ maſculini germinis
Venâ, effluenti paſcit auctam ſanguine.

Vide & Auguſtinum lib. VII de Civit. Dei cap. XXVI. Ea eviratio fiebat ad tibiæ cantum: quæ res & furenti rabie ſtimulabat ad exſectionem, & caſtratis mox dolorem minuebat. Quas cauſſas adfert Elias Cretenſis in orat. Nazianz. adverſus Iulianum. Hanc enim vim habet cantus Phrygius, ut homines accendat, & quodam quaſi furore animet. Vnde Lucretius lib. II: *Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.*

Et Ovidius in Ibin:

Attonituſque ſeces, ut quos Cybeleia mater
Incitat ad Phrygios, vilia membra, modos.

Poſte-

Posteriorem versum fere similiter apud Tibullum legas lib. I, el. IV :

Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

Quemadmodum & aliàs subinde conveniunt hi poetæ ὁμήλικες * : ut hoc versu, quo utriusque natalis signatur : * coætanei.

Cum † cecidit fato consul uterque pari.

† *Tibullus lib. 3, el. 5. Ovid. lib. 4 Trist. el. 10.*

Sic eviratos constat, *Gallos* vocatos. Caussa nominis obscurior est. Nullam tamen minus probare possum, quàm ut sic dicti sint, quia ad hoc sacerdotium assumerentur natione Galli, iique castrarentur in contumeliam Gallorum, qui Romam incendissent. Quam ridiculam rationem legas apud B. Hieronymum in Osee cap. IV : ac propugnat eandem Forcatulus lib. V de Gallorum imperio, & philosophia. At merito rejecerat Valla lib. V Elegantiarum cap. VI. Longè verisimiliùs, qui nomen iis impositum putant à Gallo, flumine Phrygiæ : quod apud Festum legas ; & favet Ovidius in IV Fast. Vel potius à viro nomine Gallo, qui primus fortè Cybeles sacerdos fuit. Sanè apud Stephanum legas : Τὸν Γάλλον, καὶ τὸν Ἄττιν, ἀποκόψαι τὰ αἰδοῖα. Ἐλθεῖν δὲ τὸν μὲν Γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν Τυρίαν ποταμὸν, καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλέσαι. Ἀπὸ ἐκείνου δὲ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι· *Et Gallum, & Attin, abscidisse genitalia. Ac Gallum venisse ad Tyriam fluvium, atque istic habitasse, & vocasse eum Gallum. Ab illo enim eos, quibus præcisum veretrum, Gallos appellant.*

Galli isti in sacris Cybeles, & Attidis, imitabantur lugentem Cybelen ob Attin. Itaque & ejulabant, pectus cædebant palmis. Pinus etiam statuebatur in memoriam pinûs, sub qua sese castrarat Attin. Rami pinus coronis ornabantur ; quia Cybele sic honorasset pinum. Stipes ejus velabatur lanâ ; quia Cybele exanimati Attidis pectus velasset lana, ad teporem conciliandum. Pane abstinebatur, quia Cybele eo abstinuisset ob mœrorem. Quas rationes in gentilium commentariis adferri, ait Arnobius in V ; ubi hæc fusius exponit. Ipsum audiamus, & cum aliis componamus scriptoribus. Primùm de pinu sic ait : *Quid sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deûm matris intermittitis sanctuario? Nonne illius similitudo est arboris, sub qua sibi furens manus & infelix adolescentulus intulit, & genitrix divûm in solatium sui vulneris consecravit?* Hanc pinus gestationem vocabant δενδροφορείαν : quod apud Strabonem in X. Quique eam gestarent, dixere *dendrophoros* : ut L. XX de paganis sacrif. & templ. item L. I de centonariis, & dendrophor. in Cod. Theodos. Etiam in Inscriptionibus antiquis sæpius invenias Cybelen turritam, & Attin cum pinu. Ad hunc ritum pertinent quoque illa Iulii Firmici : *In sacris Phrygiis, quæ matris Deûm dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulacrum juvenis subligatur.* De simulacro quod addit, etiam adstruere è Dio-

doro Siculo, qui lib. III, Phrygas ad Attidis imaginem planctibus, & lamentis, aliisque honoris indiciis, cultum suum testatos refert. Etiam in actis Symphoriani Martyris, cum de Berecynthiæ sacris antea sermo fuisset, postea dicitur: *In cujus sacris excisas corporis vires castrati adolescentes infaustæ imagini exultantes illidunt.* Alii pino dicunt illisisse. nempe quia simulacrum in pino; ut ante vidimus.

Hinc de lanis subjicit Arnobius: *Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis, & circumvolvitis stipitem? Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus jam deficientem contexit, & teporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus?* Paullò etiam pòst hæc appellat *volucra mollium velamenta lanarum.*

Postea subjungit idem de pini violis, ac coronis: *Quid comti violaceis coronis, & redimiti arboris ramuli? Nonne illud indicant, uti mater primigeniis floribus adornaverit pinum miserabilis judicem testimoniumque fortunæ?*

Exinde de planctu Gallorum hæc addit Arnobius: *Quid pectoribus applodentes palmas passis cum crinibus Galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater turrita cum Acdesti lacrimabili puerum prosecuta est ejulatu?* Idem antea dixerat: *Tunc arborem pinum, sub qua Attis nomine spoliaverat se viri, in antrum suum defert, & sociatis planctibus cum Acdesti tundit & sauciat pectus.* De ejulatu hoc Gallorum sic quoque Augustinus lib. VI de Civit. Dei cap. VII: *Sacra sunt matris Deûm; ubi Attis, pulcher adolescens, ab ea dilectus, & muliebri zelo abscissus, etiam hominum abscissorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur.*

Denique de abstinentia à pane sic concludit Arnobius: *Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus? Nonne illius temporis imitatio est, quo se numen ab Cereris fruge violentia mœroris abstinuit?* Hinc & Catullus in Galliambo:

Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.
Itaque ut domum Cybelle tetigere lassulæ,
Nimio è labore somnum capiunt sine Cerere.

Vbi *Gallæ* potiùs, quàm *Galli* ait, quia essent viri non viri: quippe evirati, sive sine viro. Quomodo & Attin ipse Catullo est *nova mulier.* Porrò ex hoc ritu abstinentiæ à Cerere etiam lucem capit Tertullianus de Iejuniis: *Sed bene, quod in nostras xerophagias blasphemias ingerens, casto Isidis & Cybeles eas adæquas.* Idem ostendit B. Hieronymus epist. ad Lætam: *Faciant hoc cultores Isidis & Cybeles: qui gulosa abstinentia Phasidis aves, & fumantes turtures vorant, ne scilicet Cerealia dona contaminent.* Quo de ritu plura dicerem, nisi abunde eum illustrasset Desiderius Heraldus in iis, quæ eruditè ad superiorem Arnobii locum annotavit. Nec enim visum mihi actum agere.

Cæte-

Cæterùm poterat Arnobius etiam superioribus subdere, quòd Galli furibundi capita jactarent, id itidem factum esse ad imitationem Cybeles: quam Diodorus † ait, διὰ τὴν πρὸς τὸ μειράκιον φιλοστοργίαν, καὶ τὴν ὑπὲρ τῶν τροφῶν † lib. 3. λύπην, ἐμμανῆ γενομένην, εἰς τοὺς ἀγροὺς ἐκπηδῆσαι· καὶ ταύτην τὴν ὀλολύξασαν καὶ τυμπανίζουσαν ἐπιέναι πᾶσαν χώραν, καταθελυμένην τὰς τρίχας· *Cybelen per amoris erga juvenem impatientiam, & mœrorem ob nutrices, furore correptam in agros excurrisse: atque ibi solam, diffusis capillis, ululatu & tympani strepitu, universam implevisse regionem.* Ad hunc ritum pertinet illud Catulli:

— Simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deæ.
Vbi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Vbi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.
Vbi sacra sancta acutis ululatibus agitant.

Similiter Terentius Varro:

Tibi tympana haut inani sonitu, Dea, tonimus,
Sonitum æris intonamus tibi nos semiviri,
Teretem comam volantem Galli tibi jacimus.

Item Cilnius Mæcenas:

Ades huc, ades Cybelle, Dea, montigena Dea,
Age tympano sonanti quate flexibile caput.
Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.

CAPVT XXI.

Silenus Phryx in Deos relatus. Sapientia ejus excellens. Cujusmodi dolo eum Midas rex ceperit. Quando vixerit. Non alium videri à Marsya, cui vivo pellis detracta; ac super eo viri summi opinio rejecta. Cultus Hectoris, Sarpedonis, Protesilai, Homeri, Alexandri Magni, Hermotimi, Pyxodori, Caystrii, Asii, Alabandi, Tlepolemi, Pandari, triumvirorum Solymensium, quorum nomina variè adducta. Non videri eos Σκληρὲς *sive* Duros *nuncupatos. Cultus Amphilochi, & Mopsi, apud Cilices. Atticam non dici Mopsopiam à Mopso, sed Mopsopo vel Mopsope. A Mopso Ampycide, Thessalo Argonauta, Thessaliæ Mopsium nomen habere. Mopsus Thebanus, Tiresiæ nepos, Calchantis victor, ut vixerit temporibus belli Trojani, ac deinceps. Iterum de Venere Cypria: cujus sacerdotes* Κινυείδαι. *Agraulo Cyprii hominem sacrificabant. Cultus iisdem Onesimus.*

SEd de matre Phrygia fortasse nimium multa. Quare venio ad Silenum, tantopere à poetis celebratum: qui, Grammaticis variè nominis originem deducentibus, variè etiam scribi solet. Nec enim Σιληνὸς

ſolùm, vel Σειλλωὸς : ſed etiam Σειλινὸς, & Σιλλωὸς, legas. Phrygem diſertim vocat Tertullianus de Anima cap. 11 : ubi inter alios, Deorum ordinibus inſertos, etiam recenſet *Silenum Phrygem, cui à paſtoribus perducto ingentes aures ſuas tradidit.* De ingentibus Midæ auribus ſatis notum. Quò reſpiciens Perſius ſcripſerat, *Auriculas aſini Mida rex habet.* Sed ne Nero id in ſe dictum putaret, præceptor ejus Cornutus reſcripſit, uti nunc legitur : *Auriculas aſini quis non habet?* Quemadmodum in vita ejus refertur : quæ, ut arbitror, Suetonium Tranquillum habet auctorem. Nec mirum, ſi, quod ait Tertullianus, aures ſuas Sileno commodârit Midas. Fuit enim Silenus, pro illis temporibus, naturæ & antiquitatis omnis intelligentiſſimus. Vnde nec alium de iſtis, quam Silenum, loquentem inducere voluit Maro eclogâ illâ, quæ *Silenus* inſcribitur. Vbi Servius poetam ea maximè ſecutum dicit, quæ de Sileno prodiderat Theopompus Chius. Cujus fide etiam Ælianus Variæ hiſtoriæ lib. 111, cap. xv111, compluria refert, quæ apud eum legi malo. Etiam apud Tullium in primo Tuſculanarum quoddam ex Sileni hujus dictis reperias. Quid impedit, quo minus illud apponamus? utcunque ille pro fabella referat : de quo aliter alii; niſi generalius voce fabulæ uſum placet; quod non plane inſolens veteribus. *Fertur de Sileno fabella quædam : qui cum à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur, docuiſſe regem, Non naſci hominibus longè optimum eſſe : proximum autem quamprimum mori.* Quomodo ceperit Silenum Midas, docet inter alios Xenophon lib. 1 de Expeditione Cyri. Vbi ait, fontem, qui Midæ dicebatur, vino miſcuiſſe. Nempe ſic inebriârit Silenum. Sed de fonte fabulam ſapit. Credo, tam ſapienti viro, ſapientiam Midas more regio magnis expectorârit culullis. Nec ſane Silenus ille unus fuit è multis; ſed unus è regulis Cariæ, qui Niſæ imperaret. De quo fidem fecerit Diodorus in tertio : Πρῶτον γὰρ πάντων βασιλεῦσαι φασὶ τῆς Νύσης Σιλλωὸν, οὗ τὸ γένος ὅθεν ἦν, ὑπὸ πάντων ἀγνοεῖσθαι, διὰ τὸν ἀρχαιότητα. *Primum enim omnium Niſæ ajunt imperaſſe Silenum; cujus genus ab omnibus ignoratur, ob temporis longinquitatem.* Non tanta tamen ejus vetuſtas, ſi, ut Diodorus ibidem refert, Liberi Thebani temporibus vixerit. Cadmi enim Thebani is nepos fuit : de cujus temporibus nihil attinet repetere, quæ fuſè antea diximus. Videtur autem Silenus eſſe idem ac Marſyas. Quippe apud Herodotum lib. v11 invenio, ut ab Apolline ſuſpenſa ſit ὁ τοῦ Σιλλωοῦ Μαρσύεω ἀσκὸς · *Sileni Marſyæ pellis.* Nec movet me, quod Marſyam hunc aliqui non Silenum, ſed Satyrum, appellent : ut Maximus Tyrius initio ſerm. xxx : ubi legas; Ανὴρ Φρὺξ, ἀργὸς τὸν βίον, ἐρασὴς χρημάτων, λαμβάνει τὸν Σάτυρον, ὡς φησὶν ὁ μῦθος, *Homo quidam Phryx, vitæ deſidis, pecuniæque appetens, capit Satyrum; ut in fabula eſt.* Vnde vir eruditiſſimus colligebat,

gebat, alium esse hunc Marsyam à Sileno. Quippe junior cum esset, Satyrus; grandior autem, Silenus dici meruit. Sola enim ætate Satyri, & Sileni, differebant. Marsyam autem Midæ regis temporibus vixisse, etiam ostendit, quod antea dicebamus, de Mida filiam despondente Attidi Cybeles amasio, item de Marsya, post Attidem à Meone interemtum, Cybelen in fuga sua comitante, ac tum provocante in certamen quendam seu regulum, seu sacerdotem, qui vivo cutim exuerit crudeliter.

Phrygiæ etiam pars Troas, in qua Ilium. Vbi Ganymedem mitto, Assaraci, regis Trojani filium; qui, ut apud Hyginum est, in Aquarii sidus relatus, & Iovis esse pocillator dictus. Egimus de eo, cùm Iovem Phrygium, qui Tantalus est, spectaremus. Potiùs nunc heroas consideremus. Alexandrum Magnum in Ilio parentâsse heroibus, qui bello Trojano cecidissent, testatur Diodorus in XVII, Plutarchus in Alex. & Iustinus lib. XI. Ipsis verò Ilienſibus cultum Hectorẽ, imò & Helenam, Athenagoras ait Legatione pro Christianis: Ο μὲν Ιλιεὺς θεὸν Ἕκτορα λέγει, & τὴν Ελένην Ἀδράστειαν ὀνομάζοντες προσκυνεῖ· *Ilienses Deum Hectorem prædicant, & Helenam, veluti Adrastiam, scientes adorant.* Etiam Ajaci sacra feciſſe, testis Strabo in XIII: uti & vicini Sigeenses Achilli, Patroclo, & Antilocho; quod ibidem ait.

Sarpedon etiam cultus in Troade. Plinius lib. XIII, cap. XIII: *Præterea Mutianus ter consul prodidit, se legisse, cum præsideret Lyciæ, Sarpedonis à Troja scriptam in quodam templo chartam.* De oraculo ejus habes apud Tertullianum dè anima cap. XLVI, item Philostratum in Heroicis.

Ab Ilio, si Septentrionem versus tendamus, offeret se Abydena regio: ubi, ut Mela ait lib. II, cap. II, *sunt Protesilai ossa consecrata delubro.* Sed festinantibus in Asiam magnam jucundius iter erit, si rectà eamus in Ioniam, inde in Cariam, tum oram extra Taurum maritimam, quam tenent Lycii, Pamphylii, ac Cilices.

Ab Ilio igitur, sic decantatâ versibus Homericis, prima nos recipiet Smyrna: quæ præ cæteris Homeri natales sibi deposcit. Itaque & templum Homero exstruxit: in quo ejus simulacrum; ut memorat Strabo in XIV. Etiam Smyrnæis Æsculapii fanum; ut ait Pausan. in Achaicis.

Supra Clazomenios látere eo, quod Chalcidenses occuparant, fuit lucus Alexandro M. sacer: ac certamẽ etiam erat communi Ionum nomine peragi solitum. Id Ἀλεξάνδρεια dixere. Auctor de utroque Strabo in XIV.

Clazomeniis cultus fuit Hermotimus: de quo sic Tertullianus lib. de anima, *Vt Hermotimum, cui Clazomenii mortuo templum contulerunt.* Nam *Hermippum* hic perperam legi solere, monitum jamdiu Paullo Leopardo lib. VIII Emendationum cap. III. Sana lectio retenta à Tertulliano ejusdem libri cap. XLIV: *Cæterum de Hermotimo, animâ, ut ajunt, in somno carebat; quasi*

quasi per occasionem vagaturi hominis proficiscente de corpore. Vxor hoc prodidit. Inimici dormientem nacti pro defuncto cremaverunt. Cives Hermotimum templo consolantur.

In Ionia etiam est Ephesus, inclyta templo Dianæ. Sed hæc nobis in Diis naturalibus dicetur. At inter animales est Pyxodorus: cui ab Ephesiis divini honores decreti fuerunt ob marmoris inventum; teste Vitruvio lib.x, cap.vii.

Mæandri campum incoluerunt Iones, & Cares: imò & Lydi, atque alii. In hoc est, quem Ασιον λειμῶνα * Homerus vocat, *prata Asia* Virgilius †. Vbi Caystrii, & Asii cujusdam, heroum sacella propter Caystri flumen monstrabantur: ut Strabo refert in xiv.

* *Iliad. 8. 461.*
† *1 Georg.*

In Caria Alabandenses Alabandum colunt: de quo aliquid antea dictum nobis ex Tullio iii de Nat. Deorum. Sed fusiùs ibidem his verbis: *Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, à quo est urbs illa condita, quam quemquam nobilium Deorum. Apud quos non inurbanè Stratonicus, ut multa, cum quidam, ei molestus, Alabandum Deum esse confirmaret, Herculem negaret: Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus.*

Caria opponitur Rhodo insulæ. Vbi Tlepolemus rex, qui ad Trojam militans à Sarpedone occisus, divino cultus est honore: ut est apud Pindari scholiastem Olymp. od.vii.

In continentem revertamur. In Lycia infra Cragum jacent Pinara; ubi Pandarum venerati; quemadmodum testatur Strabo in quartodecimo. Παλαιὸς ἥρως ‡ vocatur Eustathio: quem vide in Homeri Iliad. Δ *.

‡ *antiquus heros.*
* *pag. edit. Rom. 448.*

Solymi, qui in summis Tauri montis jugis constituti inter Lycios, & Pisidas, ac propterea à Strabone nunc his, nunc illis, adscribuntur, Deos coluere post mortem tres istos è viris principibus, Αρϐαλον, καὶ Δρύον, καὶ Τροσωϐιὸν: ut eos appellat Plutarchus libro de defectu oraculorum: ubi eos ait vocatos Deos σκληροὺς: unde & Turnebus *sævos* vertit: sed Σκιροὺς rescribendum esse, constat ex Eusebii lib. v Præparationis Euangelicæ cap.v, ubi hunc locum adducit: sed tres principes appellat, Αρϐαλον, Αρυτον, καὶ Τόσιϐιν. Ac Τόσιϐις quoque est apud Suidam. Sed apud Theodoretum lib. iii Græcarum affect. curat. ubi idem Plutarchi locus adducitur, pro Τόσιϐιν est Τάϐιν: item pro Δρύον, vel Αρυτον, ibi legas Αρυον. Σκιροὶ hi dicti videntur, quia statuæ eorum essent è σκίρῳ, hoc est marmore, vel, ut alii malunt, gypso. Ac nihil minùs verisimile, quàm σκληροὺς dixisse, quos interemtos tantopere dolerent, & pro benefactis divinis afficere honoribus vellent. *Duros* tamen redditum legas quoque in ea Theodoreti interpretatione, quam doctissimus Sylburgius recensuit.

Cilices colunt Nioben; de qua Athenagoras in Legatione. Verùm si de eo

de eo non Alcmanem modò, ſed Heſiodum etiam auctorem putavit, planè eum memoria fefellerit. Saltem nihil nunc de eo in Heſiodi Θεογονίᾳ reperias. Iidem divinos honores exhibebant Mopſo : ut eſt apud Origenem in tertio contra Celſum. Et ante eum ita Tertullianus lib. de Anima cap. XLVI : *Nam & oraculis hoc genus ſtipatus eſt orbis : ut Amphiarai apud Oropum, Amphilochi apud Mallum, Sarpedonis in Troade, Trophonii in Bœotia, Mopſi in Cilicia, Hermionæ in Macedonia, Paſiphaæ in Laconica.* Quo ex loco etiam diſcimus de oraculo Amphilochi apud Mallum : quod & ipſum Ciliciæ oppidum fuit. Sed quis Mopſus iſte fuerit, quæri video. Tres vulgo Mopſos imprimis celebrant : imò totidem à Strabone in IX referri, annotavit Andreas Schottus ad Melæ lib. I, cap. XVII. Nempe iſtic legas, Mopſium, Pelaſgiotidis in Theſſalia urbem, ſic dici, non à Mopſo vate, Tireſiæ Thebani filio ; ſed à Mopſo Lapitha Theſſalo, Argonautarum uno : ac deinde in codd. vulgatis edi ſolet : Αλλος δ' ἐστὶ Μόψος, ἀφ' οὗ ἡ Αττικὴ Μοψοπία· *Alius verò eſt Mopſus, à quo Attica dicta Mopſopia.* Et ſanè à Mopſo *Mopſopiam* dici, ſententia eſt Stephani in Μοψίον, qui ſimiliter apud Strabonem legiſſe videtur. Quin idem etymon exſtat apud Euſtathium in Dionyſ. Verùm obſtat, quòd à Μόψος eſſet Μοψία. Rectè igitur Caſauboniana Strabonis editio pro Μόψος habet Μόψοπος, unde ἀναλόγως eſt Μοψοπία : uti & à Μόψοψ, quòmodo idem vocatur Callimacho, apud Stephanum in Μοψοπία. Quare non dubium, quin Mopſus ille, cujus oraculum in Cilicia erat, vel Thebani Tireſiæ filius fuerit, vel Argonautarum unus. Poſterius cenſet Pamelius ad allatum Tertulliani locum. Fuit is Mopſus Ampyci filius, unde Ampycides dicitur Apollonio in IV, & Ovid. XII Met. Vatem autem hunc fuiſſe, clarè & Apollonius, & Valerius Flaccus, teſtantur. Mihi verò longè veriſimilius fit, oraculum illud Mopſi in Cilicia non fuiſſe Argonautæ Theſſali, ſed Tireſiæ filii, aut nepotis. Hoc è temporum ratione colligo. Siquidem Mopſus vates, cujus in Cilicia oraculum, non Argonauticis vixit temporibus, ſed belli Trojani ; uti conſtat ex Strabone in XIV ; ubi ſic ſcribit : Λέγεται δὲ Κάλχας ὁ μάντις μετ' Αμφιλόχου τοῦ Αμφιαράου κατὰ τὴν ἐκ Τρόιας ἐπάνοδον πεζῇ δεῦρο ἀφικέσθαι· περιτυχὼν δ' ἑαυτοῦ κρείττονι μάντει κατὰ τὴν Κλάρον Μόψῳ τῷ Μαντοῦς τῆς Τειρησίου θυγατρὸς διὰ λύπην ἀποθανεῖν. *Dicitur Calchas cum Amphilocho, Amphiarai filio, à Troja pedeſtri itinere, eò veniſſe : cumque apud Clarum, in ſe meliorem vatem incidiſſet, Mopſum, Mantûs filium, quæ Tireſiæ fuit filia, præ mœrore vita exceſſiſſe.* Hinc quæ alter alteri propoſuit, ex Heſiodo refert, & Pherecyde, item aliis : ac de Sophocle ſubjungit, Οὗτος καὶ εἰς Κιλικίαν μεταφέρει τὴν ἔριν, καὶ τὴν θάνατον τοῦ Κάλχαντος· *idem hanc concertationem, & mortem Calchantis, in Ciliciam transfert.* Ex quibus ſatis apertum eſt, ut Amphilochum, ita Mopſum,

psum, (quorum utrique oraculum in Cilicia, ut ex Tertulliano vidimus) temporibus belli vixisse Trojani, Trojâque in Ciliciam venisse. Etiam hanc rem narrat Isacius Tzetzes in Cassandram Lycophronis *: inter cætera habes: Μετὰ δὲ πὼ Ιλίου πάρθησιν αὐτὸς ὁ Κάλχας, & ἕτεροι, Αμφίλοχος, Λεοντεὺς, Ποδαλείριος, Πολυποίτης, ὲν Ιλίῳ λιπόντες τὰς ναῦς αὐτῶν εἰς Κολοφῶνα πεζῇ πορεύονται, κἀκεῖ θάπτουσι Κάλχαντα· *Post verò excidium Ilii, Calchas ipse, & alii, Amphilochus, Leonteus, Podalires, Polupœtes, Ilii navibus suis relictis, pedestri itinere Colophonem venerunt, atque hic sepelierunt Calchantem.* Hinc de Mopsi, & Calchantis certamine enarrat. Ex quibus abunde cognoscitur, Mopsum illum, in Cilicia cultum, non fuisse unum Argonautarum; quorum expeditio generatione integrâ bellum Trojanum anteceſſit: sed illum Mantûs filium, Tiresiæ nepotem; qui Amphilochi, & Calchantis Homerici temporibus vixit. Nec alius, à quo in Cilicia Μόψου ἱερία, *Mopsi focus, lares, sive domus.* B. Hieronymus *Mopsi viculum* appellat. Locus celebris mortuo istic Constantio imperatore, & episcopatu Theodori Mopsuesteni; viri à Basilio, Chrysostomo, Cyrillo laudati; sed post exortum dogma Nestorianum, ab eodem Cyrillo, & Ecclesia, damnati. Etiam hunc Mopsum intelligo apud Pomponium Melam lib. I, cap. XIV, cùm scribit: *Trans eosdem mons Sardemisos, & Phaselis, à Mopso condita, finis Pamphyliæ.* Interea & Mopsus Argonauta suum habuisse oraculum videtur: de quo in Africæ numinibus inferiùs dicam.

* pag. 75, edit. Pauli Steph.

Deinceps ex Cilicia in Cyprum contendo. Vbi Cinyræ regis scortillum sub nomine Veneris colebatur: ut cap. XVII dicebamus. Vti & de ritu colendi salis pugillo & phallo. Auctores, Clemens in Protreptico, Arnobius lib. XV, & Firmicus Maternus de err. prof. rel. Sacerdotes ejus Κινυράδαι vocabantur; quia non alius præficeretur sacris, quam ex Cinyræ progenie. Testes Hesych. in Κινυράδαι, & Pindari scholiast. Pythion. od. II. Ita & Peliam, Cinyræ propinquam, Veneri dicatam fuisse, legimus apud Servium in Ecl. VIII.

Etiam Cretenses Agraulo, Cecropis filiæ, de qua in Athenienſium cultu diximus, sacra fecere; & humanâ quidem victimâ, usque ad tempora Diomedis: uti locuples testis Porphyrius de abstinentia animalium, & exinde B. Cyrillus libro IV contra desertorem Iulianum. In eadem insula Amathusii coluere Onesilaum; ut in Legatione ait Athenagoras.

CAPVT

CAPVT XXII.

Ad animales Phœnicum Deos acceditur. Syrorum, & Medorum imperium Græcis quasi ignotum videri ante bellum Persicum. Sanchoniathonis ætas, dignitas, scripta. Græcos, & alios, à Phœnicibus, & Ægyptiis, accepisse cultum Deorum. Chrysor, *qui Vulcanus videtur, non solum artis fabrilis, sed etiam facundiæ, divinationis, piscationis, & navigationis doctor habebatur. Idem* Diamichius. *Taautus literarum repertor.* Dagon *idem, qui* Σιτώ. Beth-Dagon. *Atlas Phœnix.* Gades *cur sic vocentur. Quomodo Cœlus, & Tellus, Sanchoniathoni sint Dii animales.* Hercules Tyrius, *qui &* Melicartus. *Idem Sidone cultus, & unde* Melicarti *vocabulum.* Malica, *Amathusiis Hercules.* Αρτης, Mars, *& unde ea appellatio. Vnde item* Αρταῖος, *&* Αρποξέρξης. Desanaus *quàm variè scribatur.* Dorsanes. Sandes. *Vnde hæ videantur appellationes. Herculis Tyrii ætas: quod alium à Samsone arguit.* Adad, *sive* Adod. Ada. *Pro* Astarten *plurativo* Astaroth *dici, quia pluribus locis coleretur. Esse eam Europam, Agenoris regis filiam. Cur, cum raperetur à Iove, tauro vecta dicatur.*

EX Cypro ituris, hinc Asia trahit, inde Africa: in illa quidem Phœnicia, in hac verò Ægyptus: ab utraque earum superstitione impleta est Græcia. Quod verò ad Babyloniam, Mediam, Persiam, & terras Asiæ alias, exili solum famâ notæ erant ante bellum Persicum. Quemadmodum clarè ait Strabo in quinctodecimo. Et gravi auctore Homero id adstruit: Ομηρος γὰρ ὅτε μὲν τὴν τῶν Σύρων, ὅτε δὲ τὴν Μήδων ἀρχὴν οἶδεν· οὐδὲ γὰρ ἂν Θήβας Αἰγυπτίας ὀνομάζων, καὶ τὰ ἐκεῖ, καὶ τὰ ἐν Φοινίκῃ πλοῦτον, καὶ τὰ ἐν Βαβυλῶνι, καὶ Νίνῳ, καὶ Ἐκβατάνοις παρεσιώπησε. *Nec enim Homerus Syrorum, vel Medorum nôrat imperium. Alioqui cùm Thebas Ægyptias, & earum, ac Phœnicum nominaret divitias: minimè præteriisset divitias Babylonis, ac Nini, & quæ Ecbatanis.* Sed ante Ægyptum culta est Phœnicia, & Cypro propior est multò. Bonis igitur avibus velum ventus impleat secundus, ut eo passo ad Phœniciam terram provehamur.

Phœnices coluere Saturnum, Rheam, Iovem, Iunonem, alios: quos fuisse homines, ipsi fatebantur. Vnde Theodoretus lib. III de cur. Græc. affect. Καὶ γὰρ δὴ καὶ τὸν Κρόνον ἄνθρωπον εἶναι Σαγχωνιάθων ἔφησε, καὶ γυναῖκα τὴν Ρέαν τὴν ἐκείνου ὁμόζυγα· καὶ τὸν Δία, καὶ τὴν Ηραν, ἐκείνων γε παῖδας· ἔπειτα ἐυεργεσιῶν τινων ἄρξαντας, καὶ δεξαμένους τὸ βίου τὸ τέλος, θείας παρὰ Φοινίκων ἀξιωθῆναι τιμῆς, καὶ θεὸς ἀναγορευθῆναι, καὶ βωμοῖς, καὶ θυσίαις, καὶ ἐτησίοις τιμηθῆναι δημοθοινίαις. *Hinc & ipsè Sanchoniathon, Saturnum fuisse hominem, Rheam mulierem, Saturni conjugem, tradit; homines etiam Iovem, & Iunonem, eorum liberos: postea verò cum beneficia quædam priores ipsi hominibus contulissent, vitâ demum*

mum perfunctos, dignos à Phœnicibus esse habitos, qui divinis honoribus culti, etiam vocarentur Dii, quique & aris, & sacrificiis, & annuo epulo colerentur. Sanchuniathon ille fuit Berytius, vir Trojano bello antiquior, ac historiam Phœnicum Phœniciâ perscripsit linguâ, partim ex urbium singularum actis, partim ex templorum monumentis, multum in eo adjutus operâ Hierombali, qui sacerdos fuit Dei Ιευώ. Ιευὼ autem idem ac Ιάω: quæ voces factæ ex nomine Dei tetragrammato. Hoc Sanchuniathonis opus Philo Byblius lingua è Phœnicia transtulit Græcè; indéque ea, quæ de Phœnicum ille theologia retulerat; in primum suum de Præparatione Euangelica transtulit Eusebius. In hujus operis proloquio retulit Philo, antiquissimos gentium esse Phœnices & Ægyptios: Phœnices præter Solem, Lunam, sidera, elementa, & ex his composita, quæ vocat θεὺς * φυσικὰς καὶ ἀθανάτους, habuisse θεὺς θνητὰς †, nempe animas eorum, qui bene meriti essent de hominibus. Sic enim inter alia loquitur: Οἱ παλαιότατοι τῶν βαρβάρων, ἐξαιρέτως δὲ Φοίνικές τε καὶ Αἰγύπτιοι, παρ' ὧν καὶ οἱ λοιποὶ παρέλαβον ἄνθρωποι, θεοὺς ἐνόμιζον μεγίστους τοὺς τὰ πρὸς τὸν βιωτικὸν χρείαν εὑρόντας, ἢ καλά τι εἰς ποιήσαντας τὰ ἔθνη. εὐεργέτας τε τούτους καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ἡγέμενοι, ὡς θεοὺς προσεκύνουν. *Barbarorum antiquissimi, Phœnices imprimis & Ægyptii, à quibus homines cæteri morem hunc accepere, maximorum Deorum loco habuerunt, qui res ad vitam necessarias invenissent, ac beneficium quoppiam in genus contulissent humanum. Hos igitur, qui bene fecerant, & multorum habebantur bonorum auctores, adorarunt ut Deos.* Videmus, ut πολυθεότητα †, & ejus cultum, à Phœnicibus, & Ægyptiis, derivet Philo: quod facile persuadet. Nam quis non potiùs de Chami posteris id in animum inducat suum, quàm Semi, aut Iapeti liberis; quorum pietas memoratur à Mose; quibus etiam benedixit Noe, cum Canaani, filio Chami, malediceret; ut est Gen. IX, 25, 26, 27. Atqui, quæ Phœnicia postmodo vocabatur, ea priùs à Canaan dicta est *Cananæa*: & à Chamo ipso Ægyptus *terra Cham*, item ab altero ejus filio *terra Mizraim* vocatur in Scripturis: ut alibi hoc opere ostendimus.

* *Deos naturales & immortales.*
† *Deos mortales.*
‡ *multitudinem Deorum.*

Inter eos, quos Deos fecere Phœnices, Chrysor fuit; qui Græcis videtur Ηφαιστος, Latinis autem *Vulcanus.* Testis ex Sanchoniathone Philo apud Eusebium in primo Præp. Euang. ubi cum de Υψωρανίου sobole gemina, quam Αγρέα καὶ Αλιέα, *Venatorem, & Piscatorem* vocat, locutus foret, ista subjungit, Ἐξ ὧν γενέσθαι δύο ἀδελφοὺς σιδήρου εὑρετὰς, καὶ τῶν τούτου ἐργασίας· ὧν θάτερον τὸν Χρυσὸρ λόγους ἀσκῆσαι, καὶ ἐπῳδὰς, καὶ μαντείας· εἶναι δὲ τοῦτον τὸν Ηφαιστον. εὑρεῖν καὶ ἄγκιστρον, καὶ δέλεαρ, καὶ ὁρμιὰν, καὶ σχεδίαν· πρῶτόν τε πάντων ἀνθρώπων πλεῦσαι· διὸ καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ἐσεβάσθησαν· καλεῖσθαι δὲ αὐτὸν καὶ Διαμίχιον. *Ab iisdem fratres procreati duo; qui ferrum, ac multiplicem ejus usum, reperere. Quorum alter, Chrysor nomine, quem Vulcanum esse ait, plurimum*

operæ

operæ ac ſtudii, partim in eloquentia, partim in cantionibus ac divinandi artibus collocavit. Is etiam hamum atque eſcam, piſcatorum lineam, ac tumultuarias rates invenit, primuſque mortalium omnium navigavit. Quamobrem eum quoque poſt obitum inſtar Dei coluerunt, ipſumque præterea Diamichii nomine appellarunt.

Porrò vocabula illa Υψουρανίω, Αγρέος, Αλιέος, & ſimiles, non à Sanchoniathone ſunt, ſed interprete; qui Phœnicia nomina Græcis expreſſerat vocibus. Alios ibidem ex Sanchoniathone recenſet Deos de hominibus factos: uti Αγρούηρον ἢ Αγρότλω, *Agricolam ſive Ruſticum*: quem templo in Phœnicia, & eximio ait ſimulachro cultum, vocatumque eſſe Deorum maximum. Cenſeo hunc, vel Chamum fuiſſe, vel Cainum; quem Abelo à maledicta gente Cananæa prælatum, nihil mirandum. Addit, eum cum fratre, qui Αγρὸς * dicebatur, atria addidiſſe ædibus, & ſepta, & αὐλαία, * *Agri.* ſive ſpeluncas, vel cellas ſubterraneas. Primus quidem Cain fuit, qui urbem exſtruxerit: ut Moſes indicat Gen. IV, 17. Non adverſor tamen, quo minùs intelligatur aliquis è Chami poſteris, qui incoluerit Cananæam. Ab his fratribus Sanchoniathon eſſe ortos ait agricolas, quique canibus venantur: atque etiam vocatos Αλήτας, & Τιτᾶνας· *Errones, & Titanas.* Ex his natos Αμυνον, καὶ Μάγον: inde Μισὼρ, καὶ Σιδὺκ, hoc eſt, Ευλύλον, *Solutu facilem*, καὶ Δίκαιον, *Juſtum.* Ex Miſor eſſe Taautum: qui artem ſcribendi reperit, primuſque rerum geſtarum commentarios reliquit: ac Ægyptiis quidem Θωὼρ, vel potiùs Θωὺθ, Alexandrinis autem Θὼθ, Græcis Ερμεῖ nominatum. Quod & antea ex Philonis Berytii præfatione, retulerat Euſebius. Ac plura de eo in Diis Ægyptiis dicemus. Poſtea ſubjungit, ut ex Siduc procreati ſint, qui vel Διόσκυροι, vel Καβειροὶ, vel Κορύβαντες, vel Σαμοθρᾶκες vocantur. Variè credo hoc numen extulit Philo, quia non ſatis videret, quod numen Græcanicum Phœnicio illi imprimis conveniret. Memorat & Deum, cui nomen Ελιῶν, ſive Υψιστος, hoc eſt *Altiſſimus*: qui vixerit prope Byblum, ac genuerit Οὐρανὸν, unde ætherea plaga Ουρανὸς ſive Cæli nomen acceperit. Altiſſimum autem cum feris congredientem periiſſe: ſed à liberis adſcriptum eſſe Diis: ᾧ καὶ χοὰς, καὶ θυσίας οἱ παῖδες ἐτέλεσαν· *quem & libationibus, & ſacrificiis, liberi ſint venerati.* Ex Cælo quoque natos ait Ilum ſive Saturnum, Betulum, Dagonem, & Atlantem. De Ilo dictum antea. De Betulo agam in Deorum ſymbolis. Dagon à Philone redditur Σιτὼ, hoc eſt, frumenti præſes: nempe quia frumentum & aratrum repererit. Quod convenit cum Hebræo דָּגָן, dagan, *frumentum.* Alii tamen cenſent eſſe à דָּג, dag, *piſcis.* Quaſi *piſcionem* dicas. Puta quia mari præeſſet, eoque ſimulachrum ejus ſuperiori parte hominem, inferiori piſcem referret. Multum ſanè hæc diſtant. Nec enim agricolis, ſed piſcatoribus, & nautis, convenerit numen, quod ſemihominis ac ſemipiſcis

figuram haberet. Sæpius in Scripturis memoratur בֵּית דָּגוֹן, *beth Dagon*, hoc est, *templum Dagon*. Vt 1 Sam. v, 1, ubi dicitur, cùm arca Domini à Philistæis illata esset in templum Dagonis, ac juxta Dagonem collocata; postridie repertum esse caput ejus in limine cum duabus manibus, relicto solùm Dagonis corpore sive trunco. Commate idem quincto repeti videas nomen Dagonis, sed particulatim in Asdod. Adde quod 1 Maccab. x, 83, 84, dicitur Ionathas accendisse BethDagon, cum Azoti se hostes in illud, velut asylum, recepissent.

Quartus filiorum Vrani Atlas refertur: qui fortasse non alius est ab celebratissimo ejus nominis rege Mauritaniæ. Quid enim prohibet, quo minùs credamus, Phœnicem hunc coloniam duxisse in Mauritaniam? Præsertim cum videamus, Carthaginenses esse Phœnicum colonos: imo & Gaditanos. Quorum colonia ab Hercule Tyrio. Nam columnas Herculis non alius esse, quàm Tyrii, etiam judicium est gravissimi scriptoris, Strabonis. Atque idem ipsa *Gadium* appellatio arguit. Nam Græcè est Γάδειρα, à גָּדַר, *gadir*, cujus femininum גְּדֵרָה, *gedera*, hoc est, *sepimentum*, ut etiam Solinus exponit, cap. xxvi. Imò & Procopius Cæsarienſis, initio lib. 1 Vandalicorum, ait, SEPTVM à Romanis vocatum. Perperam tamen exponit ἑπτὰ, quia sic *Septem* vocaretur. Melius caussam perspexit Avienus: *Pœnus namque locum Gadir vocat undique septum.*
Hesychius: Γάδειρα, τὰ περιφράγματα, Φοίνικες· *Gadir, sepimenta, secundum Phœnices.*

Postea subdit Sanchoniathon, ut Tellus zelotypa ob libidines mariti sui Vrani, qui Latinis Cœlus vocatur, ab eo recesserit. Tum illum cœpisse consilium è medio tollendi, quicquid liberorum ex ea haberet. Sed Telluri tantum fuisse, & animi, & consilii, ut vim omnem propulsaret. Hic qui Vrani sive Cœli, & Telluris nomina audiat; quid aliud existimet, quàm vocabula hæc non ad mortuos, sed duntaxat ad partes naturæ pertinere? At longè aliter res habet: sive cum Sanchoniathone existimemus, vocabula Cæli, & Telluris, priùs hominum fuisse, postea autem esse in honorem eorum naturæ partibus attributa, quibuscum colerentur: sive, quod non paullo mihi verisimilius videtur, priùs Cæli & Telluris nomen mundanis partibus conveniat: postea autem, cum simili homines cultu dignari vellent, obliterato veteri defunctorum nomine, nomen iis impositum sit partium naturæ, quo & nomine, & cultu, convenirent.

Persequamur nunc cætera ex Sanchoniathone. Refert deinde, Saturnum, ubi adoleverat, consilio, & auxilio Minervæ, ut maternas vindicaret injurias, patrem regno depulisse. Saturni filias esse Proserpinam, quæ obierit virgo, & Minervam. Byblum à Saturno conditam. Atlantem fratrem

trem terrâ defossum : Sadidum filium jugulatum : sororem ductam Astarten; unde, præter filios, Amorem, & Cupidinem, genuerit septem Titanidas sive Dianas; quarum una, nomine Sydyco, mater fuerit Æsculapii. Ductam ei & alteram sororem Rheam, unde totidem genuerit filios; quorum postremus, simulac esset natus, fuerit consecratus. Ductam & sororem tertiam, Dionen. Fuisse præterea tres Saturno filios; unum patri cognominem, alterum Iovem Belum, tertium Apollinem. Post pauca subjungit, τῷ Δημαρῶντι γίνε) Μελίκαρθος, ὁ καὶ Ηρακλῆς· Quod perperam vertit interpres, *A Demaroonte Melicarthus, & Hercules procreantur.* Cum debuerit, *Melicarthus, qui & Hercules, procreatur.* Herculem à Phœnicibus cultum, etiam discimus ex II Maccab. IV, 18, 19, 20, ubi legas, ut impius ille sacerdos Hierosolymitanus Iason miserit Tyrum *drachmas argenti trecentas in sacrificium Herculis.* Etiam ex iis, qui Alexandri gesta prodiderunt, notum, hoc perniciem attulisse Tyriis, quòd, cùm Alexander dixisset, se velle Tyrum venire Herculi sacrificatum, Tyrii decretum fecerint, Macedonem vel Græcum in urbem admittendi neminem. Atque addit Arrianus lib. II : Ἐςὶ γὰρ ἐν Τύρῳ ἱερὸν Ηρακλέους, παλαιότητα ἣ μνήμην ἀνθρωπίνη διασώζε) · *Est enim in urbe ea templum, cujus vetustatem humana memoria conservat.* Mox distinguere jubet inter tres Hercules, Tyrium hunc, Argivum, & Ægyptium. Ex quibus liquet, Tyrium esse Argivo aliquot seculis vetustiorem. Nec Tyriis solum Hercules colebatur, sed & Sidoniis : imò cultus iis, ut Strabo in XVI ait, καθ' ὑπερβολὴν, *supra modum.* Melicartho fuisse nomen, jam ex Sanchoniathone seu Philone Byblienſi vidimus. Vox ea ex duabus est conflata. Prior pars est מֶלֶךְ, melech, *rex*; unde & Hercules *Malica* ab Amathusiis. Hesychius : Μάλικα τὸν Ηρακλέα, Ἀμαθούσιοι, *Malica, Herculem, Amathusii.* Est verò Amathus gemina, Phœniciæ una, Cypri altera. Nempe urbes istæ sacris videntur convenisse : nec dubito, quin primi in Cyprum Phœnices trajecerint : ut Amathusii in Cypro à Phœnicibus cultum Herculis acceperint. Imò aliqui etiam Amathuntis nomen ab Herculis filio esse existimant : quod Stephanus indicat in Ἀμαθοῦς. Altera in Melicarto pars est קַרְתָּא, carta, *civitas.* Quomodo *Melicartus*, sive *Melicerta*, sit *rex civitatis*, θεὸς πολιοῦχος.

Sed dicere etiam liceat, posteriorem vocis partem esse Αρτης. Nam Mars, & Hercules, promiscuè usurpari solent Orienti. At Αρτης Ægyptiis Mars : uti ex Vettio Valente Antiocheno ostensum clarissimo Seldeno. Est vero Αρίης ejusdem originis ac Αρης, nempe ab אריס, *arits.* Ac ἄρτης quidem sive *artis* ex eo fit trajectis literis, quia Græci, vel Latini, nesciunt tsade. Αρης autem, rejecto τ, ex eodem tzade. Notat verò אריץ, aritz, *terribilem*, & μεταληπτικῶς, *fortem.* Ejusdem originis ac Αρτης est Αρίαῖος, appellatio

latio veterum heroum, qui à fortitudine imprimis commendabantur. Hesychius : Ἀρταῖοι, οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις · *Artæi, heroes apud Persas.* Iisdem ἄρτης *magnus*, quia heroes magnæ virtutis. Vnde Ἀρτοξέρξης. Herodotus lib. VI : Δύναται δὲ κατὰ Ελλάδα γλῶσσαν ταῦτα τὰ ὀνόματα, Δαρεῖος, ἐρξήεις · Ξέρξης, ἀρήϊος · Ἀρτοξέρξης, μέγας Ἀρήϊος. *Valent autem hæc nomina secundum Græcanicam linguam; Darius quidem coercitor ; Xerxes bellator, vel Martialis ; Artaxerxes autem magnus bellator.* Si propius proprietatem vocis אתר, attendas, valebit *terribilem*, vel *fortem bellatorem.* Etiam Phœnicius Hercules *Desanaus* vocabatur. Eusebius in Chronicis ad num. ccccxcvii : *Hercules cognomento Desanaus in Phœnice clarus habetur. Vnde & ad nostram usque memoriam à Cappadocibus, & Elienſibus, Desanaus adhuc dicitur.* Quæ verbis iisdem legas apud Marianum, & Florentium Wigornienſem. Sed apud Georgium Syncellum, qui Eusebium exscribere solet, sic legitur : Ηρακλέα τινὲς φασὶν ἐν Φοινίκῃ γνωείζεσθαι Διωσδᾶν ὀνομαζόμενον, ὡς δὲ μέχρι νῦν ὑπὸ Καππαδοκίων καὶ Ιλιέων κεκλῆσθαι. Vbi duplex discrimen videmus. Vnum est, quod pro *Elienſibus* dicat *Ilienſibus.* Et sanè verisimiliùs, à Phœnicibus cultum Herculis, uti ad Cappadocas, sic ad Ilienses potiùs, quàm ad Elienses, promanâsse. Alterum est, quòd pro *Desanaus* dicatur Διωσδᾶς. Quod ab altero nimium quantum abit. Etiam *Desanai* vocem suspectam reddit mira Latinorum Eusebii codicum, & ejus exscriptorum, inconstantia. Quidam enim MSSi, atque editi, præferunt, *Desinaas, Desinas, Desinas :* quod postremum etiam invenias in editione Henrici Stephani senioris. Apud Marianum autem, *Desinaus*, & *Dosinaus.* Pontacus in tribus Eusebii codicibus invenit *Desonaas.* Qui priorem partem in *Dosinaus*, & posteriorem in *Desinas*, attenderit, suspicari jure possit, hæc corrupta esse ex Δορσάνης. Hesychius † : Δορσάνης, ὁ Ηρακλῆς παρ' Ινδοῖς · *Dorsanes, Hercules Indis.* Difficile est Indicæ appellationis causſam adducere. Cæteroquin vicinum est Chaldaicum דרס, daras, *calcare, premere, incidere.* In præcipuâ Herculis laude ponebatur, quòd tyrannos calcârit, & oppressérit. Etiam Agathia, ex Berosо, Athenocle, & Symmacho, testante *, Persis Σάνδης dicebatur. Quod posterioribus syllabis multum accedit ad Δορσάνης. Vel fuerit Σάνδης ab Syriaco שנר, sanad, *sævire.* Habes Act. xxvi, 11 : ubi Paulus in Sanctos sæviisse se dicit ante conversionem. Sed Δορσάνης Indicum, Σάνδης Persicum : & quam utrumque abit à Διωσδᾶς. Quamobrem non ausim propter horum ullum damnare *Desanaus*, vel *Desanes :* præsertim cum vicinum sit דשן, daschen, *pinguis*, & κατὰ μεταφορὰν, *pollens :* ut Psal. xxii, 30, *Et incurvaverunt se* כל־דשני־ארץ, *omnes pingues terræ.* Hoc est, potentes omnes, quique divitiis vel honore cæteros anteeunt. Hujusmodi appellatio optimè conveniat fortissimo Herculi : qui iccirco in antiquis etiam inscriptionibus *Pollens* vocatur.

† *Continuo post Dionem.*

* *lib. 2.*

vocatur. Vt istac Interamnæ Nahartium in Vmbria * :

LOCVS
SEPVLTVRÆ
CVLTORVM
HERCVLIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI.

* *Inscr. Grut.* cccxv, 7. *Ac similater*, Herculi Pollenti, Potenti : l. 3.

Dicere etiam possimus, *Desanaas* conflari ex vocabulis duobus ; quorum prius sit דשן, quod *pinguem*, vel *opulentum* significare diximus, & עז, *az*, quod *fortem* notat : ut Genes. XLIX, 3, ubi id nomen à Iacobo tribuitur Rubeni primogenito. Herculi igitur ab opibus, & fortitudine, nomen sit impositum ; quia fortitudine parentur opes, ac tum opes, tum fortitudo ab Hercule poscerentur.

Si Eusebium audimus, vixerit Phœnicius Hercules, quo tempore Moses in monte adspectu frueretur divino. Vt non possit esse Samson : cujus tempora magis conveniunt Herculi Thebano. Fuisse Tyri sepultũ, ait Clemens Romanus. Humanis hostiis solere placari, ait Plinius lib. XXVI, cap. V. Sed de Hercule satis : præsertim quia de eo & postea agendum.

Redeamus ad Sanchoniathonem : à quo, postquam de Hercule dixisset, refertur Ἀδωδὸς, βασιλεὺς θεῶν † : qui cum Astarte & Iove Demaraonte, regnâsse dicitur in Phœnice. Quare & de Adodo, & Astarte, quædam dicemus. Prior etiam Assyriis cultus ; teste Macrobio, qui & vocabulum interpretatur. Verba ejus sunt lib. I Saturn. cap. XVIII : *Deo, quem summum maximumque venerantur*, ADAD *nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio sonat* VNVS. Sed sunt, quæ scrupulum injiciant. Nam VNVS Assyriis sive Chaldæis, & Syris, est חד, *chad*, Hebræis אחד, *Achad*. Quare existimet aliquis, apud Macrobium, pro ADOD rescribi ACHOD oportere. Verùm obstat, quòd & Ἀδωδὸς sit apud Sanchoniathonem, sive Philonem Bybliensem. Quare potiùs censeo Macrobium, vel alium, qui Macrobio imposuerit, vicinitate vocabulorum *adod*, & *achod*, fuisse deceptum. Imò non absurdè dixeris, & hoc numen à Phœnicibus Phryges accepisse : ut Desanai Herculis ; quemadmodum ex Eusebio antea vidimus. Conjecturæ hujus fundus est Hesychius : ubi vulgò legas, Ἀδαγοὺς *, θεὸς τὶς παρὰ Φρυξίν. Eoque existimet aliquis, pro Ἀδαγοὺς rescribendum Ἀδωδὲς. Faciliùs subscriberem, nisi exponeret, θεὸς ἑρμαφρόδιτος †. Vti & Glossæ Græcobarbaræ nostræ ineditæ. Fortè igitur, semivir Attis, Phrygius Deus, *Adagous* dictus fuit, origine incertâ. Etiam *Adodi* appellationem firmat, quod Iuno, cujus nomine Luna, & aer, notatur, Baby-

† *Adodus, rex Deorum.*

* *Adagous, Deus quispiam secundum Phryges.*

† *Deus semivir.*

lonis dicebatur *Hada*, vel *Ada*. Hesychius, Ἄδα· ἡδονὴ, πηγὴ· ἢ ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥρα †. Valde enim est verisimile, si Luna, & aer, *Ada* dicerentur; Soli etiam atque ætheri, potiùs *Adodi*, quàm *Achodi*, nomen fuisse. Sed ista, etsi hujus sint loci, quatenus homo Phœnix cum Sole cultus fuit : non minùs tamen ad Solis Lunæque cultum pertinent; de quo libro agam sequenti.

† Ada, *voluptas, fons : & Babyloniis Iuno.*

Nunc de Astarte dicam : quam fuisse Phœnissam, jam ex Sanchoniathone vidimus. A Phœnicibus pro Dea cultam, docet illud Scripturæ 1 Reg. XI, 5 : *Et ivit Salomon post Astoreth, deam Sidoniorum.* Vbi singulare est עַשְׁתֹּרֶת, *Hastoreth*, sive *Astoreth*. Chaldaicè est עַשְׁתְּרָתָא, *Astarata* : unde contractè Ἀστάρτη, sive *Astarta*. Plurale עַשְׁתָּרוֹת, *Astaroth* : quasi *Astartas* dicas : nempe ut dicimus *Baalim, Ioves, Iunones* : quia unum idemque numen pro variis locis, quibus coleretur, variè vocaretur. Quoniam verò עֶשְׁתֵּרָה gregem significat, vel, ut aliqui censent è rabbinis, oves feminas : eò R. David Kimchi existimat, simulachrum ejus fuisse ovis figurâ. Aliis tamen verisimilius fit, ita vocari, quia illi ovis immolaretur. Sed ista minimè pugnant.

Astarte hæc, quatenus numen est animale, filia fuit Agenoris, Phœnicum regis : quam, postquam adscripta est Diis, Astarten nuncupatam, ex ipsis Phœnicum sacerdotibus se accepisse, refert Lucianus lib. de Dea Syria. Quomodo autem cum eo conveniat, quod Astarte aliis sit Luna, id ex iis planius erit, quæ in cultu mixto dicentur. Ex eodem Luciano cognoscimus, cultum hunc institutum esse in solatium Agenoris post raptam Europam ab Iove Cretensi : ut generali nomine appellant, quem Lycophron Ἀσέρον, Diodorus in quincto, Ἀσέριον, Augustinus de Civitate Dei lib. XVIII, cap. XII, vocat Xanthum : quam rem & superius * attigimus. Dicitur verò Europa tauro vecta, quia in litore choreas agens navi rapta, cujus σύσημον ‡ taurus : unde & navi nomen. Nisi cum Palæphato malis, raptam à viro Cnossio, cui nomen Taurus. Eusebius historiam priùs refert ad extrema Iosuæ tempora : mox, alios secutus auctores, ad quinctumdecimum Othonielis annum. Sed minutum hoc : quippe Eusebius Othonielis annos mox ab excessu Iosuæ auspicatur, præterito intervallo, tum quo seniores regnarunt; tum quo, his mortuis, lapsus est populus in idololatriam, ac propterea à Deo punitus est octennii servitute sub Chusano, Mesopotamiæ rege. In quo errore prope omnes hodie Eusebium sequuntur. Paullo post idem Lucianus ait, non omnes fateri Astarten esse Europam. Ne istud quidem pugnat cum cæteris, si sic interpretere, alios in Astarte aliam, quam Europam, coluisse. Plures enim gentes, aliæ hanc, aliæ aliam heroinam, uno cultu cum Astarte sive Luna coluerunt.

* *cap.* 14.

‡ *signum.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

Dii Syri animales, in quibus Dea Atargatis, sive Atergatis, pro quo & Artaga, & Athara legitur. Eadem Derceto. Antipatri Stoici de Atergatis etymo sententia refellitur. Atergati dedicatos pisces aureos, & argenteos. Sacerdotibus ejus pisces comestos. Non convenisse, utrum ab aliis submersa sit, ob asperum imperium: an sese demerserit, pœnitudine pudoris amissi. Cur in piscem conversa dicatur. Syros abstinuisse esu piscium. An Derceto etiam dicta Ceto, *& an eadem sit Andromeda, ceto objectanda. Forma Atergatis, & vocis ejus origo. Etiam cultam in Parthia. Filia ejus Semiramis, educata à Simma, quod nomen idem Semi nomini videtur. Semiramis in columbam versa, uti mater in piscem: & quæ caussa figmenti. Syros, ut piscibus, sic columbis abstinuisse. Semiramidis etymon. Columbam symbolum credi regni Assyrii. An & columba Samaritanis culta. Tres Semiramides, Nini una, Belochi altera, tertia, quæ Medici imperii tempore fuit. Atergatim, & Deam Syriam, diversas videri. Semiramis ovo exclusa dicitur, quod foverit columba. Seleuci Nicatoris fanum, & festum* Nicatoria.

EPhœnicia imus in proximam, quæ Cava dicitur, & Syriam cæteram. Vbi culta Atergatis, sive Atargatis: pro quo corruptè *Adagartis* est apud Crinitum lib. XIV de honesta disciplina. cap. VIII. Sed pro *Atargatis*, posteriori vocis parte recisâ, etiam *Atarga*, vel *Artaga*, dixere. Saltem apud Phurnutum, ubi de Rhea disserit, Ἀρτάγα legitur. Verba ejus inferiùs adducam. Imò & *Athara* vocabatur. Etsi Iunianus Iustinus in compendio, præferat *Arathis*: sive ut in Veneta veteri * est, *Ariathis*: vel uti est in Badiana †, *Marathis*. Quæ corrupta videntur ex *Atergatis*. Vel potiùs cùm Hermolao Barbaro ‡ dicamus, pro *Arata* trajectis literis esse rescribendum *Athara*. Clarè enim Strabo ait lib. XVI: Ἀταργάτιν δὲ τὴν Ἀθάραν. Scio summum virum, Isaacum Casaubonum *, suspicari legendum Ἀστάραν, atque hoc esse ex *Astaroth*, pro quo Græci Ἀστάρτη: ut antea vidimus. Sed alia est *Astarte* ab *Atergati*: hæc mater, illa filia. Sic igitur legendus is Iustini locus: *Nomen urbi à Damasco rege inditum: in cujus honorem Syri sepulcrum Athares uxoris pro templo coluere; Deamque exinde sanctissimæ religionis habent.* Eadem diva, principe ex *Atergate* literâ recisâ, & leviculâ immutatione, vocata est *Derceto*; quomodo Ctesias appellat, ut ibidem Strabo autor est, his verbis: Δερκετὼ † δὲ αὐτὴν Κτησίας καλεῖ. Hæc Atergatis sive Athara, sive Derceto, regina fuit Syriæ, juxta Antipatrum Tarsensem Stoicum libro περὶ δεισιδαιμονίας quarto: unde Athenæus in octavo refert, verum reginæ nomen fuisse *Gatis*: quæ cum obsoniorum

* an. 1494.
† an. 1524.
‡ Plin. Castig. lib. 5, cap. 23.
* Animadv. in Athen. lib. 8, cap. 8.
† Derceto verò illam Ctesias nominat.

esset avidissima, edictum promulgasse, nequis pisces ederet ἄτερ Γάτιδος, *præter Gatidem*: tum imperitum vulgus ex ἄτερ, & Γάτις, unam conflasse vocem, Ατεργάτις. Sed Stoici in etymis eruendis mirificè nugari solent: nec in eo illorum, vel aliorum, probari potest confidentia, quòd Syriacorum originem è Græcia arcessant. Nostra verò sententiâ, nulla fuit regina Gatis. Verisimilius verò Atergatis etymon inferiùs adducam. Ibidem refert Athenæus ex secundo Mnasiæ libro de Asia, Atergatin reginam durè rexisse, & quo sola piscibus vesceretur, quicunque caperentur, ad se jussisse deferri: indéque obtinere, ut qui supplices Deam adorant, aureos & argenteos pisces offerant: sacerdotes quoque, ante simulacrum Deæ, constituere pisces elixos, & assos; sed quos ipsi postea absumant. Ibidem ex Xantho Lydo commemorat Athenæus, ut regina hæc à Mopso Lydo capta, & propter insolentiam, injuriasque multis illatas, tandem cum filio Ichthye (quo sub nomine verum occultarunt) in lacu Ascalonis sit submersa, & à piscibus devorata. Alii verò hæc paullo aliter narrant. Quippe ajunt, Derceto rem habuisse cum adolescente Syro: atque inde peperisse Semiramidem: ubi verò ejus puduit concubitus, in lacum se abjecisse piscosum prope Ascalonem, à piscibus verò servatam: quibus iccirco vesci, Syris religio sit. Atque ita Græcus Arati interpres; ubi de Piscium signo tractat. Pro quo apud Diodorum Siculum legas, in piscem esse conversam. Sic fabulari de iis veteres solent, qui in aquis periissent; nec fabulosè prorsus, quia sic piscibus cibus facti, quodammodo in piscem vertantur. Quamquam de Atergate peculiaris etiam ratio accessit: quia non inconvenienter in piscem dicitur mutata, quæ à morte colitur piscis figurâ. Quod verò propterea dicebamus, Syros piscibus abstinere: id præter Diodorum, & Aratæum scholiastem (ubi Δερκετὼ pro Δέρκη legendum) asserunt Herodotus in Euterpe, Xenophon lib. I de Expeditione Cyri (cujus verba mox adducam) Cicero in III de Nat. Deorum, Ovidius, Iuvenalis, alii. De Diva hac intelligendus etiam Plinius lib. V Hist. Nat. cap. XIII: *Ioppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Insidet collem, præjacente saxo: in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt. Colitur illic fabulosa Ceto.* Ita habet vetus editio Parmensis anni CIↃ CCCC LXXVI. Nec longè abit *Cato*, quod in aliquibus invenitur MSSis. Deque Andromeda habes item cap. XXXI: *In Phœnicio deinde mari est ante Ioppen Paria, tota oppidum: in qua objectam belluæ Andromedam ferunt.* Quare aliquis suspicetur, genuinum esse nomen Κητὼ: ac sic dictam Andromedam: sive quia navis Κήσιμον*, qua avecta est fuerit cetus: sive quoniam, cui à patre primitus fuit promissa, princeps foret insularis, qui piraticam exerceret: quales meritò cetis, cæterisque marinis monstris, comparantur.

* insigne.

parantur. Sed magis placet *Ceto* esse ex *Derceto:* quia ut hic legas *fabulosa Ceto*; ita cap. XXIII ait, *prodigiosa Derceto.* Verba apponam: *Bambucen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur; Syris verò Magog. Ibi prodigiosa Atergatis, Græcis autem Derceto dicta colitur.* Eo autem nunc fabulosa, nunc prodigiosa dicitur, quia superiori corporis parte mulierem, inferiori piscem referret. Quâ formâ se vidisse ait Lucianus de dea Syria: ubi sic scribit: Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθεασάμην, θέημα ξένον· ἡμισέη μὲν γυνὴ, τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν εἰς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται· *Dercetûs autem imaginem in Phœnicia vidi, spectaculum insolitum. Erat dimidiâ parte mulier: quantum verò à femoribus ad imos protenditur pedes, in piscis caudam desinebat.* Ac satis est verisimile, Atergatim sive Atargatim (utroque enim modo scripsere) ex figura hac habere nomen: ut vox sit conflata ex אַדִּיר, addir, *magnus, potens, excellens*, & דָּג, dag, *piscis.* Culta verò non in Syria modò, sed ipsa etiam Parthia: ut indicat Isidorus Characenus in Parthiæ periegesi: Ενθεν Βεσηχάνα πόλις, ἐν ᾗ ἱερὸν Αταργάτι. *Inde Besechana urbs, ubi templum Atargati.*

Connexa his sunt, quæ de Semiramide memorant: ut quæ filia fuerit Dercetûs; quemadmodum ex Diodoro diximus. Atque idem testatur, ex nostris quidem Athenagoras in Legatione; è gentilibus verò Hyginus fab. CCXXXIII, & Lucianus de Dea Syria; ubi ait, Dercetûs honori templum Hierapoli conditum à filia Semiramide. De infantia Semiramidis hæc legere est apud eundem Diodorum. Ait, eam à matre, priusquam in aquas se daret præcipitem, delatam esse desertum in locum: ubi columbarum vis nidularetur, atque ibi occultè educatam, usque dum eam domũ suam recepit Simma, qui liberis carebat. Regiorum is jumentorum magister erat: &, credo, Simmæ vox eadem, ac Semi. Credibile enim, posteros tanti patriarchę nomẽ suis subinde liberis imposuisse. Vnde & Semus, Deliacôn scriptor *. Ait porrò Lucianus, Semiramidẽ à columbis nutritam in deserto. Quod sic interpretor, columbarum carne pastam. Nisi fabulæ occasionẽ præbuerit vocabulum *Semiramis:* quod Syrâ dicitur linguâ *columbam* signare. Nam cur minùs feminæ nomen ejusmodi datum credamus, quàm viro impositum est nomẽ *Ionæ:* quod Hebræis itidẽ *columbam* notat?

* *Athenæus, Apollonii scholiastes, Suidas, Etymologus.*

Ex his verò non obscurè ratio elucet, cur ut mater Derceto in piscem, ita filia Semiramis in columbam dicatur commutata. Sic enim Ovidius IV Metam. — *Et dubia est, de te Babylonia narret*

Derceti, quam versâ squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figurâ.
An magis, ut, sumtis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos.

Hinc etiam originem arcessunt, cur Syri & piscibus abstineant, & co-

lumbis. Nam honori hoc datum ajunt Dercetûs, & Semiramidis; quia illa piſcis, hæc columbæ figura coleretur. De piſcibus particulatim varios antea teſtes adduximus. Ab utroque verò animanti abſtinuiſſe, auctor quoque è noſtris Clemens Alexandrinus in Protreptico: è gentibus verò Diodorus Siculus; & multò ante eum Xenophon lib. 1 Expeditionis Cyri; ubi de Chalo flumine loquitur: Πλήρη ἰχθύων μεγάλων, καὶ ἡμέρων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστερᾶς· *plenum magnis & manſuetis piſcibus, quos Syri pro Diis habebant, neque lædi patiebantur; ſicuti nec columbas.* Similiter Phurnutus περὶ θεῶν: Ἔοικε δὲ ἡ αὐτὴ καὶ ἡ παρὰ Σύροις Ἀρταγὰ εἶναι, ἣν διὰ τὸ περιστερᾶς καὶ ἰχθύας ἀπέχεσθαι τιμῶσι· *Videtur hæc* (Rhea) *eſſe eadem, quæ apud Syros eſt Artaga: quam abſtinendo à columba, & piſce, colunt.* Item ex Latinis Hyginus fabulâ CXCVII: *Ob id Syri piſces, & columbas ex deorum numero habent, non edunt.* De columbis itidem refert Tibullus lib. 1, eleg. VII:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro?

Vbi *Syro* retineo, propter auctoritatem codicum MSSorum; quos & ſequitur vetus editio Regii Lepidi anni cIↃ CCCC LXXXI. Scio, etiam *ſuo* reperiri. Sed nihil opus mutare, cum ob tot Syriæ gentes, jure διακεκριμένως† *Palæſtino* addatur: ut in ſimilibus fieri ſolet.

† *diſcretionis ergo.*

Quod verò Diodorus ait, *Semiramis* eſſe nomen à Syriaca columbæ appellatione, id nec Scaliger videbat, ut è Syra lingua adſtrui poſſit. Sed apud Heſychium, neſcio unde, legas: Σεμίραμις†, περιστερὰ ὄρειος, ἑλληνιστί. R. Azarias credebat, id nomen eſſe ab avium pipitu & cantillatione minuta. Nempe ut Semiramis ſit ex זְמִרָא, ר in ס ob vicinum ſonum converſo, ut ſæpe fit: זְמִרָא verò ſit ex Chaldæo זְמִיר, quod avium illud μινύεισμα* ſignat. Atque eam opinionem etiam Ioannes Morenus comprobabat. Idem Azarias lib. אמרי בינה cap. XXV cenſet, Babylonios & Aſſyrios ob ea, quæ de Semiramide, figurâ columbæ cultâ, adduximus, pro ſymbolo in vexillis militaribus columbam habuiſſe: atque inde Ieremiam dicere cap. XXV, 38: *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ.* Vt vulgatus vertit interpres. Nempe, ſecundùm hunc Rabbinum, per columbam ſignatur Babylonius Nabuchodonoſor. Hebraice eſt הַיּוֹנָה, *Haionah*: ubi Chriſtophorus quoque à Caſtro cenſet, articulum eſſe ἐμφατικὸν, quaſi dicat propheta, *columba illa*: nempe columba magni Nabuchodonoſori, ſive ingens ille ac victor tanti Regis exercitus, cujus ſymbolum in vexillis eſt columba. Similiter vocem יונה interpretantur apud eundem prophetam cap. XLVI, 16, *Surge & revertamur ad populum noſtrum, & ad terram nativitatis noſtræ à facie gladii columbæ.* Item cap. L, 16, & Sephoniam

‡ *Semiramis, columbam montanam ſignificat.*

* *exilem & querulum cantum.*

niam cap. III, 1. Etiam Rabbini Thalmudici in tractatu Cholin sect. 1, narrant, tempore R. Meir in jugo montis Garizim inventum fuisse simulachrum columbæ. Atque inde colligunt, Samaritanos non solum Israelis Deum, sed etiam gentium Deos coluisse. Perperam profectò, si loquantur de publico Samaritanorum cultu, ex quo Manassen, Iaddi fratrem, habuere Pontificem Maximum. Sed fieri possit, ut fuerit ex cultu aliquorum privato ac domestico. Vel etiam ex publico Cuthæorum, priusquam, à leonibus vexati, circumcisionem, & legem didicissent Mosaicam. Saltem id credibilius, quàm, quæ, ut ex Gedaliæ catena cabalistica constat, quidam Iudæi crediderunt, fuisse illud simulachrum, quod Iacob ex Assyria veniens post urbem Sichem sub terebintho defodit: ut Genes. XXXV legere est. Neque enim satis constat, cùm duæ fuerint Semiramides, priorne illa, Nini conjux, columbæ figurâ culta sit; an altera, Belochi Assyriorum regis filia; quæ longè post Iacobi patriarchæ tempora fuit. Siquidem Conon libro quinquaginta narrationum Semiramidi tribuit, quæ ab aliis Atossæ, non illi Cyri filiæ, Darii uxori, Xerxis matri; sed alteri, longè antiquiori, Belochi, ut dixi, filiæ, adscribuntur: ut est apud Photium cod. CLXXXVI. Vixit autem Atossa illa annis post Nini uxorem quingentis. Firmantur hæc quoque eo, quòd Semiramidis prioris mors ab Eusebio refertur ad num. LII: posterior verò ad num. Io LXXXII, qui decimus à morte Iosuæ: ubi hæc annotantur: *Assyriorum octavus decimus Bolochus annis* XXV: *cujus filia Atossa, quæ & Semiramis, regnavit cum patre annis* XII. Imò, si ex eo, quod antiqui in annis Semiramidis tot varient seculis, rectè diversas fuisse colligimus: videor mihi & tertiam ejus nominis reperisse, utrâque recentiorem: ut quæ ducentis solùm annis, vel circiter, antiquior fuerit Cyro. Nam Herodotus lib. I ait, Nitocrin fuisse matrem Laboniti, regis Babyloniorum postremi, quem Cyrus devicit: at Semiramidem fuisse πέντε γενεαῖς * hac Nitocri vetustiorem. Idem auctor est, Assyriorum imperium, priusquam Medi deficerent, annis durâsse quingentis & viginti. A defectione Medorum anni sunt circiter trecenti. Quamobrem quasi centum à defectione annis, ducentis verò ante Cyrum, ea Semiramis fuerit. Non igitur erit Nini uxor; quæ Cyrum præcessit annis amplius mille & sexcentis: neque uxor Belochi, quæ mille, & ampliùs, annis ante Cyrum fuit. Vt istæ quidem fuerint, stante Assyriorum imperio. At tertia erat tempore Medorum; qui, dejectis Assyriis, per annos trecentos ante Persas imperium tenuerunt.

* *quinque generationibus.*

Sed quæstio est, num eadē diva sit Atergatis, ac Dea Syria. Sic videtur, propter illa Strabonis verba in XVI; ubi, cum de Euphrate esset locutus, subjun-

ſubjungit : Ὑπέρκειται δὲ τοῦ ποταμοῦ χώρους τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀτεργάτιν. *Sita eſt trans flumen, quatuor ſchœnorum ſpatio, Bambyca, quam etiam Edeſſam, & Hierapolim, ſive Sacram Vrbem, nuncupant. In qua colunt Deam Syriam, quæ dicitur Atargatis.* Sed Atergatin quidem conſtat unam eſſe ex Syrorum deabus : attamen aliam arbitror ab illa, quæ κατ' ἐξοχὴν * *Dea Syria* dicebatur. Nam Atergatis ſive Derceto erat ſemimulier, & ſemipiſcis : ut ex Luciano antè vidimus : qui, poſt iſta ſuperiùs adducta, continuò ſubjungit : Ἡ δὲ ἐν Ἱερῇ πόλει, πᾶσα γυνή ἐστι· *Sed quæ eſt in Sacra civitate, tota eſt mulier.* Hæc Syria Dea non tam animale numen videtur, quàm naturale. Nempe vis naturæ generatrix : quæ tum Veneris, tum matris Deûm nomine intelligitur. Vel ſi cum naturali hoc numine pariter coluerint animale : non hoc Derceto erit, Semiramidis mater ; ſed Semiramis ipſa : quod ex eo liceat ſuſpicari, quia nulla Syris celebratior heroina fuit Semiramide : uti nulla Diva iis divinior Deâ Syriâ. Accedit, quòd Semiramis dicitur educata à columbis, & columbæ etiam ſymbolo ſignabatur : ut cætera ejus generis omittam, ſuperiùs memorata. Dea autem Syria ex ovo, cui columba inſederit, dicitur prognata; idque ad Euphratem, ubi Babylon, urbs regia Semiramidis. Qua de re ſic Cæſaris Germanici interpres : *Nigidius hos piſces dicit in flumine Euphrate fuiſſe, & ibi ovum inveniſſe miræ magnitudinis : quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam inſedisſe, & poſt aliquot dies excluſiſſe Deam Syriam, quæ dicitur Venus.*

* *per excellentiam.*

Ac hæc quidem numina à Syris culta etiam, dum res florerent Aſſyriæ. Poſtquam verò Perſæ rerum ſunt potiti, nullum cœleſtis ille ordo incrementum cepit. Perſæ enim naturæ ſolùm partes, non item animas defunctorum, pro diis coluerunt : ut ex primo Herodoti antea oſtendimus. Nempe in hoc, ut idem ait, differebant à Græcis. Qui ex ſuæ gentis conſuetudine, poſtquam in Syria ſunt rerum potiti, unde *Syromacedones* vocati, alium videntur introduxiſſe morem. Ante omnes honore cœleſti ab iis celebratus Seleucus Nicanor, ut Macedones vocarunt ; ſive Nicator, ut Græci nominabant. In hujus memoriã cùm variæ ſint conditæ Seleuciæ ; fanum honori ejus, credo & alibi, ſed ſaltem in ea Seleuciæ urbe fuit, quæ erat in litore maris mediterranei prope Phœniciam. Teſtem adduco Appianum in Syriacis : Καὶ Σέλευκον μὲν ἔκαιε Φιλέταιρος ὁ Περγάμου δυναστεύσας, πολλῶν χρημάτων τὸ σῶμα τὸ Κεραυνοῦ ἀιτήσας, καὶ τὰ λείψανα ἔπεμπεν Ἀντιόχῳ τῷ παιδὶ αὐτοῦ. ὁ δ' ἐν Σελευκίᾳ τῇ πρὸς θαλάσσῃ ἀπέθετο, καὶ νεὼν αὐτῷ ἐπέστησε, καὶ τέμενος ἀφιέρωκε, καὶ τὸ τέμενος Νικαλόρειον ὀνομάζεται. *Ac Philetærus quidem, Pergami præfectus, combuſſit Seleuci corpus, magnâ vi auri redemtum à Cerauno : cinerum verò reliquias ad filium ejus Antiochum miſit. Qui in maritima Seleucia condidit,*

condidit, ac delubrum ei constituit, & circa illud agrum sacrum addidit: qui Nicatorium appellatur.

CAPVT XXIV.

Syri olim etiam dicti ultra sinum Issicum: unde alborum, nigrorumque Syrorum distinctio. Colchis diu Græcis credita terminus orbis nostri. Disquisitum, an templum, quod Phrixi dicebatur, sit exstructum in honorem ipsius Phrixi, an Leucotheæ: ac si Phrixi ipsius opus sit, magis esse verisimile, honori Helles, quàm Inûs exstructum, contrà quàm Strabo putavit. Vellere arietis aureo thesauros significari, & quæ caussa figuratæ istius locutionis. Medea in Deas relata. Achilles Sarmatis Deus. De Aretia ab Armeniis culta, Annii figmentum. Assyriorum imperium quomodo omnium dicatur vetustissimum. Nimrodus Babylonis conditor. Cur aliquibus idem existimatus ac Orion. Pluribus verò & vetustioribus Belum vocari. Beli cultus. Quomodo conciliari inter se possint, qui Nimrodum sive Belum, quique Babylona regem, quique Semiramidem censent Babylona urbem condidisse. Thuras, rex Assyrius, idem ac Mars.

DE Syris hactenus, qui Strabonis quidem temporibus ad sinum Issicum, sed antiquioribus se extendêre, usque ad pontum Euxinum; ut idem scriptor initio libri XVI eo comprobat, quod Cappadoces utrique, & qui Taurum, & qui Pontum accolunt, Leucosyri vocentur, ut distinguantur à Syris nigris, qui sunt extra Taurum, ad Amanum usque montem. Armenia igitur minor, & Cappadociæ pars, olim Syriæ tributa: ita ut vicina ei esset Colchis, quæ ad Pontum sita. Hanc Colchidem Græci non Homericis solum temporibus, sed pluribus etiam seculis post, orbis nostri ad Orientem terminum esse credebant. Quod non Æschylus modò sensit in Prometheo Vincto *: sed Plato quoque in Phædone †.

Colchi etiam Deos coluere animales; uti Phrixum. Mela lib. I, cap. XXI: *Hic sunt Colchi. Hinc Phasis erumpit. Hic eodem nomine, quo amnis est, à Themistagora Milesio deductum oppidum. Hic Phrixi templum, & lucus, fabula vetere pellis aureæ nobilis.* Vbi Phrixi templum dici videtur, quod Phrixo dedicatum: quomodo dicimus *templum Iovis*, vel *Apollinis*. Strabo tamen in undecimo vocat τὸ δ' Λευκοθέας ἱερὸν, Φρίξῳ ἵδρυμα, *Leucotheæ templum, à Phrixo conditum.* Quare dixerit aliquis, & Phrixi dici, ut conditoris, & Leucotheæ, quia illi consecratum. Verùm non possum in animum inducere, Phrixum exstruxisse illud in honorem Leucotheæ. Nam Leucothea est, quæ priùs Ino dicebatur. Propertius lib. II, eleg. XXVIII:

Ino etiam primâ terris ætate vagata est.
Hanc miser implorat navita Leucotheam.

* pag. 29, edit. H. Steph.
† pag. 109, edit. H. Steph.

Ino autem noverca erat Phrixi, & Helles, & erga eos novercali prorsus affectu. Nec enim cessavit, usque dum, corruptis sacerdotibus Delphicis (rem plenius narrat Apollodorus in primo) tale relatum oraculum, si Thebani vellent penuriâ frugum liberari, Phrixum esse mactandum Iovi. Sed cum jam aræ esset immolandus, profugit unà cum sorore Helle. Navis, quâ vecti, Arietis habuit insigne: unde Arieti animali insedisse dicuntur, schemate poetico. Sed Helle, cùm deventum esset ad angustias maris inter Chersonesum, & Troada, in mare decidens submergitur: unde locus Hellesponti nomen accepit. Phrixus in Colchidem ad Æetam regem salvus pervênit: atque ibi Arietis sui vellus aureum templo vel luco intulit: Chalciopen etiam, Æetæ regis filiam, duxit uxorem. Quis, ista qui legat, facilè in animum inducat, Phrixum condidisse templum in honorem Inus novercæ? quæ sceleratâ fraude ejus vitæ erat insidiata: propter quam etiam unicam ex Nephele sororem amiserat: longeq; à patria apud barbaros Colchos exulabat. Quare ita censeo, templũ illud in Phrixi honorem fuisse conditum: vel si ipse ædificârit Phrixus, non tam Inûs, sive Leucotheæ illud honori exstruxerit, quàm sororis Helles; quæ fugienti comitem se addiderat itinere longinquo, & periculoso adeo, ut etiam vitâ illi steterit. Quæ si ita sunt, ut putamus; memoria fefellerit Strabonem, quia Hellen privignam cum noverca Leucothea confuderit. Hæc nos sic proponimus, si non ob aliud, saltem ut adolescentiæ, cui studia ejusmodi maximè conveniunt, ulterius inquirendi occasionem præbeamus.

Quod verò ad fabulam velleris aurei, ut eam à Mela vocari, ante vidimus: originem ejus bellè nobis enarrat doctissimus Varro lib. 11 de R.R. cap. 1: *De antiquis*, inquit, *illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Græca & Latina lingua; & veteres poetæ, qui alios vocant* πολύαρνας *, *alios* πολυμήλους †, *alios* πολυβότας ‡: *qui ipsas pecudes, propter caritatem, aureas habuisse pelles tradiderunt: ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Libya ad Hesperidas, unde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras & oves quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim suâ voce Græci appellarunt* μῆλα. Non tamen solas ob pecudes, ut arbitror, Argonautæ profecti: sed per eas συνεκδοχικῶς intelligere oportet opes regis universas, imprimis verò thesaurum illum, quem Phrixus, Athamantem ac novercam fugiens, in Colchidem deportârat. Hos enim consanguinei Phrixi, ante omnes autem Iason, prognatus Æsone, fratre Phrixi hujus patruele *, non absurdè reposcebant. Nam verisimile est, eos fuisse partim ex bonis Nepheles matris: partim, quia ejus domos & agros auferre non poterat, ex pecuniis Athamantis patris, & novercæ Inûs. Eos quoque velleris aurei nomine

* possessores agnorum multorum.
† ovium multarum dominos.
‡ boves multos possidentes.

* Apollonii scholiast. in lib. 3. vers. 359.

nomine vocarunt ; quia ex pecudibus pecunia comparetur ; eoque & *pecuniæ* dicuntur, quasi res *pecuinæ* : imò postquam signari cœperunt nummi, sæpe iis pecudis, vel bovis nota imprimebatur. Vnde proverbium, Ne bos in lingua. Porrò templum hoc Phrixi, etiam post ablatos è Colchide thesauros ab Argonautis, magno semper loco habitum est, idque propter Argonauticam expeditionem. Dives etiam fuit : sed Augusti ætate omne ejus aurum direptum, priùs à Pharnace, postea item à Mithridate Pergameno : ut auctor est Strabo in undecimo.

Colchica quoque Medea pro Dea est habita : ut ex Alcmane & Hesiodo probat Athenagoras in Legat. Hodieque id in Hesiodi Θεογονίᾳ legere est. Ea à Marsis quoque culta nomine Angitiæ : de qua in Italiæ populis dicemus.

Vlteriùs si ire lubeat, offerat se nobis Sarmatia Asiatica : ubi est fanum Achilleum, ad angustias Mæotidos ; ut est apud Strabonem lib. XI. Sed magis operæ videtur, ut retro cursum legamus : ubi primò nobis occurrit Armenia magna.

Si Beroso * Annii Viterbiensis credimus, Armenii primi coluere Noe sub nomine Iani, ob vinum inventum : & uxorem Aretiam, quam Ἑστίαν sive Vestam dixerint. Sed de commenticio hoc Beroso alibi diximus. Aretiæ autem nomen finxit Annius ex Hebræo *Erets*, sive *Arets*, id est Terra. Tellus omnium mater. Mater omnium uxor Noë. Eandem Vestam dixerit : ut Romanis Vesta & Terræ, & Ignis erat numen : quemadmodum constat ex Ovid. VI Fast.

* *lib. 3, sive Annianorum comment. lib. 15.*

Pergo igitur ad Assyrios, qui *principes omnium gentium imperio potiti sunt* : ut scripsit Æmilius Sura, verbis, dubium an ab Vellejo Paterculo historiæ suæ insertis ; an jam olim, cùm Sura exstaret, ad oram ab aliquo adscriptis, posteáque in sermonis contextum admissis. Assyriorum autem nomine etiam Babylonii intelliguntur ; quia tandem in unum amborum coaluerit imperium. Ab Assyriis, quia urbium, atque imperii conditoribus divinus haberi honos solet, primus venerationem hanc consecutus fuit Babylonis, & imperii Babylonii conditor. Qui quis fuerit, indicat his verbis Chronicon Alexandrinum † : Ἐγνήθη δὲ καὶ ἄλλος ἐκ τῆ φυλῆς τῆ Σὴμ (τῆ Χὰμ legendum, uti jam aliis monitum) Χὺς ὀνόμαλι ὁ Αιθίωψ, ὅς ις ἐγέννησεν τὸν Νεβρὼδ γίγαντα τὸν τῶ Βαβυλωνίαν κτίσαντα, ὃν λέγυσιν οἱ Πέρσαι ἀποθεωθέντα, καὶ γεγόμενον ἐν τοῖς ἄστροις τῆ ὐρανῦ, ὄντινα καλῦσιν Ωείωνα. *Genitus & alius est è Chami semine, nomine Chus Æthiops : qui genuit Nembrod gigantem, Babyloniæ conditorem : quem Persæ ajunt in Deos relatum, inque astris constitutum appellant Oriona.* Atque Orionem hunc à Zoroastre morituro invocatum, postea ‡ scribit. Sed Orionem esse conditorem imperii Babylonici, non

† *p. 84.*

‡ *p. 88.*

facilè apud antiquiores reperias. Et credo, quod Nimrodum dicunt Oriona, Christianorum est conjectura, quia Nimrodus à Mose * vocetur venator : & Oriona fuisse venatorem constat ex Germanici Arateorum interprete, ubi de Scorpio, & Orione : & aliis scriptoribus. Qui Belum potiùs appellant. Hunc quippe ajunt Babylona struxisse, primumque fuisse Assyriorum regem. A quo iccirco gentium historiæ ordiri solent : priorumque exemplo etiam cœpit Cephalio Gargettius, scriptor antiquus ; ut argumento est, quòd Straboni memoretur in XIII. A Cephalione hoc Ninus Beli filius vocatur. Quare vetustos gentium scriptores sequitur B. Hieronymus, cùm sic scribit in Ezech. cap. XXIII : *Idolum Baal sive Bel, &, ut apertiùs dicam, Beli, Assyriorum religio est, consecrata à Nino, Beli filio, in honorem patris.* Vbi Assyriorum nomen laxè usurpat. Sæpe enim Assyriorum & Babyloniorum nomina, ut dixi antea, promiscuè sumuntur. Idem Hieronymus in Oseæ cap. II : *Ninus in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum Belum referret in Deum, qui Hebraicè dicitur,* בל, Bel, *& in multis Prophetis, maximéque in Daniele, & juxta Theodotionem sub idolo Babylonis hoc appellatur nomine. Hunc Sidonii, & Phœnices appellant* בעל, *bahal.* De statua hac, quam Belo posuerit Ninus, etiam legas apud Ambrosium, sive potiùs Hilarium Romanum in epist. ad Rom. cap. I, & Cyrillum extremo prope libro III contra Iulianum. Eo autem Belum arbitror Nimrodum, quia huic regni principium in terra Senaar Babylon fuit : ut est Genes. X, 10. At conditorem Babylonis Belum vocant gentiles : inque his Dorotheus Sidonius, poeta vetustus :

Αρχαίη Βαβυλὼν Τυρίῳ Βήλοιο πόλισμα·
Antiqua urbs Babylon, Tyrio quæ condita Belo.

Et Abydenus apud Eusebium lib. IX Præparationis Euangelicæ cap. XLI, ubi retulisset, ut primitus omnia aquis fuerint obruta, addit, Belum siccâsse loca, & Βαβυλῶνα τεῖχει περιβαλεῖν· *ac Babylonem mœnibus cinxisse.* Servio propterea dicitur *Belus primus rex Assyriorum.* Ejus sepultura fuit Babylone : sed eam destruxit Xerxes : ut refert Strabo initio sextidecimi. De Beli hujus cultu insignis est locus Claudiani in primo de laudibus Stiliconis : sed corruptus, cum, juxta certissimam Scaligeri emendationem in VI de Emendatione temporũ, pro *belli* debeat legi *Beli.* Locus est iste :

Thuris odorati cumulis, & messe Sabæa,
Pacem conciliant aræ. Penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldæo stravere Magi. Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretáque Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.

* *Genes.* 10, 8.

Vbi

Vbi de Mithra ſive Sole conjungit, quia Belus cum Sole cultus; ut poſtea dicetur.

Alii tamen arbitrantur, non à Belo exſtructam Babylona, ſed à filio ejus Babylone. Verùm facilè hæc conciliantur. Nimrodus enim ſive Belus condere eam exorſus: filius fortaſſe incrementum dedit. Non tamen urbi à filio nomen: quod Scripturis repugnat. Potius ſi filio nomen Βαβυλῶν fuit; id pater impoſuerit ab urbe Babel, quam condere erat aggreſſus. Fortaſſe igitur Βαβυλῶν non alius, quàm Ninus: quæ vox *filium* notat. Id enim Hebræis נין, *nin*: uti Ægyptiis *Non*: unde *Nonni*, & *Nonnæ*, vocabula; quibus qui præerat, *Abbas*, hoc eſt, pater, dicebatur. Alii Babylona Semiramidis opus putant. Nec iſti errant: ſi ſic intelligas, quomodo Conſtantinus M. Conſtantinopolin dicitur condidiſſe, quæ tot antea ſeculis Byzantii nomine claruit. Sed cave Semiramim intelligas Nini uxorem. Nec enim Ninus uxorem ejus nominis habuit: vel ſi ſic dicta, alia ſaltem eſt, quæ ſic à Græcis celebratur: eaque annis junior amplius mille. Melius Græcis iſta norant Phœnices. Audiamus igitur Herennium Philonem Byblienſem: ex quo ſic Stephanus ſive Hermolaus in Ethnicis de Babylone: Βαβυλῶνος *, ἀνδρὸς σοφοῦ, παιδὸς Βήλου σοφωτάτου, οὐχ ὡς Ηρόδοτος ἱστορεῖ Σεμιράμιδος. Ταύτης γὰρ ἐπὶ πολλῷ ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δυσί, ὡς Ερέννιος. Prout eum locum in MSSis legi, clariſſimo Salmaſio obſervatum.

* *Babylonis, viri ſapientis, filii ſapientiſſimi Beli, non, ut Herodotus ſcripſit. Ea quippe antiquior erat annis bis mille: ut Herennius prodidit.*

Etiam Diis Thuras, ſive Thurras, ab Aſſyriis adſcriptus, & Mars appellatus. Chronicon Alexandrinum: Μετὰ δὲ Νίνον ἐβασίλευσεν Ασσυρίων Θούρρας ὀνόματι, ὅντινα μεθωνόμασεν ὁ τοῦτου πατὴρ Ζάμης †, ἐκ δὲ Ρέας ἀδελφὸς Αρεα, εἰς ὄνομα δὲ πλάνητος ἀστῆρος. Οὗτος ἐβρύετο πικρὸς πολεμιστής. *Poſt Ninum regnavit apud Aſſyrios Thurras, cui Zames pater, ex Rhea frater, Martis nomen à planeta ejus nominis impoſuit.* Et mox: Ωτινι Αρει ἀνέστησαν πρώτῳ στήλῳ οἱ Ασσύριοι, καὶ ὡς θεὸν προσεκύνουν αὐτὸν, καὶ ἕως δὲ νῦν καλοῦσι Περσιστὶ τὸν Βααλ θεὸν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον Αρης, πολέμων θεός. *Cui Marti primùm Aſſyrii excitarunt columnam, & pro Deo coluerunt, quem hodieque Perſicâ linguâ Deum Baal vocant; quod, ſi transferas, ſonat bellorum Deus.* Similia legas apud Suidam in Θούρας.

† *vel potius Zámus: ut legi oportere, conjecimus cap. 16.*

CAPVT XXV.

Hephæstio in Deos relatus ab Alexandro. Ammon Indis cultus : item Liber ; sed à Thebano diversus, ut Indi quoque judicant. Videri hunc Noë ; cui etiam bimatris *nomen accommodatum. Refellitur commentum Græcorum de Indis à Libero, & muliebri ejus exercitu, subactis. Rejicitur de isto autoritas Megasthenis, Daimachi, aliorumque, qui Alexandro, & ducibus ejus adulati. Miserabilis Iaponiorum opinio de suo Bonzio Combadaxi : quem anniversaria die colunt & invocant. Et quàm ridiculè sapiant de Manibus suorum : opinióque eorum collata cum Stoicorum quorundam sententia.*

DE Assyria ac Babylonia in Mediam tendo. Cujus principe urbe Ecbatanis princeps amicorum Alexandri Hephæstio vitâ excessit. Vnde Babylona corpus deferri jussit Alexander. Vt dubium non sit, quin in Media Babyloniaque primo Hephæstio divinos sit honores consecutus. De isto sic Iustinus lib. XII : *Dum hæc aguntur, unus ex amicis ejus Hephæstio decedit, dotibus primò formæ pueritiæque, mox obsequiis regi percharus : quem contra decus regium Alexander diu luxit ; tumulumque ei* XII *millium talentorum* * *in Alexandro.* *fecit ; eumque post mortem coli, ut Deum, jussit.* Ac Plutarchus etiam * autor est, Alexandrum misisse Ammonem consultum, an in Deos eum referre fas esset : jussisse autem oraculum, τιμᾶν Ἡφαιστίωνα, καὶ θύειν ὡς ἥρωϊ· *Hephæstionem venerari, ac sacrificare, ut heroi.* Illustris etiam de eo locus est apud Lucianum, libro De non temere credendo calumniæ. Vbi refertur, Alexandrum θεὸν χειροτονῆσαι τὴν τελευτήσασαν· *decrevisse, ut mortuus pro Deo haberetur.* Gravissimæ etiam calumniæ fuisse obnoxios, quos cognosceret, μὴ σέβειν, μηδὲ προσκυνεῖν τὸν Ἡφαιστίωνα· *non colere, nec adorare Hephæstionem.* Itaque, inquit, ἐυθὺς νεώς τε ἀνέστησαν αἱ πόλεις, καὶ τεμένη καθιδρύετο, καὶ βωμοὶ, καὶ θυσίαι, καὶ ἑορταὶ τῷ καινῷ τούτῳ θεῷ ἐπελεῦντο· καὶ ὁ μέγιστος ὅρκος ἦν ἅπασιν, Ἡφαιστίων. *Continuò ei templa civitates pleræque dicarunt, delubra condiderunt, aras, sacra, ferias, novo Deo sanxerunt. Iusjurandum omnium sanctissimum per Hephæstionem fuit.* Ac plura ibidem in hanc mentem narrat. Solum è nostris addam Cyrillum, in VI contra Iulianum : *Alexander unum ex familiaribus, & obscenarum mulierum adductorem, cui nomen erat Hephæstioni, appellavit Deum.* De ipso verò Alexandro, Babylone mortuo, ibidem legas, ter & decies ab ejus successoribus decretum esse, ut pro Deo haberetur. Sed hic etiam vivus divino coli voluit honore ; ut inferiùs dicetur.

Non dubito, quin & Persæ, etsi temporibus antiquis nullos haberent Deos animales : tamen, ut Alexandro placerent, Hephæstionem & ipsi coluerint, ut Deum : posteaque eundem honorem exhibuerint Alexandro Magno :

Magno : uti & exinde Seleuco Nicatori ; de quo dictum antea.

De Atergate, Semiramidis matre, in Parthia etiam habita pro Dea, superiùs vidimus.

Ad Indiam igitur contendo : ubi Ammon, quem interpretamur Chamum, Noe filium, cultus fuit : unde Lucanus in IX ;

Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Iupiter Ammon.

Iidem Bacchum venerati : cumque plures sint Bacchi, Diodorus in III, antiquissimum eorum Indicum facit, atque universum ab eo mundum esse edoctum ait botros torcularibus exprimere. Eum in Indiam ex Græcia venisse, ac Semeles esse filium, vana jactabat Græcia. Sed in Orientis rebus potiùs audiendi sunt Orientis populi. Indi autem longè aliũ tradunt : nempe qui ad eos ex Assyria venerit ; ut auctor est Philostratus in secundo de vita Apollonii Tyanei cap. IV. Atqui magis ista conveniunt Noacho, qui primus docuit plantare vites, & vinum exprimere. Hic igitur est nobis Liber Indicus. Cui optimè etiam competit, quod bis natus perhibetur. Si enim veteribus idonea est visa ratio, cur Liberum bis natum dicerent, quia vitis & ante Deucalioneum fuerit diluvium; & postea, cum diluvio periisse existimaretur, iterum efloruerit ; quam rationem Diodorus in tertio adfert : quanto justiùs nos Liberum nostrum dicamus bis natum, quia fuerit, tum ante diluvium universi orbis ; tum, pereunte orbe reliquo, cum sua fuerit familia servatus ! Præter hunc Liberum, nullum alium cum Indici cognomento agnoscimus. Indicus verò dicitur, quia à vitifera Indorum regione plurimùm coleretur. Maximè igitur in eo culpandi sunt Græci, quod honorem ab Indis suo præstari Libero, hoc est, Thebano, persuasum aliis vellent. Præterea nihil eo insulsius,

Cùm memorant Gange, totoque Oriente subacto,
Primitias magno supposuisse Iovi :

ut est tertio Fastorum. Et ista quidem mulieribus Græcis peregisse. Scilicet his tam mares animi fuerunt : contraque tam effeminati Indi, ut à muliebri vincerentur exercitu, eoque perpetuò bacchante. Arguit aliud generosa Pori mens : cujus virtutem miratus Alexander, ac magis persensisset, nisi eum frater Taxilis prodidisset. Non possunt ista Græcorum commenta excusari, nisi recurramus ad vini naturam : quod non Asiaticos modò subegit, sed Græcos etiam ; unde *pergræcandi* vox apud veteres Comicos.

Sed objectet nobis aliquis Megasthenem; qui res Indicas scripsit, nosseque eas optimè potuit; cum Seleuci fuerit Nicanoris legatus ad Sandrocottum, sive Androcottum, aut Androcotum (variè enim id nomen scribitur)

bitur) Indiæ regem post excessum Alexandri. Nec diffiteri possumus, agnosci ab eo expeditionem illam Liberi Patris ad Indos: uti & illam Herculis. Sed enim levis est nobis hac parte Megasthenis auctoritas: quia adulando Alexandro, & διαδόχοις* sive partiariis, historiam corruperit. Potior igitur Eratosthenis fides: cujus animus à spe, metu, partibus liber. Is pro fabulis ista habuit. Quod & fecit longè maxima scriptorum pars: ut Strabo docet lib. xv: Καὶ τὰ περὶ Ηρακλέους δὲ, καὶ Διονύσου, Μεγασθένης μὲν μετ' ὀλίγων πιστὰ ἡγεῖται· τῶν δ' ἄλλων οἱ πλείους, ὧν ἐστὶ καὶ Ἐρατοσθένης, ἄπιστα καὶ μυθώδη· *Herculis, & Bacchi res gestas Megasthenes cum paucis quibusdam credit. Aliorum magna pars, è quibus est Eratosthenes, fabulosa, & minimè credenda arbitrantur.* Imò non in illis modò fidei erat subleste, quæ ad Liberum, & Herculem, pertinent; sed aliis etiam multis. Quo nomine & malè audiebat Daimachus sive Deimachus Platæensis: qui legatus fuit Seleuci ad Allotrochadem, Sandrocotti filium: atque itidem Indica scripsit, Athenæo, & Harpocrationi, memorata. Item Onesicratus, & Nearchus, qui cum Alexandro ipso in India fuere. De quibus omnibus vide sis Strabonem in primo, & sicui operæ id videatur, ea quoque, quæ in opere scripsimus de Historicis Græcis. Quæcunque igitur de Liberi expeditione à poetis veteribus adserta; à Megasthene, & aliis adulatoribus firmata; à Nonno in Dionysiacis novis accumulata inventis: sunt ea, ut cum Lucilio dicam, *Pergula pictorum. Veri nihil, omnia falsa.*

* *successoribus.*

Vlteriùs si iter instituamus, veniemus ad gentes Græcis vel solo nomine cognitas, vel penitùs ignotas. Sed horum superstitionem peti malo ex seculi nostri scriptoribus: & plurimùm ea pertinet ad cultum Deorum naturalium, de quibus sequenti libro agimus. Nec tamen prorsus diis omnes carent animalibus: ne illi quidem, qui insulas colunt longissimè remotas; quales Iaponii. Ajunt hi Bonzium, hoc est, sacrorum præfectum, nomine Combadaxi, mirandum virum, & à quo Iaponii literas sint edocti, jam ante annos octingentos extrema ætate jussisse magnificum sibi exstrui delubrum, inque specum iturum dixisse, se vitæ hujus satietate teneri: velle igitur quiescere, non ad diem tertium, uti Sospitator noster: sed (ô circumspectum impostorem) ad decies millies millena annorum millia: quo spatio exacto magnum Iaponiæ obventurum doctorem, ac se quoque tum redditum iri luci. His dictis obturari jussisse ostium specus: eundem autem vivere adhuc, eoque die anniversaria coli, ac votis supplicibus invocari. Vide de eo epistolam Casparis Vilelæ Societatis Iesu: quæ exstat lib. III epistolarum Iaponiarum, quas edidit Petrus Maffeus.

At non uti adorant manes Combadaxi (modò rectè manes ejus dicimus, qui ante plurima quidem secula decesserit; sed vivere adhuc stultè credatur)

credatur) ita & manes cæteros. Interea mos iis est, sollemni die animas advocare defunctorum, iisque epulum exhibere biduo toto. Eo tempore & sepulcra purgant, & ad manes expiandos munus offerunt Bonziis, sive sacrorum præfectis. Sed quanto minori animas illas in pretio habeant, quàm Lares suos Romani: argumento sit, quòd, ubi biduum illud exspirârit, lapidibus eos incessant, ne ulteriùs in ædibus commorentur; sed rectâ potius ad paradisum capessant gradum. Hæc satis docent, non haberi eas pro Deis. Sed ubi, dixeris, statuunt paradisum. Abesse à se ajunt decies millies millenis millibus. O miserandam gentem! Præsertim quando in istoc tam longinquo itinere arbitrantur miserellas quandoque animas exstingui, si fortè eas imber oppresserit. Eo faciliùs his ignoscendum, quia plerique etiam ex Stoicis crediderunt, animas non supereresse post mortem, siquis submergatur, vel gravi obruatur ruinâ. Tum enim illam vel exstingui, quia ignea sit: vel dissipari, quia spiritualis sit: quemadmodum cap. x dicebamus. Sed ab imbri tamen, quem sic formidare animæ dicuntur Iaponiæ, nihil sibi metuêre Stoici. Iuxta quos (ut verbis utar Tullii in primo Tusc. quæst.) *necesse est animus, quo nihil velocius, ita feratur, ut penetret & dividat omne cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventique cogantur.* Vnde & Lucanus in nono manes dicit,

— patientes ætheris imi.

CAPVT XXVI.

Arabiam non tam ex eo dictam videri, quia ad Occidentem sita sit, quod vir summus putabat: quàm à parte ejus deserta, vel hominum colluvie. Arabibus Ammon Libyæ consulebatur; non tamen fanum ei statuerunt. Cœlus iis cultus, & Liber. Falsò credi, Herculem ad Indos profectum: fabulamque esse de Aorno petra frustra ab eo tentata. Ioſuæ res gestas à Phœnicibus Herculi suo tributas: & qua illud occasione evenerit. Vt Ioſuæ cum gigantibus belligeratum: sic Herculis prælium cum gigantibus commissum memorari. Gigantum, quibuscum Ioſuæ decertatum, principem fuisse Og, regem Basan. Nullo eorum, quibuscum Hercules manus & arma contulit, inferiorem fuisse Typhonem. Nomen etiam convenire, cum & illud Hebræum, & Græcum hoc, significent Vstum, *sive* Vstulatum. *Ab viro erudito eodem referri, quod ferreus Ogi lectus celebretur à Mose, & durum Typhoëi cubile à Marone. Sed argumentum hoc infirmum videri. Gentes in monstrosa adeo magnitudine, quam Typhoëo tribuerunt, secutos videri Phœnicum vel Palæstinorum fabulas: præsertim cum æque portentosa de Ogo referant Rabbini. Etiam ut, Ioſua pugnante cum gigantibus, Deus pluit lapidibus in hostes: sic dici, Hercule armis decernente cum gigantibus, Iovem pluisse lapidibus. Campus*

Lapideus prope Rhodani ostia. Cujus naturæ lapides fuerint, quibus Deus Iosuæ est opitulatus. Locum, quo Hercules, & gigantes, armis contendisse existimantur, variè statui: ab his in Gallia Narbonensi prope Rhodanum; ab illis in Campania; ab istis in Pallene; ab aliis in Arcadia: & unde opiniones istæ originem cœperint. Verius istis omnibus Apollonius, qui exitio datum Typhonem narrat in Arabia prope Nyssam, & Serbonidem: ac imprimis Homerus, qui Typhoëi cubile constituit in Arimis, hoc est, terra Aramæa sive Syria. Maronis error ex Homerico Εν Αιεἰμοις *cudentis insulam* Inarimen: *cujus errorem secuti sint non poetæ solum, sed etiam Livius, Plinius que. Quomodo Iosua, & Ægyptius, & Arabicus, & Tyrius Hercules dici possit; non tamen Thebanus. Tyrii Herculis ætatem ad Mosis tempora ab Eusebio quoque referri. Obodes, rex & Deus Nabathæus. Aglibolus, & Malachbelus, Arabum, vel saltem Palmyrenorum Dii: & unde nomen acceperint, conjectura nostra.*

AB Oriente iterum petamus Occasum: ubi indicta nobis Arabia; quam ab occasu etiam nomen accepisse, existimat Scaliger ad Festum. Nempe ab עֵרֶב, *Ereb*, quod ἑσπέραν * notat: ut Gen. 1, 5, & Num. XXI, 1: ubi LXX δυσμὸν sive *occasum* vertunt. Quomodo *Arabes* idem fuerit ac Εσπέριοι, *ad vesperam sive occidentem siti.* Ac ab eadem caussa censet Scaliger, Ερεμβὲς vocari. Sane Homero iidem Αραβες, & Ερεμβοὶ: ut est apud Strabonem in primo: qui & Posidonium in hac fuisse sententia, tradit extremo lib. XVI. Dionysio quoque ἐν ἑσπερήσει pars sunt Arabiæ. Sed si sic Arabes dicti, tanquam *occidentales*, à quibus nomen hoc acceperint? Num à Persis? Sed lingua horum alia. Nec Græci nomen ejus gentis à remotioribus petiissent. An à Syris, vel Babyloniis? At his sunt ad meridiem. Num ab Ægyptiis? Atqui sunt istis ab ortu. Quare hac parte non assentio viro summo: ac potius censeo, primò Arabas dictos, qui Arabiæ desertum incolunt: hinc nomen aliis etiam tributum. Nam עֲרָבָה, *planicies, desertum, solitudo.* Quamquam nec absurdè dixeris, sic vocari Arabiam, quasi colluviem hominum. Quippe etiam עֵרֶב, *mistio, mixtura.*

* *vesperam.*

Arabibus in pretio summo erat Chamus: qui illis Iupiter Ammon. De hoc jam antè adduximus Lucani versus in IX. Et quid mirum, eos coluisse Chamum, cùm is pater fuerit Chusi, à quo Arabia dicitur terra Chus? Nec tamen tam aliquod Ammonis habuisse fanum videntur, quàm, rebus difficilibus, legatos misisse in terram Ammonitidem, qui oraculum ejus consulerent. Itaque aliorum opinio est, duos tantùm Deos coluisse, Vranum sive Cœlum, & Dionysum sive Liberum. Qua de re sic Arrianus lib. VII: Λόγος ὃν καλέχει, ὅτι ἥκουεν, Αραβας δύο μόνον τιμᾶν θεὼς, τὸν Οὐρανόν τε καὶ τὸν Διόνυσον· τὸν μὲν Οὐρανόν τε αὐτὸν ὁρώμενον, καὶ τὰ ἄστρα ἐν οἱ ἔχοντα τά τε ἄλλα

τε ἄλλα καὶ τὸν ἥλιον, ἀφ' ὅτου μεγίστη καὶ φανοτάτη ὠφέλεια ἐς πάντα ἥκει τὰ ἀνθρώπεια· Διόνυσον δὲ κατὰ δόξαν τῆς ἐς Ινδοὺς στρατιᾶς· οὔκουν ἀπαξιοῦν καὶ αὐτὸν τρίτον ἂν νομισθῆναι πρὸς Ἀράβων θεὸν, οὐ φαυλότερα ἔργα Διονύσου ἀποδειξάμενον. εἴπερ οὖν καὶ Ἀράβων κρατήσας, ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, καθάπερ Ινδοῖς, πολιτεύειν κατὰ τὰ σφῶν νόμιμα. *Fama autem tenuit, id causæ* (Alexandro) *fuisse, quòd audisset, Arabas duos tantùm deos colere, cælum scilicet, & Dionysum: cœlum quidem, quòd cum reliqua astra, tum solem in se continere videretur, à quo quam plurima manifestissimáque ad omnes humanos usus commoda manarent: Dionysum verò ob famam ducti in Indos exercitus. Quapropter non indignum censebat se, qui pro tertio deo apud Arabas haberetur: quippe qui rebus gestis Dionyso nequaquam inferior esset; & certè, devictis Arabibus, suis legibus vivendi potestatem, ut Indis, fecisset.* Cœli numen est naturale, ut de eo non sit agendi hic locus. Sed si Liber propterea Deus est factus animalis, quia præclarè rem gesserit in Oriente: cur non & Hercules? Num quia, præ illis Bacchi, gesta ejus sint exigua? quod videri vult Nonnus in quincto & vigesimo Dionysiacôn. An potiùs, quia Hercules nunquam ad Indos profectus: quod verò narrant de Aorno petra, frustra ab Hercule tentata, id commentum sit Macedonum, Alexandro adulantium: ut rectè docet Arrianus in Indicis: etsi aliud ipse scripserat lib. IV; uti & antea Curtius lib. VIII; imò & Diodorus Siculus, atque adeò Strabo; apud quem ter frustra eam aggressus Hercules dicitur. Nempe non minùs commenticia est Herculis ad Indos expeditio, quàm illa Liberi: cujus fabulam abunde difflavimus, cùm de Libero Indico ageremus. Nec propterea, nullam eorum narrationi subesse veritatem, existimandum. Multa enim ex vero trahit. Sed, quod tum dicebamus, distinguendum inter Indiam propriè dictam, quam intersecat Ganges: & illam laxè sic nuncupatam; quomodo terræ omnes ultra mare mediterraneum sitæ, antiquis temporibus, quibus in Asiam magnam necdum penetraverant Græci, Indiæ nomine appellabantur: uti hodieque multis vulgo, quæ ex Syria aut Persia, aut aliis Orientis petuntur terris, *Indica* nuncupantur. Posterior ille vocabuli usus hic locum habet. Nam expeditio, & Liberi, & Herculis, suscepta est in Arabiam, & Aramæam sive Syriam. Quod inficias ire non possumus, si Liber est divinus Moses: Hercules autem, inclytus dux Iosua. Aliquis ab literatura destitutus mirabitur, fortasse etiam indignabitur, sic Mosen in Liberum, Liberumque in Mosen; Iosuam item in Herculem, Herculemque in Iosuam, à nobis quasi transformari. Tanto accuratiùs explicandum est, cur nobis in Libero, Mosis vitam; in Hercule, Iosuæ gesta conspicere videamur. Sed de Mose, quia pleraque ejus ad Ægyptum pertinent, in Diis potiùs Ægyptiis dicam. Nunc solùm considerabimus Iosuam; cujus præclarum nomen ab iis est, quæ in Ara-

bia & Syria gessit. Hæc Phœnices,& Ægyptii,tam vicinæ gentes,ignorare non potuerunt. Præsertim cum ad Phœniciarum usque urbium portas suos sæpius hostes persequens cæderet : continuatis idem victoriis longè lateque omnia prosterneret, viginti & novem regna Hebræis subjiceret, reges magno numero summo afficeret supplicio. Vt mittam tot miracula, signa divini favoris manifestissima. Vt quod Hierechontis muri, ac turres, ad tubarum cantum conciderunt : quod item, cùm dies cædentes deficeret Israelitas, nocte aversâ dies perseveravit,ne Cananæis pateret effugium. Quid certius, quàm ista undique ad Phœnicum & Ægyptiorum aures pertigisse ? præcipuè ab iis, qui victi effugissent, vel etiam salutis viam reperissent fugâ, antequam oppidis eorum hostilis admoveretur exercitus ? Quid tum animi Phœnicibus, vel aliis gentibus finitimis, fuisse existimemus ? Facile enim videbant,non sine divino numine bellum hoc geri. Ac ne mortuo quidem Iosua memoriam deponere unquam potuere tristissimi illius ac stupendi planè temporis ; sed ad seram ea posteritatem propagarunt : non sincere tamen ; sed, ut fieri in iis amat, quæ traditione constant, fabulis pluribus admixtis. Ac facilè quidem creditum à Phœnicibus, cum Herculeâ vi nihil majus nossent, etiam Iosuam esse Herculem quendam. Paullatim etiam Hercules Phœnicius, & Israëliticus, (ut vicinæ erant gentes) confundi cœperunt : quod eo proclivius fuit, quia Israelitæ toties sub Iudicibus deficerent à Deo, connubiis etiam multi cum vicinis jungerentur : quos omnes rediisse ad Deum, parum est verisimile : miscellæ hinc in religione opiniones liberorum, quæ & aliis affricabantur inter Phœnices,& alios, ipsis etiam sacerdotibus gentium hoc agentibus,ut Iosuæ gesta,longè adeò latéque dicta, quia animis hominum prorsus eximi non possent, saltem suo numini transscriberentur. Quæ omnia manifestiora fient,si singulatim conferamus, quæ gentiles de pugna Deorum cum gigantibus, & Scripturæ de pugna Israelitarum cum Cananæis prodiderunt. Vbi particulatim considerabimus quatuor ; à quibus, quomodo, ubi, & quando pugnatum sit.

De personis sic refert Apollodorus in primo bibliothecæ : ex parte una fuisse Tiphœum, & gigantum alios : ex parte altera, Iovem cum Diis cæteris, & pariter Herculem : quem Iupiter σύμμαχον δὶ Αθλωᾶς ἐπεκαλέσατο, *socium ad se consilio Palladis advocaverat.* Vbi intelligendus Hercules ille Orientis, aliquot seculis vetustior Thebano : qui ob eximiam fortitudinem Hercules vocatus, vero autem nomine Iosua dicebatur. Huic bellum cum gigantibus fuit. Tales Cananæi. Nec aliud æquè, ac vasta illa statura, primò perculit Israelitas. Quippe exploratores à Mose missi in Cananæam eo terrorem reduces incusserant, quòd vidissent ibi homines proceræ

proceræ ſtaturæ ; inque his filios Anac de genere gigantum : ajebant præ illis tam exiguos ſe viſos, ac locuſtæ ſi fuiſſent. Vide Num. XIII, 29, 34. Sed imprimis terram Baſan ſpectemus. Hæc *gigantum terra* dicebatur : ut eſt Deuter. III, 13. Ea continebat LX civitates munitas : ut ibidem eſt comm. 4, 5. Præerat verò rex Og : de cujus ſtatura, & lecto ferreo ſic ibidem comm. 11 : *Solus quippe Og, rex Baſan, remanſit ex reliquis gigantibus. Ecce lectus ejus, lectus ferreus, nonne eſt in Rabbath filiorum Ammon ? novem cubitorum longitudo ejus, & quatuor cubitorum latitudo ejus ad cubitum hominis.* Og iſte eſt, qui à Græcis dicitur, Τυφῶν, Τυφὼς, Τυφάων, vel Τυφωεύς. Quæ voces à τύφω, *accendo, uro.* Nempe *Og*, & *Typho*, ſignificatione conveniunt. Nam eſt *Og* ab עוג, Og, hoc eſt, *uſſit, uſtulavit* : & particulatim etiam *panem*, vel *placentas ſub cineribus coxit* : ut Ezech. IV, 12. Videlicet ut mare ab accolis maluerunt dicere Ερυθραῖαν θάλασσαν, quàm Ιδυμαῖαν, quod idem notat (nam Edom, qui Eſau, ἐρυθρὸν ſive rufum ſignat) ſic item gigantem hunc Τυφῶνα potiùs dixere, quàm Ωγον : tantùm quia Græcum præferrent nomen. Cæterùm vir pereruditus putabat, etiam ferrei illius lecti, de quo apud Moſen legimus, memoriam apud gentiles duraſſe. Eoque referebat illud Maronis in IX :

— Durumque cubile
Inarime, Iovis imperiis impoſta Typhoeo.

Specioſa oratio, & quam ipſe veram velim. Vehementer enim hanc ſententiam firmaret. Sed omnino aliud voluit Maro. Nam durè ait cubare Tiphoea, quia Iupiter, cum eum, ut ajunt, fulmine proſtraviſſet, inſulam corpori ſuperimpoſuit. Quam fabulam fabuloſiſſimè expreſſit Naſo V Metamorph.

Vaſta giganteis ingeſta eſt inſula membris
Trinacris, & magnis ſubjectum molibus urget
Æthereas auſum ſperare Typhoëa ſedes.
Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſæpe :
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro :
Læva, Pachyne, tibi : Lilybæo crura premuntur :
Degravat Ætna caput : ſub qua reſupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoëus.

Dixeris, hæc longè abire à Moſe : qui non tribuat Ogo magnitudinem ampliorem, quàm hominum duorum : quippe qui dicat, ferreum ejus lectum cubitorum fuiſſe duntaxat novem : proinde longè alium eſſe Typhoea, qui, ubi artus extendiſſet, tria vaſtæ illius Siciliæ promontoria complecteretur. Sed facilè his occurrimus. Nec enim poetæ ſolum immenſis ſic follibus ſpirant mendacia de ſuo Tiphœo : ſed idem fabula-

tores Iudæi de suo Og ausi sunt. Quippe ajunt Rabbini, lectum illum Mosi memoratum, qui in Ramoth (Philadelphiam postea dixere*) ostendi solet, nihil aliud fuisse, quàm cunas Og: postea eum tanta cœpisse incrementa, ut pes solus cubitorum esset cxx, non communium, sed giganteorum. Itaque, ubi adventare Israelitas cognosceret, vastissimum montem imposuisse capiti, eo animo, ut hoc in Hebræos conjecto, exercitum obtereret universum. Sed Deum, ut consilium ejus disturbaret, in monte illo produxisse ingentem formicarum vim; quæ sic medium exederent montem, ut is, Ogo caput per partem perforatam exerente, utrimque humeris incubaret. Sed quia sic quoque eum injicere in Israelitas valuisset, feciisse Deum, ut dentes ejus ad cubitos decem extra os excrescerent. Ita montem, ob dentium obstaculum, excuti nequiisse. Tum Mosen, decem cubitos longum, arripuisse securim totidem cubitorum; hinc ad cubitos item decem subsiliisse; ac sic quoque non pertigisse ultra tibiæ cum pede juncturam. Vbi impactâ securi, mox prostratum tam vastæ molis gigantem, monte etiam obrutum quem gestârat. Compertum deinde, tibiam ejus tam longam fuisse, ut cùm cervus forte fugâ se in eam prorupisset, venatori dimidiata die fuerit insequendus, antequam capere posset. Hæc, qui volet, reperiet apud Nicolaum Liranum, è Iudæo Christianum, & Tostatum, Abulensem episcopum, quæst. xxvii. Num verò minus hæc portentosa sunt poeticis de Typhone deliriis? Quamobrem facilè in animum induco, poetas in Typhone suo exprimere voluisse Ogum, non qualis describitur à Mose; quem non legerant; sed quantus à fabulatoribus Iudæis, & Cananæis ferebatur. Nec enim à paucis retro seculis fabulari cœpere Iudæi, sed multo ante Christum: ut vel liquet ex Apocryphis Esdræ tributis. Cujusmodi si obtrudi potuere illis, qui Mosen haberent, & Prophetas: quò non mendaciorum prolapsos putemus cæcas Palæstinorum, & Phœnicum gentes? quarum notitiâ sola constabat traditione: unde ubi semel ista mendacium admiserat, sic levitate hominum gliscebat, ut tandem in portenta exiret incredibilia.

* *Hieronymus de locis sanctis.*

Hactenus de iis, qui pugnarunt: nunc videamus, quomodo sit pugnatum à Diis. Iosua strenuè agente, Deus lapidibus pluit, quibus magnam gigantum partem obtrivit. Hinc Iosuæ cap. xi, 11, de pugna Iosuæ pro Gibeonitis contra quinque reges: *Gumque fugerent filios Israel, & essent in descensu Beth-horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo, usque ad Azeca: & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.* Hujus quoque rei historia duravit apud gentiles. Sed cum de loco fluctuarent incerti, conjectabant, istic hoc contigisse, ubi conspiceretur magna vis lapidum, quam humana non videretur industria eò deportâsse.

portâſſe. Vt in Gallia Narbonenſi inter Rhodanum & Maſſiliam. Pomponius Mela lib. II, cap. V : *Inter eam* (Maſſiliam) *& Rhodanum Maritima* * *Avaticorum ſtagno aſſidet : foſſa Mariana partem ejus amnis navigabili alveo effundit. alioqui litus ignobile eſt, Lapideum, ut vocant ; in quo Herculem contra Albionem, & Bergiona, Neptuni liberos, dimicantem, cùm tela defeciſſent, ab invocato Iove adjutum imbre lapidum ferunt : credas pluiſſe : adeò multi paſſim, & latè jacent.* Cæterùm etſi calcata hæc de lapideo litore opinio doceat, ita vulgo fuiſſe perſuaſum, Iovem Herculi, id eſt Deum Ioſuæ, imbre lapideo in prœlio ſuccurriſſe : in eo tamen decepti videntur, quòd lapides iſtos, cælitus miſſos, ejus eſſe naturæ exiſtimarent, cujus erant iſti, qui in litore prope Rhodanum conſpicerentur. Quippe quos Deus cælitus jaculatus, erant è grandine condenſata atq; indurata : ſic tamẽ, ut non minus, quàm qui naturâ lapides eſſent, calvas hominum pertunderent, membra cætera graviſſimè ſauciarent, homines etiã proſternerent, ac neci darent. Vtrumque inde colligo, quia Scriptura, ut vidimus, nunc ἁπλῶς appellet *lapides* ; nunc cum additione, *lapides grandinis* ; λίθυς χαλάζης, ut etiã reddidere LXX.

* *Sic locum hunc diſtingui oportere, obſervatum Caſaubono ad quartum Strabonis.*

Nunc videamus, quàm bellè conveniat locus, quo Ioſua Cananæis, Hercules gigantibus bellum intulit. Sed gentiles de loco diſcrepant. Ideo diſſenſus iſte dirimendus nobis. Sunt qui manus conſeruiſſe velint in Galliis, inter Maſſiliam & Rhodani oſtia : ſed futili argumento, quia multi illic lapides, quibus Iovem pluiſſe exiſtimant, ut Herculem adjutaret. De hiſce campis lapideis paullo antè diximus. Alii in Italia ſtatuunt prope Veſevum montem. In his Diodorus lib. IV. Ait is, homines iſtic vixiſſe, qui gigantes dicerentur, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ κατὰ τὸ σῶμα μεγέθους, *ob admirandam corporum magnitudinem.* Cæterùm τὸν Ηρακλέα, συμμαχούντων αὐτῷ τῶν θεῶν, κρατῆσαι τῇ μάχῃ, καὶ τοὺς πλείους ἀνελόντα, τὴν χώραν ἐξημερῶσαι· *Herculem, Diis in ſocietatem ejus venientibus, prælio fuiſſe ſuperiorem, regionemque illam pacâſſe.* Strabo in V conjectat, hanc fabellam eſſe exortam ex agri Campani bonitate : quaſi propterea operæ viſum ſit, Deos de eo cum gigantibus contendere. Sed cùm illius loci aquæ, igne ac ſulfure mixtæ, ſæpius ſe evomant ad ſex cubitorum altitudinem : cur non potiùs credamus, ita vulgò creditum fuiſſe, id ſignum eſſe fulminis, quo gigantes afflârit Iupiter, depræliante Hercule ? Rem hanc venuſtè expreſſit Silius in XII :

— Tum ſulfure & igni
Semper anhelantes, coctoque bitumine campos
Oſtentant. Tellus atro exundante vapore
Suſpirans, uſtiſque diu ealefacta medullis
Æſtuat, & Stygios exhalat in aera flatus.
Parturit, & tremulis metuendum exſibilat antris,

Inter-

Interdumque cavas luctatus rumpere ſedes,
Aut exire foras, ſonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, laceratáque viſcera terræ
Mandit, & exeſos labefactat murmure monteis.
Tradunt, Herculeâ proſtratos mole gigantes
Tellurem injectam quatere; & ſpiramine anhelo
Torreri latè campos: quotieſque minantur,
Rumpere compagem impoſitam, expalleſcere cœlum.

Nonnulli verò Phlegræos campos, quibus pugnatũ, ſtatuunt in Pallene peninſula, quam aliqui Macedoniæ, Thraciæ alii, tribuunt. Traditum hoc inter alios à Strabone: ut liquet ex libri ſeptimi excerptis. Ex horum opi-
* pag. 291, edit. Rom. nione Euſtathius in Homeri Iliad. B *: Η Παλλήνη πόλις ἐστὶ Θράκης, & χερρόνησος τρίγωνος, ἡ καὶ Φλέγρα λεγομένη· ἔνθα τὸν Ηρακλῆς τοὺς γίγαντας καλεπολέμησεν. *Pallene eſt urbs Thraciæ, & peninſula triangularis, etiam Phlegra dicta, ubi Hercules pugnavit adverſus gigantes.* Similiter ſcholiaſtes Ariſtophanis in Aves, & Suidas in Φλεγραίας. Stephanus præterea in Παλλήνη: qui hanc de Deorum auxilio opinionem inde ortam cenſet, quia, pugnante Hercule, multum tonuerit, & igniti turbines deciderint. Quod etiam legas apud Euſtathium in Dionyſium. Atque addit, ex eo Φλέγραν dici, quia fulmine illic uſti ſint gigantes. Nam φλέγειν, *urere.* Pauſanias contrà in Arcadicis refert, vulgatam eſſe inter Arcadas opinionem, cum gigantibus eſſe pugnatum, non in Thraciæ Pallene, ſed juxta Olympiadem, Arcadiæ fontem; unde alternis temporibus, nunc aquæ, nunc ignes, erumpunt. Atque hoc videri voluerunt ſignum eſſe manifeſtum debellatorum illic gigantum. Quaſi non & ſimilia ſint, quæ pro ſuis alii terris adferant. Sed tædet ulteriùs tam varias perſequi opiniones. Potiùs rei veritatem aperiamus. Quæ ſponte ſe offeret, ſi conſtiterit, ubi perierit inclytus gigas Typhon, qui & Typhaon, & Typhoëus. Ad hunc locum reperiendum,
† v. 1217, & ſegg. præit nobis Apollonius in Αργοναυτικ. Δ †:

— Ικέλο δ' αὖτως
Ουρεα, & πεδίον Νυσήϊον, ἔνθ' ἔτι νῦν περ
Κεῖται ὑποβρύχιος Σερβωνίδος ὕδασι λίμνης.

— *Pervenit verò ſic*
Ad montes, & campum Nyſſeium; ubi etiamnum
Iacet, merſus ſub Serbonidis aquâ paludis.

Hic Nyſſam Arabiæ intelligi, agnoſcit ſcholiaſtes: atque hoc fine adducit verſus ‡ Ηροδώρου: cui Nyſa,

Τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αιγύπτοιο ῥοάων.
Longè à Phœnice, Ægypti vicina fluentis.

De Ser-

De Serbonide autem, sive, ut alii veterum appellant, Sirbonide, sic ibidem scholiastes : Η Σερβωνὶς λίμνη διήκει πρὸς τὸ Πηλούσιον τῆς Αἰγύπτου· *Serbonis palus jacet prope Pelusium Ægypti.* Ptolemæus quoque statuit inter Ægyptum, & Palæstinam. Et quod non parum ad rem facit, Plutarcho teste in vita M. Antonii, τὰ τῆς Σερβωνίδος ἕλη Τυφῶνος ἐκπνοὰς Αἰγύπτιοι καλοῦσι· *Serbonidis paludes Typhonis exspirationes vocant Ægyptii.* Liquet igitur, istic statui Typhonis exitium, ubi egere Israelitæ Ægypto egressi, qui eum perdiderunt. Et quis potius audiendus nobis Homero? qui sic Iliad. β * : * vers. 781, & segq.

Γαῖα δ' ὑπεσονάχιζε, Διὶ ὡς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἰμάσσῃ
Ἐν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς·
Terra autem resonabat, Iove velut sit fulmine gaudenti
Irato, quando circa Typhoëam terram verberat
In Arimis, ubi dicunt Typhoëi esse cubilia.

Ex quibus colligimus, conflixisse in Syria; quæ & *Aramæa*; uti Syris *terra Aram*, unde Syri Ἀραμαῖοι & Ἀραμαῖοι. Nonnulli quidem Arimos in Phrygia statuunt; ut testis Strabo, extremo libro duodecimo. Aliqui etiam Ciliciæ tribuêre : nonnulli partem Syriæ putarunt. Sed examussim optime Posidonius, eumque secutus Strabo : cujus hæc verba prope finem libri decimisexti : Λέγει δὲ καὶ τοὺς Ἀρίμους ὁ ποιητὴς, ὃς φησιν ὁ Ποσειδώνιος δέχεσθαι δεῖν μὴ τόπον τινὰ τῆς Συρίας, ἢ τῆς Κιλικίας, ἢ ἄλλης τινος γῆς· ἀλλὰ πᾶν Συρίαν αὐτόν. Ἀραμαῖοι γὰρ οἱ ἐν αὐτῇ. Τάχα δ' οἱ Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν, ἢ Ἀρίμους. *Nominat etiam Arimos Homerus, quos Posidonius docet esse accipiendos, non locum aliquem Syriæ, vel Ciliciæ, vel alius terræ : sed Syriam ipsam. Arimæi enim sunt, qui in ea habitant, & fortasse Græci eos Aramæos, vel Arimos vocabant.* Iosephus lib. 1 Antiquit. cap. VI † : Ἀραμαίους δὲ Ἄραμος ἔσχεν, οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι· *Aramæos vero Aramus habuit, quos Græci Syros vocant.* Vbi Rufinus male ἔσχεν, quod valet *tenuit, obtinuit*, vertit *instituit* : prout etiam MSus noster habet. In editis verò perperam *Aramenos*, sed editorum culpâ. Alii tamen alibi oppressum putant. Scholiastes Æschyli ‡ ait, eum ἐν Κιλικίᾳ μὲν γεννηθῆναι, κολασθῆναι δὲ ἐν Σικελίᾳ· *natum quidem esse in Cilicia, pœnas autem dedisse in Sicilia.* Alii oppressum putant in Tyrrheni maris insula Inarime : idque propter illud Maronis Æn. IX :

† Ruf. cap. 14.

‡ in Prometheo Vincto. pag. 26, edit. H. Steph.

Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarimes, Iovis imperiis imposta Typhoeo.

Sed jam variis ante nos monitum, graviter errâsse Virgilium, cum prò eo, quod apud Homerum est, Ἐν Ἀρίμοις, præverbio, & nomine in unum conflatis, fecit *Inarime*. Etsi errorem hunc (vide quid magnorum possit virorum auctoritas) alios etiam in eundem protraxerit. Vti Ovid. lib. XIV :

Inarimen, Prochytenque legit, ſterilique locatas
Colle Pithecuſas. Similiter Lucanus lib. v, Silius lib. VIII, & XII, Statius lib. II Sylv. Carm. II. Claudianus lib. III de Rapt. Proſ. & prol. in VI Honor. conſ. Ac ne poetas ſolum dicam, etiam ſic Plinius vocat lib. III Hiſt. cap. VI. Ac præiverat quoque Livius lib. XCIV, teſte Servio ad ſuperiorem Virgilii locum. Sed ab Livio ſtatui ait in Mæonia. Sic enim legendum pro *Maconia*, ſatis liquere arbitror. Nam alii in Phrygia, alii aliâ Minoris Aſiæ regione, oppreſſum judicabant.

Atque hæc ſatis oſtendunt, ab Hercule contra gigantes, & Typhoëa, commiſſum eſſe prœlium in Arabia, & Syria: quibus locis contra Cananæos, & Og, regem Baſan, arma eſſe ſuſcepta, etiam Moſes docet. Nec ætas Herculis, & Ioſuæ diſcrepat. Tantum ne intelligatur Thebanus ille, ſed alter Orientis; quem tum Ægyptium vocare poſſumus, quia in Ægypto natus; tum Indicum, hoc eſt Arabicum, quia hîc res tantas geſſit; tum Tyrium, ſive Phœnicium, quia res ab eo geſtas Tyrii Herculi ſuo transcripſere. Eum Thebano eſſe vetuſtiorem, & antea dictum nobis, & clarè tradit Lucianus, de Dea Syria: Τό γε (ἱρὸν) τ Ηρακλέος τὸ ἐν Τύρῳ, ὐ τύτυ τ Ηρακλέος, " Ελλήνες ἀείδυσι, ἀλλὰ " ἐγὼ λέγω, πολλὸν ἀρχαιότερος, καὶ Τύριος ἥρως ἐστί. *Herculis quidem* (templum) *illud, quod eſt Tyri, non hujus Herculis, quem Græci decantant: ſed quem ego dico, multò vetuſtior eſt, & Tyrius Heros.* Imò eodem hunc, quo Ioſua, tempore vixiſſe, veterum opinio erat: ut oſtendit Euſebius in Chronicis. Nam num. CXLII legas, *Moſes in Sina monte divino fruitur adſpectu.* At quinquennio antè, nempe num. CXXXVII, reperias: *Hercules, cognomento Deſanaus, in Phœnice clarus habetur. Vnde & ad noſtram uſque memoriam à Cappadocibus, & Elienſibus, Deſanaus adhuc dicitur.* Quo de loco ſuperiùs plura diximus.

Iam ab Arabia in Ægyptum abirem, niſi paullùm retineret Obodes, rex Deuſque Nabathæus: de quo ſic Stephanus Byzantius, Οβόδα, χωρίον Ναβαταίων. Οὐράνιος Ἀραβικῶν τετάρτῳ· Ὅπου Οβόδης ὁ βασιλεὺς, ὃν θεοποιοῦσι, τέθαπται. *Oboda regio Nabatæorum. Vranius Arabicorum quarto. Vbi Obodes rex, quem pro deo habent, ſepultus eſt.* Detinet item vetus inſcriptio *: ΑΓΛΙΒΩΛΩ † ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙΣ ΘΕΟΙΣ. Quæ Palmyrene, Arabiæ civitate, eſt inventa. Sed cùm de his duobus apud veteres ſcriptores ſilentium ſit: quis ſpondeat nobis, animales potius, quàm naturales fuiſſe Deos? Etymon eorum, unde interdum, veriſimiliter ſaltem, colligere aliquid licet, quod ſciam, hactenus attulit nemo. Nihil impedit tamen, quo minus tentemus. Quid ſi *Aglibolus* ſit ex Arabicis לב גל, ag, al, bal? ad verbum eſt, *pone ſuper corde.* Sententia eſt, *Pone cogitationem*, ſive, *Animum adhibe.* Quam Arabicorum iſtorum mentem eſſe, docent

* *In Gruter. Inſcript. Pag.* LXXXVII, *num.* 8.
† *Aglibolo, & Malachbelo, Patriis Diis.*

cent Abenezra, & David Kimchi. Sic Dei illius nomen fuerit, sive ex eo, quod Deus cogitet de nobis; ut ita providentiam signet divinam: sive etiam quia cogitationes nostras exploret; unde *renes scrutari* dicitur in Scripturis *: sive quia assiduè cogitandum omnibus de Deo; ut nomen hoc homini commendet Dei cultum. Vel quid si dicamus, esse ex עגול, agul, id est, *rotundus*, & בעל, baal, *potens, dominus?* ut sit, potens rotundi, sive orbis terrarum, vel dominus orbium ætheriorum, sive cœlestium. Sanè Hebræis similiter Deus בעל שמים, baal schamaim, hoc est, *dominus cœli*: pro quo Phœnices Βεελσάμιν, quod itidem est κύριος οὐρανοῦ, ut ex Philone Byblienſi cognoscimus. At *Malachbelus* fortasse ex מלך, melech, *rex*, & בעל, baal, *dominus*: ut valeat dominum ac rectorem universi. Sed de istis sentiat quisque ut volet. Nostras proposuimus conjecturas, ut eliciamus alienas.

* *Ierem.* 17, 9, & *Apoc.* 2, 23.

CAPVT XXVII.

Ad Ægyptios Deos acceditur: quorum aliqui fuere reges. An Vulcanus rex primus Ægyptius. Vnde Ægyptus vocata Ηφαιςία. *Antiquissimus Ægypti rex Menis, sive Menas, vel Men. Videri ejus symbolum* Μνεῦις *bovem. Æolum fieri exemplo, quòd Romani pro E V in multis usurpent E longum. Quis Saturnus, & Iupiter Ægyptius. Ægyptus nunc* terra Cham, (*ut Græcis* Χημία) *nunc* terra Mitsraim *dicta. Rejicitur Græcula opinio de Ammonis etymo: proque ea tres magis verisimiles, prima imprimis, adferuntur. Apollinem Venerémque Ægyptiorum non esse numina ejus nominis antiquissima. In Stephano Byzantio conjectura. Vnde Osiridis nomen sit, trifariam dissertatum. Quòd Dionysius Nyssæ in Arabia dicitur educatus, id videri etiam Osiridi sive Mitsraimo, Chami filio, competere. Sacrorum fuisse similitudinem inter Liberum Ægyptium, & Thebanum. Vnde cultum ejus acceperint Græci. Ex quorundam sententia, Thebas Ægyptias esse Osiridis opus: ex omnium verò opinione, ejus esse opus templum Iovis Ammonis. Osiridi, & Isidi, agriculturæ tribuitur inventum; quod Græci Triptolemo, & Cereri, assignant. In Isidis pompa, ad celebrandam beneficii ab ea accepti memoriam, tritici & hordei vascula circumferebant. De contentionibus, & bello, inter Chami posteros. Consuetudo vetus, caput muniendi pelle leonis, lupi, canis, vel alterius animantis: postquam verò galeæ è ferro fieri cœperunt, affingendi eis alicujus quadrupedis, vel alitis figuram, vel caput illius. Fabulosum videri de corvo, auxilium ferente Valerio adversus Gallum: & unde error ille in Romanorum irrepserit historiam. Duplici rationi Diodori, cur Ammoni, & Osiridi, sive Libero, cornua addantur, tertia adjungitur: imò & quarta, sed quæ Liberum Thebanum & Græcos magis spectet. Osiris à Typhone, Typho ab Iside, & Oro, interemtus. Cur sanctissimum apud Ægyptios juramentum per*

Osiridis phallum. Quanta Mercurio suo tribuant Ægyptii, & ut Ægyptus ab eo Ερμοχήμιος *dicatur. Correctus Stephanus Byzantius. Apollinis Ægyptii repertum, laurus. Hedera, Osiridis planta. Herculis Ægyptii inclytum apud suos nomen. Dictus* Gignon, *vel* Gigon. *Vt Diodorus distinxerit gesta triplicis Herculis. Duplicem esse Ægyptium, illum Osiridi æqualem, & Iosuam, Herculem Cananæum. Anubidis ætas, & cur canino fingatur capite. Diversus ab eo* Ερμάνυβις. *Ætas Panos Ægyptii. Panopolis aliter* Χέμμις. *Maroneam Thraciæ perperam à Diodoro opus credi Osiridis Ægyptii. Novem Musæ Ægyptiacæ. Apollo* Μυϱαγέτης. Ωκεάμης *fluvius, qui &* Αἰλός. *Discessum ab Stephano, & Eustathio, de Ægypto ab Aquila Indo dicta* Αἰλία. *Nam videri id solum partis nomen, à flumine* Αιπῷ *sic dictæ. Taautus, & Sanchoniathon, commendati à Philone Byblienſi, quod nudè rem narrarent: quam posteriores detorsere in sensum allegoricum.*

AB Asia in Africam tendo : ubi tres potissimum gentes spectamus ; Ægyptios, Æthiopas, & Libyas.

Ægyptiis Dii duplices : alii cælestes, & æterni ; alii terrestres, & mortales, à morte autem in Deorum numerum relati. De utrisque agit Diodorus. Priùs de cælestibus, Sole, Luna, Spiritu, Igni, Terra, Oceano, Aëre : de quibus nos postea. Iis expositis, ad terrestres accedit, his verbis : Περὶ μὲν οὖν τῶν ἐν ἐρανῷ θεῶν, καὶ φύσιν ἀΐδιον ἐχοντων, τοσαῦτα λέγουσιν Αιγύπτιοι. Αλλους δ' ἐκ τούτων ὀπιγείους γενέσθαι φασὶν, ὑπάρξαντας μὲν θνητοὺς, δίκῃ δὲ σωτῆσιν, καὶ κοινῶν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν, τετυχηκότας τ' ἀθανασίας. ὧν ἐνίους καὶ βασιλεῖς γενονέναι κ' τῶν Αιγυπτον. *De diis igitur cælestibus, & sempiternum genus sortitis, ista dicunt Ægyptii. At præter eos, ajunt, alios esse terrestres, naturâ quidem mortales, sed propter animi sollertiam, & beneficentiam erga homines universos, immortalitatem adeptos. Atque horum etiam aliquos fuisse reges Ægypti.* Postea subjungit, ex quorundam sacerdotum sententia, primum apud Ægyptios regnâsse Vulcanum. Quod si est, nihil mirum, si Ægyptus antiquitus dicta sit Ηφαιςία, quasi dicas *Vulcaniam*. De hoc nomine ejus, auctor nobis, tum Stephanus Byzantius in voce Αιγυπτος, tum, qui exscribere eum solet, Eustathius in Dionysium. Addit verò Diodorus, ab hoc Ægyptio rege inventum esse ignem. Hoc probare non possum. Nam antea ostendimus, Vulcanum, hoc est, Tubalcainum, non ignem reperisse ; sed usum ignis in arte fabrili. Præterea ille nunquam rex Ægypti fuit : quippe qui ante diluvium, eoque & Ægyptios reges, fuerit. Quare si, quis primus Ægyptiorum fuerit regum, statuere velimus ; multis partibus potiùs accesserim Manetho Ægyptio ; de quo postea pluribus dicam. Huic primus rex Ægyptius dicitur Menis Thinites : eumque ait, ab hippopotamo raptum, inter-

interiisse. Diodoro est Μλωᾶς. Herodoto autem Μλώ. Vt in Euterpe: Τὸν Μλῶα πρῶτον βασιλεύσαντα Αιγυπτίων. *Mena, qui primus imperium tenuit Ægyptiorum.* Et mox: Τῷ Μλωὶ τούτῳ, τῷ πρώτῳ ἡγησαμένῳ βασιλῆι. *Meni, regum primo.* Iosepho *Minæus* videtur. Vt qui dicat lib.VIII Antiq. cap.VI, Ægyptios reges imperasse annis mille & trecentis, initium capiendo à Minæo illo, qui Memphim condidit. Græcè est, τοὺς μ᾽ Μιναῖον τ᾽ οἰκοδομήσαντα Μέμφιν. Valde etiam verisimile est, sacrum bovem, qui Μνεῦις dicebatur, non Solis modò, de quo libro proximo; sed hujus etiam Menis fuisse symbolum. Sanè Æliano lib.XI Hist. Animal. cap.X bos iste Μῆνις vocatur. Præterea Μλῶις & Μνεῦις valde vicina sint. Puto enim paucos ignorare, ut ευ & η sæpe pro diversa dialecto commutentur. Vt Ορφεὺς, Αχιλλεὺς, Οδυσεὺς, Περσεὺς, Æolibus Ορφης, Αχίλλης, Οδύσσης, Πέρσης. Vnde Latinorum *Vlysses, Achilles, Perses*; ad Æolum morem, quos in illo, ut penè in universa lingua, æmulantur. Quare superest solùm, ut trajiciatur liquida: cujusmodi μεταθέσεις* in nominibus sacris valde sunt frequentes: ut antea ostensum, posteaque planius fiet. Sed redeamus ad Diodorum, qui post Vulcanum regnâsse in Ægypto ait Saturnum. Quo nomine hoc loco intelligendus, nõ Adamus; qui Vulcano, hoc est, Tubalcaino, antiquior fuit; verùm Noë; universi, eóque etiam Ægypti rex. Huic successit Iupiter Ammon: hoc est Cham, sive Ham; unde Ægyptii Αμῦν, Græci Αμμων fecere. Scio, Græculos, (quos & Hyginus sequitur fab.CXXXIII) ex eo deducere, quia aries exiens arenâ, quæ Græcis ἄμμος dicitur, Libero siticulosis Indiæ locis erranti fontem monstrârit. Sed non minùs putidum est, in vocibus Ægyptiis recurrere ad originem Græcanicam; quam in Græcis ad Latinam: ut cum superioribus seculis *Euphemia* deducerent ex *bona femina*, *Stephanus* ex *strenuè agens*, & alia æquè ridicula. Quare potiùs censeo, esse ab חם, *Ham*, sive *Cham*, Noe filio. Pro quo facit, quòd Ægyptus non modò passim terra Mitsraim nominetur, à filio Chami Mitsraim: sed etiam terra Cham; ut Psal. CV, *Et Iacob peregrinus fuit in terra Cham.* Etiam Plutarchus de Isíde & Osiride, testatur, Ægyptum in sacris Isidos dictam esse Χημίαν. Nempe quasi Χαμίαν: quod unde nisi à Chamo? Nec tamen pertinaciter dissensero, siquis censeat, primò Ammonis nomen non homini, sed Soli convenire: eoque esse à חמה, quò Hebræis tum calor notatur: tum etiam Sol, fons caloris: unde & Dei *Omani* nomen; ut in Solis cultu dicam. Vel si malit, Ammonem notare vim naturæ latentem; quia *Amun* Ægyptiis *occultum* significet; ut Manethos Sebennita scripsit, Plutarcho teste de Isíde & Osiride.

* *transpositiones.*

Hinc refert Diodorus, ut ex Iove & Iunone nati sint quinque isti; Osiris, Isis, Typho, Apollo, & Venus. Vbi temporum ratio ostendit, de Apol-

line & Venere decipi, vel alium esse hunc Apollinem ab Iubale, Musices repertore : aliam item Venerem ab Noema, istorum sorore ; quam aliqui Venerem antiquissimam credidere. Nobis hæc Minerva potius, lanificii repertrix, videtur ; ut antea dictum.

Nomen numenque Osiridis plurium gesta & cultus complectebatur. Antiquissimus Osiris videtur Mitsraim, Chami filius ; qui, sociato cum patre honore, ab Ægyptiis cultus fuit. Quod eo verisimilius est, quia, ut antea, dixi, Scriptura Ægyptum vocat, *terram Mitsraim :* pro quo & *Misarim,* vel *Misorim* dixere. Vnde in mentem venit, apud Stephanum in Αἴγυπτος, ubi legas, Ægyptum à Phœnicibus dici Μύαρα, legendum esse Μίσορα. Et quid si ex *Misori* solâ literarum trajectione factum dicamus, *Osirim*, sive ex *Misorim*, solâ principe literâ rejectâ ? Solent enim gentiles, ut majorem Diis suis auctoritatem conciliarent, nomina, quæ habuerant, dum in rebus agerent humanis, immutare, sive μεταθέσει *, sive aliter. Quamquam nihil huc recurrere opus, si & dictus Osiris, dum viveret. Sed sic alius fuerit ab Mitsraim. Vel dicendum, fuisse eum binominem. Quippe & Osiridis vocabulum imponi potuit ab incunabulis regio filio, & in spem regni educando. Nam Diodorus in primo testatur, *Osiris* id Ægyptiis sonare, quod Græcis πολυόφθαλμον, hoc est, *multoculum.* Imò & tertia occurrit sententia. Quid si enim Mitsraim quidem verum fuerit regis nomen : sed ab excessu sit dictus *Osir* per μετάθεσιν ex *Sior,* vel *Sichor*, quomodo dictus Nilus ? Osiridis enim honos, præter venerationem regis Mitsraim, etiam Solis & Nili cultum complectebatur ; ut plenius exponam libro proximo : de Sole quidem, cum de æthereorum corporum honore dicam : de Nilo autem, cùm ostendam, aquas etiam honore affectas divino. Interim pro primâ videtur sententia facere, quòd in sacris Osiridos phallus sive pudendum viri monstraretur. Nam id potuit esse ad historiæ adumbrationem, qua Chamus patris Noachi verenda vidit, & risit. Sed hoc, ut Chamo, sive Ammoni, sic Mitsraim, sive Osiridi, contumeliosum foret. Fortasse igitur cum phallus sit generationis symbolũ, eo significatũ fuit, Osiridem esse patrẽ omnium Ægyptiorum. Vel pertinuerit ad historiam veterem, qua Osiris dicitur dissectus plurima in frusta ; quorum singula, veretro excepto, fuerint ab Iside reperta ; ut mox plenius exponã.

* *transpositione literarum.*

Diodorus ait, Osirin esse, qui Græcis Διόνυσος vocatur : ac sic vocatum, quia Διὸς sive Iovis esset filius : inque Nysa, Arabiæ urbe, esset enutritus : in cujus honorem & urbem cognominem in India condiderit. Quomodo Iovis nomine significabitur Cham ; quem Græci Iovem Ammonem vocant. Nec à vero abludit, Misraim esse in Arabia educatum. Nam in partitione ea, quæ inter Noachi liberos fuit, Arabia cessit Chamo. Ac

videtur

videtur ibi primò fixisse sedes ; in medio nempe terrarum ; quæ sortitò ei obtigissent. Sanè maximus natu filius , nomine Chus , in ea patri successit ; unde & *terra Chus* in Scripturis vocatur. Minimus natu Chanaan habuit terram à Septentrione positam , quæ ab eo *Cananæa* vocatur. Occidentalis , quæ propior , contigit filiorum secundo , nomine Mitsraim : uti remotior,nempe Libya,filio tertio,nomine Phut. Nec propterea putandum,Osirim esse eundem,ac Διόνυσον Thebanum. Nam hic multis Osiride seculis recentior est. Vt autem idem à multis numen crederetur , fecit sacrorum similitudo : quæ fuit ab Orpheo Thrace. Hic enim, sacris initiatus Ægyptiis , ea docuit primum Thraces suos ; unde & Ὀρφικὰς nomen : postea verò & Thebanos iis imbuit ; inque eorum gratiam,quæ honori fierent Osiridos, accommodavit Διονύσῳ, Cadmi ex Semele nepoti : quod ex Diodoro ipso superiùs retulimus. Verùm etsi, juxta gestorum historiam,alius sit Liber Thebanus ab Libero Ægyptio sive Osiride : φυσικῶς tamen idem sunt ; quia,ut in Ægypto Osiris,ita in Græcia Liber, coleretur cum Aqua,sive Humore,omnis generationis principio : quemadmodum in Diis Naturalibus explicabitur.

Vtrùm Osiris , an rex alius, longè recentior , condiderit Thebas Ægyptias , centum portis inclytas ; nec inter Ægyptios satis convênit. At in eo consentiunt , ædificâsse eum templum patri suo Iovi Ammoni. De utroque auctor idem Diodorus. Qui & narrat,ut Osiris uxorem duxerit sororem suam Isidem : eam , cùm antea frumentum , & hordeum, negligerentur , usum ejus docuisse subditos : mox Osiridem monstrâsse his agrorum culturam. Vnde Tibullus quoque primum agricolam facit lib. I , eleg. VII :

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris ,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ ,
Pomáque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Et viridem dura cædere falce comam.

Sed Osiridos beneficium Triptolemo suo tribuunt Græci : inventum item Isidos assignant Siculæ Cereri. Vnde & eadem credita Isis,ac Ceres. B. Augustinus lib. VIII de Civit. Dei cap. XXVII : *De Iside , uxore Osiris , Ægyptia Dea,& de parentibus eorum,qui omnes reges fuisse scribuntur: quibus parentibus suis illa cum sacrificaret,invenit hordei segetem,atque inde spicas marito regi; & ejus consiliario Mercurio,demonstravit: unde eandem & Cererem volunt.* Verùm non magis eadem Isidi Ceres Attica , vel Sicula , quàm Thebanus Liber idem censendus Osiridi. Grandi enim distant temporum intervallo. Sed cùm

cùm Græci fruges sibi à Cerere, vinum à Libero ostensum prædicarent: sacra induxere non multum iis dissimilia, quibus Ægyptii Osiridem, & Isidem celebrarent. Atque hoc etiam ex Ægyptiaco Iseorum festo dilucet. De quo sic Diodorus Siculus in primo bibliothecæ: Παρ' ἐνίαις δὲ τῶν πόλεων, & τοῖς Ισείοις ἐν τῇ πομπῇ μὴ τῶν ἄλλων φέρεσθαι πυθμένας πυρῶν, καὶ κεθῶν, ὑπομνημόνευμα τῶν ἐξ ἀρχῆς τῇ θεῷ φιλοτέχνως εὑρεθέντων. *Apud nonnullas quoque urbes, cum Isea celebrantur, in pompa, tritici & hordei vascula circumferri in memoriam eorum, quæ primitus Deæ reperit industria.* Quod satis ostendit, eo loco Isidem habitam Ægyptiis, quo Ceres Græcis.

Tandem verò Osiris interemtus est à fratre suo Typhone: crudeliterque, sive in XIV partes, ut est apud Plutarchum *; sive XXVI, ut Diodorus ait, dissectus fuit.

* *lib. de Isid. & Os.*

Neque indignum Mitsraimo fuit, si sororem sibi connubio jungeret; præsertim cùm non potuerit aliam ducere, quàm vel sororem, vel saltem eodem avo prognatam. Neque item indignum Typhone, si fratrem interimeret; quando tyrannum fuisse, veteres consentiunt. Et, si in Adami liberis frater à fratre interemtus; quid miremur, si idem in maledicti illius Chami liberis contigerit?

Quod siquis arbitretur, non satis convenire proximis illis à diluvio temporibus, ut tam citò bello inter se fratres certarint: equidem non repugno, quo minus fratrum nominibus liberi vel etiam nepotes designentur. Quomodo in Scripturis patriarcharum vocabulis passim eorum posteritas intelligitur. Ne illud quidem satis est apertum, num, quicum bellum gessit gens Mitsraim, ea fuerit gens Canaan, an Chus, an Phut. Nam Ægyptus ad Orientem habet terram Canaan: ad Occidentem terram Phut, quæ Libya exterior fuit, vel pars ejus, ac fortasse insuper Marmarica. At terram Chus partim ad Orientem habuit, puta Arabiam: partim ad Meridiem, nempe Æthiopiam sub Ægypto. Vtraque enim terra Chus vocatur. Sed censeo, nullum æquè indignari potuisse, quàm Phut, & ejus progeniem. Nam Libyæ solum sterile, & infœcundum erat præ illo Cananææ, melle & lacte fluentis; item Arabiæ, cognomento Felicis; tum autem Ægypti, quæ postea horreum fuit populi Romani. Hujus verò dissidii inter Chami liberos, vel posteros, etiam indicia cernere est in reliquiis illis vetustatis apud Diodorum: qui in fine libri tertii, idque ex sententia Libyum, narrat, Dionysum sive Liberum fuisse filium Ammonis, Libyæ regis. Eum hîc quoque Chamum interpretor. Addit deinde, ut ab hoc Dionyso Saturnus, qui Ammonem priùs expulerat, vicissim sit ejectus; uti eventurum Ammon prædixerat. Tum Osiridem, sive Liberum, templum, & oraculum, Ammoni condidisse in regione ea, quæ exinde

exinde dicitur Ammonitis. Difficilius est hic quoque singula aptare nomina personis Scripturæ; quia non omnia, in istis gentium reliquiis, fide referuntur historica, parentumque & liberorum, ac nepotum appellationes confundi sæpius solent. Interea, ut dixi, hæc non obscurè docent, quibus dissidiis laborârit Chami posteritas.

Sed cur Ammon fingebatur cornutus? cur item filius ejus Osiris, qui antiquissimus est Liber? Diodorus de utroque hanc causam refert, quia in bello gestarint galeam hac figura. Quod interpretor hoc pacto, pellem capitis bubuli cum cornibus pro galea habuisse. Vetustissimis enim temporibus galeæ fiebant è pellibus mutorum animantium. Quod & appellationes indicant. Nam κυνέω dixere, si foret è pelle canina; λυκέω, si è lupina. Imò apud Homerum Iliad. κ ἰκλιδέω κυνέω legas pro galea ex pelle mustelæ. Nam ἰκλὶς mustela sylvestris: ut cognoscere licet ex Plinii Hist. lib. xxix, cap. xv. Imo *galeam*, uti & *galerum*, unde potius dici credamus, quàm quia esset ex pelle τῆ γαλῆς: quod animal vel idem est ac ἰκλὶς, vel simile. Postquam verò pro pelliceis galeis introductæ sunt æneæ ae ferreæ: figuram tamen muti animantis, aut capitis saltem, in ea expresserunt. Itaque galea nunc capite leonis erat insignis, nunc integri vulturis figurâ, & ita in aliis. Cujus rei ignoratio spissos in historia peperit errores. Luculentum dabo exemplum in historia Romana. An. v. c. ccccv, L. Furio Camillo, & Appio Claudio, qui in consulatu mortuus est, consulibus, cùm Galli ex Albanis se montibus profudissent: missus est adversus eos L. Furius Camillus, vel fausti ominis gratiâ. Nam M. Camilli, qui ab iis Romam liberarat, filius erat. Castra is posuit in agro Pomptino. Ibi M. Valerius cum Gallo pugnavit, &, si Romanæ credimus historiæ, corvi auxilio eum vicit. Vnde & Corvi cognomen jam olim creditus accepisse; non Corvini, ut vulgò putant. Posteros verò Corvinos dictos, verisimile fit; cùm constanter Corvini ubique, non Corvi, appellentur. Pugnam, quam dixi, ita describit Livius lib. vii, cap. xxvi: *Cum stationibus quieti tempus tererent, Gallus processit magnitudine atque armis insignis: quatiensque scutum hasta, cum silentium fecisset, provocat per interpretem unum ex Romanis, qui secum ferro decernat. Marcus erat Valerius, tribunus militum, adolescens, qui haud indigniorem eo decore se, quam T. Manlium ratus, prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen humanum numine interposito Deorum factum. Namque conserenti jam manum Romano corvus repente in galea consedit in hostem versus: quod primò ut augurium cœlo missum, lætus accepit tribunus: precatus deinde; si divus, si diva esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius adesset. Dictu mirabile: tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotiescumque certamen initum est, levans se alis, os oculosque hostis*

roſtro & unguibus appetiit : donec territum prodigii talis viſu, oculiſque ſimul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. Corvus è conſpectu elatus Orientem petit. Conſul, concione advocatâ, laudatum tribunum decem bobus, aureâque coronâ donat. Vide & Valerium Max. lib. III, cap. II, Gellium lib. IX, cap. XI, Sext. Aurel. de viris illuſtribus cap. XXIX, atque alios. Quid Romana hiſtoria proditum ſit, vidimus. Cæterùm mihi, non quidem pugna ſingularis Valerii cum Gallo, ſed quod de auxilio ſacræ addunt alitis, & quidem inſpectante hinc Romano, inde Gallico exercitu, fabuloſum ſemper viſum fuit. Et cogitanti, unde ea fabula potiſſimùm originem ceperit, nihil æquè veriſimile in mentem venit, quàm in cauſſa eſſe, quod Valerius galeam geſtarit, cui corvi eſſet ſuperadditum ſignum. Is enim, ut antea dixi, mos veterum fuit, ut animalis cujuſpiam pugnacis, nunc leonis, nunc alterius imagine, galeam inſignirent. Cum iſtiuſmodi galea depingi, & effingi ſolet Valerius pugnans cum Gallo : unde progreſſu temporis imperitum vulgus judicavit, corvum galeæ inſidentem eſſe imaginem veri corvi, cum eſſet imago imaginis, hoc eſt, ſignum ferrei corvi, quo galea Valerii fuerat inſignis. Mihi quidem in hac conjectura non diſpliceo : præſertim cùm ſciam, moris fuiſſe antiqui, ut res illuſtres picturis proderentur : velut illa pugna Manlii cum Gallo, quæ in ſcuto Cimbrico erat; teſte M. Tullio *, Quinctiliano †, ac C. Plinio ‡. Redeo ad Ammonem : quem ex Diodoro dicebamus, cum Oſiride cornutum effingi, non quaſi cornua fuerint capiti adnata : ſed quia pro galeis in bello uſi cornuta capitis bubuli pelle. Attamen & alteram apud Diodorum rationem legas. Quippe cornua ait capiti Oſiridis addi, quia arare bubus docuerit Ægyptios. Nam bos eſt agriculturæ ſymbolum : ut pleniùs exponam, cum dicam de numinum ſignis ac ſymbolis. Imò & præter rationes, à Diodoro allatas, tertia occurrit : ut cornua ſint ſymbolum potentiæ regiæ. Quod & ipſum, ubi eò, quò dixi, devenero, pluribus à me demonſtrabitur. At de Libero patre particularis etiam ratio erat Græcis. Antiquiſſimi enim vina, quæ *Liberi bellaria, & florem Liberi patris* dixere, è cornibus bibebant : quod ex ſculpturis veterum lapidum conſtat : & variis antiquorum poetarum teſtimoniis comprobatur ab Athenæo in XI.

* *lib. 2 de Orat.*
† *lib. 6, cap. 4.*
‡ *lib. 35, cap. 4. Vide & Pighium in Annalibus Romanis ad an. 392.*

Porrò, Oſiride à Typhone fratre interemto, non ſivit Iſis tantum ſcelus abire inultum : ſed cum Oro filio ſupplicium de eo, & conjuratis, ſumſit. Sedulo præterea diſſecti corporis partes inquiſivit, ac reperit univerſas, excepto phallo, ſive veretro : quod cùm in mare eſſet conjectum, ab phagro, & oxyrincho piſcibus * comeſtum credebatur. Corpus Oſiridos ſepultum in inſula Nili apud Philas : unde, ut Diodorus ait, ſanctiſſimum Ægyptiis juramentum fuit per repoſitum apud Philas Oſirin. Sacra etiam

* *Plutar. ibid.*

Oſiridi

Osiridi instituta : quæ cujusmodi fuerint, à Iulio Firmico, etsi in nonnullis alios, quàm nos antea, sequatur autores, commodè satis exprimitur libro de errore prof. relig. Verba ejus sunt : *In sacris suis (Ægyptii) addunt tragica funera & funesta, calamitatis metuendæ certamina. Incestum cum sorore, adulteriumque ajunt commissum ; & hoc facinus severis mariti animadversionibus vindicatum. Isis soror est, Osiris frater, Typhon maritus. Is cum comperisset, Isidem uxorem incestis fratris cupiditatibus esse corruptam, occidit Osirim, artuatimque laceravit, & per omnes fluminis ripas miseri corporis palpitantia membra projecit. Isis, repudiato Typhone, ut & fratrem sepeliret, & conjugem, adhibuit sibi Nephthen sororem sociam, & Anubin venatorem. Cui ideo caninum caput impositum est, quia lacerati corporis partes artificio canis vestigantis invenit. Sic inventum Osirin Isis tradit sepulturæ. Fuerant sanè hi apud Ægyptum reges pariter ac tyranni : sed Osiris justus, præter illud, quod cum sorore commisit : Typhon furiosus, impotens, ac superbus. Ideo ille colitur, iste vitatur. Hæc est Isiaci sacri summa. In adytis habent idolum Osiridis sepultum : hoc annuis luctibus plangunt : radunt capita, ut miserandum casum regis sui turpitudine dehonestati desleant capitis : tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum resecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funestæ ac miserandæ necis exitium renascatur. Et cùm hæc certis diebus fecerint, tunc fingunt se lacerati corporis reliquias reperire, & cùm invenerint, quasi sopitis luctibus, gaudent.* Post multa, eodem pertinentia, legas ista : *Verè sunt funera, quæ facta sunt, quorum exstant hodie quoque reliquiæ. Nam & sepulcrum Osiridis hodie in Ægypto est, & cremati corporis reliquiæ cernuntur.*

Atque hæc etiam confirmat Plutarchus libro de Iside & Osiride : ubi, utrumque horum fuisse hominem, eo adstrui ait, tum quòd sepulcra illorum monstrentur in Ægypto ; tum iis, quæ de forma illorum, uti & Ori, ac Mercurii, ferrentur in historiis vulgatis.

Nunc videamus de Deorum aliis, qui iisdem temporibus vixerint in Ægypto. Quales Mercurius, Hercules, Pan, & alii. Nam idem Diodorus testatur, maximo apud Osiridem in pretio fuisse Ερμῆν sive Mercurium : ab hoc edoctam esse gentem multo articulatiùs loqui : variarum etiam rerum nova didicisse nomina : eundem reperisse scribendi legendique artificium : sacrificia insuper, & sacros ritus docuisse, item observâsse siderum cursus. Ab hoc itidem Herme Ægyptus dicta Ερμοχύμιος, ut vulgo quidem legitur apud Stephanum Byzantium in Αἴγυπτος. Sed censeo rescribendum, Ερμοχήμιος, quasi dicas, Chemia sive Ægyptus Hermæ. Nam Ægyptus Chemia sive Chamia, ut superiùs ostendimus.

Præterea ait Diodorus, Osiridi fuisse militiæ comitem Apollinem fratrem ; à quo laurum repertam : uti ab Osiride inventa hedera, quæ iccirco illis *Osiridis planta* dicebatur.

Idem Diodorus tradit in primo, exercitus ei ducem fuisse Herculem Ægyptium, genere propinquum, virum longè fortissimum. Etiam libro quinto commemorat, Cretenses ipsos testari, Ægyptium hunc longè fuisse antiquiorem Hercule Thebano: Thebanumque illum propterea honores meruisse divinos, quia totum sese composuisset ad exemplum Ægyptii. Atque hujus τοῦ παλαιοτέρου θεοῦ καὶ τὰς πρᾶξεις τε καὶ τιμὰς ὑπερφυεστάτας διαμένειν, καὶ πόλιν ὑπ' ἐκείνου κτισθεῖσαν· *vetustioris hujus Dei res gestas, & honores splendidissimos, in Ægypto perdurare; ac civitatem ab eo conditam.* Hercules hic Ægyptius, secundùm aliquos, etiam *Gignon*, vel *Gigon*, dictus. Hesychius: Γιγνών, οἱ δὲ Γιγών, Πάταικος, Επιπάταικος, Τραπέζιος, οἱ δὲ Αἰγύπτιοι Ηρακλέα. *Gignon aliquibus Gigon, Patæcus, Epipatæcus, Trapezius: aliqui Herculem Ægyptium intelligunt.*

Cum verò varii fuerint Hercules, quos in unum confuderint Græci, gesta omnium suo tribuentes Thebano; jure quærat aliquis, quæ Ægyptii hujus propria videantur. Conatus hoc expedire Diodorus in fine tertii: ubi tres statuit Hercules; Ægyptium, Creticum, ac Thebanum; quorum recentissimus sit Thebanus, Iovis ex Alcmena filius: ætate hoc vetustior sit Creticus, unus ex Idæis Dactylis, præstigiator, idemque imperator clarus: antiquissimus autem sit Ægyptius; de quo nunc loquimur. Thebanum ait paullò ante bellum Trojanum esse exsecutum Eurysthei imperium: eundem columnarum, quæ Herculis dicuntur, unam statuisse; illam nempe in Hispania. A Cretico dicit esse institutum certamen Olympiacum. Ab Ægyptio esse vult columnarum Herculis alteram, quæ est in Africa. Atque hæc ille referre se ait ex Libyum sententia. Miror verò Tyrium præteriri, nisi eundem Tyrium, & Ægyptium, putavit. Sanè pleraque sacra Phœnicibus, & Ægyptiis, communia. Sin diversi, Tyrio malim tribuere illam in Hispania columnam. Gades enim Tyriorum colonia: qua de re satis diximus, cùm de Tyriis numinibus ex Sanchoniathone tractaremus. Etiam vidimus de Indico, qui nullus est nisi Iosua: qui quomodo & Ægyptius, & Indicus, & Tyrius vocari possit, exposuimus antea. Interea diversus ab Hercule Ægyptio, qui Osiridem antiquissimum comitabatur in bello. Vt minimùm duo sint Hercules Ægyptii. Iuniorem hunc, quem Iosuam esse diximus, non aptiori nomine dixeris, quam Cananæum, à devicta terra Canaan: quomodo Romanis imperatoribus à populis terrisque subactis nomen datum: velut Scipionibus Africani, Numantini, Asiatici; Metellis, Macedonici, Balearici, Dalmatici, Numidici, Cretici; atque ita in aliis.

Præter hosce jam memoratos, ait Diodorus, fuisse in Osiridis exercitu Anubim, canino tegmine contectum: qui & venator fuisse dicitur. Ejus etiam

etiam operâ, canis instar indagantis membra Osiridis, usa in hoc negotio Isis dicitur. Itaque idem capite pingebatur canino : ut Servius monet in illud VIII Æn.

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis.

Semicanem Deum cum Lucano †, vel *Semihominem canem* dixeris cum Sedulio *. Aliis tamen placet, eo fingi κυνοκέφαλον †, quia fuerit κυνηγέτης ‡ : vel propterea quòd foret Osiridis & Isidis σωματοφύλαξ *. Quomodo ob communem custodiam, & *canem* pro *custode*, & *custodem* pro *cane*, dixerunt : ut ostendi Oratoriarum Institut. lib. IV, cap. VI, sect. III.

† *lib. 8, v. 832.*
* *in opere paschali.*
† *canino capite.*
‡ *venator.*
* *corporis custos.*

Aliqui etiam eundem ac Mercurium arbitrantur, qui Osiridi à consiliis fuit. Sed Plutarchus lib. de Isíde & Osiride distinguit inter Ανυβιν, & Ερμάνυβιν.

Præter hos, sub Osiride militasse dicitur Pan : cui sacra Thebaidos urbs, Panopolis nomine, Nonni poetæ patria; incolis verò dicta, non Χέννις, ut est apud Plutarchum de Isíde & Osiride ; sed Χέμμις, prout legitur apud Herodotum, & Stephanum. Fortè in honorem Chami sic vocata. Itidem castra ejus secutus dicitur Maro, qui vitem plantavit, &, ut ajunt, Maroneæ in Thracia nomen indidit novum, cùm antea appellaretur Ismarus; si Hesychium, Suidam, & Isacium Tzetzem audimus. Sed hæc verisimiliùs creduntur de Libero Thebano. Quemadmodum & quòd comitem dant Triptolemum ; qui in Africa frugum serendarum & messis rationem edocuit. Ajunt, & novem illi virgines fuisse, Musices intelligentissimas ; iis præfuisse Apollinem, & ex eo nomen obtinuisse Μουσαγέτου. Præterea ab Osiride parti Ægypti præfectum fuisse Promethea : eam partem aquis esse obrutam fluminis Ægyptiaci, cui nomen Ωκεάμης, indéque *Oceano* nomen datum : tantam verò fuisse aquæ violentiam, ut propterea Αετὸς sive *Aquila* vocaretur. Herculem autem, obturatis, quibus irruperat, locis, eum intra ripas coercuisse : inde originem esse fabulæ de aquila Promethei cor exedente, telis vero Herculeis confixâ. Suspicio autem est nostra, non Ægyptum totam, sed partem ab Aquila flumine obrutam, dictam fuisse Αετίαν, quasi *Aquiliam* dicas, non ab Aquila quodam, qui ex India eò venerit ; sed ab flumine Aquilæ memorato. Etsi aliter de hoc Stephanus Byzantius in Αιγυπτος, eumque secutus Eustathius in Dionysii Φερηγησιν. Sed de hisce, & aliis ejus generis, liquidiùs sententiam ferremus, si exstaret ipse Mercurius, sive Taautus, scriptor vetus; sive fuerit antiquissimus ille, qui Osiridis ætate literas docuit ; sive alius aliquanto recentior. Olim quidem sub Taauti hujus nomine exstabant commentarii rerum à regibus Ægyptiis gestarum, qui ob benefacta divino honore colerentur. Iis apertè omnia narrabantur. Sed sacerdotibus satius visum, si rebus

gestis allegoricus tribueretur sensus. Hoc igitur in iis reprehendit Philo Byblius, quia sic tenebras offuderint historicæ veritati. Commendat propterea Sanchuniathonem Berytium, qui ad vetustissimos Ammunæi templi libros admissus, resectis fabulis, omnia, uti gesta, prodiderit. Conqueritur autem Philo, quòd postea etiam tam conducibili Sanchoniathonis operâ à sacerdotibus insuperhabitâ, ad fabulas itum sit. Et istud in caussa esse ait, cur Græci, cùm antea sensum nescirent mysticum, ipsi etiam se occuparint circa fabularum interpretationem; in qua ipsa in tam varias abierint partes. Atque hæc plenius aperiet Philo apud Eusebium in primo præparationis Euangelicæ.

CAPVT XXVIII.

Quanta regni Ægyptii vetustas olim credita sit, & ut ea non diluvium modò, sed etiam mundi natalem excesserit. Duplex ratio adfertur, unde opinio hæc inoleverit: cujus caussis observatis, non sit operosum antiquitates Ægyptias conciliare cum Mose & Scripturis. Prior ratio est, si distinguatur annus Ægyptiacus. Qui vel Lunaris, vel Canicularis, sive Solaris. Lunaris item vel menstruus, qui intelligitur, cum uni regi anni tribuuntur mille ducenti: vel quatuor mensium, quomodo regi uni assignantur anni trecenti. Canicularis item distinguitur in vulgarem, & non popularem. Vulgaris vel est dierum solum CCCLX: *& cur hoc durante dicatur Sol quater cursum mutâsse: vel præterea est dierum quinque ἐπαγομένων, quarum quæque numini sit dicata: uti secunda Aruëri: eum alium esse ab Anubide, contrà quàm Scaliger putabat. Falli, qui Ægyptios censent intercalatione ea caruisse. Canicularis à vulgari diversus distinguitur in magnum, majorem, maximum. Magnum fuisse quatuor Iulianorum: de quo Scaliger defensus. Hoc exacto redire creditum eandem rerum faciem: quod Græcos primus docuit Eudoxus. Maximum autem canicularem annorum fuisse* CIↃ IↃ CLX. *Altera ratio conciliandi cum Scripturis annos, quos dynastiis Ægyptiis Manetho tribuit. Quando is vixerit, unde sua desumserit, quousque historiam perduxerit. Annos dynastiarum, quas Manetho tradit, non esse explicitos, sive Chronologicos; sed implicitos, & cum aliis concurrentes. Scaligeri opera in digerendis Manetho Sebennitæ annis defenditur.*

SEd adversus ea, quæ diximus de antiquissimorum Ægypti regum Deorumque temporibus, atque aliorum, qui vixerunt ætate eorum, exsurgit hæc controversia: quo pacto verum esse possit, quod hactenus asseruimus, Cham esse Iovem Ammonem; Chami filium Misraim, primum Ægypti regem, esse Osiridem; æquales his esse Isin, Hermen, Herculem, alios; cùm Cham, & Misraim, vixerint post diluvium: unde, usque ad finem

ad finem imperii Perſici, ſi Hebræos Scripturæ codices ſequimur, vix ſint anni bis mille : Ægyptium verò regnum, juxta Manetho Sebennitam, flaminem Heliopolitanum, ante Alexandrum habuerit Dynaſtias unam & triginta : quæ imperarint annis quinquies millenis trecentis & quinquagintaquinque : imo Ægyptiorum alii ne quidem ſe continuerint intra hoc ſpatium. Quod oſtendit his verbis Diodorus in 1 : Εἶναι δὲ ἔτη, φασὶν ἀπὸ Οσίριδος καὶ Ισιδος, ἕως δ' Αλεξάνδρου βασιλείας τῆς κτίσαντος ἐν Αιγύπτῳ πόλιν ἐπώνυμον αὐτῆ πόλιν πλείω τῶν μυρίων, ὡς δ' ἔνιοι γράφουσι, βραχὺ λείποντα τῶν δισμυρίων καὶ τριχιλίων. *Ab Oſiride & Iſide ad regnum Alexandri, qui nominis ſui urbem in Ægypto condidit, annos numerant plus decies mille, vel, ut nonnulli ſcribunt, paullo minus ter & vicies mille.* Profunda hæc quæſtio eſt, & ad quam penetrandam aliquis dixerit urinatore eſſe Delio opus. Nam non ſolum uterque ille Diodori, ſed etiam Manethonis calculus, excedit ſpatium non à diluvio modò, ſed illud etiam ab orbe condito. Ac multò magis illud dixeris, ſi Apis, qui Oſiridi ſacer erat, ante Epaphum multis annorum myriadibus fuit : ut Ægyptios tradere Ælianus ait lib. XI Var. Hiſt. cap. XI. Tanto magis operæ fecero, ſi hunc ſcrupulum eximam : atque ita utrumque conſequar, tum ut veritas eorum defendatur, quæ de primis Ægypti regibus in Deos relatis dicebamus : tum ut occurratur illis, qui cum hiſtoriam ſacram pugnare crederent externæ, rectiùs ſanè gentili hiſtoriæ detraherent fidem, quàm ſacræ : nunc contrà antiquitate regni Ægyptii labefactare conantur Moſaicæ hiſtoriæ ac cæteræ Scripturæ veritatem. Videor autem mihi, ad conciliandas antiquitates Ægyptias cum Sacris literis, duplicem adferre poſſe rationem. Vna eſt, quòd antiquitus variarit apud Ægyptios anni modus; juniores verò veterum annorum formam cum recentiori confuderint. Hoc ut intelligatur, dicam quàm breviſſimè de multiplici ratione anni apud Ægyptios.

Erat Ægyptiis annus alius Lunaris; alius Solaris, vel Canicularis : Lunaris itē vel vulgaris, vel magnus. Vulgaris erat menſtruus. Et hunc intellexere, cum dicerent, reges ſuos vetuſtiſſimos vixiſſe annis amplius ↀIↃ cc. Nam ſic vixerint annis amplius centenis : quod temporibus patriarcharum, ac multò etiam pòſt, frequentiſſimum erat. Magnus lunaris fuit ὥρα, ſive menſium quatuor. Nam dividebant annum Solarem, non in quatuor ὧραι, ver, æſtatem, auctumnum, hiemem : ſed in tres duntaxat; ita ut quiſque ὥρος, eſſet menſium quatuor. Ac hujuſmodi creduntur annos intellexiſſe, cùm reges ſuos vixiſſe olim dicerent non infra annos trecentos. Quod & ipſum ſpatium Iulianos annos efficit c. Ea, quæ de utroque hoc anno Lunari diximus, item interpretatione illa de vita annorum ↀIↃ cc, vel cccc; clarè legas apud Diodorum Siculum libro primo. An-

nus

nus Solaris itidem vel vulgaris Ægyptiis fuit, vel magnus. Vulgaris primò censebatur dierum CCCLX; postea CCCLXV; tandem præterea quadrantis: propter quem quarto quoque anno diem opus fuit intercalari. Quamdiu anno usi dierum duntaxat CCCLX, citra intercalationem ullam; necesse erat, ut festum, quod primò celebrabatur in vere, post annorum plurium intervallum ageretur in æstate, hinc auctumno, tum hieme, iterum inde in vere, & ita porro. Et satis verisimile est, huc spectasse, quòd, Herodoto ‡ teste, dicerent, dum Ægyptus sub regibus suis fuisset, Solem quater cursum suum mutâsse: bis enim ortum in Occasu, & occidisse in Oriente. Quo nihil putidiùs, si propriè intelligas. Porrò Ægyptii universi postea anno addidere dies quinque, quæ dicuntur ἐπαγόμεναι †. Harum unaquæque dicata numini erat, tanquam ejus natalis: prima nempe Osiridi, altera Aruëri, tertia Typhoni, quarta Isidi, quincta Nephthæ: ut Plutarchus testatur, libro de Iside & Osiride. Ordinis ejus caussa, meo judicio, ista erat. Primò Deorum, hinc Dearum habita est ratio. Deorum princeps Osiris, boni omnis principium effectivum: cui iccirco primus datus dies. Alter Aruëri, tanquam boni patris bono filio. Nam Αρουῆρις aliis quidem Apollo, aliis senior Orus: ut Plutarchus ibidem ait. Quare non assentio Iosepho Scaligero, qui in secundo de emendatione temporum, cap. de anno Ægyptiaco, Aruerin putat esse Anubin. Nam ex eodem Plutarcho constat, Anubin fuisse filium Typhonis, & Nephthæ. Non dubium verò, quin potiùs in diebus ἐπαγομέναις * habita sit ratio ejus, qui ex bonis parentibus, quam ex malis, esset editus. Tertius locus tributus Typhoni, omnis corruptionis ac mali principio effectivo; ut libro proximo explicabitur. Ex Deabus prior locus datus Isidi, ut Osiridis sorori & conjugi. Eis igitur quartus dies sacratus. Quinctus, qui superest, Nephthæ, uxori Typhonis. Porrò præter quinque istos dies Alexandrini, & quadrantis habuere rationem: unde quarto quoque anno intercalabant diem. Imò quicquid sit de vulgo Ægyptiorum, hierophantæ saltem & ipsi intercalabant: ut ex Horo Apolline cognoscimus lib. I, cap. V: ubi cum dixisset, annum diebus CCCLXV absolvi, ac præterea quadrante diei, (nam de quadrante perperam in vulgatis codd. omitti, præcedentia cum sequentibus conferenti satis est apertum) subjungit continuò, ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι· τὰ δὲ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει· *Vnde & quarto quoque anno supervacuum diem computant, atque intercalant Ægyptii. Quatuor siquidem diei quadrantes diem perficiunt.* Vbi intellige quartum quemque annum exactum. Vel πενταετηρίδος † rescribendum.

Sequitur annus canicularis magnus: qui triplex; unus ἁπλῶς ita dictus, alter major, tertius maximus. Magnus Ægyptiis constabat lustro Iuliano, ut sic

‡ *in Euterpe.*

† *insiticii, sive intercalares.*

* *intercalaribus.*

† *quinquennio.*

ut ſic ſe habuerit ad annum Solis Iulianum, uti annus Lunaris, quem magnum dicebamus, ad annum vulgarem ſive menſtruum. Meminit Horus Apollo lib. II, cap. LXXXIX. De quo, & veritatis, & noſtri etiam cauſſâ, tuendus nobis Ioſephus Scaliger; qui probando iſti, quem & nos adduximus, Horum laudârat teſtem. At doctiſſimus Dionyſius Petavius lib. III de Doctrina Temp. cap. II, *Falſò*, inquit, *Horum Apollinem citat, quem ait lib.* II, *cap.* LXXXIX, *ſcripſiſſe*, Τὸ δὲ ἔτος κατ' Αἰγυπτίους τετράων ἐνιαυτῶν· *Annus Ægyptiis eſt annorum quatuor.* Subjicit deinde: *Hæc apud Horum capite illo non reperi. Vtrùm alibi exſtent, quærant, quibus vacat.* Sanè, ut iſtic non exſtarent, facilis, nec injucundus labos percurrendi opuſculum tam eruditum, tam etiam minutum, ut hora una altera abſolveris. Sed nihil opus alibi quæſito, quod eo, unde Scaliger citat, capite reperitur *. Eſtque caput illud quatuor ſolum verſuum; cujus extremo totidem verbis habentur, quæ diximus. Num aliâ Petavium editione uſum dicam? At quæ illa? Equidem non exiſtimo, exſtare ullam, ubi aliter capita diſtinguantur. Quare facilè mihi perſuadeo, virum multæ & lectionis, & meditationis, dum locum inquirit, aliud præ oculis caput habuiſſe, quàm putabat, ſive tempus creperum offuderit tenebras, ſive occupationibus aliò mentem diviſerit. Quare extra controverſiam eſto, Ægyptiis fuiſſe annum, qui annos quatuor Iulianos contineret. Et hic eſt annus canicularis magnus. Vnde Cenſorinus cap. XVI: *Tempus autem non diem tantummodo, vel menſem, vel annum vertentem appello: ſed & quod quidam luſtrum, aut annum magnum vocant.* Atque hic annus ex eo canicularis dictus, quia obſervaretur ex caniculæ ortu, eſſe quadriennium juſto minus toto die. Præterea judicabant, poſt quadriennia quæque eandem redire temporis faciem: uti ventorum, ac tempeſtatum, & cæterorum id genus. Quam obſervationem primus ex Ægypto in Græciam intulit Eudoxus, indéque geminato ſpatio ſuam conſtituit octoeterida. Plinius lib. II, cap. XLVII: *Omnium quidem ſi libeat obſervare minimos ambitus, redire eaſdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modò, verùm & reliquarum tempeſtatum magna ex parte. Et eſt principium luſtri ejus ſemper intercalari anno, Caniculæ ortu.* Et talis eſt annus canicularis magnus. Alter eſt canicularis major, qui, quot dies habet annus Iulianus, totidem annos complectitur. Huic non inſiſtam, quia ad conciliandas antiquitates Ægyptias cum Scripturis, nihil juvat. Vti neque, qui ſolus ſupereſt, annus canicularis maximus; qui ſic ſe habet ad annum canicularem majorem, uti magnus ad vulgarem. Nam majores quatuor comprehendit. Eoque annorum eſt Iulianorum IↃ CCCCLXI. Cenſorinus cap. XVIII: *Eorum* (de Ægyptiis ſermo) *annus civilis ſolos habet dies* CCCLXV, *ſine ullo intercalari. Itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus*

* *Auguſtana ſive Heſchœliana editionis pag.* 115, *verſ.* 4, 5, *ſive Pariſina Merceri Wechelianæ pag.* 42: *Morelliana ejuſdem p.* 186.

minus est, quàm naturale quadriennium. Eoque fit, ut anno bis millesimo (τὸ *bis* censeo delendum, vel potiùs pro *bis* reſcribendum *is*, ut *annus* ἀπὸ κοινῆ intelligatur) *quadringenteſimo ſexageſimo primo ad idem revolvatur principium. Hic annus etiam Heliacus à quibuſdam dicitur, & ab aliis* ὁ Θεῦ ἐνιαυτός. Vbi videmus, ut dicat, hunc *etiam* annum dici *Dei annum*, ſed *à quibuſdam*. Nempe quia aliis & ſimplex annus Iulianus *annus Dei* diceretur; ut idem teſtis Cenſorinus.

Atque hæc de priori ratione conciliandi chronologiam Ægyptiam cum illa S. Scripturæ. Quæ ſolùm habet locum propter eos, uni qui regi ſeculum totum, imò tria etiam ſecula aſſignâſſe videantur. Nunc venio ad illos, qui ſic ſeriem texunt, ut nulli regum annos tribuant plures, quàm communis tulerit vitæ ratio. Vti factum à Manetho Sebennita, Heliopolitano flamine ſacrorum Ægypti adytorum; qui temporibus vixit Ptolemæi Philadelphi, & tribus voluminibus complexus fuit veterem omnem Ægyptiorum hiſtoriam. Hanc verò exſcripſit ex columnis Seriadica in terra poſitis; in quibus res veteres notis erant hieroglyphicis conſignatæ. Ex Manetho hoc ſua deſumſit Iulius Africanus, in πενταβίβλῳ χρονολογικῇ: ex Africano autem Euſebius, ex Euſebio Georgius Syncellus, ex Syncello Ioſephus Scaliger lib. 11 Canonum Iſagogicorum.

* 2177
2209
879.
5365

Tomo primo complexus Manethos dynaſtias XI: annos autem * CIↃ CIↃ CC LXXVII.

Tomo ſecundo dynaſtias VIII, annos CIↃ CIↃ CC IX.

Tomo tertio dynaſtias XII, annos IↃ CCC LXXIX. Quomodo in univerſum ſint anni CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ CCC LXV.

Produxit verò hiſtoriam ſuam uſque ad Ægyptum ab Alexandro M. ſubactam, ac Darium Codomannum ad Arbela devictum: ubi deſinendum ſibi putavit, quia ſatis homini foret Ægyptio res conſignare Ægyptias, quas neſcirent Græci; quales præſertim antiquiſſimæ: quæ autem, Dario victo, geſtæ eſſent à Macedonibus; eæ, uti à Græcis jam variis prodi cœpiſſent, ita deinceps etiam eorum meliùs induſtriæ relinquerentur.

Nunc diſcutiamus, quod Manethos ab initio imperii Ægyptiaci uſque ad Alexandrum annos numeret amplius quinquies millenis: cùm ne ab orbe quidem condito tot effluxiſſent, nedum ab diluvio, ac longè minus ab initio regni Ægyptiaci; quod eſſe non potuit, niſi Phelegi tempore, mundo jam diviſo. Facilè quidam hunc ſibi nodum exſolvere videntur: quippe Manetho ajunt fucum feciſſe Ptolemæo. Sed enim ſcribebat regi, ſe iſta hauſiſſe ex columnis Seriadicis, atque aliis monumentis hieroglyphicis. Vbi ſi falleret, redarguiſſent eum ſacerdotum alii: ſi non ob aliud, ſaltem ut ſic gratiam ſibi regis conciliarent. Nunquam enim

deſuere,

defuere, qui sibi bene esse mallent, quam alteri. Quamobrem existimo, Manetho quidem optimâ fide exscripsisse ista, unde profitebatur: sed in eo cum sacerdotum aliis, ob antiqui temporis tenebras, oberrâsse, quòd, quas primo tomo dynastias refert, eas putârit alias aliis semper successisse; cùm multæ, ut loquuntur, non successivæ fuerint, sed collaterales; hoc est, eodem tempore diversis fuerint locis. Nec enim primitus per Ægyptum universam rex unus tenuit imperium; sed varii fuere reguli, alii aliis majores. Ita initio imperarint simul, tum Thinitæ, quorum prima & secunda statuitur dynastia: tum Memphitæ, quorum dynastia est tertia, & quarta: tum Elephantini, quorum est dynastia quarta. Hinc secutæ sexta, septima, octava Memphitarum. Sed iisdem, ut arbitror, temporibus tum nona decimaque Heracleopolitarum fuit, tum etiam decima Diospolitarum. Quod de primo tomo dixi, idem secundo in volumine locum censeo habere; non universo, inquam; priori attamen ejus parte. Nam extrema, ac similiter totum volumen tertium, annos habent, ut Chronologi vocant, non implicitos, sed explicitos: qui solum in considerationem veniunt apud Chronologos, ne bis, vel sæpius, eadem numerent tempora. Quod sicui hic aqua hæret, is velim cogitet secum, ut omnia magna imperia ex plurium minorum ditionibus coaluerint in unum. Mitto Assyrium vetus. Ante Persicum quis nescit, primò diversa fuisse Medicum, Babylonium, Assyrium, alia? Quot imperia absorpsit Macedonicum! quot Romanum! Quot in regna primitus divisa fuit Hispania! Quid Britanniam magnam, quid Galliam dicam! Belgica hæc quot prius ducatus ac comitatus habuit! qui tandem Burgundis, postea Austriacis paruere. Hic si annos Hollandorum, Hannoniorum, Bavarorum, Burgundionum, Austriacorum, seorsim numeres, quia unum tandem principem agnovere; Deum immortalem, quanto major justo annorum summa ex annis hisce implicitis confiet! In hoc igitur Manetho peccavit, quòd annos implicitos, & explicitos, non distinxerit. Atque hoc inde etiam elucet, quod præter triginta & unam dynastias, quas Manethos tradidit, est & alia Thebanorum Diospolitanorum: apud quos primus rexit Menes, non Thinites ille, qui primus erat in prima dynastia, sed Thebanus. Mirum verò, uti primus Thinites dynasta Menis dictus, ac successorem habuit filium nomine Athothis, ita & primo regi Thebano Diospolitano nomen fuisse Menis, & filium ei successisse, qui itidem Athothes diceretur. Cœpit hæc Diospolitana dynastia anno Saitis decimo, qui primus est in dynastia quinctadecima. Vltimus in ea est Amuthartæos. In universum habet hæc dynastas XXXVIII; ac annorum est CIↃ LV. Quod manifesto est argumento, eam fuisse σύγχρονον† dynastiis à Manetho me-

† coætaneam.

moratis. Ac vidit hoc Scaliger quoque, qui sic scribit in notis ad eam dynastiam †: *Ex hac dynastia patet, diversos reges eodem tempore in Ægypto diversis partibus imperium obtinuisse. Nam quando Saites primus dynastiæ* XV *ex latrunculis pastoribus circa Bucolia Ægypti jam decimum annum regnabat, in partibus Thebaidos regnum inivit Menis Thebanus.* Quæ verba summi viri eò lubentius adduxi, quia dolet, eum tantùm non ἀσεβείας * accusari, ob catalogum illum regum Ægyptiorum contextum. Quippe, ajunt, si Scaligerum sequamur, corruere Sacrarum literarum auctoritatem; quia sic ante diluvium in Ægypto fuerit regnatum; imò multo ante illud tempus, quo Moses docet mundum hunc creatum. Atqui non hoc censet Scaliger: tantum voluit, quæ & nostra opinio est, dynastias istas Ægyptias non esse commenticias. Neque obstat, quod tandem colligat, annos dynastiarum Ægyptiarum conficere summam annorum quinquies mille trecentorum quinquaginta trium. Hoc enim dicit ex sententia Manetho, & Ægyptiorum: qui annos istos habebant pro explicitis. At non ita Scaliger, qui credebat, eodem tempore à variis esse diversis in locis imperatum: imò quandoque etiam in eâdem provincia, ut alius in Vrbe imperaret, alius in agris. Quo pertinent, quæ vir ille præclarè admodum, si quisquam, de literarum studiis meritus, subjungit: *Desivit autem hæc Dynastia in anno vigesimo secundo Amenophthis, quarti in dynastia decimaoctava: quo tempore* ETIAM IN IISDEM PARTIBVS *diversi reges imperabant. Nam* XVIII *Dynastia urbe ipsa Diospoli, id est Thebis, potiebatur; ista verò agro Thebano. Et profectò illa vetustissima regna fuerunt instar latrociniorum; ubi vis, non lex, aut successio, aut suffragia populi, reges in solio regni collocabant.* Hæc ille, quæ, quin verissima sint, nullus dubito. Accedat & alius Scaligeri locus, ad Eusebii annum MXXV: *Si Susakim, rex Ægypti, sub Semendi rege Ægypti spoliavit templum: consequens est, ut aut Susakim & Semendis sit unus, idemque rex* διώνυμος †, *aut duos reges eodem tempore in diversis Ægypti partibus regnâsse; quod olim sæpe contigisse, patet ex priore libro Eusebii.* Quare factum nolim, quòd homines eruditissimi sic Scaligerum exagitant, ob operam positam in regibus Ægyptiorum digerendis. Vtcumque enim Scaliger annos illos numeret, quasi expliciti forent, non verò concurrerent; tempus etiam illud προληπτικὸν nuncupet: vidisse tamen, in quo Manethonem fugerit ratio, salvis, quas bonâ fide exscripserat, dynastiis, non obscurè evincunt verba ejus, quæ & viri, & veritatis caussâ, adduximus.

† *Canonum Isagogicorum lib.* III, *p.* 312.

* *impietatis.*

† *binominis.*

CAPVT

CAPVT XXIX.

Herodotus, & Græcorum alii, qui Epaphum eundem, ac Apim, putarunt, refelluntur auctoritate Ægyptiorum, ac imprimis ratione temporum: Græcorum etiam argumentis occurritur. Apim esse symbolum patriarchæ Iosephi, adstruitur auctoritate veterum: quorum tamen plerique fallantur, cum putant, Apim succurrisse fami, deficientibus Alexandriam frumentis: quæ urbs multò pòst condita. Iosephus etiam à Mose bos vocatus. Iosephum esse Apim, monstratur è somnio Pharaonis de septem bubus opimis, ac totidem macris, ejusque enarratione: item consilio regi dato, & procuratione rei frumentariæ commissâ Iosepho. Ostenditur, non aliud esse aptius symbolum frumenti, vel annonæ, quàm bovem. Quanto honore Pharao dignatus sit Iosephum. Osculum non solius semper amoris, sed quandoque etiam venerationis signum fuisse. Saphenath Paneah *quàm variè à veteribus reddatur. Nomine etiam differre Ægyptium, qui emerat Iosephum, & illum, cujus filiam Asnath Iosephus duxit uxorem. Diluuntur ea, quæ videntur obstare, quo minùs Ægyptii sacro aliquo symbolo Iosephi memoriam celebrarent. Heliopoli Mneuis Soli, Memphi Apis Lunæ sacer. Feliciter Memphitis negotium processisse; quorum bos honoratior Heliopolitano, etsi cultus Mneuis vetustior; unde & pater Apidis habebatur.* Apis *unde nomen acceperit: unde item Latinum* avus. Abrech, *quod Iosepho acclamatum, quàm diversè exponatur à veteribus. Sarapis sive Serapis Deus dictus* Septiliterus. *Eundem esse Iosephum patriarcham. Cur Serapidis effigiei modius imponeretur. Vt Græci, & decepti ab iis Theologi nostri, Apim Argivum, atque Ægyptium, confuderint. Refellitur geminum Serapis etymon: proque iis tergeminum adfertur, quorum quodque non paullo sit verisimilius. Sarapidem Deum Ægyptiorum patrium fuisse, contra Tacitum, cui & Scaliger in eo assensum præbuit, comprobatur. Giraldi opinio rejecta. Athenodori Tarsensis sententia de Sarapidis effigie jussu Sesostris regis factâ. Vnde nigricans Serapidis color. Vt Sesostris in Palæstina statuam posuerit cum pudendo muliebri ad molliciem genti exprobrandam. Virum Sesak sive Susakim, qui templum spoliavit Hierosolymitanum, Sesostris sit, an Susennes, vel potiùs Sesonchis. De Serapeo Alexandrino, ac Romano.*

DIximus hactenus de antiquissimis Ægyptiorum Diis, eorumque ætate: & huic rei atque aliis illustrandis, digressi sumus in variam anni Ægyptiaci rationem: mox etiam exposuimus judicium nostrum de temporibus à Manetho Sebennita regno Ægyptio attributis. Nunc ab insiticio hoc sermone, quo diffindere juvit historiam de hominibus, quos Ægyptii in Deos retulissent, venio ad homines Deosque, qui post memoratos proximè fuerunt.

Memphi, si Græcis credimus, cultus est Iûs filius, Epaphus. Herodotus lib. II : Ὁ δὲ Απις κατὰ τὴν Ελλήνων γλῶσσαν ἐστὶ Επαφος. *Apis autem Græcorum linguâ est Epaphus.* Item lib. III : Ὁ δὲ Απις οὗτος ὁ Επαφος· *Est verò Apis idem ac Epaphus.* Etiam hoc legas apud Ælianum lib. XI de Animalibus cap. X. Sed addit, Ægyptios hunc sermonem, ut mendacem, aversari; quia Epaphus multis post Apim seculis exstiterit. De quo adsentio Æliano : non item de altero, quòd vetustiorem prædicarent : quam opinionem eorum satis refutavimus capite superiori. Multò interim Apide juniorem esse Epaphum, satis arguit, quòd Epaphus ex filia Libya nepotem habuerit Agenorem, pronepotem Cadmum : cujus ætas superiùs exposita nobis. Nimirum ambitiosa Græculorum natio nihil æquè studebat, quàrum ut Ægypto etiam, & Orienti, dedisse Deos suos videretur. Hoc de Apide se consequi videbat, si idem is foret, ac Epaphus; quia is filius esset Iûs, nepos Inachi; qui Argivi fundamenta imperii jecerat primus. Idem quoque efficiebant, si Io esset Iasi filia, neptis Argi, qui Apidi, unde Peloponnesus dicta est Apia, in regno successit Argivo. Fusè de eo diximus cap. XIV. Duo autem fuere, quibus Græci colorem adderent figmento suo. Primum similitudo inter *Apis*, & *Epaphus*. Deinde quòd vulgo sic esset persuasum, Io matrem Epaphi in vaccam fuisse conversam. Sed facilè illis occurritur. Nam si *Epaphus* ab *Apis* venit, sic dictus sit non ab Apide Ægyptio, sed Argivo. Quod verò ad conversionem Iûs in vaccam, poëticum est schema; quia navi fugerit, cujus insigne esset vacca. Nostra igitur ea est opinio, Apim Ægyptium fuisse symbolum Iosephi patriarchæ : uti Μνεῦις regis Menis sive Menæ, de quo capite dictum superiori. Ac primùm moveor veterum quorundam autoritate, qui ad hanc sententiam præiverunt, sive particulatim nominando, sive universè sic describendo, ut non alter melius intelligatur. Quippe Iulius Maternus, qui temporibus Constantini M. & liberorum ejus vixit, clarè ait, Apim fuisse symbolum Iosephi. Favet quoque Rufinus lib. II Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXIII, ubi de Serapidis templo agens, *Quidam*, inquit, *in honorem nostri Ioseph, formatum perhibent simulacrum, ob divisionem frumenti qua famis tempore subvenit Ægyptiis.* Subjungit deinde quædam prompta ex gentili historia; quæ etsi in aliquibus exorbitent, multum tamen ex vero trahant : *Alii*, inquit, *repertum in historiis Græcorum veteribus ferunt, Apim quendam patremfamilias seu regem in Ægypto Memphis positum, cum famis tempore frumenta apud Alexandriam defecissent, ex proprio affatim civibus alimenta præbuisse. Quo defuncto, in honorem ejus instituerint apud Memphim templum, in quo bos quasi indicium optimi agricolæ nutritur, habens quædam honoris insignia, qui ex nomine ejus Apis appelletur.* Vbi spissus ille est error, quòd Alexandriæ ait fuisse frumenti

frumenti penuriam : cùm ea urbs sit opus Alexandri Magni : Apis autem ab Ægyptiis millenis , & multò amplius annis ante Alexandrum , cultus fuerit ab Ægyptiis. Quod verò dubitat, num paterfamilias, an rex, populum paverit, hoc fortasse inde est , quia ex granariis regiis populus aleretur ; sed omne hoc post Deum Iosephi deberetur providentiæ : cujus nomen , ut solent , immutarint in sacris , quo augustius videretur numen. B. quoque Augustinus, sive, quisquis ille auctor libri de mirabilibus Scripturæ, prodit, Ægyptios, juxta sepulchrum Iosephi, ob caussam quam diximus, bovem statuisse. Denique apud Suidam etiam , voce Σάραπις , legas , traditum nonnullis , Apim fuisse symbolum Iosephi, vel alterius hominis opulenti , aut Memphitici regis , qui in fame maxima de frumento prospexerit Ægyptiis : mortuo verò templum exstructum, ἐν ᾧ βοῦς ἐτρέφετο , σύμβολον φέρων τῆ γεωργῶ · *in quo bos nutriretur, symbolum agricolæ præferens.* Quod verò idem famem illam fuisse ait Alexandriæ , facilè iis diluitur , quæ dixi de Rufino. Et sanè vel Rufinum Suidas, vel eundem uterque exscripsit.

Vidimus, ut senserint veteres nonnulli, Apim symbolum esse, vel Pharaonis ejus , à quo proximos regi honores Iosephus occupârat ; vel ipsius potiùs Iosephi. Quo ut magis inclinem facit , quòd Iosephus Deuteronomii cap. penult. commate 17 , bos vocetur , secundùm codices Hebræos ; vel saltem, juxta vulgatum interpretem, bovi comparetur. Deinceps ostendam , veteres ex tribus potissimum hanc capere potuisse conjecturam. Primum ex beneficio Iosephi , & symboli bovis ad illud significandum aptitudine. Deinde ex promtissima Regis & Ægyptiorum voluntate ad remunerandum Iosephum. Denique ex ipsis Apidis & Serapidis vocabulis.

Beneficium Iosephi est tripartitum. Partim enim consistit in enarratione somnii regii : partim in consilio , quod regi dedit : partim in prudenti ac fideli procuratione annonæ ex auctoritate regis. Dicam de iis ordine.

Somniârat Pharao , videre se adsurgentes è Nilo septem vaccas præpingues , inque gramine pascentes : hinc alias septem vaccas , eodem ex flumine adscendentes ; sed macie nimiâ confectas , & adspectu fædas ; quæ non gramine pascerentur , sed vaccas priores devorarent. Experrectus in simile incidit somnium , videre se septem spicas opimas , uno ex culmo crescentes : mox spicas se totidem offerre Euro arefactas , quæ absumerent illas pingues. Cùm iis in somniis exponendis vana esset omnis Ægyptiorum sapientia : rex, à pincerna monitus, arcessivit Iosephum ; qui ostendit, per septem vaccas pingues, ac totidem spicas opimas, septennium

nium fertile denotari : per macras totidem boves, & ſeptenas ſpicas ſqualidas, indicari conſecuturos deinde totidem annos ſteriles & infertiles. Nec ratione ſua caret, quòd in ſomnio boves, tum opimæ, tum macilentæ, adſcenderint è Nilo. Nam pro Nili incremento fertilitas ſe habuit Ægypti : unde Plinius lib. v Hiſt. cap. ix : *In* xiii *cubitis famem ſentit, in tredecim etiamnum eſurit, quatuordecim cubita hilaritatem adferunt, quindecim ſecuritatem, ſedecim delicias.* Hæc de ſomnii interpretatione.

Non ſatis autem fuiſſet, ſi rex præſciſſet futura ; niſi etiam noviſſet iſta ad uſum transferre. Ne igitur priori ſeptennio helluarentur ; egentes altero miſerè perirent : conſilium Ioſephus Regi dedit, ut aliquem rei frumentariæ præficeret in annos proximos xiv : tum item, quia ſi is per ſe omnia exequi vellet, tantæ moli ſuccumberet, ſub eo conſtituerentur præfecti, per quos neceſſaria procuraret. Adhæc regem commonet, quomodo occaſione hac uti queat ad augendum fiſcum. Nempe ſi, quod in tanta fertilitate grave eſſe non poterat, quinctam frumenti partem exigeret à ſubditis : granaria item conſtrui juberet ad aſſervandum hoc frumentum, ut ſterili inde ſeptennio proſpiceretur ſubditis. Ac tale Ioſephi conſilium erat.

Rex, obſtupefactus divinâ hac viri prudentiâ, annonariæ eum rei præfecit. Qui priori ſeptennio, quo omnis ager luxuriavit, congeſtis magnâ copiâ frumentis, horreiſque multiplicatis, prudentiſſimè in futuram omnia famem compoſuit. Altero autem ſeptennio, quo gravis Cerealium fructuum penuria terras quaſſabat, & vitam omnium ſervavit, & regias magnificè opes auxit. Primo biennio abſumtum à ſubditis frumentum privatum. Tertio anno emêre fruges pecuniis à Ioſepho, qui eas in fiſcum redegit. Quarto autem anno, pecuniis jam exhauſti, pecudes & jumenta (nec enim omnes his caruiſſe Ægyptios putandum) frumentis permutarunt. Tandem cùm præter agros & corpora nihil ſupereſſet, etiam agros vendidere pro frugibus, & ſeſe regis manciparunt ſervitio. Ita ager omnis Ægyptius regi ceſſit ; eo excepto, qui jam olim publicè adſignatus erat ſacerdotibus. Hoc jam ſterili, neceſſe habuit Ioſephus, iis alimentum è regiis dare granariis. E publico enim ab Ægyptiis alitos ſacerdotes, teſtes Herodotus in Euterpe, & Diodorus lib. ii.

Conſideravimus beneficium Ioſephi triplex. Nunc oſtendam, ad illud exprimendum, non fuiſſe convenientius ſymbolum, quàm bovis, præcipuè apud Ægyptios. Aliter ſi fuiſſet, non Deus ipſe in ſomnio, quod immiſerat, boum ſymbolum prætuliſſet ad fertilitatem & ſterilitatem ſignificandam. Videmus etiam, apud Romanos propterea, anno cccxiv, L. Minucium, Annonæ præfectum, bove donatum aurato. Livius lib. iv :

L. Mi-

L. Minucius bove aurato extra portam trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi divisit. Nempe variat annonæ ratio pro anni fertilitate, ac sterilitate : hæc verò magnam partem ab agricultura dependet : at certum est boves (verba sunt Diodori lib. I) τοῖς εὑρεῖσι τὸν σῖτον καρπὸν σωτήριον γῆσαι μάλιστα πρός τε τὸν σπόρον, καὶ τὰς κοινὰς ἁπάντων ὠφελείας· *inventoribus frumenti maximè omnium commodâsse ad sementim faciendam, & utilitates agriculturæ omnibus communes.* Hinc *bos socius hominum in rustico opere, & Cereris minister*, Varroni dicitur lib. II R. R. cap. V : item *socium laboris, agrique culturæ animal*, Plinio Hist. Nat. lib. VIII, cap. XLV. Atque addit Varro : *Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset. Quâ in re testis Attice ; testis Peloponnesius.* Addit Plinius : *A populo Romano, die dicta, qui, concubino procaci rure omasum edisse se negante, occiderit bovem, actusque in exilium, tanquam colono suo interemto.* De Attica quod ait Varro, firmat Ælianus lib. V Variæ Hist. cap. XIV : ubi scribit, Athenienſium etiam legibus vetitum, nequis mactaret bovem aratorem. Ac rationem apponit, ὅτι καὶ ἔτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τοῦτο ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνὸς, *quoniam & ille agricola est, & humano generi laborum socius.*

Ostendimus, beneficium Iosephi non potuisse convenientiori exprimi symbolo, quàm bovis. Proximum est, ut doceam, non defuisse Regi, ac Ægyptiis, voluntatem & hoc, & alio quovis genere honoris, Iosephum prosequendi. De præfectura annonæ non repetam, quæ jam attuli. Præterea verò Rex toti eum præfecit Ægypto, sic solo ut solio esset superior ; totaque eum oscularetur Ægyptus, non illo duntaxat benevolentiæ osculo ; quali Darius Zorobabelem prosecutus dicitur III Esr. IV, 47 : sed in signum subjectionis ; unde & μεταλλακτικῶς interpretari liceat, *obedire* : ut cepere LXX, cum transferunt : ὅτι τῷ στόματι σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου. Et vulgatus Latinus, qui LXX secutus vertit : *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Ac similiter Psalm. II, 12 : *Osculamini filium* : interpretari possumus, *osculo testamini subjectionem vestri* : vel simpliciter, *obedite filio.* Annulum etiam Iosepho dedit, tum ut symbolum dignitatis, tum ad literas ac diplomata publico nomine signanda. Etiam veste eum induit è byssо candida. Collo injecit torquem aureum, ac statuit, ut currus ejus esset à regio secundus. Nomine itē mutato vocari jussit *Saphenath Paneah* : quod Onkelus reddit, *vir, cui secreta revelantur* ; Ionathan, *vir occultorum interpres* ; Iosephus, κρυπτῶν εὑρετὴς, *occultorum inventor.* Sed ab omnibus istis diversus abit Latinus vulgatus, qui vertit, *salvator mundi* : ac Ægyptiacè id sonuisse, ait quoque B. Hieronymus Quæstionibus Hebraicis : *Dictusque*, inquit, *Salvator mundi, eò quòd orbem terræ ab imminente famis excidio liberârit.*

Sed hunc dissensum difficile sit hodie dirimere post intermortuam pene veteris Ægypti linguam. Adhæc acclamari Iosepho per præconem *Abrech* jussit : quam vocem Ægyptiacam omittunt LXX ; retinet immutatam Symmachus ; vertunt alii , sed diversimodè ; ut paullo post dicam. Denique & uxor ei data Asnath,filia,non quidem, ut multi putant,carceris præfecti, nomine פוטיפר, *Potiphar* ; qui Iosephum ab Ismaelitis emerat (nam , ob impudicitiam uxoris perspectissimam, talis hominis filiam meritò fuisset aversatus) sed Cohen, hoc est, sacerdotis, vel potiùs principis viri sive præfecti in On, hoc est,Heliopoli, cui nomen פוטיפרע , *Potipherah*.

Quid apertius ex istis, quàm nullum fuisse honoris genus,quo non rex Iosephum vellet ornatum ? At Ægyptii moris erat , ut bene meritorum memoriam sacris ad posteros symbolis propagarent. Iam verò , ut vidimus , nullum beneficiis Iosephi exprimendis signum magis erat idoneum bove. Cur igitur inficias eamus , hunc honorem quoque præstitum Iosepho ? Dixeris, non passurum id Iosephum, Dei unius cultorem. Cur vero ? cùm is honos initio tantum fuerit civilis. Quis enim divinum dixerit honorem , quòd in memoriam Iosephi , qui famis tempore Ægyptum conservasset, bos aleretur à sacerdotibus, ac populo etiam cum gratâ ejus beneficii commemoratione monstraretur? Nec diffiteor,tandem degenerâsse in divinũ. Nempe ad modum,quo vidimus antea,Græcorum multos primò duntaxat honore affectos heroico; ut statuâ, & cippis : postea eum commutatum in divinum;ut adorationẽ,& sacrificia. Sed si idem evenerit Iosepho,quæ hîc ejus culpa ? Præsertim si conservatori Ægypti post mortem demum hoc honoris datum : quod perhibent Rufinus,& Suidas. At mortuum, dixeris,non dignati essent hoc honore vel Rex, vel sacerdotes. Equidem contrà existimo, regem potiùs modum fuisse excessurum in honoribus illi accumulandis,cui Ægyptus ob merita & divinas animi dotes, nihil habuisset par, aut secundum. Quodque ad sacerdotes ac populum , censeo,tam lene atque amabile fuisse imperium Iosephi,ut,eo mortuo,luctus fuerit maximus totâ Ægypto ; eoque cuncti certatim quosvis in eum honores congesserint. Credo,etiam juverit,quòd uxor illius filia erat sacerdotis Heliopolitani; cui maxima erat per Ægyptum auctoritas. Vt socer fuerit defunctus; vixerint liberi,qui uxorem Iosephi amitam agnoscerent ; amitini Manassis , & Ephraim. Atque eadem locum habent, si Asnath non sacerdotis, sed principis Heliopolitani filia erat. Potuit Heliopolitanus quoque filiarum unam dedisse Memphitico vel sacerdoti , vel principi. Et fortasse familia,cui innexus Iosephus,ampla admodum fuit ; ut magna ejus variis in locis fuerit auctoritas. Et quid si ipse Iosephus multos ex ea ad honores evexerit ? Nam , ex quo dignitate tanta auctus,

annis

annis vixit octoginta *. Quare ad illud, quod præclarè adeo meritus esset de tota Ægypto, accesserit fortè affectus erga domum Ioſephi; quæ sanguine multis & proceribus, & sacerdotibus esset conjuncta. Denique ut nihil horum foret, vel sola æmulatione Memphitæ adduci quiverint ad honorem hunc in memoriam Ioſephi inducendum, nequa ex parte Heliopolitano inferiores viderentur. Duo igitur exinde boves sacri: quorum Heliopolitanus diceretur Μνεῦις, Memphiticus autem Ἆπις: ut nominibus eos quoque distinguit Strabo lib. XVII. Vnde Apim διακεδικῶς † *Memphitem bovem* appellat Tibullus lib. I, eleg. VII. Cumque Heliopolitani suum dicassent Soli; Memphitæ suum sacrarunt Lunæ: quod traditum Æliano lib. XI Hist. Animal. cap. XI. Vtrumque tamen Osiridi dicatum, ait Diodorus in primo. Et favet de Apide etiam Plutarchus lib. de Is. & Osir. ubi ex Ægyptiis se sacerdotibus ait accepisse, Apim eundem esse ac Osirim; ipseque Apim esse Osiridis animam arbitratur. Faciléque hæc conciliantur. Nam Μνεῦις est Osiris antiquior, qui cum Iside agriculturam docuit Ægyptios; sive is Mitsraim, sive Menis: Apis verò est Osiris junior, qui proprio nomine Ioſephus. Honoratior eorum Apis: nempe quia recentius & excellentius esset beneficium Ioſephi, quàm Menis. Interim vetustate priores ferebat Μνεῦις; unde Heliopolitani, cum viderent, majorem esse gloriam bovis Memphitici, oggerebant, Μνεῦιν suum esse patrem Apidis: puta quia ad Μνεῦις exemplum Apis esset inductus. Hæc nos docet Plutarchus, memorato sæpius libro de Iside & Osiride. Sed pro Μνεῖν, (ut est in Aldina, Stephanica, & nupera Parisina ‡) literæ unius trajectione Μνεῦιν reposuimus; prout alii eum vocant scriptores. Verba ejus sunt: Ὁ δὲ ἐν Ηλιουπόλει τρεφόμενος βοῦς, ὃν Μνεῦιν καλοῦσιν, (Οσίριδος δὲ ἱερὸν, ἔνιοι δὲ καὶ τοῦ Ἄπιος πατέρα νομίζουσι) μέλας ἐστὶ καὶ διαυλέρας ἔχει τιμὰς μετὰ τὸν Ἆπιν. *Bos verò, qui Heliopoli nutritur, dictus Mneuis (Osiridi autem est sacer, ac plerique Apis patrem arbitrantur) niger est, ac proximos obtinet honores post Apim.*

* *Genes.* 50, 22, 26.

† *distinguendi caussa.*

‡ *an.* 1624.

Supereſt, ut eadem paucis confirmem ex Apidis, & Sarapidis nominibus. Cum Ægyptiacam linguam, & Hebræam, discrepasse quidem in non paucis; attamen in plurimis etiam convenisse constet: facilè adducor, ut credam, *Apis* nomen fuisse illud, quo Ioſephus in sacris nuncupatus. Nempe ut exprimat Hebræum אב, ab, *pater*. Vnde Syriacum *abba*, syllabâ μέσῃ μεσάθεσιν reduplicatâ: atq; ab hujus posteriori syllabâ est παπᾶς: ubi τὰς vocis solum productio est; ut in μήτηρ, θυγάτηρ, & similibus. Imò quia pater quis non solum ἀμέσως * dicitur; sed etiam avus, proavus, abavus, atavus, tritavus; quin horum quoque genitores: eò Latini ex Hebræo אב, *ab* formarunt *avus*. Nam B, & V commutantur: unde βίκιον, *vicia*; βέλο-

* *immediate.*

μαι, *volo*; ὄροδος, *ervum*, & similia. Iam verò quæ appellatio Ioſepho accommodatior, quàm *ab*, ſive patris? Quippe qui nutricius totius fuerit Ægypti; quales κατ' μεταφορὰν *patres* dicti: ut *nutrix* Plauto *altera mater*; quemadmodum ſuperiùs † vidimus. Ipſe etiam Ioſephus Geneſ. XLV, 8, ait fratribus ſuis, ad patrem Iacob, quò eum adducerent, reditum parantibus, ſe conſtitutum eſſe לְאָב לְפַרְעֹה, *in patrem Pharaonis*. Imò fortaſſe eodem pertinet, quòd Pharaonis juſſu acclamatum ante eum אברך, *abrech*: quod Onkelus componit ex אב, ab, *pater*, & רך, rech, *rex*. Hoc enim רך, rech ſignificare, auctor quoque eſt R. Salomon Iarchi. Etiam *patris* ei vocabulum conveniat, ſi placet interpretatio R. Iuda, qui (ut idem Raſi tradit) conflatum arbitratur ex אַב, ab, *pater*, & רַךְ, rach, *tener*: quod fuerit ab רִכָּה, *molleſcere, tenerum reddi*. Vt *pater* dicatur, ratione ſenilis prudentiæ; *tener*, propter juvenilem, ac teneram ætatem. Nam XXX duntaxat annorum erat, cùm ad præfecturam Ægypti evectus fuit. Nec ignoro, quia בָּרַךְ, *barach*, interdum ſignificat *geniculare*, ſive *genuflectere*: eò Aquilam, & vulgatum interpretem, transferre, *genu flecte*: idque favente etiam Aben-Ezra. Sed B. Hieronymus, Quæſtionibus Hebraicis in Geneſin, hanc de *parente tenero* expoſitionem diſertim præfert iſti de *adgeniculatione*. Etiam priores interpretationes ſequuntur Ionathan, & Hieroſolymitanus, & paraphraſis Hieroſolymitana: ſed cùm de priori quidem vocabuli parte inter eos conſenſus foret; de altera autem fluctuarent: utramque expoſitionem conjunxerunt. Explicant enim, *pater regis tener annis*. Quare hæc quoque veriſimile reddunt, quod dicebamus, Απις, (ubi ις ſolum vocis eſt productio) eſſe vocabulum Ioſepho inditum ob paternam curam vel etiam ſenilem prudentiam: quomodo iidem Romæ *Patres*, & *Senatores*.

† cap. 19.

Accedo nunc ad Sarapin, ut Græci fere vocant; ſive Serapin, ut Latini ſæpius dicunt; θεὸν ἑπταγράμματον *, ut eum nuncupatum ex veteri conſtat epigrammate, item Heſychio in ἑπταγράμματον. Eum eſſe Ioſephum, colligere etiam eſt ex eo, quòd modius capiti ſuperimponeretur; ut eſt apud Rufinum Hiſt. Eccl. lib. II, cap. XXIII. Cum autem variæ ejus rei cauſſæ adferantur, maximè placet, quod ſubjungit, frugum largitatem eo indicari. Suidas ſimiliter in Σάραπις ait, μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ τὸν πῆχυν· *modium habere in capite, & cubitum*. Ibidem legas, à quibuſdam Ioſephum putari. Eamque ſententiam confirmat, quòd idem ſit Serapis, ac Apis: quemadmodum ex Ariſtea Argivo tradit Clemens Alex. in primo Στρωμαλέων: ex Terentio item Varrone B. Auguſtinus lib. XVIII de Civ. Dei cap. v. In eo interim hi pariter decepti, quòd intellexerint Apim, regem Argivum, cum debuerint Ægyptium; qui Argivo, ut diximus, com-

* *Deum cum nomine ſeptem literarum.*

pluribus

pluribus erat ſeculis antiquior. Græci, ut aliis perſuadere nationibus conati, Apim fuiſſe regem ſuæ gentis; ita etiam commenti ſunt nomen Serapidis eſſe Græcanicum. Nam dici ex σορὸς, *loculus*; quia bos ille, qui Apis dicitur, fuerit ſale conditus, & loculo ſive ſarcophago impoſitus; unde *Sarapis* dicatur, quaſi *Sorapis*. Traditum hoc Nymphodoro, libro de moribus Aſiæ tertio; atque hinc Clementi 1 Stromateon; ex Clemente autem Euſebio lib. x de Præpar. Euang. cap. XII. Eandem quoque ſententiam ex Varrone apud Auguſtinum legas loco antè dicto. Ac ſequitur quoque eam Suidas in Σάραπιν: ut alios omittam. Sed de hujuſmodi compoſitione hybridâ quid ſtatui debeat, ſæpius diximus. Æquè invitus ſubſcripſerim Iulio Materno †, quando ſic dictum ait à *Sara*, & *Apis*; idque quia pronepos fuerit Abrahæ, & Saræ. Nec enim credibile eſt, Ægyptios de Saræ honore fuiſſe ſollicitos. Veriſimiliora ſunt, quæ deinceps adferam. Vti quod, quia *Apis* idem, ac *Oſiris*, ut antè vidimus, eò arbitrantur, ex *Oſir*, & *Apis*, prius fuiſſe *Oſirapis*, poſtea, præciſâ principe literâ, *Sorapis*. Hoc apud Clementem Alex. exſtat in Protreptico. Nec minus tamen placet, eſſe ex שׁוֹר, *ſor*, quod *bovem* notat, & *Apis*: ut ſignificet *bovem patrem*: hoc eſt, patrem regni Ægyptiaci Ioſephum, ſymbolo bovis ſignatum. Vel ut ſit ex *Apis*, & שַׂר, *ſor*, hoc eſt *princeps*: quaſi dicas, *princeps Apis*. Nam שׂוּר, *ſur*, Hebræis notat *dominari*: unde שָׂר, *princeps*. Vt Sar ſive princeps pincernarum, Gen. XLII, 2, & Hoſ. III, 4: *Non* (eſt) *rex*, *non eſt* שָׂר, *princeps*. Vnde liquet, *Sar* Ioſepho meliùs, quam Pharaoni convenire. Eoque Apim potius eſſe Ioſephum: uti ſuperiùs etiam ex Deuteron. XXXIII, 17, colligebamus.

† *de errore profana relig.*

Sed quæcunque de Serapide hactenus diximus, planè corruunt, ſi, quod Scaliger etiam putavit animadverſionibus Euſebianis ‡, Sarapis fuit Deus Ægyptiorum non patrius, ſed, ut Attici dicebant, ἐπίθετος, ſive inquilinus. Nempe eo eſt compulſus, quòd Tacitus in quarto Hiſtoriarum dicat, Ptolemæo Lagidæ in ſomnio præceptum à Deo, ut ſuam arciret effigiem è Ponti urbe, Sinope; cui tum Scydrothemis imperabat. Ea ubi Alexandriam delata, ingens à rege conditum delubrum, in quo effigies hæc reponeretur. Hinc colligit vir ſummus, Sarapin eſſe numen Sinopenſe, non origine Ægyptium. Sed facile eſt hunc ictum exire. Primùm famæ incerto. Nam ipſe agnoſcit Tacitus, alios putare, numen hoc è Seleucia Syriæ arceſſitum, idque à Ptolomæo Euergete. Eam Iſidori fuiſſe ſententiam, teſtis Clemens Alex. Admonitione ad Gentes. Sed majus illud, quod ſententiam iſtam ex utroque horum ſit refutare. Nam ait Tacitus, apportato Alexandriam Sinopenſi numine (verba ejus ſunt) *templum pro magnitudine Vrbis exſtructum, loco cui nomen Rhacotis. Fuerat illic ſacellum Sarapidi*,

‡ *num.* MDCCXXX.

pidi, atque Isidi, antea sacratum. Similiter Clemens Alex. nisi quòd Ptolemæo Philadelpho donum hoc missum ait, idque quia famis tempore rex Sinopensis ab eo esset adjutus frumento. Sic enim ille in Admonitione ad Gentes: Οἱ μὲν αὐτὸν ἱερῶσι χαριστήριον ὑπὸ Σινωπέων Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ τῷ Αἰγυπτίων περιφθῶαι βασιλεῖ· ὃς λιμῷ τυχομένους αὐτοὺς, ἀπ' Αἰγύπτου μεταμεμψάμενος σῖτον, ὁ Πτολεμαῖος, ἀνεκτήσατο· εἶναι δὲ τὸ ξόανον τοῦτο, ἄγαλμα Πλούτωνος· ὃς δεξάμενος τὴν ἀνδριάντα, καθίδρυσεν ὅπου τὸ ἄκρας, ἣν νῦν Ρακῶτιν καλοῦσιν, ἔνθα ἦν τὸ ἱερὸν τετίμηται τοῦ Σαράπιδος. *Aliqui verò scribunt, grati animi ergo fuisse missum à Sinopensibus ad Ægyptium regem Ptolemæum Philadelphum: qui Ptolemæus eos fame laborantes, frumentum summittendo, sibi obstrinxerat. Acceptam autem statuam constituit in promuntorio, quod nunc appellant Racotim: ubi in honore antea fuit templum Serapidis.* Si priusquam Deus ille Sinope adveheretur, jam fuerat Alexandriæ sacellum Serapidi & Isidi dicatum; non debent Alexandrini Sinopensibus Serapidem suum. Veriora igitur sunt, quæ postea subjungit Tacitus: *Alii auctorem eundem Ptolemæum; sedem, ex qua transierit, Memphim perhibent, inclytam olim, & veteris Ægypti columen.* Hæc optimè conveniunt cum iis, quæ antea diximus. Memphi enim, regiâ quondam urbe, tot pyramidibus inclytâ, Apis colebatur. Hinc Ptolemæus effigiem Apis sive Serapis arcessivit, inque nova Alexandriæ urbe constituit. Vnde etiam Lilii Giraldi, viri licet non minoris judicii, quàm doctrinæ, error dilucet: ut qui, sexto de diis syntagmate, à Tacito proditũ dicat, effigiem Serapis Sinope, vel Seleuciâ, juxta nonnullos, non Alexandriam esse delatam, sed Memphim. Contrà enim Tacitus eos ait dicere, à Ptolemæo Alexandriam esse deportatam Memphi. Nec multùm hæc abeunt ab eo, quòd Suidas tradit, Alexandrinos arcam, in qua corpus Apidis erat, à Memphitis accepisse. Et sanè Sarapin, non esse Deum Ægyptiorum adventicium, ut Scaliger sensit, imò & Tacitus magis verisimile putabat: etiam fidem fecerit Athenodorus, Sandonis filius, Tarsensis, atque, ut ex Luciani Macrobiis, & aliis, scimus, Augusti Cæsaris præceptor. Hic, teste Clemente in Protreptico, eo Sarapidis vetustatem adstruebat, quòd Sesostris, subactis Græcorum nationibus multis, reversus in Ægyptum, Osiridem, à quo genus ducebat, ab artificibus, quos secum adduxerat, effingi jusserit ex ramentis auri, argenti, aliis metallis, etiam gemmis ac lapidibus variis: quæ omnia levigata, contritáque, cæruleo imbuerit colore; unde nigricet color imaginis. Posteaque etiam subdit etymon illud antea allatum: videlicet ut, quia Apis esset Osiridis imago, ab Osiride, & Apide, prius dixerint *Osirapis*; inde consuetudo fecerit *Sovapis*, vel *Sarapis*.

Sesostris iste maximum, post Osiridem, è regibus Ægyptiis habuit nomen,

men. Manetho Sebennitæ tertius est duodecimæ dynastiæ ; quæ Diospolitarum fuit. Atque hoc antiquitatem ejus ostendit. Nam priorum XI dynastiarum tempora concurrunt, ac implicantur mutuò ; ut antea diximus. De expeditionibus ejus, vide Herodotum in Euterpe. Vbi inter alia commemorat, ut in gentibus devictis columnas erexerit, ac si strenuè se gessissent, veretrum jusserit insculpi ; naturam verò muliebrem, si molles fuissent & effeminati : addit, se in Syria Palæstinæ conspexisse monumentum Sesostris cum mulieris genitali. Quod indicium est, Palæstinos facilem de se victoriam præbuisse. Si Iosephum audimus lib. VIII Antiquit. cap. IV, est hic ille, qui Scripturis *Sesak* dicitur, LXX *Susakim*, I sive III Reg. XIV, 22, & II Paralipom. XII, 19 : ubi legere est, ut templum spoliârit Hierosolymitanum, penè omnibus ablatis, quæ fecerat Salomo. Quod credibile est feciſse in Ieroboami gratiam, cui junctus erat affinitate. Nisi ambitione potiùs ductus : quod verisimilius, si Sesak ille est Sesostris. Eusebius in Canone Chronico tradit, Roboami tempore regnâsse in Ægypto Semendim, ac eo rege Susakim spoliâsse templum Salomonis. Quod si est, vel Susakim aliter dictus Semendis ; vel, ut antea sæpe, plures eo quoque tempore regnarint. Mihi tempora conferenti, maximè placet sententia Iosephi Scaligeri : qui censet, Sesak esse Susennem, ultimum in vigesimaprima, quæ Tanitarum est, dynastia ; vel potiùs successorem ejus Sesonchin, qui primus est in vigesimasecunda Bubastitarum dynastia. Et nomen quoque sententiæ isti favet. Magna enim convenientia est inter Susak, vel Sesak, & Sesonchis, liquidâ, & terminatione, quæ à Græcis est, ablatâ. Sic Sesostris non paullo fuerit antiquior Sesako, vixeritque Iudicum temporibus. Sive verò Sesak est Sesostris, ut Iosephus putabat ; sive, ut Scaligero visum, Susennes, vel Sesonchis : annis multo amplius sexcentis ante reges Ptolemæos vixerit Sesostris. Imò si tempore eo regnabat, quo apud Hebræos potestas penes Iudices fuit : annis amplius octingentis fuerit ante Euergeten : quem Isidorus, ut diximus, effigiem Serapis primum Alexandriæ reposuisse arbitrabatur. Vt minimè dubium sit, quin Sarapis non ἐπίθετον *, sed πάτριον † fuerit Ægyptiorum numen.

* adscitum.
† patrium.

De structura Serapei Alexandrini, qui volet, Ammianum Marcellinum adeat lib. XXII, Prosperum Aquitanicum lib. III de Prædictionibus cap. XXXVIII : imprimis verò Rufinum lib. II Histor. cap. XXII. Roma verò ægre cultum Serapidis admisit, nec nisi extra Romam. Quippe Serapeum intra urbem exstruere non licuit ; ut testis Dio lib. XL. Vnde scortillum illud Varri apud Catullum deferri ad Serapim cupit epigr. X.

CAPVT

CAPVT XXX.

In cultu Osiridis gemini, antea descripti, tertius accessit Osiris, sive Arabicus Liber: in quo Moses expressus. Indiæ nomine antiquitus etiam vocata Phœnicia, Æthiopia, vel Arabia, aliæque terræ ad Orientem ultra mare internum sitæ. Andromedæ fabula iterum enarrata. An Busiris ullus fuerit, num Herculis Thebani an Tyrii tempore regnarit, num is sit qui edictum tulit de submergendis Israeliticis infantibus. Cum iis, quæ de Mose nato, exposito, aquis extracto, & matri reddito, Scripturis traduntur, collata, quæ de natalibus, & educatione Liberi produntur à gentilibus. Vnde Moses vocatus. Idem, ut ajunt, appellatus Monius, Mises, Moso, Palæstinus, Ioakim, & Melchi. *De Antiquitatibus Philonis suppositicii judicium. Convenire Liberum, & Mosen, quòd uterque bimater, & formâ præcellens. Liberum creditum in Arabia natum, quia inde Moses in Ægyptum concesserit, populum educturus Israeliticum. Nyssam sive Nisam Libero inclytam, quia Sina, quæ trajectis literis Nisa, celebris sit lege illic datâ Mosi, & Israelitis. Exilium & Libero tribui, & Mosi. De utroque proditum, subiisse eos mare Rubrum, ac pugnasse cum rege Arabum: sed perperam hunc Lycurgum, regem Thraciæ, putari, qui Arabiæ rex fuerit. Vnde sit, quòd Liber mulieres habuisse in exercitu dicatur. Legifer & Liber, & Moses. Origo moris Mosen cum cornibus effingendi. In Liberi Orgiis repræsentata percussio petræ, quâ Moses aquam eduxit. Vnde videatur originem cepisse, quod in sacris Liberi redimirent caput serpentibus.* Caleb *pro Hebronis tractu, & ejus incolis: ubi perperam Græci* caninum, *vel* venatorem, *reddiderunt. Cur Libero attributus socius canis. Cur Canis astro datum nomen* Μαίρας, *& potestas attributa maturandi uvas. Cur racemus ab exploratoribus terræ Canaan vecti fuerit deportatus. Incredibilis magnitudo ejus racemi descripta à Philone Alexandrino. Fabulosa racemi magnitudo currum suo pondere rumpentis.*

ABunde de Apide, &, quod satis etiam, de Mneui actum: quorum uterque sacratus Osiridi; ut ex Diodoro vidimus: nempe Mneuis quidem Osiridi seniori; sive is idem ac Menis, sive is Mesorim, pater Ægyptiorum, qui & in honorem ejus primum anni mensem *Mesori* nuncuparunt: Apis autem Osiridi juniori; quem esse patriarcham Iosephum, liquidò comprobavimus. Gemino huic Osiridi tertium nunc superaddimus, à poetis & aliis descriptum in expeditione Liberi Indica. Nam idem Osiris, & Dionysus sive Liber: uti inter alios testis nobis Nonnus in quarto Dionysiacôn:

— Καὶ Αιγυπτίου Διονύσου
Εὔια φοιτητῆρος Οσείριδος ὄργια φαίνων·

— Et

— Et Ægyptii Dionysi
Bacchica quosque adeuntis Osiridis Orgia monstrans.

Hoc loco autem intelligimus, non recentissimum Liberum, Cadmi ex Semele nepotem. Sed neque antiquissimum illum, vini inventorem; quem Noe esse diximus. Imò nec ex intermediis antiquum illum Osiridem, qui proprio nomine Mitsraim sive Metsraim vocabatur, ac cum Libero confundi solet. Vti neque æqualem ejus Liberum, de quo ex Diodoro vidimus. Sed illum capimus, quem poetæ, & alii, describunt in Liberi expeditione Indica. Cui narrationi nihil veri subest, si intelligamus Indiam propriè dictam: uti clarè ostensum nobis cap. xxv. Sunt in fabula tamen ista quædam priscæ veritatis lineamenta; si in Libero hoc intueamur divinum Mosen; per Indiam verò capiamus Arabiam. Prisci quippe Græci, ut cap. dictum xxvi, terras omnes ultra mare mediterraneum sitas Indiæ nomine nuncupabant: cui rei vel fidem fecerit Ovidii illud in primo de Arte Amandi, jam ab aliis hoc fine allatum:

Andromedam Perseus nigris portarat ab Indis.

Andromedam enim abduxit ab Ioppe, Phœniciæ civitate; ut superiùs * monitum ex Plinii lib. v, cap. xiii, & xxxi. Atque apud eundem legas lib. ix, cap. v: *Belluæ, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus.* Neque hæc adversantur isti, quod ibidem † dicebamus, per cetum, cui objicienda erat Andromeda (*Neptuniam pristin* vocat Tullius in Arateis) intelligi vel navim ab signo ceti nomen hoc sortitam, quæ avectura erat Andromedam: vel principem piraticâ nobilem, quales monstris comparantur marinis: unde &, quod Andromeda scopulo fuerit alligata, ut à ceto devoraretur, interpretari de connubii vinculis licet: ut sententia sit, coactum Cepheum huic piratarum principi filiam despondere, si mare præstare civibus suis liberum vellet. Quæ pro verissimis quidem amplectimur: & diu fuere hæc etiam cognitissima posteris: Sed enim postquam dies memoriam istorum magna ex parte deleverat, poetis occasio est præbita ex navi aut prędone fabricandi cetũ, & similiter reliqua commutandi in fabulam. Quæ ubi multis jam seculis ex poesi ac picturis populus imbiberat: Scaurus etiam, errore simplicis vulgi abutens, persuasit Romanis, ossa, nescio cujus ceti, esse monstri illius marini, cui exposita fuerat Andromeda. Fuisse verò penè omnium opinionem, contigisse ista in civitate Phœniciæ, vel Iudææ, etiam Strabo auctor est lib. i, & xvi. Ac priori etiam loco refert, alios Cephea, parentem Andromedæ, Æthiopiæ regem dicere. Nempe Indi, & Æthiopes, temporibus antiquissimis dicebantur à Græcis, quicunque, ut dixi, viverent trans mare internum. Tales

* *cap. 23.*

† *cap. 23.*

verò non Indi ſolum, ſed etiam Æthiopes, ſive incolæ terræ Chuś: quorum alii orientales, ut Arabes; alii occidentales, ut illi ſub Ægypto. Vtroſque enim vocatos eſſe Æthiopas, cùm ex Moſe, tum Homero, & aliis, conſtat. Deinceps igitur oſtendam, Oſiridem hunc tertium, ſive Liberum Indicum, hoc eſt, Arabicum, eſſe Moſem noſtrum: quem, etſi in Ægypto natus ſit, Arabicum tamen & Oſiridem, & Liberum, vocare poſſumus, diſcriminis cauſſa; ut melius diſtinguatur ab antiquiſſimo Oſiride, hoc eſt, Mitſraimo; item vetuſtiſſimo Libero, ſive idem is ac Oſiris antiquiſſimus, ſive unus ex ducibus Ægyptiis, qui ſub Oſiride militarunt. Altera etiam cauſſa accedit, quia XL ſolùm annis Moſes vixit in Ægypto, octoginta autem in Arabia; annis quidem quadraginta in exilio, at totidem annis cum imperio. Vt hæc, & alia, fiant liquidiora; præcipuam Moſis hiſtoriam cum gentilium de Oſiride, & Libero ſuo, fabulis conferemus.

Ordiar ab cruento Pharaonis edicto, de maſcula Iſraelitarum prole recens editâ aquis mergendâ. Sunt qui regem eum Buſiridem fuiſſe exiſtiment, & inde fabulâ cœpiſſe apud Græcos, de mactatis ab eo hoſpitibus. Sed Strabo * ullum fuiſſe Buſiridem negat. Diodorus nunc negat †, nunc fatetur ‡ fuiſſe, nec hoſpitum cædem diffitetur. Iſocrates, in laudatione Buſiridis, agnoſcit regem Ægypti Buſiridem: ſed poetarum commentum arbitratur de occiſis hoſpitibus: atque hoc eo credibilius videri, quia iidem ab Hercule dicant interfectum; quæ tempora plurimū diſtent. Nã, inquit, ὁμολογεῖ τοῖς ἱστοποιῶν, Περσέως τοῦ Διὸς καὶ Δανάης, Ἡρακλέα μὲν εἶναι τέτταρσι γενεαῖς νεώτερον, Βυσίριν δὲ πλέον ἢ διακοσίοις ἔτεσι πρεσβύτερον· *Convenit inter hiſtoricos, Perſeo, Iovis & Danaës filio, quatuor ætatibus Herculem eſſe juniorem: Buſiridē verò, plus quàm ducentis annis, ſeniorem.* Verùm argumento Iſocratis facilè occurritur, quia multi fuere Hercules: ut nihil ſit neceſſe, Thebanum illum intelligere hoc loco. Ætatem ejus ex Buſiridis ætate colligere oportet. Buſirin ſtatuit Euſebius ad annum ſecundum poſt mortem Ioſuæ. At Herculem Tyrium idem retulerat circa tempus illud, quo Moſes in monte alloquio fruitus eſt divino. Quare hac parte nulla eſt temporis pugna. Sed pugnant hæc cum iis, qui cruentum illud edictum de Iſraelitarum pueris à Buſiride promulgatum arbitrantur. Nam edicti ejus auctor ante Moſem natum claruerit, neceſſe eſt. Sed ſuccurrit Iſocrates, qui ait, Buſiridem ante Herculem fuiſſe generationibus IV, (quæ conficiunt annos CXXX) ac annis amplius ducentis. Quia amplius dicit eſſe annis CC, addamus annos XXX. In univerſum ante Herculem anni ſint CCCLX. At Hercules fuit Theſei æqualis. Is regnare incipit Euſebiano numero Iɔ CCLXXXII. Auferamus hinc annos CCCLX. Incidimus in numerum Euſebianum CCCCXXII. Hoc eſt, annum quartum ante Moſis natalem, qui refertur ad numerum CCCCXXVI.

Hujus

* *lib. ult.*
† *lib. I.*
‡ *lib. 4.*

Hujus edicti tempore Iochabed, filia, hoc est, neptis Levi, uxor Amram, peperit filium: quem verisimile est octavo fuisse die circumcisum: sed quod nomen tum acceperit, non dicit Scriptura. Clemens Alexandrinus ait, à parentibus Ioachim vocatum. Porrò Iochabed, ne in periculum universa veniret familia, non ausa fuit detinere infantem ultra mensem tertium. Imponi igitur jussit in תֵּיבָה, Thebath: ubi LXX θίβην, sed corruptè: forte rectius θήκην, ut est in Complutensi. Notat Hebræum, *arcam*, sive *fiscellam*, quæ pice & bitumine erat illita. Divinâ éadem providentiâ (fortasse & oraculo) subnixa, fiscellam cum puero jussit deponi in Nilo: sed, ne undis auferretur, in carectis, sive papyrione, ut vocat vulgatus interpres, quia frutex papyri in ripa succresceret. Etiam filiolam Mariam jusserat eminus speculari eventum. Commodè cum pedisequis, sic Deo disponente, lotum sese processerat regis filia, nomine Thermuthis; ut vocant Artapanus, Iosephus, Suidas. Locum & ipsa inter papyri & arundinum elegerat opaca, ubi minùs conspici posset. Hic videt fiscellam: fortè & vagitum audierat infantuli. Iubet ergo ad se adferri. Scitulus erat puer: eò facilius miseretur: etsi matris esse Israeliticæ, facilè colligeret ex duro patris edicto, fortasse etiam ex circumcisione: Ægyptii enim eo tempore necdum circumcidebantur. Interim soror Maria accurrit: rogat Termuthim, (sic sine dubio à matre edocta) velletne adduci mulierem Hebræam, quæ lactaret. Annuit illa. Ita ipsi traditus matri. Quæ quantum hauserat doloris, filio, ut verebatur, amisso: tanto delibuta est gaudio, eo recepto.

Nunc cum istis conferamus, quæ de Liberi natalibus prodidere gentiles. Liberum apud se natum esse, referunt Ægyptii. Vnde Orpheus in hymnis:

> Σὺν σῇ μητρὶ θεᾷ μελανηφόρῳ Ισιδι σεμνῇ
> Αιγύπτου παρὰ χεῦμα σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις·
> *Cum tuâ matre Deâ, nigrum ferente Iside venerandâ,*
> *Ægypti apud undam cum ancillis nutricibus.*

Vbi & aquæ videmus meminisse. Arcæ item memoria celebrata est apud Brasiatas in Laconica. Vetus apud hos traditio erat, Liberum, simulac natus esset, arcæ inclusum, & ita aquis impositum. Hæc nôsse poterant, quia Lacones, ut alibi ostendimus, vel Abramidæ, vel saltem essent Cananæi, imò ex utrisque mixti. Sed sacerdotes postea ad honorem suæ urbis pertinere existimarunt, si fingerent, quæ in Ægypto contigerant, apud se evenisse. Ajebant enim, arcam illam, cui Liber fuerat inclusus, æstu suos ad fines delatam, puerumque apud se educatum: imò & inde esse, quòd cum urbs sua priùs diceretur *Oreatæ*, postea *Brasiæ* vocaretur,

ἀπὸ τῆ ἐκβεβράσθαι, quod valet *maris æstu ejici* : quia nempe in eorum terram arca esset ejecta. Testis Pausanias in Laconicis.

Doloris materni ex amisso, gaudii ex recepto filio, imago erat in Osiridis sacris : ut superiùs vidimus. Quæ non solùm simulachrum sunt gestorum in regni Ægyptii primordiis, quatenus Osiris est Mesorim sive Mizraim : sed etiam quatenus iis adumbratus est Moses, quem Liberum esse dicebamus.

Ex eo, quòd Moses aquis extractus, nomen ei factum משה, *Mosche*. De quo Exod. 11, 20 : *Et vocavit* (filia Pharaonis) *nomen ejus Mosen, & dixit, quia ex aquis extraxi eum.* Nempe à משה, *extraxit, eduxit.* Vt non sit audiendus Fl. Iosephus : qui eò quòd Græci Μωυσῆς scribant, credidit esse ex Syriaco μῶ, *aqua*, & ὑσὴς, *servatus*, quod ab ישה. A μῶ etiam fuerit *Monius* : quomodo ab Ægyptiis dictum ait Aben-Esra. Imò in quibusdam Orphei versibus vocatur ὑδρογενὴς, hoc est, ὑδατογενὴς, quasi dicas, *aquigena.* Ratio satis apparet ex iis, quæ diximus. Imò & vestigia nominis *Moses* in Liberi sacris supersunt. Nam Orpheus in hymnis, sive potiùs Initiis, Liberum vocat Μίσλω : quod à vero nomine unâ aberrat vocali. Nec obstat, quòd Μίσλω ibidem dicat ἄῤῥητον ἄνασσαν· *indictam reginam.* Nam Διόνυσος, juxta Orpheum, sexum habuit utrumque. Imò Alexander Polyistor tradidit, mulierem fuisse, nomine *Mosò*, quæ leges tulerit Iudæis. Dubium, utrùm hæc ita perverterit gentilium malitia ; an veriùs inscitia, quòd cum Μωσὼ vocarent aliqui, id crederent esse, ut Διδὼ, Σαπφὼ, Καλυψὼ, & similia. Plutarchus, libro de Iside & Osiride, refert, Osiridem, dum ab Iside per ancillas enutritur, vocatum Palæstinum. Fabula esto : attamen unde fabulæ origo, nisi quia postmodo Israelitis dux fuerit in Palæstinam tendentibus ? Et quid si inter ancillas etiam censeatur mater, quæ pretio conducta fuit, ut lactaret ? Potuit illa, Deo suggerente, nomen Palæstini imponere, cui omen inesset futurorum. Vel quid si nomen hoc habuerit à matre, priusquam exponeretur ? Nam cùm hæc eum tribus adservârit mensibus, ut est Exodi 11, 2 ; quid si interea sic vocarit, & mox quidem à circumcisione, hoc est, octava die : posteaque filio reddito callidè nomen reddiderit prius ? Sed de postremo hoc dissentientem habemus Clementem Alexandrinum, qui lib. 1 Στρωματ. dum à matre occultaretur, nomen ei fuisse ait, non Palæstino, sed Ioakim. Atque addit, postquam in cælum receptus, & aliud accepisse nomen. Ἔχειν δὲ καὶ τρίτον ὄνομα ἐν οὐρανῷ μὴ πῶ ἀναλῆψιν, ὡς φασὶν οἱ μύσται, Μελχί. *Habuit & tertium nomen, postquam in cœlum adsumtus, ut dicunt Mystæ, Melchi.* Id significat, *Rex meus.* At in Philonis antiquitatibus *Melchil* legas : atque id nomen ei à matre lactante ait impositum. Puto, *Melchi* rescribendum. Sic quoque

plenum

plenum fuerit ominis nomen. Sed Philo iſte eſt ſcriptor ſuppoſiticius, nec magnæ rei; non indiligens quidem lector Iudæorum, ex quorum lacunis ſua prope hauſit omnia: ſed Latinorum, Græcorumque admodum negligens, ut ſæpe ne inſpexerit quidem: ſacræ etiam ſcripturæ ſecurus adeo, ut crebrò ab ea receſſerit. Non id refugerem comprobare: niſi levaſſet me hoc labore Hiſpanus Theologus, Melchior Canus, lib. XI Locorum Communium cap. VI.

Nec difficile eſt videre, quomodo, quod Liber dicitur βιμάτωρ, *bimater*, id Moſi etiam conveniat. Nam & Moſes, præter matrem, quæ peperit, habuit alteram, filiam Pharaonis: cui *erat in filium*, ut eſt Exod. II, 10. Vnde & Stephanus protomartyr Act. VII: ἐκτεθέντα αὐτὸν ἀνείλετο ἡ θυγάτηρ Φαραὼ, καὶ ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱόν· *Expoſitum eum ſuſtulit filia Pharaonis, & educavit eum ſibi profilio.* Atque ejus curâ etiam, ut ibidem legas, ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *inſtitutus eſt omni ſapientia ac doctrina Ægyptiorum.* Vbi Clemens Alex. in I Στρωματ. intelligit univerſam Matheſin, & Medicinam.

Diodorus in V ait, Liberum εὐωπρεπείᾳ πολὺ τῶν ἄλλων διενεγκεῖν· *formæ vetuſtate aliis præſtitiſſe.* At Exodi II, 2, dicitur mater Moſis, quia elegantem videret, quem eſſet enixa, tribus eum menſibus abſcondiſſe. Imò Ioſephus Antiquitatum lib. IV, cap. V * narrat, ut eum adoptârit Thermuthis, filia regis, quia eſſet μορφῇ τε θεῖος, καὶ φρονήμασι γενναῖος, *formâ divinus, & indole generoſus.* Itaque puerum quaqua geſtaretur, vel iret, omnium in ſe oculos convertiſſe.

* Græci, at Lat. cap. 9.

Liber educatus dicitur in monte Arabiæ, nomine Nyſa. Vnde Diodorus in III, ait deportatum εἰς Νύσαν τῆς Ἀραβίας †. Idemque docet in IV. Ac præivit huic Homerus in hymnis:

† Nyſam Arabiæ.

Ἔστι δέ τις Νύσῃ, ὑπάλιον ὄρος ἀνθέον ὕλῃ
Τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων·
Nyſa jacet quædam, mons ſilvis floridus altis
Phœnice procul, Ægypti ſtagnantis ad undas.

Nam inter Phœniciam, & Ægyptum, ſive Arabicum ſinum, Arabia eſt ſita: inque Arabia Petræa, eſt tum deſertum Sin, tum mons Sinai; ubi Deus inter tonitrua, & fulmina, Legem ſuam tulit. Atqui, vocali mutatâ, literiſque trajectis, ex *Sina* habes *Nyſa*. Vt veriſimile ſit, Liberi pueritiam ſtatui in Arabia, quia Moſes XL annis in Arabiæ deſerto egit; inque deſerto imprimis celebrari montem Nyſam, propter celebritatem Sinai montis, ubi lex promulgata. Non eſt, quòd dicat aliquis, Liberum in Arabia, nõ in Ægypto educatum. Nam Orpheus, ut antea dictum, in Ægypto Liberum ait natum. Sed, ut alii in Arabia educatum putarent, inde eſt,

quia Moses ex Arabia, ubi XL annis exulavit, in Ægyptum rediit, indéque se Israelitis in Arabiam præstitit ducem.

Vtramque Mosis in Arabia moram considerabimus. Priùs illam exilii, cùm, post interemtum Ægyptium, profugit in terram Madian. At φυγὰς Διονύσου, *exilia Liberi*, etiam memorat Plutarchus de Iside & Osiride, & ex eo Theodoretus Θεραπευτικῆς serm. III *.

* pag. 46, edit. Commelin.

Post XL exilii annos rediit in Ægyptum, inde educturus Israelitas. Quomodo Liber profugerit in Mare Rubrum narrat his verbis Nonnus in XX Dionysiacôn:

Ταρβαλέοις δὲ πόδεσσι φυγὼν ἀκίχητος ὁδίτης
Γλαυκὸν Ερυθραίης ὑπεδύσατο κῦμα θαλάσσης·
Trepidantibus verò pedibus fugiens incomprehensibilis viator
Flavum rubri subiit fluctum maris.

In uno, ut serviret argumento, à veritate abiit Nonnus. Cùm ille, Græcos secutus, Bacchum intelligeret Thebanum: prius eum in Phœniciam, hinc Arabiam, tum mare Erythræum deduxit. At Liber hic Ægyptius est; nec Arabicum, sed Ægyptium regem fugiens, mare subiit Erythræum.

Egressus Moses hoc mare, varia cum Arabiæ, & vicinis principibus, bella gessit; ut ex Mose ipso constat. Atqui & Liber, ut Antimachus poeta, teste Diodoro in tertio, tradidit, in Arabiam, dum regionem hanc sperat amicam, cum exercitu suo venit: sed rex Arabum Lycurgus statuit occultè & Liberum, & Mænadas, perdere. Scio, varios id referre ad Lycurgum, Thracum regem. Sed convenientiùs Nonnus libro eodem:

Ἀῤῥαβίην ἐπέβαινε, καὶ εὐόδμων ἀπὸ δένδρων
Νυσιάδος τανύφυλλον ἐθάμβεε, δείραδα λόχμης,
Καὶ πόλιν αἰπύδμητον ἀκοντοφόρων τροφὸν ἀνδρῶν,
Ενθά τις Αρεος αἷμα μιαιφόνος ὤκεεν ἀνὴρ
Αινομανὴς Λυκόοργος.
Arabiam adscendit, & bene odoratas ob arbores
Nysiaci frondosum admirabatur jugum sylvæ,
Et urbem excelsam teliferorum nutricem virorum,
Vbi quis Martis sanguis, cæde pollutus, habitabat vir,
Valde furiosus Lycurgus.

Et post compluria:

Ἀῤῥαβίης μεδέοντι Δρυαντιάδῃ Λυκοόργῳ.
Arabiæ regi, Dryantis filio, Lycurgo.

Quomodo verò victus à Libero sit Lycurgus, narrat idem in primo & vigesimo. Atque ita ille, poetarum more, duos minimùm Liberos in unum confundens; seniorem, Iovis, & Proserpinæ, ac juniorem, Iovis, & Semeles

Semeles filium. Ob quam duorum mixturam, quorundam sententia est Liberum vocari δίμορφον, *biformem*: ut est apud Diodorum in III.

Scribit idem Diodorus in IV, Liberum περιάγεσθαι στρατόπεδον οὐ μόνον ἀνδρῶν, ἀλλὰ καὶ γυναικῶν· *circumduxisse exercitum non virorum modò, sed & feminarum.* At Moses totum circumduxit populum Israeliticum; in quo viri, feminæ, pueri etiam.

Orpheus θεσμοφόρον *legiferum* vocat Dionysum. At Moses Iudæorum erat legislator: cui & δίπλακα θεσμὸν tribui videas ab Orpheo, ob duplices decalogi tabulas.

Item Liber Orpheo in hymnis dicitur ταυρομέτωπος, *tauri frontem habens*; & ταυρόκερως, *tauricornis*; & κερασφόρος, *corniger*. Sic Βούκερως Ἴακχος, *bicornis Iacchus*, Sophocli versibus à Strabone quoque adductis initio libri quinctidecimi. Etiam Euripidi in Bacchis à choro, Orphei exemplo, Ταυρόκερος θεὸς * vocatur. Quæ opinio ex eo videtur profecta, quòd radii de Mosis vultu relucentes cornuum præberent imaginem: ut colligere est ex Exod. XXXIV, 29. Hebraice est קרן, quod secundum R. Salomonem valet, *lucem emittere instar cornu.* Nempe à קרן, keren; unde Græcum κέρας, & Latinum *cornu.* Indeque, occasionem etiam præbente interpretatione vulgatâ, quæ vertit, *quod cornuta esset facies Mosis*, orta est inepta pictorum consuetudo, Mosen effingentium cum cornibus binis.

* *tauricornus Deus.*

De Mose legimus †, ut in solitudine Sin, virgâ feriens petram, eduxerit aquam. Hoc quoque in Liberi Orgiis repræsentabatur: ut cognognoscimus ex Euripide in Bacchis. Vbi refertur, ut Agave, & Bacchis cæteris, Orgia celebrantibus, unâque earum petram percutiente, aqua emanârit. Verba enim nuncii ad Pentheum sunt:

† *Num. c. 20, v. 11.*

Θύρσον δέ τις λαβοῦσ', ἔπαισεν εἰς πέτραν,
Ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς.
Thyrsum autem quædam arripiens percussit petram,
Aquæ prosiliit humor unde roscidus.

Numer. XXI legimus, ut cùm Deus populo Israelitico serpentes immisisset ignitos, qui multos necabant: pœnitudine ductis Moses Dei jussu anguem erexerit æneum, quem qui conspicerent, sanitati redderentur. Quid si in memoriam istius rei in Liberi sacris caput cinxerint serpentibus: ut ostenderent, nunc quoque Liberi mystis serpentes non nocere? Hunc ritum indicat Euripides Bacchis: Στεφάνωσέν τε δρακόντων στεφάνοις· *Et coronaverunt draconum coronis.* Catullus de nuptiis Thetidis & Pelei:

Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Clemens Alexandr. Admonitione ad gentes: Διόνυσον Μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχαι ἀνεστεμμέναι τοῖς ὄφεσιν· *Bacchum Mænolen celebrant Bacchæ coronatæ angui-*

anguibus. Arnobius etiam in v, Bacchanalia exagitans, *Circumplicatis*, inquit, *vos anguibus*.

Habuit Moſes fidelem ſocium Caleb, è tribu Iuda, vel eo notiſſimum, quòd ille, & Ioſua, ſoli cæteris terræ exploratoribus, populum turbantibus, ſeſe oppoſuerint * ; unde & ſe objecere periculo, ne à populo obruerentur lapidibus. Soli etiam † terram ingreſſi ſunt Cananæam. Quia verò Calebo obtigit Kiriath-Arba, ſive Hebron : eò & pro regione illa Calebi, ſive quam Calebi poſteritas poſſedit, ſumitur ea vox 1 Samuel. xxx, 14. Porrò כֶּלֶב, keleb, *canis*. Vnde ambiguitas 1 Sam. xxv, 3. Vbi Nabal dicitur כַּלְבִּי, calbi. Quod Græci interpretes reddidere ἄνθρωπος κυνικὸς, *homo caninus* : hoc eſt, avarus : ut Belgis talis **hondſch** dicitur. Pro quo perperam in Baſileenſi Brylingeri editum κυνηγὸς, *venator*. Omnino autem כַּלְבִּי, vertendum *Calebita*. Ita Targum, כִּרְבִּיח כָּלֵב, *ex familia Caleb*. B. quoque Hieronymus, *de genere Caleb*. Non difficile hinc erit videre, cur Libero dederint ſocium canem. Nempe origo fabulæ ex vocabuli *caleb* ὁμωνυμίᾳ. Cujus generis multa exempla. Sic dixere Cyrum canis ubera ſuxiſſe, quia Cyri nutrix dicebatur Σπακὼ, Medi autem σπάκα *canem* appellent ; ut eſt apud Herodotum in primo, & Iuſtinum lib. 1. Romulus item à lupa fera dicitur altus, quia nutrix fuerit lupa, hoc eſt, meretrix. Liberi igitur ſocius canis, quia *Caleb* ſignat *canem*. Nec enim è vulgo canem fuiſſe, indicio eſt, quòd donum erat Panos, hoc eſt, domini totius Naturæ : quodque ratione foret præditus : ut eſt apud Nonnum in XVI Dionyſiacon ‡. Præmium etiam ejus cælum. Audiamus ſermonem Liberi ad canem :

— Χάριν δέ σοι εἵνεκα μόχθων
Δώσω ἀμοιβαίλω μιν Σείριον ἀστέρα Μαίρης
Αἰθέρος ἀστὸν ἐγώ σε, καὶ ἀστερόεντα τελέσσω
Ἄγχι κυνὸς προτέρου σταφυλὴν ἵνα καὶ σὺ πεπάνῃς
Βότρυος ἐς λιθέην ἀκοντίζων σέθεν ἄγκλιν.
— *Gratiam tibi, laborum ergo,*
Referam mutuam, poſt Sirium, ſtellam Mææ,
Ætheris civem ego te, & ſtellis multis relucentem efficiam
Prope Canem priorem, uvam ut & tu maturam reddas
Racemi in ubertatem jaculans à te ſplendorem.

Vbi ſtellam Μάιρας appellat Caniculam. Heſychius : Μαίρα *, κύων τὸ ἄστρον, ἢ ἀκμαιότατον καῦμα· οἱ δὲ πρὸ Σελλοῦς. Et ingenioſè ſatis peruditus Anglus Sanfordus conjectabat, Mairam eſſe Liberi, hoc eſt, Moſis ſororem Mariam. Nam Μάιρα καὶ μελάθεσιν Μαεία. Cujus maritus Hur, teſte Ioſepho : unde idem hunc Horum cenſet, vel fratrē Moſis Aaronem : quod impenſius placeret, ſi Orus Oſiridis frater, vel affinis eſſet. Nunc fuiſſe Oſiridis

* *Num. cap. 13, v. 31. item cap. 14, v. 7, & 10.*
† *Num. cap. 14, v. 24, & 30.*
‡ *verſ. 187, & ſeq.*
* *Maira, ſive Mara, ſidus Canis, ſive æſtus intenſiſſimus. Secundum quoſdam, Luna.*

Osiridis & Isidis filium, tradunt Ægyptii. At frater Osiridis Typho, infensus hostis: ut ea ad primum Osiridem, non hunc debeant referri. Quàm appositè verò Calebo promittitur, fore, ut inter astra relatus, ipse etiam racemos maturet! Nam ex XII illis fuit, qui prægrandem illum racemum detulerant ad Israelitas; quemadmodum diximus.

Quamquam verò Moses non reperit vinum, quæ laus est Noachi, ut is sit Orientalium Assyrius, & Indicus Liber (ex Assyria enim in Indiam venisse, opinio erat Indorum, ut diximus †) non tamen caussa defuit, cur vini etiam ratione Mosi nomen Liberi daretur. Nam perduxit Israelitas usque ad terram, non solum lacte & melle fluentem, sed vino etiam affluentem. Vt inde videri expressum queat, quod apud Euripidem in Bacchis chorus canit: † cap. 25.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
Νέκταρι, Συρίας δ' ὡς Λιβάνου καπνός.
Fluit vero lacte terra,
Fluit etiam vino, fluit & apum
Nectare: Syriaci verò ut Libani fumus.

Ac in beatam adeò terram duxisset Moses, nisi culpa fuisset penes Israelitas, qui pugnam aggredi metuebant, territi, tum munitis terræ civitatibus, tum giganteâ incolarum staturâ. Ostendit interea, quem exploratores attulerant, palmitem abscissum cum uva sua, portatum in vecte à viris duobus: ut est Num. XIII, 24. Nempe ut hæc, de vecte dependens, illæsa monstraretur Israelitis. Erat enim ingens, & pulchra: quo accendi poterant Israelitæ ad expeditionem adversus eos, unde nobilis ille botrus adferretur. Sed ut ingentem fuisse, certissimum est, propter ea, quæ diximus: num etiam putandum, tantam fuisse, ut ponderis gratiâ necesse fuerit à duobus deferri? Sic existimat Philo: imò arbitratur, his pondere defessis, bajulos successisse alios, atque alios. Audiamus eum in primo de vita Mosis: Μάλιστα δ' αὐτοὺς κατέπληττεν ὁ τῆς ἀμπέλου καρπός. οἱ γὰρ βότρυς ὑπερμεγέθεις ἦσαν, ἀντιπαρεκτεινόμενοι τῶν κληματίσι καὶ μοσχεύμασιν, ἄπιστος θέα. ἕνα γὰρ ἐκτεμόντες, ἐκ δοκίδος ἐκ μέσων ἀπαιωρήσαντες, ἧς τὰς ἀρχὰς δυσὶ νέοις, τῷ μὲν ἔνθεν, τῷ δὲ ἔνθεν ὀπιθέντες, ἐκ διαδοχῆς πιεζομένων ἀεὶ τῶν προτέρων, βαρύτατον γὰρ ἦν ἄχθος, ἐκόμιζον. *Maximè autem admirationi iis fuit fructus vitis: nam prægrandes erant uvæ, de palmitibus pendentes, vix credibile spectaculum. Nam unam cum resecuissent, suspenderunt de medio vecte; cujus extrema cùm duo juvenes hinc & inde sibi imposuissent, deportarunt eam, aliis post alios succedentibus, propter pondus.* Metuo, ne καθ' ὑπερβολὴν * ista dixerit Philo. Vel si sic alios aliis succedere opus erat, id credo fuerit, non tam ob pondus uvæ, quàm ob * per excessum.

vectis moleſtiam, & longitudinem viæ. Quouſque verò nonnullis uvæ terris excreſcant; docet nos egregius naturæ myſtes Plinius lib. XIV, cap. I: *Vvæ*, inquit, *magnitudinem infantium puerorum in interiore Africæ parte exſuperant.* Sed quid hæc ad ea, quæ Stephanus Byzantius refert in Εὐκαρπία? Ait, ſic populum dici minoris Phrygiæ. Deinde ſubjungit: Ἱστορεῖ Μητροφάνης, τὸ βότρυν ἐκεῖ τοσοῦτον γίνεσθαι τὸ μέγεθος, ὅσον ἅμαξαν ἀπ' αὐτοῦ σχιζθῆναι καὶ μέσον. *Narrat Metrophanes, racemum iſtic generari ejus magnitudinis, ut ab eo currus in medio fuerit diſruptus.* O fidem leviſſimæ Græcorum gentis! Putemuſne, ſi Divæ Fidei (ſic loqui nunc liceat cum Gentilibus) periculum immineret, propter quod ſe occultare in terris cogeretur, uſpiam ſe tutiùs abſconſuram, quàm apud Græculos? Nemo enim ſapiens quæreret illam apud eam nationem, quæ, ut Tullius ait pro Valerio Flacco, *Fidem nunquam coluit:* ne in hiſtoria quidem, de qua ſic Quinctilianus lib. II, cap. II: *Græcis hiſtoricis plerumque poeticæ ſimilem eſſe licentiam.* Profectò vel de papyro currum iſtum ætas fecerat puerilis: vel non magnitudine uvæ, ſed mendacii hujus, crepuit medius.

CAPVT XXXI.

Canobus ſive Canopus Ægyptius num à Menelao Atrida Diis additus ſit, an longè eo antiquior fuerit, in utramque partem diſſertatum. Succeſſio regum Ægyptiorum à Cambyſe, primo è Perſis rege Ægyptio, uſque ad Darium Codomannum, regem ex ea gente ultimum: & de Apide bis à regibus Perſicis male habito: deque duplici Ægyptiorum adverſus Perſas rebellione. Ptolemæus Magnus ſive Soter fœdâ ſacerdotis Ammonii adulatione pronunciatus Deus. Decretum Philadelphi de fano Arſinoæ exſtruendo, in quo ſimulachrum ejus nullo ſubnixum in aëre pendêret. Auſonii in eo lapſus, ac fortè etiam B. Auguſtini. Solis ſimulachrum Serapidi artificio adſurgens magnetico. Merum eſſe commentum de Muhammedis urna in aëre pendente. Antinous ab Hadriano Cæſ. Diis Ægyptiis collega datus.

DIximus de antiquis Ægyptiorum Diis, tum illis, qui vixerint initio regni, jam ante Abraham patriarcham: tum aliis, qui poſtea, ante tamen Othonielis, ac Iudicum tempora, floruerint.

Paullò verò poſt bellum Trojanum Canobus Laco à Menelao, qui hoc gubernatore uſus fuerat, fanum accepit juxta oſtium Canobicum. Strabonem vide in XVII, & Euſtathium ad Dionyſii verſum:

Καὶ τέμενος θείπυρον Ἀμυκλαιοῖο Κανώβου.
Et delubrum celeberrimum Amyclæi Canobi.

Quia verò gubernârat navem, aquis eum præfecerunt: imò & Neptunum vocarunt: unde

unde Ποσειδῶνος Κανώβου ἱερὸν * legas apud Stephanum †. Quomodo is Chaldæorum Deum Ignem superârit, narrat Rufinus in secundo histor. Eccl. & Suidas in Κάνωπος. Ex quibus super re vulgatissima non dubitavit caput integrum contexere Petrus Crinitus in XI de honesta disciplina. Sed quod multis veterum proditum est, Menelaum hoc usum gubernatore: id negat Aristides oratione Ægyptiaca de caussis Nili crescentis. Vbi cùm dixisset, Hecatæi, & famæ judicio, Canopum Menelai gubernatorem putari, continuò subjungit: Ἐγωγε ἤκουσα ἐν αὐτῷ Κανώβῳ τῷ ἱερέων ἐκ τῶν φαυλοτάτων, ὅτι μυρίοις ἔτεσι πρότερον ἢ Μενέλαον ἐκεῖσε προσχεῖν, τὸ χωρίον ἔτως ὠνομάζετο. καὶ ὅτι ἄντικρυς μὲν ἔλεγε τοῦνομα τοῦτ' αὐτὸ ὡς ἀπογράψαι γράμμασιν Ελληνικοῖς· ἀλλ' ἵνα μὲν ὥσπερ ἐμφερόμενον τῇ φωνῇ διατρέχον· Αἰγύπτιον δὲ καὶ δυσγράμματον μᾶλλον· τόδ' ἂν ἡμετέρᾳ φωνῇ δηλοῦν ἔφη χρυσοῦν ἕδαφος. *Equidem audivi in ipsa Canobi urbe ex sacerdote non infimæ conditionis, multis antè seculis, quàm eò veniret Menelaus, locum hoc nomen habuisse. Nec tamen ajebat, disertè ac totidem literis sic nomen id perscripsisse Ægyptios: sed sic ut vicinum esset, & quasi alluderet: Ægyptium verò illud difficilius exarari: nostrâ autem linguâ significare Aureum solum.* Meliorne hac parte Aristidis caussa sit, an priorum, non facilè dixerim. Parte unâ Græculorum video vanitatem: quibus, ubi ex similitudine nominum vel minima se occasio offerret celebrandi suos; nunquam religio fuit quidvis comminisci. Vt nihil fuerit mirandum, si, cùm numini Ægyptiaco audirent esse nomen, quale fere Canobi erat: avidissimè hanc amplexi sint occasionem detorquendi illud ad Canopum Menelai, quo sic aliis persuaderent, & illum Ægyptiorum Deum hominem fuisse Græcum. Verùm ex altera parte Aristidis illud caussam reddit suspectiorem, quòd ista scripserit persuasus ab sacerdote Ægyptio: idque eo tempore, quo religio Christiana cum alibi, tum maximè Alexandriæ, & reliquâ Ægypto, summa caperet incrementa. Natus enim Aristides sub Hadriano imp. ac sub M. Antonino Cæs. claruit: cui & familiaris admodum fuit. Assiduæ tum dissertationes erant inter Christianorum, & gentilium sacrorum antistites. Nostris exprobrantibus, quòd Ægyptii eos colerent, qui homines fuissent, ac sæpe haut magnæ rei; qualis nauclerus ille Canobus, hoc solo nomine in Deos relatus, quia gratus fuisset Menelao: illi nihil istorũ agnoscere, sed quævis effugia meditari, ne inferiores Christianis viderentur: ut nihil novi fecerint, si Canobũ esse vetus Ægyptiorum numen, longè Menelao, ac bello Trojano antiquius, prædicarint.

Ac hujusmodi fuere Dii Ægyptiorum, dum suis paruere regibus: hoc est, usque ad Amasis filium Psammetichum à Cambyse devictum. Ad quæ usque tempora reges eorum dicti *Pharaones*. Nec enim putandum, id Mosaicis solùm temporibus locum habuisse; de quo ex Pentateucho li-

* *Neptuni Canobi fanum.*
† *in* Κανωπος.

quet : sed etiam extremis ; saltem ante tempora Cambysis, ut dixi. Vnde apud Ierem. XLIV, & XLVI, *Pharao Necho*, & *Pharao Cophra*. Sed *Pharao* tantum erat dignitatis appellatio, ut proprio nomine opus esset distingui : quod Ieremias ostendit. Porro, ubi Cambyses Ægypti potitus, non eo deinceps loco Dii esse Ægyptii : quippe dominis tum Ægypti Persis; qui nec Deos agnoscerent animales, nec animantia muta pro symbolis Deorum. Itaque Cambyses Memphitas proceres, festum Apidos agitantes, interemit : postea Apide à sacerdotibus adducto, hos quidem flagris cædi jussit; Apidem verò, cum ventrem ferire vellet, in femore vulneravit; unde is postea extabuit; postea verò, clam Cambyse, à sacerdotibus est tumulatus : uti Herodotus pluribus narrat in Thalia.

Mansit autem Ægyptus sub Persarum imperio usque ad Artaxerxem Longimanum : cujus tempore Ægyptii Inarum, Psammetichi filium, regulum antè Libyæ, regem crearunt Ægypti. Atque, adjutantibus eum Athenienſibus, primò feliciter satis res Ægyptiis processerunt. Vbi verò Artaxerxes magnâ, quam in Cilicia exstruxerat, classe; pedestribus simul copiis, quas per Phœniciam deduxerat, victor evasit : Athenienses quidem dimisit, Inarum autem suspendit.

Exinde Ægyptii iterum esse sub Persis, usque ad tempora Darii secundi, sive Nothi : quando regem crearunt Amyrtæum Sebennitam : qui annis sex imperium tenuit. Post hunc quatuor rexere dynastæ Mendesii, Nepheritis, Achoris, Psammites, & alter Nepherites. Hinc tres Sebennitæ, Nectanebis, Teos, Nectanebos. Posterior verò Nectanebos imperio est spoliatus ab Artaxerxe Ocho. Qui quo loco habuerit religionem Ægyptiam, argumento erit, quòd Apim mactavit, & inde eum, epulans cum amicis, absumsit. Vnde Ægyptii Ochum appellabant *gladium*, ad asperos ejus mores significandos : quemadmodum testis est Plutarchus lib. de Isid. & Osiride. Qui & postea narrat occasionem istorum. Ochum enim à dicacibus Ægyptiis asinum vocatum. Tum illum dixisse : At asinus iste vestrum comedet bovem : hinc Apim mactâsse. Quorum auctorem laudat Dinonem. Atque idem apud Ælianum legas lib. IV Historiæ Var. cap. VIII. Postea Ægyptus Persici juris mansit, donec devicto Dario Codomanno, regum Persicorum ultimo, in Alexandri Magni potestatem venit : qui eam annis tenuit quinque. Vt hic ab oraculo Iovis Ammonis sit Dei filius, Deusque habitus; nihil attinet reponere, quia fugit neminẽ. Post eum rexit Ptolemæus Lagi filius : à quo deinceps reges dicti sunt Ptolemæi : sed sic ut cognomentis Philadelphi, Epiphanis, & aliis, distinguerentur. Lagiden hunc, qui & Magnus, & Σωτὴρ dictus, Rhodiis hoc agentibus, ut gratiam rependerẽt, ab oraculo Ammonis pronunciatum

ciatum est, divinis afficiendum honoribus: unde lucus illi in urbe Rhodi sacratus, atque is quadratus, exstructâ ad latus quodque porticu stadium longâ; quam Πτολεμαῖον nuncuparunt. Lagidæ successit Philadelphus: qui postremò sororem duxit Arsinoën, antea Lysimacho, & Ptolemæo Ceraunо nuptam. Quantopere amârit eam, argumento est, quòd Deorum cultu honorari cupierit. Plinius lib. XXXIV, cap. XIV: *Eodem lapide* (magnete) *Dinocrates architectus Alexandriæ Arsinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulachrum ejus in ferro pendêre in aere videretur. Intercessit mors & ipsius, & Ptolemæi; qui id sorori suæ jusserat fieri.* Sed Ausonius ita rem narrat, quasi eò rem perduxerit, quò volebat. Sic enim inquit Idyllio III:

Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares: quadro quoi in fastigia cono
Surgit, & ipsa suas consumit pyramis umbras:
Iussus ob incesti qui quondam fœdus amoris
Arsinoën Pharii suspendit in aëre templi.

Ac planè censeo, eodem respexisse B. Augustinum lib. XXI de Civ. Dei cap. VI: ubi ait, *in quodam templo, lapidibus magnetibus in solo & in camera, proportione magnitudinis, positis, simulachrum ferreum, aëris illius medio, inter utrumque lapidem, ignorantibus, quid sursum esset, ac deorsum, quasi numinis potestate pendêre.* Ludovicus Vives tamen intelligi putabat signum Solis in Serapidis templo apud Alexandrinos. Sed obstat, quòd supernè illud magnetem haberet, parte infernâ non item: uti ostendunt hæc verba Rufini in secundo historiæ Eccles. cap. XXIII: *Signum Solis ex ferro subtilissimo manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis* (magnes) *cujus naturam ferrum ad se trahere, desuper in laquearibus fixus, cùm temperatè sub ipso radio ad libram fuisset positum simulachrum, & vi naturali ad se raperet ferrum, assurrexisse populo simulachrum, & in aëre pendêre, videretur. Et ne hoc lapsu propero proderetur, ministri fallaciæ, Surrexit, ajebant, Sol, ut valedicens Serapi decedat ad propria.* Satis hæc ostendunt, non loqui Augustinum de Solis signo apud Alexandrinos: sed, ab Ausonio, vel aliis, deceptum, putâsse, esse simulachrum ferreum, quod inter duos magnetes constitutum in aëre pendêret semper. Sed cautè, dubius ipse, locum, ubi simulachrum tale foret, silentio præteriit. Nam Canopicum erat decretum, at non absolutum: Alexandrinum absolutum, sed supernè solum attrahebatur, idque tantùm Sole surgente. Nec sanè illius ab Augustino, vel Ausonio descripti, exstare arbitror exemplum. Non quidem vulgaris me fugit opinio de arca Muhammedis cadaver continente, quam Mechæ, Arabiæ oppido, sic inter magnetes suspensam in æquilibrio ajunt sustineri. Sed totum hoc fabula est; quia, qua corpus ejus continetur, urna est lapidea, eaque non magnetis vi, vel arte aliâ elevata,

sed humi sita : uti multi prodidere & superiorum,& temporis nostri scriptores; in his Gabriel Sionita,& Ioannes Hesronita,Maronitæ, opusculo de variarum Orientis urbium religione ac moribus,quod tralationi Geographiæ Nubiensis subjecerunt. Sed ut ad Ptolemæos redeam , non Lagiden solum sive Sotera , sed etiam uxorem ejus Beronicen ; nec Arsinoën duntaxat, sed maritum etiam Philadelphum , pro Diis cultos, vetus indicat subscriptio simulachri Ptolemæi Euergetæ , quæ sic incipit : Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος υἱὸς βασιλέως Πτολεμαίου, & βασιλίσσης Αρσινόης θεῶν ἀδελφῶν, τοῦ βασιλέων Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Βερενίκης, θεῶν Σωτήρων ἔκγονος. *Rex magnus Ptolemæus, filius regis Ptolemæi, & reginæ Arsinoæ, Deorum, fratris sororisque ; regum Ptolemæi, & reginæ Berenices, Deorum Servatorum nepos.*

Desiit Ptolemæorum imperium devictâ ab Augusto Cleopatra. Exinde Ægyptus sub Cæsaribus Romanis fuit. Sub his novus Ægyptiis Deus ab Hadriano Cæsare amasius ejus Antinous : de quo Athenagoras in Legatione , item Tatianus, ac Theophilus , ac imprimis Origenes in tertio adversus Celsum Epicureum, hominem tam impudentem , ut cùm gentilium ipse rideret oracula, ac sacerdotum imposturas : (quod non obscurè indicat Lucianus in Alexandro Pseudomante , quem Celso huic dicavit) nihilominus tamen eò impudentiæ deveniret, ut quæ Antinoi sacerdotes facerent , conferre auderet cum miraculis Servatoris nostri Iesu. Quo nomine accuratè ab Origene refelli meruit. Est & mentio ejus in veteri inscriptione Romæ repertâ in campo Martio ad Isidis : ANTINOΩI ΣΥΝΘΡΟΝΩΙ ΤΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΘΕΩΝ*. Literæ unius errore apud Goltzium in thesauro rei antiquariæ ΣΥΗΘΡΟΝΩΙ editum est.

* *Antinoo eundem cum Diis Ægyptiis thronum occupanti.*

CAPVT XXXII.

Catabathmus Deos coluit patrios. Ammonis oraculum esse Chami, filii Noë. Exoriente salutari Euangelio Iesu, minus minusque illud consuli solere. Expensa veterum sententia, utrum propheta Nahum per No-Amon, *ac Ezechiel per* No , *Diospolin, an Alexandriam, intellexerit. Fana Batto constituta, Cyrenarum conditori. Origo proverbii ,* Batti Silphium. *Refellitur vir eximius super eo, quòd putârit, Solini esse commentum de bono Silphii odore. Mopsius Afris Deus. Carthaginenses Herculi Tyrio decumas prædæ mittebant. Refellitur eorum opinio , qui Carthaginem censent exstructam à Xoro, & Carchedone : & quæ fabellæ hujus origo. Vnde urbs* Carthada ; *arx ejus,* Bursa *dicta sit. Dido culta pro Dea. Vnde ea* Elisa , *unde item* Dido *vocata. Qua occasione Amilcar Pœnus à suis sit Diis adscriptus. De Philænorum aris mutilus Melæ locus suppletus , sed Sallustii,*

Salluſtii, aut Valerii verbis. Æſculapii templum Carthaginenſibus, & unde eum habuerint cultum. Mauri coluere reges ſuos; in his Iubam.

EX Ægypto eo in Catabathmon, vallem devexam, Africæ finem; ex eorum quidem ſententia, qui Ægyptum Aſiæ adſcribere maluerunt. Hujus oræ (ut Mela ait lib. I, cap. VIII) *patrios ſervant Deos, ac patrio more venerantur.* Sed utrùm Dii iſti ſint animæ defunctorum, an naturæ partes, an utrumque pariter, id verò non dicit Mela.

Hinc conferam me ad Ammoniacam regionem: cui nomen ab oraculo Iovis Ammonis. Numen hoc Diodorus in tertio fuiſſe ait Ἄμμωνα βασιλεύοντα μέρους τῆς Λιβύης· *Ammonem in parte quadam Libyæ regnantem.* Addit, ut uxorem duxerit Rheam, Cœli filiam, Saturni ſororem. Quibus hiſtoria occultatur vetus, ſi Saturnum intelligas juniorem, hoc eſt, Noë: cujus nurus etiam vocare ejus ſorores poſſumus; quia & Noë, & illæ, ab uno deſcenderant Saturno ſeniore, ſive primo parente Adam. Nec obſtat, quòd Libyæ regem nuncupet Diodorus. Nam inde hanc conjecturam cepit, quod in Libya ejus fuerit oraculum. Sed ſi ſacram conſulamus hiſtoriam, comperiemus, multò latiùs ejus patuiſſe imperium. Nam ex diviſione terrarum inter liberos Noë, de qua ſuperiùs diximus, liquet, ſortitò illi obtigiſſe, & Cananæam, & Arabiam, & Ægyptum, & Æthiopiam, & Libyam exteriorem. Sed totum hoc ſubnixum eſt fundamento iſti, Iovem hunc Ammonem eſſe eundem ac Ham, ſive Cham, Noe filium; uti non ſemel diximus. Etiam vidimus, quàm oraculum ejus conſuli ſoleat à populis Aſiæ longè remotis. Sed jam Strabonis ætate negligi cœpit: ut indicat lib. XI: Διόπερ ἡ τὸ ἐν Ἄμμωνι χρεὼν τι ἐκλέλειπται χρηστήριον, πρότερον δὲ ἐτετίμητο. *Itaque oraculum Ammonis propemodum eſt deſertum, quod in honore prius fuit.* Magis etiam neglectum tempore Plutarchi: uti ſatis liquet ex iis, quæ ſcripſit de oraculorum defectu. Nempe quanto magis perrumperet lux Euangelii: tanto minus pretium erat tenebricoſis dæmoniorum oraculis. Itaque temporibus Theodoſii ſenioris deſpicatui plane erat: unde Prudentius:

Nec reſponſa refert Libycis in Syrtibus Ammon.

Videri autem poſſint oraculi ejus etiam meminiſſe Sacræ literæ. Vt Nahum III, 8: *Numquid melius tecum erit, quàm cum* נא אמון, *No-Amon?* Hoc eſt, *habitatione Amonis.* Nam נא ex נָוֶה, *habitaculum.* Sed enim oraculo Ammonis non convenit deſcriptio civitatis No inter flumina mariáque ſitæ: ut ibidem eam propheta Nahum depingit. Imò nec ſatis ea conveniens eſt Dioſpoli: quàm alii intelligunt, præeuntibus LXX, qui Ezech. XXX, 14, *No* vertunt Διόσπολιν. Favet quoque etymon. Nam נא *No* habitaculum,

lum, cui respondet πόλις, *civitas* : אמון, *Amon*, autem valet *Iovis* ; secundùm illud Herodoti in Euterpe : Αμμῶν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία· *Ammûn Ægyptii vocant Iovem.* Sed, ut dixi, adversantur ea, quæ de situ Vrbis refert Nahum. Magis illa apta Alexandriæ, inter mare mediterraneum, & Mareotim, positæ : quam iccirco juniores fere intelligunt ; præeuntibus Hebræis, ac Chaldæis. Sed obstare videtur, quòd Nahum, & omnes prophetæ, etiam ultimus eorum Malachias, fuerint ante Alexandrum Magnum. Vidit hoc B. Hieronymus : sed ait, urbem *No* dictam, in cujus dirutæ solo exstructa sit Alexandria. Verba ejus sunt in Epitaphio Paullæ ad Eustochium virginem : *Vrbis No, quæ postea versa est in Alexandriam.* Et ad prophetæ Nahum cap. III : *Hebræus, qui me in Scripturis erudivit, ita legi posse asseruit : Nunquid melior es, quàm No-Amon : & ait,* נא *Hebraicè dici Alexandriam ;* אמון *autem multitudinem, sive populos : & esse ordinem lectionis ; Nunquid melior es Alexandriâ populosâ, sive populorum, quæ habitat in fluminibus ; aqua in circuitu ejus ? Non quòd eo tempore Alexandria vocaretur : quippe quæ longo post tempore ab Alexandro Magno Macedone nomen accepit : sed quia sub nomine primo, id est, No, semper Ægypti metropolis fuerit, & abundantissima populis.* Subjicit deinde, ut Hieremias similiter XLVI, 25, *No* pro *Alexandria* dixerit. Quare, si B. Hieronymum audimus, schema illud fuerit, quod Πρόληψιν appellant. Nam neque Scripturas illud refugere, ostendimus Institutionum Oratoriarum lib. V, cap. XI, sect. VII.

Hinc concedamus in Æthiopiam : quæ, ut Deos, coluit reges suos ; ac privatim etiam alios, qui benefecerint : ut planius faciam libro proximo, cùm de vivorum agam cultu. Regia ejus urbs Meroë fuit, ejusdem cum insula nominis. Vbi, ut Strabo ait in septimodecimo, præter Deum quendam barbaricum (cujus cùm nomen reticeat, neque nos dicere illud possumus) Deos venerati Isidem, Pana, Herculem. Ac satis est verisimile, hæc numina eos ab finitimis accepisse Ægyptiis : quod si est, ea hic quoque locum habent, quæ superius de Ægyptiis illis retuli Diis.

Iter dirigamus ad Augilas, & Nasamonas, propero inde gressu in Cyrenaicam processuri. Nam jam cap. XI ostendimus, Augilas, Mela teste, colere Deos Manes. Pro quo Plinius ait *inferos* : uti & Solinus cap. XXXIV *, & Martianus Capella in VI. Defunctos verò intelligi, videre est ex iis, quæ de Nasamonibus prodidit Herodotus in Melpomene. Nam quæ de Nasamonibus Herodotus, hæc de Augilis Mela. Nec mirum, cùm populi sint finitimi in Marmarica ; juxta Ptolemæum. Potuere igitur hæ gentes in eo Manium cultu convenire.

* *al.* 31.

Cyrenenses regem Battum omnibus ornarunt honoribus, quibus reges priores : tum præterea ei statuêre, ut Herodotus in Melpomene ait,

τεμένεα

τεμένεα καὶ ἱεροσύνας, *fana ac ceremonias.* Atque horum auctor iis, ut ibidem legas, fuit Demonax, ex Mantinea Arcas: qui, occasione oraculi Delphici, eò à Mantineis missus erat. Ille verò civilis solùm honos fuit, quòd Cyrenæi cuderunt nummum, in cujus parte una caput Ammonis, in altera caulis Silphii, cum inscriptione ΚΥΡΑ, hoc est, ΚΥΡΗΝΑΙΩΝ. Vbi Silphium expressere, quia hoc regem suum Battum donarant. Vnde proverbium, Βάττου σίλφιον· *Batti silphium,* de honoribus raris. Et proverbii, & numismatis hujus, auctorem habeo scholiasten Aristophanis in Plutum, act. IV, sc. III: præterea Hesychium, Suidam, & Apostolium; qui iisdem penè verbis rem describunt in Βάττου Σίλφιον. Nummi ipsius picturam ex eo, qui fuerat Antonii Pisonis Medici, expressit Yvo Villiomarus, hoc est, Iosephus Scaliger adversus Titium lib. VIII, cap. XXIV. Malignè facit Titius, in Assertionibus suis, quòd fidem ejus nummi in dubium vocet. Interim ratio fugit Yvonem, sive Scaligerum, cum à Solino solo censet laserpitio odoratam tribui radicem; imò id ejus esse commentum: cum & Suidas ἡδύοσμον, *suave-olentem*, dicat: & Aristophanis scholiastes, tum in locum antè memoratum, tum etiam in Aves, Scenâ eâ, quam Neptunus sic incipit, Τὸ μὲν πόλισμα.

Vlteriùs est Africa propriè dicta; quippe interjecta inter Cyrenaicam, & Mauritaniam, secundùm Ptolemæum. Hic cultus est Mopsus vates: ut ostendunt ista Appuleji de Deo Socratis: *Pro numine postea ab hominibus proditi, fanis & cerimoniis vulgo advertuntur: ut in Bœotia Amphiaraus, in Africa Mopsius, in Ægypto Osiris.* Puto, eum esse, non Mopsum Tiresiæ ex Mantone filia nepotem; de cujus in Cilicia oraculo antea vidimus: sed filium Ampyci, Argonautarum unum; de quo Apollonius, & Valerius Flaccus, in Argonauticis. Apud Statium etiam in III Thebaidos sic de eo Amphiaraus:

— *Nec, me ventura locuto,*
Sæpius in dubiis auditus Iasone Mopsius.

Vbi sic Lactantius sive Lutatius interpres: *In tantum magnus fuit Mopsius in augurali peritia, ut post mortem ei templa dicata sint: à quorum adytis sæpe homines responsa accipiunt.* Quibus cultus fuerit locis, non addit interpres: sed de Africa credere debemus Appulejo, homini Afro; addo & mago, eoque oraculorum callentissimo. Proque hoc facere etiam videtur Seneca in Medeæ choro: ubi legas,

Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit Serpens: Libycis arenis
Omnibus verax, sibi falsus uni,
Concidit Mopsius, caruitque Thebis.

Quamquam eo de loco non magnopere contenderim, gnarus, quàm

variè eum distinguant viri doctissimi. Sed ista, quam posui, maximè menti convenit Appuleji. Et favet Ammianus in XIV, ubi perperam quidē Argonautam Mopsum in Cilicia cultū; at rectè eum in Africa mortuū tradit.

In Africa propriè dicta etiam Carthaginenses erant, Tyriorum coloni, ac propterea cultores numinum Tyriorum; de quibus antea diximus. In iis Herculis; cui propterea decumas proventuum mittebant: ut est apud Diodorum lib. xx. Exemplum ejus rei habemus in Cartalone: quem Carthaginenses Tyrum misêre, ut decimas Herculi ferret ex præda Sicilienſi, à patre ejus Maleo capta: sicut Iustinus narrat lib. XVIII.

Sed mittamus nunc Herculem Tyrium; quando & antea de eo diximus, iterumque agemus in numinibus Gaditanis, & Hispanicis. Cætera etiam prætereamus Carthaginensium numina, quæ cùm colonia illa duceretur, domo secum afferebant; deque illis solum videamus, quæ postea receperunt: & quoniam ista fere apud gentes fuit consuetudo, ut eos, quibus urbes deberent originem sui, non pro parentibus modò haberent, sed etiam pro Diis: ab his deinceps nostra proficiscatur oratio.

* *initio Libycorum & Punicorum.*

De conditoribus Vrbis, si Appiano * credimus, dissensus inter Phœnices & Carthaginenses fuit. A Phœnicibus enim creditum ait, Xorum & Carchedonem urbē eam exstruxisse; à Carthaginensibus autē, Didonem. Phœnicibus assentiri non possumus. Nullus enim Xorus fuit: sed fabula de conditore hoc ex eo cœpit, quòd Carthago esset Tyriorum colonia: at Tyrus Phœniciâ linguâ צור *Tsor* diceretur. Græcis quippe nulla vox incipit à T S: sed pro duplici Tsade sive T S, habent K S sive Ξ, unde multo plurima inchoant. Ergo pro Τσῶρος dixere Ξῶρος. Nisi pro *Xoro* scribendum *Zoro*. Quippe in Eusebii Chronico legas ex Philisto, Zorum & Carchedonē esse Carthaginis conditores. Vbi Græce apud Syncellum Ζώρυ. Et sane Z propius abit à Tsade. Nam Z valet σδ: ut φράζω sit φράσδω, pro quo Dores κῆ μιλάθεσιν, φράσδω. Nec ullus Carchedon urbem exstruxit: sed urbs ea à Tyriis vocata *Carthada* †; pro quo Græci dixere Καρχηδὼν, uti Latini *Carthago*. Carthada autem appellata est ad discrimen arcis: uti hodiéque crebrò inter *arcem* & *oppidum* distingui solet. Vocabulum *Carthada* Solino ‡ exponitur *Civitas Nova*: uti καρχηδὼν Stephano Byzantio καινὴ πόλις, aliis νεάπολις. Nempe ex Arabico קַרְיָה נַדָא, *caria gadda*. Nam Arabum & Tyriorum lingua eadem. Vel ab Chaldæo קַרְתָּא חַדַתָּא, *carta chadatta*. Quod Hebraicè קֶרֶת חֲדָשָׁה, *kereth hadaſcha*. At arx dicta iis, uti & Hebræis, בִּצְרָה, *botsra*, hoc est, ὀχύρωμα, πύργος, *arx*, *munimentum*, *burgus*. Sed Græci carent litera tsade: unde nunc T, nunc S omittunt. Itaque à *botsra*, T rejecto, foret *bosra*. Sed nec amant R post S: eoque trajectis literis, & vocali mutatâ, dixere βύρσα: quod iccirco

† *Solin. cap.* 30.

‡ *cap.* 30.

circo Strabo in XVII ἀκρόπολιν sive *arcem* interpretatur. Ex his videmus, non modò, unde & *Carthago*, & *Burſa*, nomen acceperint : ſed etiam, non fuiſſe Carthaginem conditam à Xoro, & Carchedone; ut Tyrios tradere, ait Appianus. Quare nihil mirandum, ſi Xorus, & Carchedon, nuſquam referantur in Deos. At contrà eſt de Eliſſa Tyria ; cui natales Vrbis tribuebant Phœnices. De hac ita Iuſtinus lib. XVIII : *Quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea culta eſt.* Hanc *Eliſſam Tyriam quidam Dido autumant* : ut inquit Vellejus in primo. Priùs nempe vocabatur אֱלִישָׁה, *Eliſſah* : cujus poſterior pars שָׁה, *agnus* : unde interpretantur *Dei mei agnus*. Niſi idem nomen ac prophetæ Eliſæi, אֱלִישָׁע, quod à יָשַׁע, *ſalus* ; ut ſit *Dei ſalus*, vel *Deus ſalvans*. Apud Euſebium legas, Didoni priùs nomen fuiſſe Θεινὼ : quod neſcio unde hauſerit. Διδὼ autem, Hebr. דִּידוֹ, *dilectulam* notat. Eſt enim diminutivum à דּוֹד, David, hoc eſt, *dilectus*. De quo tamen aliter veteres. Euſtathius in Dionyſii ἐξήγησιν * Διδὼ exponit ἀνδροφόνον †. Servius P. Dan. in 1 Æn. ait Punicâ linguâ notare *viraginem* : atque id nomen adeptam, poſtquam ſe in pyram conjecerat, ne, cujus animo ſemper obverſaretur maritus (Sichæum Maro †, Sicharbam Servius ‡, Acerbam, vel Acervam Iuſtinus * vocat) ea animo adverſante nubere cogeretur Iarbæ, Maxitanorum, ſive Mazyum, ſeu Libyum Numidarum regi. At ſcriptor Etymologici magni, item Varinus Phavorinus, Διδὼ interpretantur πλανῆτιν, hoc eſt, *vagam, erraticam* : quomodo dictam arbitrantur, quia Tyro profuga variè eſſet vagata. Porrò coacta Dido ab Afris ſolum emere Vrbi : eoque & Carthaginenſes quotannis pro ſolo urbis vectigal (*ſolarium* id Vlpianus † vocat) ſolvere cogebantur : cumque id, potentiores jam facti, intermitterent ; bellum inde inter Afros, & Carthaginenſes, coortum; ut eſt apud Iuſtinum lib. XIX. Sed, quod ajunt, Didonem tantum ſoli mercatam,

Taurino quantum poſſent circumdare tergo ;

ut eſt apud Maronem Æn. 1 ; id planè fabuloſum : multóque fabuloſius, quod Iuſtinus ait lib. XVIII, emiſſe, quantum tegere poſſent pelle bubulâ. Nec dubitandum, quin, ad eum Iuſtini locum reſpexerit Servius, cùm ad ſuperiorem Maronis locum annotat, *Non tegere, ſed circumdare*. Nempe Iuſtini ſententiam damnat. Sanè cum Marone etiam facit Livius lib. XXXIV : *Quantum loci*, inquit, *bovis tergo amplecti potuerint*. Et Appianus initio Punicorum, ὅσον βύρσᾳ ταύρου περιλάβῃ ‡. Interim & hoc Græculorum eſt commentum : cui præbita eſt occaſio è voce βύρσᾳ, illis *corium* ſignificante. Nempe, more ſuo, omnium origines ex ſua lingua petunt. At ſi accuratiùs inquiſiſſent in res Punicas ; vidiſſent, verum arcis ejus nomen, non βύρσᾳ eſſe, ut ipſi pronunciabant, ſed *botſra*, atque id ἀκρόπολιν, ſive *arcem* notare ; ut antea diximus.

* *verſ.* 195.
‡ *viri interfectricem.*
† 1 *Æn.*
‡ *ibid. in Serv. P. Dan.*
* *lib.* 18.
† *l.* 2, *s.* 11, *ff. nequid in loc. publ. & in l.* 38, *s.* 4. *ff. de leg.* 1.
‡ *quantum corium bubulum comprehenderit.*

Satis diximus de urbis Dea, vel arcis conditrice. Postea verò & alios cultu dignati sunt divino. Vti Αμίλκαν, *Hamilcarem*: ut est apud Athenagoram in Legatione pro Christianis. Fuit ille è patre Carthaginensi, matre autem Syracusana: ac ob virtutem eximiam factus est Carthaginensiũ rex *, hoc est, dux: quomodo & *reges* eorum dicuntur Hanno †, Bomilcar ‡, Imilco *, alii. Post cladẽ suorum in Sicilia nusquam comparuit; etsi Gelo Syracusanus sedulò eum jusserit inquiri. Id unde fuerit, variè olim disceptatum. Interim hoc Amilcar consecutus, ut in Deos referretur. Quâ de re sic Herodotus in Polymnia: Εςι δὲ ὑπ' αὐτέων Καρχηδονίων ὅδε ὁ λόγος λεγόμενος, εἰκόνι χρεωμένων, ὡς οἱ μὲν βάρβαροι τοῖσι Ελλησι ἐν τῇ Σικελίῃ ἐμάχοντο, ἐξ ἠοῦς ἀρξάμενοι μέχρι δείλης ὀψίης· ἐπὶ τοσοῦτο γὰρ λέγεται ἑλκῦσαι τὴν σύςασιν. ὁ δὲ Αμίλκας ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ μένων ἐν τῷ ςρατοπέδῳ ἐθύετο καὶ ἐκαλλιερέετο ἐπὶ πυρῆς μεγάλης, σώματα ὅλα καταγίζων· ἰδὼν δὲ τροπὴν τῶν ἑωϋτοῦ γινομένην, ὡς ἔτυχε ἐπισπένδων τοῖσι ἱροῖσι, ὦσε ἑωϋτὸν ἐς τὸ πῦρ· οὕτω δὴ κατακαυθέντα ἀφανισθῆναι. ἀφανισθέντι δὲ Αμίλκᾳ τρόπῳ εἴτε τοιούτῳ (ὡς Φοίνικες λέγουσι) εἴτε ἑτέρῳ (ὡς Καρχηδόνιοί τε καὶ Συρηκούσιοι) τοῦτο μὲν οἱ θύουσι, τοῦτο δὲ, μνήματα ἐποίησαν ἐν πάσῃσι τῇσι πόλισι τῶν ἀποικίδων· ἐν αὐτῇ τε μέγιςον Καρχηδόνιοι. *Circumfertur verò apud Carthaginenses ipsos, ejus imaginem colentes, sermo istiusmodi: dum barbari cum Græcis pugnant ab aurora ad crepusculum (tandiu enim productum est prœlium) Amilcarem in castris permanentem sacrificasse, corpora integra in pyram aggerendo: sed cum suos vidisset in fugam conversos, ita uti erat sacris occupatus, sese in ignem conjecisse, & sic combustum desiisse comparêre. Sive verò hoc pacto Amilcar desiit conspici, ut Phœnices ajunt; sive alio modo, ut Carthaginenses, & Syracusani volunt: partim ei sacrificant Carthaginenses, partim monumenta exstruunt, cum in coloniis omnibus, tum potissimum in Vrbe Carthaginis.*

Videntur & alicujus divini honoris argumentum esse aræ, quas Carthaginenses Philænis fratribus statuerunt. De iis vide sis Sallustium in bello Iugurthino cap. LXXIX, & Valerium Maximum lib. V, cap. VI. Eandem rem narrat Pomponius Mela lib. I, cap. VII: *Aræ*, inquit, *ipsæ nomen ex Philænis fratribus traxere; qui, contra Cyrenaicos missi Carthagine, ad dirimendum conditione bellum, diu jam de finibus, & cum magnis amborum cladibus, gestum; postquam in eo, quod convenerat, non manebatur, pacti de integro, ut quicquid de cætero esset, popularibus cederet. Mirum & memoriâ dignissimum facinus; hic se vivos obrui pertulerunt.* Sed locum hunc planè mutilum censeo: quia deest, quomodo pacti sint de integro. Quod his verbis Sallustius expressit: *Græci optionem Carthaginensium faciunt, ut vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eâdem conditione sese, quem in locum vellent, processuros.* Valerius autem Maximus idem istis habet verbis: *Dixerunt namque, sic eum finem ratum fore, si Philæni vivos se ibi obrui passi essent.* Quibus verbis usus sit Mela,

* *Herod. lib. 7.*
† *periplo ejus, qui inscribitur, Hannonis Carthaginensium regis.*
‡ *Iustin. lib. 22.*
* *Oros. lib. 4, cap. 6.*

Mela, difficile sit dicere. Sed mentem verbis Sallustii sic expresseris: *Pacti de integro, ut quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur: quicquid de cætero esset, popularibus cederet. Mirum, & memoriâ dignissimum facinus: hic se vivos obrui pertulerunt.* Ex Valerio autem Maximo suppleveris Melam hoc modo: *Pacti de integro, sic eum finem ratum fore, si Philæni vivos se ibi obrui passi essent: quicquid de cætero esset, popularibus esset. Mirum,* &c. Ararum Philæni, vel Philænorum, meminit & Polybius lib. III, & X: item Strabo lib. III, & XVII, Plinius Hist. Nat. lib. V, cap. IV, Solinus cap. XXX.

Mirum verò Carthaginenses coluisse Æsculapii numen: de quo auctor nobis Strabo in XVII. Sic enim de Carthagine scribit: Κατὰ μέσω δὲ τὴν πόλιν ἡ ἀκρόπολις, ἣν ἐκάλουν Βύρσαν, καὶ τὴν κορυφὴν ἔχουσα Ασκλήπιον, ὅπερ καὶ τὴν ἄλωσιν ἡ γυνὴ τοῦ Ασδρούβα συνέφρησεν· *Media in urbe, summaque ejus parte, ubi arx sita erat, nomine Byrsa, in ipso vertice fuit templum Æsculapii: quod Asdrubalis uxor, captâ Urbe, secum combussit.* Sanè Æsculapius patriâ Messenius fuit; primóque ab Epidauriis in Argia divinos fuit honores adeptus, exemplum mox reliquâ sequente Græciâ; ut diximus cap. XIII. Nec tamen tam existimem, Carthaginenses Æsculapii cultum ἀμέσως * accepisse à Græcis, quàm Tyriis. Nam Tyrus captam ante Carthaginem annis centum & octoginta sex nunc in Seleucidarum, nunc Ptolemæorum fuit potestate. Capta quippe Tyros ab Alexandro M. Olymp. CXII, an. I: Carthago autem excisa à Romanis Olymp. CLVIII, an. III. Intermedio tempore, & Tyros à Syromacedonibus, vel Ægyptiis, & Carthago à Tyriis, cultum didicerit Æsculapii.

* *immediate.*

Supersunt Mauri; quibus pro numine Reges sui. Vnde Tertullianus Apolog. cap. XXIV: *Vnicuique etiam provinciæ, & civitati, suus Deus est; ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Disares, ut Noricis Belenus, ut Africæ Cælestis, ut Mauritaniæ reguli sui.* Cyprianus de Vanitate gentium: *Mauri manifestè reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen prætexant.* Lactantius lib. I, cap. XV: *Hac scilicet ratione consecraverunt, & Mauri reges suos.* Præcipuè autem cultus Rex Iuba. De quo Minucius Felix in Octavio: *Nisi forte post mortem Deos fingitis, & pejerante Proculo Deus Romulus, & Iuba Mauris volentibus Deus est.* Quem locum sub Arnobii nomine Lilius Giraldus adducit: quia Octavius Minucii inscribi solet *Arnobii Octavus liber.* Minucio assentit & Isidorus lib. VIII Orig. cap. XI.

CAPVT XXXIII.

Ad Celticam acceditur. Quàm latè hoc vocabulum antiquiſſimis ſe temporibus extenderit; uti & Scytharum, *atque* Indorum. *Quod Tubal exiſtimetur Hiſpanæ gentis conditor, id videri originem cepiſſe ab Flavio Ioſepho. Refellitur hæc opinio ex Moſe, Iapheti filios ordine recenſente: ex Ioſepho, ſingulis ſuas adſignante ſedes: ex Ezechiele, Tubalidas conjungente cum Meſechitis, ac utroſque in Aquilonaribus populis numerante. Ficulnum eſſe argumentum, cùm Setubal Tubalis eſſe opus è nomine colligunt: præſertim cùm primitus aliud habuerit nomen, idque* Salaciæ, *ut videtur. Hiſpanos eſſe Iberum Aſiaticorum colonos; ſi audimus Ioſephum, Varronem, Plinium, Abydenum, Megaſthenem, Strabonem, Dionyſium Afrum, & Socratem Scholaſticum. Duæ aliæ ex Appiano ſententiæ adducuntur. Refellitur Megaſthenes de Hiſpanis à Nabuchodonoſoro devictis. Iberes, & Albanos, præcipuè cæleſtia corpora veneratos. At defunctos tantum abeſſe, ut coluerint Albani, ut iis nec fas illos fuerit nominare. Cur per acinacen jurarint Scythæ. Martis cultus apud Accitanos. Maximè videri veriſimile, Occidentalis, & Aſiaticæ Iberiæ gentes, nihil præter nomen habuiſſe commune. Rejecta expeditio Liberi in Iberiam, & nominis* Paniæ *impoſiti à Pânos præfectura.* Spania, *pro* Hiſpania. *Commenticius Lyſus; unde tamen Luſitaniæ nomen petunt. Fanum Mneſthei. Luciferi fanum, quod aliter dixere* Lucem-dubiam. *Emporitarum urbs à Maſſilienſibus condita; uti Maſſilia à Phocæenſibus, Phocæa à Phocenſibus. Cur Maſſilienſes coluerint Apollinem Delphinium, & Dianam Epheſiam; imò horum exemplo etiam Emporitæ.*

LVſtravimus Ægyptios, Æthiopas, Afros; gentes ad Meridiem ſitas. Nunc navi ſolutâ petamus Celticam: quo nomine veteres intellexere gentes poſitas ad Occaſum: uti Septentrionales generatim vocarunt Scythicas; ad Orientem, Indicas. Vnde Ephorus, Strabone in primo teſtante, prodidit, juxta antiquiſſimos mundum diſpeſci in quatuor partes: ac τὸ πρὸς τ' Απηλιώτλω, Ινδὺς ἔχειν· πρὸς νότον δὲ Αιθίοπας· πρὸς δύσιν δὲ Κελτὺς· πρὸς βεῤῥᾶν ἄνεμον Σκύθας· *verſus ſubſolanum habitare Indos, verſus auſtrum Æthiopas, verſus occaſum Celtas, verſus boream Scythas.* Vbi velut meditullium orbis conſiderat, hinc Romanos, & Græcos; inde Ægyptios, & Afros; Græciæ autẽ nomine minoris Aſiæ gentes comprehendit: hinc quadripartitò dividit cæteras nationes. Apud Dionyſium quoque Halicarn. videre eſt libro VII, cùm dixiſſet, gentes tardè in deorum cultu à patrio ritu deſciſcere, pro exemplis mox adferre Ægyptios, & Afros, item Celtas, Scythas, Indos, aliaſque nationes barbaras. Hoc enim ordine eas refert; ut liqueat, ſi non omnes, ſaltem prope omnes, in eo, quod dixerat,

gentes

gentes convenire. Quemadmodum igitur, nunc preſſiùs *Indiæ* vox ſumitur; nunc laxiùs, quomodo & Arabiam,& Phœniciam,ac Cananæam, comprehendit; ut oſtendimus, cùm de Hercule, ac Libero Indico, tractaremus: ita *Celtica* nunc preſſè accipitur pro Gallia, imprimis Lugdunenſi; nunc laxè pro gentibus cunctis ad Occaſum ſitis; potiſſimùm quinque illis, Hiſpania, Gallia, Britannia, Germania, & Illyride. Quod nihil opus probatu hoc loco, cùm abunde id ante nos egerint alii; præcipuè in Germania antiqua Philippus Cluverius noſter ὁ μακαείτης.

In Hiſpania, ut latè hæc tellus patet,valde numinis cultu variatum,pro varia in eam gentium migratione. Nos ab incunabulis, quantum poſſumus, rem arceſſemus, ut ita pareat tam diverſi cultus cauſſa.

Primus omnium in Hiſpaniam veniſſe creditur Tubal, Iapheti filius, Noe nepos. De quo tamen aliter B. Hieronymus in Ezech. XXXVIII: ubi *Tubal Italos* interpretatur. Sed utramque ſententiam jungit in Ieſaiæ LXVI, *Tubal*,inquit,ſive *Tobel aut Italia interpretatur, aut Iberia.* Item Iſidorus Orig. lib. IX, cap. II: *Tubal,à quo Iberi, qui & Hiſpani: licet quidam ex eo & Italos ſuſpicentur.*

Hæc ſententia originem cepiſſe mihi videtur ex Flavio Ioſepho lib. I Antiq. cap. VII, ſive juxta Ruffini interpretationem, XI: Καλοσιάζει δὲ καὶ Θοβήλους Θόβηλος,οἵτινες ἐν τοῖς νῦν Ἴβηρες καλοῦνται· Vbi Rufini tralatio habet: *Condidit autem Iobel Iobelos, qui noſtris temporibus Iberes appellantur.* Ita & MSSus noſter, & editt. variæ. Sed ſatis ex Moſe ac LXX liquet, *Tobel*, & *Tobelos*, reſcribendum. Porrò verba Ioſephi de Iberis Europæ plerique intelligunt; Hiſpani imprimis; qua in ſententia etiam fuiſſe Hiſpalenſem Iſidorum, oſtendunt quæ ex eo adduximus. Similiter Rodericus Toletanus lib. I rerum Hiſp. cap. III; alii item magno numero,quibus iccirco non inſiſtam; præſertim quando id Hiſpani extra controverſiam poni volunt: ut videre eſt ex Mariana initio lib. I rerum Hiſpan. cap. VII; ubi hæc de colonia à Tubale in Hiſpaniam ductâ vocatur *magnorum virorum conſentiens opinio:* & initio capitis VII ait, id *in confeſſo eſſe.*

Equidem inclytæ Hiſpanorum genti neutiquam invideo Tubalem conditorem: quin hac parte,ſi ſic illi videbitur,utroque,quod dicitur pollice faveam potiùs, quàm odioſè ſuper tantillo contentionis duxero funem. Imò per me quoque licet, Tubalis filium cum Annio Viterbienſi, mirifico impoſtore, Iberum ſtatuat; eumque & Ibero flumini,& Iberiæ terræ, de ſe impoſuiſſe nomen dicat. Interea cur diſſimulem, veriſimiliter aliud colligi è Scripturis, & Ioſepho? Primùm conſideremus locum,ubi Moſes liberos Iapheti recenſet. Eſt is Geneſ. X,2: *Filii Iapheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Iavan, & Thubal, & Moſoch, & Thiras.* Horum poſteritas

ritas quas possederit terras, sic exponit Flavius Iosephus.

A Gomer deducit Galatas: quo nomine intelligit Phrygiæ partem, ut Strabo vocat; quæ & Gallia Asiatica, & Galatia orientalis, & Gallogræcia. Non quasi hoc velit Iosephus, Gallogræcos esse propaginem Gomeri: sed quia censeat, veteres Γομαρεῖς loca tenuisse, quæ postea Gallogræci insederint Gomeritis permixti. Neque sic excludit Cimmerios, unde Cimbri originem ducunt: neque item Comaros sive Chomaros, Melæ, Plinio, ac Ptolemæo prope Margianam, vel Bactrianam, constitutos. Quippe Gomeritarum gens in plures se terras diffudit, nomine pro dialecto nationis cujusque leviter variato.

A Magog verò Iosephus descendisse ait Scythas. Quam sententiam quoque Hieronymus, ac Theodoretus, sequuntur. Ac aliqui etiam sub Magogæis comprehendunt Cœlesyriam, quia in illa Scythopolis; uti liquet è II Maccab. cap. XII, 30: imò & civitas Magog; quomodo à Syris Bambycen dictam, quæ aliter Hierapolis, auctor est Plinius lib. V, cap. XXIII; ubi & Atergatim sive Derceto in ea cultam ait. Satis etiam verisimile est, ab Magogæis sive Scythis esse *Mogor*: quippe progeniem Tatariæ, sive Tattariæ; quam Tartariam perperam vulgo nuncupant.

Sequitur apud Mosen Madai; quem idem Iosephus Medorum facit auctorem: eaque sententia perpetuo ejus vocis pro gente hac in Scripturis usu comprobatur.

Idem ab Iavan deducit Iones: qui priùs Ἰάονες dicti, sive Æolicè Ἰάδονες: nempe ab Iavan; ut ostendimus cap. XVIII.

Ab Thubal ait originem ducere Iberes: melius sanè, quàm Hebræi Italos, Epiphanius Thessalos, aliqui etiam Arabas. Tantum ne Iberos sive Hispanos capiamus; de quo postea dicam. Alii quia L & R crebrò commutantur, censent ex Τύβαλος vel Τόβαλος factum Ταῦρος: unde colligunt, Tubali sedem obtigisse ad Borysthenem amnem in Taurica Chersoneso, sive minore Scythia; quæ & Precopense regnum, & Tataria minor nuncupatur.

Sequitur Mesech sive Mosoch. Ab hoc ait descendisse Mesechitas sive Meschinos, hoc est, Cappadoces; quorum princeps civitas Mazaca, postea dicta Cæsarea, Basilio episcopo inclyta. Sed per est verisimile, à Mesech, sive, ut LXX vocant, Mosoch, esse etiam Cappadociæ finitimos Moschos: quibus a Meridie Armeni, à septentrione montes Moschici. Regionis hujus Moschicæ, ut Strabo ait in XI, partem Colchi, partem Iberes, partem Armeni tenuere. Planéque eorum propago Moschovitæ.

Supereſt Thiras: à quo idem deducit Thraces. Hoc verò nomine etiam Getæ sive Daci, item Mysi, antiquitus vocabantur; teste Strabone lib. VII,

VII, & Pomponio lib. II, cap. II. Vnde Herodotus non dubitat lib. V asserere, Thraces gentem esse post Indos maximam. Nempe quandoque Thracum, & Scytharum vocabula promiscuè usurpant veteres.

Hæc pluribus sum persecutus, quia lucem nobis præbent ad primas Thubalis sedes indagandas. Quippe cum inter fratres, vel proximè saltem, habitârit; valde à vero abhorret, eum tam longè a consanguineis in ultimum recessisse Occidentem. Præterea hanc sententiam eo solidè censeo refelli, quod Thubalidæ referantur inter Syriæ Asiæque populos. Vt Ezechiel. XXXVIII, 2: ubi Gog vocatur caput, sive princeps Magogæorum, & Thubalidarum. Ac similiter XXXIX, 2: ubi dicitur Deus eos productus è terra Aquilonari. Alibi etiam Mesech, & Thubal, conjunguntur, ut gentes conterminæ. Velut Ezech. XXVII, 13, & XXXII, 26. Mesech verò esse septentrionalem Asiæ populum, satis convenit. Quamobrem & Thubal fuerit inter septentrionales Asiæ nationes; non in Occidente, eóque ultimo.

Valde verò minutum est, quod aliqui obtendunt, in Lusitania esse Setubal: quod oppidum à Tubale conditum ajunt. Et pugnat eo argumento etiam Del-rius in Genes. c. x. At quis veterum Geographorum, vel ex aliis etiam scriptoribus, Setubal oppidum nominavit? Quod arguit, non esse admodum vetustum. Vel si veteribus notum, alio id sub nomine erit; fortasse Salaciæ; quod Caroli Clusii, viri summi, nobisque in adolescentia non citra fructum cogniti, judicium erat. Salaciam verò in Turdetanis constituunt Plinius, ac Ptolemæus.

At non æquè adverser, siquis contendat, Iberes Asiaticos esse Thubalis posteros: atque eos coloniam duxisse in Hispaniam, fluvioque Iberi, item genti Iberiæ nomen dedisse. Hoc voluit Iosephus; cujus verba antea adduximus. Plinius quoque, Varronem secutus, Iberes, sive Iberos, primo loco collocat inter nationes, quæ ante Romanos in Hispania fixerint sedes. Sic enim scribit lib. III, cap. I: *In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtasque, & Pœnos tradit.* Longè tamen aliter Megasthenes; qui Seleuci Nicatoris tempore rerum Chaldaicarum, & Assyriarum, historiam condidit: ex qua sic Abydenus apud Eusebium in IX præparationis Euangel. cap. XLI *: Μεγασθένης δέ φησι, Ναβυκοδρόσορον Ἡρακλέους ἀλκιμώτερον γεγονότα, ὅτι τε Λιβύων καὶ Ἰβηρίων κρατῆσαι. ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀποδασμὸν αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ Πόντου καλοικίσαι. *Megasthenes ait, Nabucodrosorum Hercule ipso fortiorem fuisse, atque adversus Libyam & Iberiam bellum gessisse, iisque subactis, partem eorum ad dextrum Ponti latus in coloniam misisse.* Strabo etiã in primo tradit, Iberos occidentales in loca ultra Pontum & Colchidem commigrâsse. Imò & similiter Dionysius in Periegesi scribit:

* sive pag. 243, edit. Rob. St.

Τῷ δ' ὀπὶ ναιετάουσιν ἐωθινὸν ἔθνος Ιβήρων,
Οἳ πόλε Πυρρήνηθεν ἐπ' ἀντιλίῳ ἀφίκοντο.

Quæ Priſcianus ita reddidit:

Quem juxta terras habitant Orientis Iberes:
Pyrrenes quondam celſo qui monte relicto,
Huc advenerunt, Hircanis bella ferentes.

Sequiturque hanc opinionem etiam Socrates Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 1, cap. XVI. Non pauci tamen ab hac ſententia receſſerunt. Nam Appianus in Ibericis tradit, cum aliqui putarent, Iberos Europæ eſſe προγόνους * Iberum Aſiæ; alios contrà exiſtimaſſe, eos iſtorum eſſe ἀποίκους †: fuiſſe etiam, qui neutros vel progenitores, vel colonos arbitrarentur. Quomodo Ιβηρ ratione gentis utriuſque erit ὁμώνυμον ‡ ἀπὸ τύχης, qualia Ariſtoteles vocat πολὺ ἀπέχοντα *: non verò ἐκ προαιρέσεως †, ſive διὰ τὸ συγγενὲς ‡: ut idem diſtinguit lib. 1 Nicomach. cap. v, & Φυσικῆς ἀκροάσ. lib. VII, cap. 1, idem 1 Topic. cap. VI. De tertia hac ſententia mox videro. De prioribus duabus ſic ſtatuo, multò eſſe veriſimilius, Hiſpanos eſſe colonos Iberum in Aſia: quàm ut contrà Hiſpani, per immenſa terrarum ſpatia, ultra Colchidem commigrarint. Quod eo minùs arridet, quia ab Oriente propagatum eſt genus humanum. Placuit id tamen erudito viro Antonio Delrio, gloſſis in Geneſ. x: & quia Abrahamus Ortelius *, Geographus regius, civis ejus, (Antuerpienſis enim uterque, ſed Hiſpanis ille, hic Belgis ortus) ſomnium id vocare non dubitaverat: nec veritus ille hoc eum elogio ornare; *Somnium vocat civis meus Ortelius, homo diligentior, quàm doctior.* Non eſt hîc diſſerendi locus, cujus vel hic, vel ille, aut doctrinæ, aut judicii fuerit: uterque diffuſâ lectione, deque ſtudiis bene meritus. Solùm Delrio nunc ejuſdem gentis, nec minoris judicii, Marianam oppoſuero: qui rerum Hiſp. lib. 1, cap. VII, cenſet, & flumini Ibero, & Iberiæ terræ, ab Iberibus Aſiæ factum eſſe nomen. Nolim tamen cum Ortelio, quod malè adeo habuit Delrium, contrariam ſententiam vocare ſomnium: qua appellatione abſtinendum cenſeo, ubi qui diſſentiant, multos, & graves ex antiquis, pro ſe laudare poſſint auctores. Solum ſomniaſſe dixero, qui primo id fuerit commentus: utcunque ſuum ſeu ſomnium, ſeu commentum, perſuadere potuerit vigilantibus. Is mihi Megaſthenes videtur, tantus admirator Alexandri Magni, ac Nabuchodonoſori, ut utrumque Herculi præponeret. Huc pertinet, quod ab Hercule quidem ſuſceptam diceret expeditionem in Indias: ſed peregiſſe ea Alexandrum, irritus ubi labor fuiſſet Herculeus. Qua de re diximus cap. XXV. Atque idem, ut antea vidimus, clarè ait, Nabuchodonoſorum fuiſſe Ηρακλέους † ἀλκιμώτερον. Hoc eo comprobat, quia Ægyptum vicerit,

* progenitores. † colonos.

‡ fortuito ambiguum, ſive caſu plura ſignificans. * multum diſtantia. † conſulto. ‡ ob cognationem.

* in Theſauro Geographico, voce Iberes.

† fortiorem Hercule.

vicerit, & Libyam, & Hiſpaniam. De bello quidem ejus adverſus Ægyptios ex ſacris ſcimus literis. Et fortaſſe tum ulterius in Libyam eſt progreſſus. Sed de Hiſpania tentata, ac devicta, figmentum eſt Megaſthenis: qui, poetarum more, ex vocabulo ambiguo occaſionem arripuit fabulæ. Devicerat vicinos ſibi Iberes. Hinc commentus, viciſſe eum Iberos, hoc eſt, Hiſpanos.

Quod ſi Iberes ex Aſia primi in Hiſpaniam ſint profecti: non operoſum adeo erit diſpicere, qualis apud eos antiquiſſimis temporibus Deorum fuerit cultus. Nec enim facile ſolent Deorum gentilium cultores (ut verbis utar Dionyſii) διορύξειν, ἢ παραμῆσαί τι περὶ τὰς ὠργιασμένας πρὸς θεῶν· *dediſcere, vel aliquid immutare in patriis ritibus ac inſtitutis, quibus ſacra Deorum celebrantur.* Cultum igitur induxerint Iberes in Hiſpaniam, qualis apud eos, & locis finitimis, obtineret. At Iberes, genteſque vicinæ, cælum, & ſolem, lunamque venerabantur. De Albanis quidem, qui Iberibus contermini, ſic Strabo in XI: Θεοὺς δὲ τιμῶσιν, Ἥλιον, καὶ Δία, καὶ Σελήνην· διαφερόντως δὲ τὴν Σελήνην· ἔστι δ' αὐτῆς τὸ ἱερὸν πρὸς Ἰβηρίας πλησίον· *Deos colunt, Solem, & Iovem, & Lunam: præcipuè autem Lunam. Cujus templum eſt Iberiæ vicinum.* Atque hoc, quod de vicinitate ejus templi addit, veriſimilius etiam reddit, quod de Luna ab Iberibus culta dicebamus. Quare Iberes naturam potius, præcipuè cæleſtem, coluerint, quàm defunctos. Quod de vicinis Albanis certiſſimum eſt. Nam his, ut ibidem refert Strabo, τεθνηκότων οὐχ ὅσιον φροντίζειν, οὐδὲ μιμνῄσκειν· *nefas eſt mortuorum curam gerere, aut mentionem facere.* Martem quoque ab Iberibus celebratum, credibile eſt: quia Iberia habuit homines, ut Strabo ibidem narrat, μαχίμους, Σκυθῶν δίκην ζῶντας καὶ Σαρμάτων· *bellicoſos, & Scytharum more, ac Sarmatarum viventes.* Scythis verò cultum maximopere Martem, eique aſinum ſacrificatum, ex Apollodoro, & Callimacho, proditum Clementi Alexandrino: imò apud Thraces, qui antiquitus Scythis accenſebantur, natum eſſe Martem, ſcripſit Sophocles: quemadmodum cap. XVI dicebamus. Quodque Scythæ per acinacen jurarent, ut Lucianus in Toxari refert; non tam eo videtur ſpectaſſe, quod acinacen crederent Deum; ſed quia Martis eſſe ſymbolum putarent. Quare, ſi Hiſpani Iberum Aſiæ fuerint propago, hinc fortaſſe Martis cultum acceperint. Martem quidem in Acci, Tarraconenſis Hiſpaniæ oppido, divinos adeptum honores, teſtis nobis Macrobius lib. I Saturn. cap. XIX: *Accitani*, inquit, *Hiſpana gens, ſimulachrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes.*

Quamquam verò faciliùs in animum induxero, Iberes Aſiaticos coloniam duxiſſe in Hiſpaniam, quàm Hiſpanos in loca Aſiæ Septentrionalia: imprimis tamen eò propendeo, ut putem, neutros alteris originem ſuæ

gentis debere : præsertim quando, ut Appianus ait, ἔθυς οὐδὲν τῷ ὁμοιον, ἢ γλῶσσα· *nec moribus ulla ex parte, nec linguâ convenirent.* Et sanè Strabo etiam, etsi libro primo dixisset, Asiæ Iberes coloniam esse Hispanorum : ex libro tamen XI liquet, non abhorruisse ab eorum opinione, qui nihil eos nisi nomen commune habere arbitrarentur. Quæ si ita sunt, uti putamus ; ex religione Iberum in Asia solidè nihil de veterum Hispanorum religione colligatur.

Post Iberes Plinius ex Varrone subjungit Persas. Qui cum solùm coluerint Deos φυσικὰς, non item defunctos ; ut ex Herodoto antea ostensum ; non est quod hoc loco iis insistamus. Mirum verò, Varronem Pliniumque inter eos, qui coloniam duxerint in Hispaniam, reponere Persas ; de quibus, hoc cum argumentum tractant, tot silent auctores : præterire autem Græcos, de quibus tam multi loquuntur. Nec albâ tamen lineâ signamus omnia, quæ produntur de Græcis. Nam quid fabulosius, quàm susceptam à Libero Thebano expeditionem in Hispaniam : eum re bene gestâ præfecisse genti Pana, cujus fideli operâ usus esset in bello : ab hoc regionem primò vocatam esse *Paniam* ; postea *Spaniam.* Ita tamen Sosthenes in XIII rerum Ibericarum, & exinde Plutarchus junior libro de Fluminibus : atque è Latinis Varro, ex eo item Plinius, cujus mox verba adducam. Nempe prora & puppis narratiunculæ est similitudo vocabuli : quæ quàm fallax præbeat argumentum, nemo ignorat. Quod si meris insistendum conjecturis ; verisimilius illi, qui ab inclyta Hispali prius Hispaliam, inde Hispaniam putant nominatam. Potius verò ex *Hiſpania κατ' ἀφαίρεσιν Spania* sit, quàm κ' προθεσιν ex *Pania*, voce nulli usurpatâ. *Spania* crebrò legas in MSSis Curtii, Iustini, Capellæ, atque aliis, etiam è Patribus antiquis. Quid mirum ? cùm ipse usurpet B. Paulus ad Rom. XV, 24, 28. Frequens etiam apud Grammaticos vett. uti veterem Iuvenalis interpretem sat. XIV, & alibi. In glossis item Benedicti Græcolatinis Σπάνη, *Iberia.* Corruptissimè verò in membranaceis glossis nostris, hactenus ineditis : *Hesperia, spina.* Vbi legendum, *Spania.* Idemque error mox, cum *Hesperidum* exponitur *spinarum.* Vti post aliqua, *Hiberia, spinea.*

Alterum etiam socium dedere Libero, nempe Lusum ; imò & Lyssam. Plinius lib. III, cap. I : *M. Varro tradit, Lusum Liberi patris, ac Lyssam cum eo bacchantem, nomen dedisse Lusitaniæ, & Pana præfectum ejus, universæ.* Ita locus is bonâ mente legitur in antiqua Parmensi * : pro quo perperam in Dalecampianâ, *cum eo bacchantium.* Apud Capellam est lib. VI ; *à lusu Liberi patris.* Vbi rescribe, *à Luso.* Nisi Capella ipse corrupto usus sit Plinii codice ; vel, Lusi illlus ignarus, Plinii mentem corruperit. Vtcunque est,

* an. 1476.

Rode-

Rodericus etiam Toletanus lib. 1 rerum Hiſpanicarum cap. v, à luſu Liberi ſic Herculem nominaſſe Luſitaniam arbitratur. Quaſi Liber, vel Hercules, Latinè ſint locuti. Sed mitto hæc aperta. Cum illis potiùs velitatio ſit, qui Luſum, vel Lyſum, Liberi comitem, nomen cenſent dediſſe Luſitaniæ, ſive malis Lyſitaniæ: prout ea vox perſcribitur, non modò in Strabonis, Athenæi, & Ptolemæi codd. ſed etiam inſcriptionibus antiquis. Sua verò ſponte hæc corruunt, ſi cum Hecatæo negemus, Liberum in Hiſpanias veniſſe. Aliter, ſcio, Diodorus: quem hac parte etiam ſequi non dubitavit Mariana in primo rerum Hiſpanicarum. Verùm caput & fons erroris eſt, quòd non diſtinxerint inter Liberum Thebanum, & Herculem Tyrium, hoc eſt, Gaditanum; de quo poſtea agemus.

Vlteriora ad tempora efferamus pedem. Æquè vanum de Olyſippone conditâ ab Vlyſſe. Quam fabellam ſuperiùs ſatis jugulavimus. Nec ea alio ſubnixa eſt tibicine, quàm ſimilitudine ſolâ harum vocum, Ὀδυσσεύς, & *Oliſippo*; prout vox ea ſcribitur in antiquis codd. cum aliorum, tum Varronis lib. 11 rerum Ruſt. cap. 1. Strabo in tertio hanc Vlyſſis navigationem in mare externum comprobare conatur ex Hiſpanico Minervæ fano. Quaſi non id à Phocæenſibus, vel Græcorum aliis, eſſe poſſit. Dixeris, non magis abſurdum eſſe de Vlyſſe, quàm de Meneſtheo: cujus Strabo non portum modò in Bætica agnoſcit, ſed oraculum etiam; quod oſtendit, divinum eſſe honorem homini habitum Trojano. Atque hoc etiam Philoſtratum confirmare in quincto de vita Apollonii cap. 1: ubi cum dixiſſet, non Ægyptium tantummodo Herculem coli à Gaditanis, ſed etiam Thebanum; qui cultus procul dubio à Græcis fuit: ſubjungit, ut magna etiam in veneratione iis ſint Græci, præcipue Athenienſes; eoque Καὶ Μενεσθεῖ τῷ Ἀθηναίων θύειν· *etiam Menéſtheo Athenienſi ſacrificare.* Sed facile his occurritur. Potuit enim hic Meneſthei cultus eſſe ab appulſu ejus in Hiſpaniam; utcunque non fuerit profectus extra columnas Herculis. Præterea quid ſi & Vlyſſis, & Meneſthei veneratio, à junioribus ſit inducta? Et profectò longè illud veriſimilius. Nam & Themiſtoclem ſeculis aliquot juniorem, non divino quidem cultu dignati fuere, attamen heroico: ut cui ob res non terrâ modò, ſed etiam mari geſtas, æneam poſuerint ſtatuam Gaditani: cui etiam ſoleant ὥσπερ χρησμῷ ἐφίστασθαι· *ſicut oraculo adſiſtere:* ut ibidem narrat Philoſtratus.

Vt verò Trojanis temporibus Hiſpanos non adierint Græci, poſtea tamen eò profectos, argumento fuerit Emporia, maritimum Indigetorum oppidum, à Græcis conditum. Livius lib. xxvi: *Ita* (Scipio) *oſtiis Tiberinis profectus Pyrenes circumvectus promuntorium, Emporiis urbe Græca (oriundi & ipſi à Phocæa ſunt) copias expoſuit: inde Tarraconem pedibus profectus.* Plinius

lib. III, cap. III : *Oppidum Emporiæ geminum, veterum incolarum, & Græcorum : qui Phocæensium fuere soboles.* Meritò autem Livius non tam ortos à Phocæensibus, quàm ab iis oriundos, ait. Quippe Emporium, sive Emporia (ut Strabo in tertio scribit) ἔστι Μασσαλιωτῶν κτίσμα, *Massilienſium est opus*. Sed Massilia à Phocæensibus condita est : ut propterea Emporienses etiam Phocæensium soboles dicantur. Ac habuere Emporienses & alias sub se civitates : uti Rhodopen, quam eorum esse urbem, Strabo ait : quamquam addit, quosdam à Rhodiis conditam dicere. Atque ex his facile est causſam cognoscere, cur Emporienses tantopere coluerint Apollinem, & Dianam. Nam, ut de Rhodiis taceam, quibus summa in veneratione Sol erat ; unde & ingenti eum colosso honorarunt : Emporienses cultum Apollinis hausere à Massilienſibus, Massilienses à Phocæensibus, Phocæenses à Phocensibus, & Athenienſibus. Phocæa enim à Phocensibus condita, coloniam deducentibus Philogene & Damone Athenienſibus. Phocis verò celebrata imprimis templo Apollinis Delphici. Athenienses autem coluere Apollinem Delphinium ; ut est apud Pausaniam in Atticis. Quare partim Athenis, Phocide partim, quæ Achajæ, sive Ἑλλάδος regio est, Apollinis veneratio illata Phocæam. Est ea in Asia civitas Ioniæ, juxta Stephanum. Ptolemæus Æolidi tribuit. Nempe de limitibus, ut fit, inter Iones, & Æoles, non semper convênit. Porrò tota Asia maximè coluit Dianam Epheſiam ; Ionia imprimis, cujus civitas Epheſus. Hinc causſam cognoscimus, cur Massilienses coluerint Apollinem Delphinium, & Dianam Epheſiam. Strabo lib. IV : Κτίσμα ἔστι Φωκαιέων ἡ Μασσαλία· ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ τὸ Ἐφέσιον ἵδρυται, καὶ τὸ τοῦ Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερόν· τοῦτο μὲν κοινὸν Ἰώνων ἁπάντων· τὸ δὲ Ἐφέσιον, τῆς Ἀρτέμιδός ἐστι νεώς, τῆς Ἐφεσίας. *Massilia à Phocæensibus est condita. In arce est Epheſium, & Apollinis Delphinii fanum. Hoc quidem omnium Ionum commune est : Epheſium autem fanum est Dianæ Epheſiæ.* Non mirum verò, quod Apollinem Delphinium in omnibus ait Ioniæ oppidis cultum : quando, præter Athenienses, de quibus jam diximus, etiam coluere alii ; in his Æginenses ; non uno id loco testante Pindari scholiaste. Ac meminere Delphinii hujus Apollinis etiam Plutarchus in Theseo, Pollux lib. VIII, cap. X, & Laertius in Thalete. Vt verò à Phocæensibus Massilia, ita à Massilienſibus Dianæ Epheſiæ cultum accepit Emporium : quod disertim testatur Strabo lib. III ; ubi cum de Rhodope, Emporitarum urbe, esset locutus, subdit continuo : Κἀνταῦθα, ἐν τῷ Ἐμπορείῳ, τιμῶσι τὴν Ἀρτεμιν τὴν Ἐφεσίαν τιμῶσιν· *Ibi, & Emporii, Dianam Epheſiam colunt.* Ac deinde addit, se causſam ejus velle exponere, ubi ad Massiliam fuerit deventum.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Vnde nomen Erytheæ. Aliam esse insulam Gadim Longam, in qua Iulia Gaditana; aliam Erytheam; contrà quam Solino traditum. Tarteſſon quoque aliam esse à Gadibus; etsi aliter Plinio visum. Erythræo sive Rubro mari unde nomen. Phœnices ex eo dictos, quia essent soboles Phœnicis, hoc est, Edom sive Esavi. Tyrios ab Idumæis sive Esavi posteris genus ducere, post Plinii ac Solini auctoritatem, etiam ex Herodoto ac Procopio comprobatur. Vnde sit, quòd Tyrius Hercules nonnullis vocetur Ægyptius. Herculem Tyrium juniorem, à quo Geryon subactus, videri à morte eodem templo ac sacris iisdem cultum, quibus vetus Tyriorum Hercules Melcarthus; sive hic Esavus, sive Tyriæ urbis conditor fuerit. Hiſpanos omnes esse Celtas; nec Celtiberiam *dici ex eo, quòd Galli in Hiſpaniam miserint coloniam; sed ut distinguerentur à Celtis trans Pyrenæum.* Portugalliæ *etiam nomen non à Gallis esse; sed à populo Callaico, vel Cale oppido juxta Durium. Vnde* Calis *dicta, conjectatum. Quando* Portucaliæ *nomen primùm in usu esse cœperit.*

POst Iberes, ac Perſas, quibus addidimus Græcos, Plinius, gentes eas memorans, à quibus coloniæ in Hiſpanias ductæ ſint, etiam, ut antea vidimus, Phœnices recenſet. Horum colonia erant Gades: ut eſt apud Strabonem in III, Vellejum in primo, Plutarchum in Scipione, & alios, magno conſenſu. Atque antea diximus, à Punico *Gadir*, quod *ſepem* notat (quomodo vocarunt, quia munimentum foret adverſus Hiſpanos) eſſe Græcum γάδειρα, terminatione A appoſitâ: ut à *Gadir* eſt *Gadis*, R in S converſo: contrario more, quàm Spartani pro τιμόθεος dicebant τιμόθεορ; pro γινόμβρος, γινόμεναρ: ut oſtendit προβούλευμα * Spartanum apud Boethium lib. I de Muſica. * decretum.

Ab iiſdem Phœnicibus eſt appellatio Erytheæ: quia Phœnices aliter dicti Erythræi, quoniam veniſſent ab mari Erythræo. Solinus cap. XXVI: *In capite Bæticæ insula à continenti septingentis passibus memoratur, quam Tyrii, à Rubro profecti mari, Erytheam; Pœni suâ linguâ Gadir, id est, sepem, nominarunt.* Vbi eandem putat inſulam *Gades*, ac *Erytheam*; contrà quàm alii tradiderant, etiam Plinius lib. IV, cap. XXII: qui interim convenit de Tyriis ab Rubro-mari profectis, & inde Erythræorum nomine vocatis. Plinii ſunt iſta: *Gadis longa habet oppidum civium Romanorum, quod appellatur Augusta urbs Iulia Gaditana. Ab eo latere, quo Hiſpaniam spectat, passibus fere centum, altera insula est, in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro, & Philiſtide, Erythia; a Timæo, & Sileno, Aphrodisias; ab indigenis Iunonis.* Hinc de Gadi longa ſic loquitur: *Majorem Timæus Cotinusam apud eos vocatum ait:*

ait : noſtri Tarteſſon appellant, Pœni Gadir, ita Punica lingua ſeptem (ſcribe *ſepem*) *ſignificante.* Vbi valde fallitur, cum Gadem longam eandem cenſet, ac Tarteſſon ; quæ in Bætica fuit. Tum de minori hæc ſubdit Plinius : *Erythia dicta eſt, quoniam Tyrii ab origine eorum orti ab Erythræo mari ferebantur. In hac Geryones habitaſſe à quibuſdam exiſtimatur, cujus armenta Hercules abduxerit. Sunt qui aliam eſſe eam, & contra Luſitaniam, arbitrentur, eodemque nomine quondam ibi appellatam.* Diverſa igitur Erythea, ac Gadis longa. Interim utraque Phœnicum opus : utraque etiam appellatione ipſâ originem indicat. Nam, ut jam vidimus, Ερύθεια eſt dicta ab Erythræis : Erythræi autem ſunt Phœnices ; qui hoc nomen adepti ab Erythræo ſive Rubro mari, unde Tyrum venerant. Nempe *Erythræi* ab ἐρυθρὸς *ruber* : *Erythea* ab ἔρυθος, *rubor. Erythræum* autem mare hoc nomen accepit ab rege Erythra, ut gentiles vocant ; qui in Scripturis Eſau, vel Edom, quod idem ac *rufus.* Solâ igitur linguâ differunt, Hebræum *Edomi* ſive *Idumæum* mare, Græcum Ερυθραῖον, & Latinum *mare Rubrum.* Quod ſi Tyrii ſint profecti à mari Idumæo : non obſcura fuerit ratio, unde vocentur Φοίνικες. Idem enim eſt φοίνικες ac ἐρυθραῖοι. Nam φοῖνιξ idem ac ἐρυθρὸς, hoc eſt, *ruber*, ſive *rutilus* ; qui & *ſpadix color.* Itaque & Latini ex φοινίκιος fecere *puniceus* : nempe uti ex Φοῖνιξ *Pœnus*, unde *Punicus.* Quod verò Tyrios à mari Idumæo profectos Plinius, ac Solinus, dicunt : id proditum quoque ab Herodoto initio operis ſui ; ubi eximios Perſarum tradere ait, veniſſe in Phœnicen ἀπὸ τῆς Ερυθρῆς καλεμένης θαλάσσης· *à mari, quod Rubrum vocatur.* Ac Strabo quoque in primo, hanc quorundam eſſe opinionem memorat. Firmat etiam Procopius in Vandalicorum ſecundo * : Η ὑπὲρ θαλάσσια χώρα, ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῆς Αἰγύπτου ἐείων, Φοινίκη ξύμπασα ὠνομάζετο. *Litoralis omnis tractus, ab Sidone uſque ad limites Ægypti, Phœnice vocabatur.* Ex his ſatis cognoſcimus, Edomi, hoc eſt, Eſavi poſteros à parente nominatos Idumæos : & hos habitaſſe ad ſinum Arabicum, indeque dictum mare Erythræum ſive Rubrum : à mari autem Erythræo profectos in regionem Tyri ac vicinam, indeque nomen Phœnicum accepiſſe : à Phœnicibus denique Hiſpanicæ inſulæ nomen datum Erytheæ, quaſi Phœniciam vel Idumæam dixeris.

* pag. 135, edit. Auguſtana.

Is, qui coloniam hanc duxit, ob fortitudinem vocatus Hercules. Geryonem enim cum fratribus regno excuſſit. Vnde Iuſtinus lib. XLIV : *Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus ſolæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, ut Herculem ex Aſia prædæ magnitudine illexerint. Porrò Geryonem ipſum non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuiſſe ferunt : ſed tres fratres tantæ concordiæ exſtitiſſe, ut uno animo omnes regi viderentur.* Atque hic eſt Hercules ille Aſiaticus, qui Herculis antiquioris cultum Gadibus induxit ; ipſeque cum eo colui meruit ; ut mox pleniùs exponam. Gaditani verò ac Erythei

cum

cum Hiſpanis ope Carthaginenſium feliciter bellum gerentes, hunc Herculis ſui cultum etiam per Hiſpaniam propagarunt. Qua de re ſic ibidem Iuſtinus: *Cùm Gaditani à Tyro, unde & Carthaginenſibus origo eſt, ſacra Herculis, per quietem juſſi, in Hiſpaniam tranſtuliſſent, urbemque ibi condidiſſent: invidentibus incrementis novæ urbis finitimis populis, ac propterea Gaditanos bello laceſſentibus; auxilium conſanguineis Carthaginenſes miſere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab injuria vindicaverunt, & majorem partem provinciæ imperio ſuo adjecerunt.* Subjungit deinde, ut eò miſſus ſit Hamilcar imperator, magna cum manu ad occupandam provinciam: tum Haſdrubal: Hannibal denique, qui, utriuſque res geſtas ſupergreſſus, Hiſpaniam domuerit univerſam. Atque hæc ſatis oſtendunt, antequam Hiſpani cum imperio Romano religionem quoque reciperent, Herculem Tyrium coli ab iis ſolere. Quidam tamen Herculem hunc Ægyptium potius, quàm Tyrium, appellant. Vti Philoſtratus lib. v de vita Apollonii cap. 1: ubi de Gaditanis ſic ſcribit: Εν τῷ ἱερῷ τιμᾶσι ἄμφω τὼ Ηρακλέε φασὶν, ἀγάλματα δὲ αὐτοῖν οὐκ εἶναι· βωμοὺς δὲ, τὸν μὲν Αιγυπτίου, δύο, χαλκοῦς, τὸ ἀσήμους· ἕνα δὲ τὸν Θηβαίου. *Ajunt, in templo eodem coli Herculem utrumque: ſed nulla eſſe eorum ſimulachra; verùm aras, Ægyptio quidem duas ex ære ſine ſimulachro; at unam duntaxat Thebano.* Suſpicor, promiſcuam hanc appellationem, quam & Mela * firmat, ortam magna ex ſimilitudine ſacrorum inter Phœnices, & Ægyptios. Et fortaſſe claſſis ea, quæ in Hiſpanias coloniam duxit, non Phœnicibus modò, ſed etiam Ægyptiis conſtabat: ut utraque ideo regio gloriam hujus ſibi coloniæ vindicaret. Cùm verò ejuſce coloniæ ducem ſtatuimus Herculem Tyrium, non eum intelligimus, qui aliter Melicerta ſive Melcarthus eſt nuncupatus; ſed aliquem multo juniorem. Prior ille, quantum conjecturâ aſſequi poſſum, eſt Idumæus ille, qui Tyrum ædificavit. Solent enim, qui urbes exſtruxiſſent, pro Diis haberi tutelaribus. Vel Idumæus ille conditor habuerit hoc honoris ipſi Edom ſive Eſavo, ut, quia pater eſſet Idumæorum, θεὸς πολιοῦχος † haberetur. At florentibus demum Tyriorum rebus, præque aliis maris obtinentibus dominium, miſſa in Hiſpaniam colonia fuit; cujus dux à rebus præclarè in Hiſpania geſtis Herculis nomen conſecutus, Tyri natus, ſed in Hiſpania denatus ac ſepultus ‡. Atq; ab hoc Hercule (quodcunque ejus verum fuerit nomen) in Gadium, & vicinis inſulis, inſtitutus fuerit antiqui Herculis, puta Tyrii, cultus: vel ipſe etiam, ut coloniæ dux, divino fuerit honore affectus: vel quod maxime credibile eſt, ut coloniæ ille dux à morte eſt Herculis nomine appellatus, ita communi quoque cultu honoratus eſt cum Hercule illo antiquo, Tyriorum omnium parente, Deoque tutelari. Nam ſæpius nationes in uno quaſi numine plurium cultum conjunxiſſe, variis poſtea exemplis comprobabi-

* *lib. 3, cap. 6.*

† *Deus urbis præſes.*

‡ *Mela lib. 3, cap. 6.*

tur. Hactenus de Hercule Tyrio, sive Gaditano.

Non dubium verò, quin aliis etiam in Diis coloni isti sint Tyriorum exemplum secuti: uti & postea Carthaginensium, qui latè in Hispania dominati. Sed cujusmodi ille cultus fuerit, non difficile erit conjicere ex iis, quæ de Phœnicibus, & Carthaginensibus, suo loco adduximus. Soli igitur ex gentibus, quas Plinius in Hispaniam dicit coloniam misisse, Celtæ nobis supersunt.

Celtæ Gallica numina, de quibus postea, in Hispaniam induxerint, si Celtiberi origine fuerunt Galli: quod putavit Lucanus lib. IV:

— Profugique à gente vetusta
Gallorum, Celtæ miscentes nomen Iberis.

Sed obstat, quòd etiam in Bætica, & Lusitania, *Celtici* dicerentur: uti constat ex Mela lib. III, cap. I; ubi à Tago usque ad Celticum promuntorium, quod Straboni & Ptolemæo Nerium, Celticos habitâsse prodit. Item ex Plinio, qui lib. III, cap. I, etiam in Bæturia, Bæticæ parte, Celticos agnoscit. Præterea Ephorus, ut est apud Strabonem in IV, Celticam dixit Iberiam omnem usque ad Gades; non minus id nomen tributurus Hispaniæ ulteriori, nisi hæc illis temporibus parũ cognita fuisset. Quamobrem, qui ad Iberum habitarent, non à Celtis, hoc est, Gallis, dicti sunt Celtiberi; sed ad discrimen Celtarum ultra montes Pyrenæos, tum in Galliis, tum etiam Britannia, Germania, & Illyride. Ac verisimile est imprimis, Hispanis hoc Celtiberorum nomen discriminis caussâ attributum, cum Galliæ Lugdunensis populi sibi nomen Celtarum, ut proprium, vindicarent. Frustra verò sunt, cum ex posterioribus nos temporibus exemplum petere jubent: quasi, quia postea Galli transmiserint in Hispaniam, atque inde nomen sit Portugalliæ; eo antiquis etiam temporibus occuparint Iberiæ partem, quæ ab iis Celtiberia diceretur. Præterea in istoc, quod de Portugallia sibi concedi postulant, similiter eos ratio fugit. Non enim à Gallorum portu est hoc Portugalliæ nomen: sed à portu Gallæciæ, quæ appellatio est non à Gallis, sed Calaicis. Sic enim Gallæci prius dicebantur: ut vel notum è triumpho Bruti à Callaicis devictis Callaici nomen indepti. Quamquam nec displicet sententia Andreæ Resendii epistolâ ad Kebedium, Osorii in vita Regis Emanuelis, Iacobi Menetii in Antiquitatibus Lusitanicis, Duardi Nonii censuris in Teixeram, ut cæteros præteream, non à Gallæcia esse nomen, sed à Cale sive Calle oppido: quod Antoninus in Itinerario agnoscit; ubi inde Bracaram deducit. Id Calis oppidum situm fuit ad ostium Durii fluminis: & fortasse ex eo *Callis* nomen acceperit, quia callis fuisset ad portum. Sed hæc nostra est conjectura, de qua sentiat quisque ut volet. Illud constat, mox post

annum

annum à Christo quingentesimum, Portucalense nomen fuisse in usu, sive Gallæcia, sive Calis ei nomen dederit. Ita concilio Toletano tertio videas interfuisse Constantium, episcopum Porticalensem, anno Io LXXXIX: item Ansiulphum Porticalensem quarto Toletano; quod celebratum, si non anno Io C XXXIII, quæ Vasæi opinio erat; sequenti saltem, quod maluit Ambrosius Morales. Paullatim verò id nomen extensum; ita ut Portucalia, sive malis Portugallia, tandem regnum evaserit: cujus primus sceptra gessit Alphonsus Henricus anno Chr. cIo C XXXIX.

CAPVT XXXV.

Galliam olim etiam Iberiam *nominatam: atque hinc esse, quòd Rhenus à Nonno dicatur* Iberus: *perperam autem inde colligi, quia Rhenus non minus sit Germaniæ fluvius, eò & Germaniam vocatam* Iberiam. *Ostenditur, ut Cicero, nō tam virum bonum, quàm non malum egerit Oratorem, cùm Gallos insectatur, velut Deûm, & religionis omnis hostes. Quàm latè patuerit ritus homines immolandi: ac veteribus etiam Romanis in usu fuisse: imò & postquam lege, ac Cæsareis sublatus edictis, reliquias ejus mansisse Romæ in gladiatorum ludis. Gallos humanis litâsse hostiis Teutati, Heso, Tarani; ac primum videri Mercurium, alterum Martem, Iovem tertium. Tumulus in Hispania Mercurii Teutatis. Quo pacto, Druidis præsentibus, homines soleant immolari: & ut Romanis sacrificia hujusmodi, & Druidas ipsos, abolere paullatim studium fuerit.* Druidarum *vocabulum non tam ex Græca, quàm Celticâ linguâ, profectum videri. Gallos à Britannis Druidas accepisse. De Apolline, ac Diana, cultis à Gallis; item Dite; & cur Druidæ se dixerint ab eo prognatos. Vnde Græcis* Ἀδης *dicatur. Druidarum opinio, animas post mortem alio in orbe degere. Herculis per Gallias, & Alpes, transitus. Pugna ejus cum Albione, & Bergione: & unde his, unde item* Alpibus, *nomen impositum. Hercules Ogmius Eloquentiæ symbolum. Nemausus Heraclides Nemausensium Deus tutelaris.*

A Celtiberia venio ad eam, quam Ptolemæus, & alii, Κελτογαλατίαν nuncupant, quasi *Celtogalliam* dicas: Latini simpliciter *Galliam* vocant, uti & Græci fere Γαλατίαν: vetustissimi autem etiam *Iberiam* nominarunt; ut constat ex Strabonis libro III: ubi antiquitus *Iberiam* ait dictam, quicquid foret inter Pyrenæos montes, & flumen Rhodanum. Vt verisimile etiam sit, eam veteribus extensam usque ad Rhenum: eaque, credo, caussa est, cur Nonno in tertio & vigesimo Dionysiacòn dicatur Ῥῆνος Ἴβηρ, *Rhenus Iberus*; quod interpretor *Gallicus*. Scio, quanto aliter Goropius Becanus senserit, libro Hispanicorum secundo: ubi suspicatur, Ἴβηρ Germanicam esse vocem, quia Germanis *iver* idem sit ac zelotypus;

quomodo Rhenus in veteri epigrammate * ζηλήμων † vocatur. Quam opinionem idem perſuaſit viro pererudito, Gerardo Falkenburgio; ut & Becanus ibidem refert, & Falkenburgius agnoſcit notis ſuis in Nonnum. Sed ejus ſententiæ eò minus ratio eſt habenda, quia apud veteres omnes de hoc Rheni cognomento ſilentium ſit; nec Nonnus, homo Ægyptius, ſciverit Germanicè; imò nec ipſius Goropii animus, ut ipſe fatetur, in hac ſua acquieſcere potuerit conjectura.

* lib. I ἀνθολογίας. † zelotypus, ſive, non tolerans rivalis.

Etiam admodum mihi dilutum videtur, quòd ὁ μακαείτης ſummus geographus in primo Germaniæ antiquæ ex hoc Nonni loco concludebat, Germaniam olim dictam eſſe *Iberiam*. Nec enim, ſi Rhenus, cujus ripa una Gallica, altera Germanica foret, tum *Iber*, ſive *Gallicus*, tum etiam *Germanicus*, potuerit nuncupari: eò & Germania ipſa dicta ſit *Iberia*, ſive *Gallia*: non magis ſanè, quàm pro *Gallia* propterea *Germaniam* potuerint dicere. Quanto juſtius Rheno dederit cognomen Iberi ſive Gallici; ſi Galli, & ſubinde, & pluribus locis, utramque tenuerint Rheni ripam! De quo audiamus Cæſarem in VI de bello Gallico: *Fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent.* Ac ſubjungit deinde, ut Tectoſages, Gallica gens, coloniam duxerint in Hercyniam ſilvã. Similiter Tacitus de Germania: *Validiores olim Gallorum res fuiſſe, ſummus auctorum divus Iulius tradit. eoque credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet, permutaretque ſedes.* inde ſubdit de Bojis, gente item Gallica; quæ & ipſa (niſi malis de eadem gente loqui Tacitum, quod ſanè veriſimilius eſt) Herciniam commigravit in ſilvam, locoque Bojohæmi, ſive Bojemi nomen fecit: quod & retinuit, poſtquam Maroboduus, Bojis pulſis, in eum tranſtulit populares ſuos Marcomannos: de quo Strabo lib. VII, & Vellejus lib. II. Livius quoque lib. V narrat, ut Biturigum rex Ambigatus ſororis ſuæ filios Belloveſum, ac Sigoveſum, in eandem miſerit ſylvam. Atque ex iſtis, & aliis, quæ poteram adferre, dubium non eſt, quin Galli ſæpe utramque obſederint Rheni ripam: tantoque juſtius is fluvius *Iber* ſive *Gallicus* fuerit nuncupatus.

De Gallorum Diis non eſt, quòd magnopere laboremus, ſi nulla iis religio erat: ut ſenſiſſe videtur M. Tullius in reliquiis orationis pro M. Fontejo; ubi *Gallos* ait *ab religione remotos*. Ac poſtea his eos exagitat verbis: *An verò iſtas nationes religione jurisjurandi ac metu Deorum immortalium in teſtimoniis dicendis commoveri arbitramini? quæ tantum à cæterarum gentium more ac naturâ diſſentiunt, quòd cæteræ pro religionibus ſuis bella ſuſcipiunt; iſtæ contrà omnium religiones: illæ in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem ac veniam*

niam petunt; istæ cum ipsis Diis immortalibus bella gesserunt. Objicit deinde, quòd templum Apollinis Delphici spoliarint, & Iovem Capitolinum obsederint: quòd etiam homines sacrificent vivos. *Siquando*, inquit, *aliquo metu adducti, deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant. Vt ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint. Quis enim ignorat, eos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? Quamobrem quali fide, quali pietate, existimatis esse eos, qui eos Deos immortales arbitrentur hominum scelere, & sanguine, facilè posse placari?* Sed, sic cùm scribit Tullius, caussæ suæ inservit, ad elevandam Gallorum fidem, qui contra M. Fontejum testimonium dicebant. Tullio igitur Tullium opponimus; qui in primo de Divinat. scribit de Dejotoro, Gallorum in Asia rege; NIHIL *unquam nisi auspicatò egisse.* Ac ne à Græcis illud hausisse existimes, Iustinus ex Trogo ait in XXIV: *Augurandi studio Galli præter cæteros callent:* sive, ut Bongarsius maluit, *clarent.* Nempe non ista, quæ Cicero adducit, ostendunt, nullum Gallis fuisse Deorum metum, sed potius magnum: quippe qui, ad pacem Deorum impetrandam, nec sanguini parcerent humano. Sic cultum illum impium interpretatus est Iulius Cæsar; cui omnium optimè perspecti erant mores Gallorum. Verba ejus sunt ista in VI de bello Gallico: *Natio est Gallorum omnium admodum dedita religionibus: atque ob eam caussam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur; quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari arbitrantur.* Pluriáque ibidem in hanc mentem reperies. Mirum verò, sic in Gallis exagitari ἀνθρωποθυσίαν * à Tullio: quæ à Cananæis & Phœnicibus cœpta, Græciam, Africam, ac totum penè terrarum orbem fuerit pervagata. Quam rem fusè tractat Porphyrius in secundo de abstinentia ab animalibus: è nostris item Clemens Alex. adhortatione ad Gentes: & ex his, atque aliis, Eusebius in IV præparationis Euangelicæ cap. XVI. Vnde Plinius lib. XXX, cap. I: *Ista toto mundo consensere, quamquam discordi, & sibi ignoto.* Mirum quoque, Tullio non venisse in mentem, Iovem, Apollinem, & Cabiros, quandoque hostias exegisse humanas: de quo ex Myrsilo Lesbio Dionysius Antiquitatum Rom. lib. I; & ex eo Eusebius libro memorato. Mirum quoque, non cogitâsse eum, tempus fuisse, cum Latini †, ipsique Romani, his sacrificiis gauderent. Notum enim, quanto in pretio fuerit Romanis (ut Ovidius primo de Arte appellat)

— suburbanæ templum Nemorale Dianæ.

Hoc est, Dianæ Aricinæ. Cujus simulachrum è Taurica Chersonneso, ubi

* *hominum immolationem.*

† *Tertullianus in Apologetico cap. 9, Minucius in Octavio, Lactantius lib. 1, cap. 21, Athanasius orat. contra gentes pag. 21, edit. Commel. imo & è gentilibus Porphyrius apud Eusebium lib. 4 Præparat. Euangel. cap. 16.*

ubi hoſpites illi immolabantur, Ariciam allatum fuit: ubi, uſque dum illud Spartam tranſlatum, ſervi ſacrificabantur: ut Hyginus refert fab. CC LXI, & qui eum exſcripſit, Servius in illud II Æn.

Sanguine placâſtis ventos, & virgine cæſâ.

Imò anno etiam Vrbis Ↄ XXVII, M. Valerio Meſſalla, & L. Apuſtio Fullone coſſ. Pontificum, ac Xvirûm auctoritate, Gallum & Gallam, Græcum & Græcam, ferali ſacrificio, ad averruncandum malum, defoderunt vivos in foro boario. Cujus rei teſtes Plutarchus in Marcello, & Zonaras in II Annal. ut Auguſtinum, Oroſium, & alios mittam. Quin anno demum Ↄ CLVII, Cornelio Lentulo, & Licinio Craſſo coſſ. *Senatuſconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palamque in illud tempus ſacra prodigioſa celebrata*; ut refert Plinius lib. XXX, cap. I. Atque, ut ibidem ait, *Non ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat, mandi verò etiam ſaluberrimum.* Honeſta quidem Plinii oratio: non tamen, ut ille ait, prorſus hunc morem ſuſtulere. Nam ludi etiam gladiatorii poſtea inſtituti; ut ſic ſanguine Deus placaretur humano: quemadmodum eſt apud Tertullianum Apolog. cap. IX, Minucium in Octavio, Lactantium lib. I, cap. XXI. Ac ne ſolos adferam noſtros, Capitolini eſt in vita Maximi & Balbini: *Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hoſtes factam, ut civium ſanguine litato ſpecie pugnarum ſe Nemeſis, id eſt, vis quædam Fortunæ, ſatiaret.* Auſonius idyll. XXVI:

Et gladiatores funebria prœlia notum
Decertâſſe foro: nunc ſibi arena ſuos
Vindicat, extremo cùm jam ſub menſe Decembri
Falcigerum placant ſanguine cælicolam.

Vbi non Nemeſin, ut eſt apud Capitolinum; ſed Saturnum ait ſanguine placari humano: quod tamen alii tribuunt Marti, & Dianæ. His enim ſacros fuiſſe ludos gladiatorios, apud Tertullianum legas libro de Spectaculis.

Apud Gallos, ut ab Romanis ad hos redeam, humanis litabant hoſtiis Teutati, Heſo, Tarani. Vnde Lucanus lib. I:

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Quorum priores duos etiam junxit Lactantius lib. I, cap. XXI: *Galli Heſum, atque Teutatem, humano cruore placabant.* Mirum, non addidiſſe Taranim. Nam cum iſta Lactantius ſcriberet, planè ob oculos cenſeo habuiſſe allatum Lucani locum. Ex Diis hiſce Teutates videtur Mercurius: quod ex eo etiam colligo, quia apud Livium lib. XXVI legitur, tumulum

juxta

juxta Carthaginem Novam fuisse repertum, qui *Mercurii Teutatis* vocaretur. Nam Hispanis, Gallis, & Celtarum aliis, multa in cultu divino communia fuerunt. Mercurio autem mactari à Gallis homines solere, indicat etiam Tertullianus in Apologetico cap. IX : *Major ætas apud Gallos prosecatur.* Et Minucius in Octavio : *Mercurio Gallos humanas, vel inhumanas, hostias cædere.* Nisi non concinnè minus malis, *Humanas inhumanos hostias cædere.* Hesus, videtur Mars : hunc enim Galli, ut est apud Cæsarem in VI de bello Gall. *bella regere arbitrantur.* Vnde & illi, ut ibidem legere est, *cùm prælio dimicare constituerunt, ea, quæ bello ceperint, plerumque devovent.* Taranis verò, sive Tharanis, ipse videtur Iupiter ; qui & Sueonibus *Thor* dictus : unde M. Adamus Bremensis de Sueonibus ait : *Thor, inquiunt, præsidet in aëre : qui tonitrus, & fulmina; ventos, imbresque; serena, & fruges, gubernat.* Postéaque : *Thor cum sceptro Iovem exprimere videtur.* Qui verò per Mercurium, Martem, nec minùs Iovem, intelligi hîc debeant, proximo meliùs libro explicabitur.

Atque hæc de numinum illis, quibus humanis litaretur victimis. Cujusmodi sacrificiis Druidæ semper intererant : quemadmodum refert gravissimus testis Strabo lib. IV. Atque ibidem hæc de ratione ejus sacrificii inter alia addit : Καὶ κολοσσὸν χόρτου, καὶ ξύλον ἐμβαλόντες εἰς τοῦτον, βοσκήματα καὶ παντοῖα θηρία καὶ ἀνθρώπους ὁλοκαύτων. *Quosdam in sacris configebant sagittis, vel in crucem agebant; vel exstructo fœni colosso, lignoque defixo, pecudes, & omnis generis animantia, ac homines totos, comburebant.* Deque eodem sic Diodorus lib. V : Τοὺς κακουργοὺς καὶ πενταετηρίδα φυλάξαντες, ἀνασκολοπίζουσι τοῖς θεοῖς, καὶ μετ' ἄλλων ἀπαρχῶν καθαγίζουσι πυρὰς παμμεγέθεις κατασκευάζοντες. *Noxios quinquennio servatos, sudibus adfixos, Diis sacrificant, cumque aliis primitiis super ingentes pyras immolant.*

Ob hæc imprimis sacrificia religionem Druidarum Augustus Cæsar civibus interdixit : Tiberius Vrbe sustulit : Claudius in Galliis ipsis abolevit ; saltem, quantum in se fuit. De Tiberio sic Plinius lib. XXX, cap. I : *Gallias utique possedit, & quidem ad nostram memoriam. Namque Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque.* Quem locum de Galliis ipsis perperam multi interpretantur, cùm de Vrbe solum sit capiendus. De Claudio autem testis nobis Aurelius Victor Schotti in Claudio : *Denique bonis auctoribus compressa per eum vitia, ac per Galliam Druidarum famosæ superstitiones.* Imò ante eum Seneca in Ἀποκολυντώσει. Vti & de eodem, ac insimul Augusto, Tranquillus in Claudio cap. XXV : *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit.* Sed abolere penitus voluit, non potuit. Itaque

apud

apud posteriores etiam scriptores de durante hac superstitione legas, non in Britannia modò hostili, sed Gallia ipsa : ut liquet è Lampridii Alexandro, Vopisci Aureliano, nec non Taciti vita : Eusebio item, qui conqueritur de sacris istis in IV Præparat. Euangel. & incerto Theodosiani, ut videtur, ævi scriptori in Querulo sive Aulularia : ubi sub robore ab iis capitales ait ferri sententias.

Vnde *Druidarum* vocabulum sit, non convenit. Receptior opinio est, sic dictos à δρῦς, hoc est, *quercus* : idque ob illa Plinii verba lib. XVI, cap. XLIII : *Nihil habent Druidæ (ita suos appellant magos) viscо, & arbore, in qua gignatur (si modò sit robur) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos : nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt : ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri.* Satis verisimilis hæc foret sententia, si Druidas accepissent Galli à Massilienſibus, illi à Phocæensibus. Sed ignoti erant Græcis Druidæ : ut omnino origo quærenda sit Celtica. Præsertim cùm Gallos è Britannia accepisse eos, à veteribus creditum sit. Cæsar lib. VI belli Gallici : *Disciplina* (Druidarum) *in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur, & nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illò, discendi caussâ, proficiscuntur.* Ac firmat Tacitus in XIV Annalium : ubi narrat, ut Suetonio Paullino Monam, insulam Britannicam, ingresso, acriter sit pugnatum, Druidis sedulò animantibus suos : *præsidium posthac*, inquit, *impositum victis, excisi luci, sævis superstitionibus sacri : nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris consulere Deos, fas habebant.* Quamobrem non dubium est, quin origo ejus vocabuli peti debeat è lingua Celtica : qualis & Britannica, ac Gallica vetus. Britannis verò, uti & Germanis, *Dru*, fides; pro quo alii **trou** dicunt. Vnde, & Deus veteribus Germanis *Drutin*, sive *Trudin* : ut videre est ex Othfridi Euangelio. Itaque *Drutin* signet *divinus*, aut *fidelis*. Vtraque vox sacerdotibus conveniens.

Præter Mercurium, Martem, Iovem, quibus homines immolatos diximus, coluere Galli etiam Apollinem ; ut ait Marcellinus lib. XVI. Ipsi *Belenum* dixere; uti ministros ejus *Pateras*. Testis Ausonius Carm. in Professores Burdigal. Vide & Pithœum lib. I Subsec. cap. IV.

Qui verò Apollinem colerent, nihil mirum, si etiam venerati sint Dianam. Quod de Asiaticis Gallis satis est apertum. Nam Dianæ sacerdos fuit Camma, uxor Sinati, Gallorum Asiaticorum tetrarchæ ; de qua Plutarchus libro de feminarum virtutibus, & Poliænus Strategem. lib. VIII.

Adhæc Gallis cultus Dis : à quo & se natos Druidæ dicebant, teste Cæsare * : non quidem quia olim Gallia argento & metallis abundarit, quam rationem adducit Forcatulus † : sed quia Dis sive Pluto est Terra ; ubi (ut Varro ait in IV de L. L.) *omnia oriuntur, omnia aboriuntur.* Vnde & Lachesis

* *lib. 6 de bello Gall.*

† *lib. 1 de Gallorum imper. & philos.*

Lacheſis ſic compellat Plutonem apud Claudianum in primo de R. P.

— *Quicquid ubique*
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi.

Iccirco primus quoque homo *Adam* dictus ab אדמה, *Adama*; quod terram ſignat. Itidem Arabibus ſive Iſmaelitis terra eſt *Al-mahad*: nempe ex Hebræo אדמה *Adamah*: ubi, ſi literas trajeceris, habes מאדה, *mahad*, quod idem notat. Græci quoque, Iavani poſteri, ex *Adam* fecere Ἄδης. Nihil mirum igitur, ſi Gallorum philoſophi, qui hominem ex humo eſſe, & in humum ſcirent redire, progenitos ſe dicerent ex Dite, ſive, ut Græci loquuntur, Ἀδης, ut Hebræi, *Adama*, hoc eſt, terra, communi omnium parente, omniumque receptaculo.

Sed quæcunque hactenus de Diis Gallorum diximus, magis pertinent ad partes naturæ. Nec ſanè arbitror, Druidis Deos fuiſſe animales. Vt qui animas quidem putarint eſſe immortales, ſed nullâ viventium curâ tangi: ſive μεταμψύχωσιν ſtatuerint, ut voluit Diodorus: ſive ex eorum mente

— *Regit idem ſpiritus artus*
Orbe alio:

ut Lucanus ait in primo. Vnde, ut mox ſubjungit,

— *ruendi*
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis: & ignavum eſt redituræ parcere vitæ.

Quod Druidarum dogma quaſdam eſſe reliquias cenſeo traditionis à primis Noachidis acceptæ de corporum reſurrectione, & altera vita.

Poſt Phocæenſium tamen in Gallias adventum, veriſimile eſt, etiam Deos quoſdam animales admiſſos: Herculem imprimis, quem ex Hiſpaniis per Gallias veniſſe in Italiam, recepta erat opinio. Vt videre eſt ex Dionyſio lib. I Antiq. Rom. Diodoro lib. IV; imò & Apollodoro lib. IV. Sed apud eum perperam Λιβύων * pro Λιγύων † editum, librarii fortè errore. Etſi & Tzetzem, atque alios, id videam ſecutos; ut dubitem, an non ſic vulgo creditum ſit. Contrà tamen Ammianus Marcellinus in XV ait, Herculem per Gallias iſſe in Hiſpanias. Vtcunque eſt, per eas iter feciſſe, convenit. Atque ita etiam Cornelius Nepos in Annibalis vita, Silius lib. III, Plinius lib. III, cap. XVII, & XX, & Iuſtinus lib. XXIV; qui ait, eam *rem illi virtutis admirationem, & immortalitatis fidem dediſſe.* Et ſanè quâ parte tranſiſſe credebatur, divino cultum honore, indicat locus ille Petronii Arbitri in Satyrico:

* *Libyam.*
† *Liguriam.*

Alpibus aëreis, ubi Grajo nomine vulſæ
Adſcendunt rupes, nec ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer.

Livius tamen lib. v, ubi de Gallorum agit transgressu, Herculeum hunc transitum fabulis accenset. Et sanè, quod à Thebano id censent factum, ipse etiam fabulis prorsus annumerem. Verùm Herculis Monœci portus, atque alia, arguere videntur, heroa alium, quem Herculis nomine dignati sint, per Alpes iter feciſſe. Et Herculis ista per Gallias transgressio etiam firmari videtur fabulâ de pugna ejus inter Rhodanum & Massiliam adversus Neptuni filios: de qua Mela lib. II, cap. v. Etsi multum vetus hæc narratiuncula ex falso trahat. Vt quod Neptuni ait filios, eosque appellat Albiona, & Bergiona, vocabulis linguâ Celticâ impositis. Nam *Bergion* est à **Berg**, quod montem notat. *Albion* ab *Alb*, sive *Alp*, unde *Alpes*: quo significabantur Celticâ linguâ montes alti: ut tradunt Servius in III Georg. & x Æn. & exinde Isidorus lib. XIV Orig. cap. VIII. Hodie tamen ejusce significationis nullum supereſſe vestigium arbitror in lingua Celtica: nisi fortè placeat eorum conjectura, qui putant, *Alp*, unde *Alpes*, esse contractum ex **Al-op**: quod ad verbum sonat *planè sursum*. Herculei cultus etiam indicium habemus in agro Bataviæ Herculano, qui vulgo, **'tland van Arkel**. Vti & in Zelandia: ubi anno CIↃ IↃ XIV, pago Walachriæ, qui Westcapellæ nomen habet, vetus repertus est lapis, inscriptus HERCVLI MAGVSANO.

Etiam Gallis celebratus Hercules cognomento Ογμιος: sed is, censeo, fuerit potius eloquentiæ symbolum, quam Deus animalis. Eleganter de eo Lucianus †: qui à sacerdote Gallico, puta Druidarum uno, se accepisse ait, Gallis non Mercurium, sed Herculem, eloquentiæ præsidem putari: atque hanc ejus rei caussam esse, quod nihil Hercule fuerit fortius; cumque geminum sit humanæ potentiæ instrumentum, robur corporis, & facundia sermonis; ex Celtarum opinione, τὸν Ηρακλέα λόγῳ τὰ πάντα ἐξεργάσασθαι σοφὸν ἡγούμενον, & πειθοῖ τὰ πλείστα βιάζεσθαι· *Herculem omnia, quæ egit, oratione effeciſſe: quippe virum sapientem, & persuadendo plurimos subegisse.* Nec mirum sanè sic de Hercule Gallico sensisse, quando, ut B. Hieronymus ait adversus Vigilantium, *Gallia viris semper fortissimis, & eloquentissimis, abundavit*: imo, ut tanto vetustior Porcius Cato in Originibus * tradidit; *plerique Gallia duas res industriosissimè persecuta, rem militarem, & argutè loqui.*

† *in Hercule Gallico.*

* *apud Charistium ex secundo Originum.*

Etiam divinus honos in Galliis habitus nonnullis, quos non Herculis quidem, attamen Herculeæ prolis nomine dignarentur. Talis in Gallia Narbonensi Nemausus: quem pro Deo tutelari coluere Nemausenses. Fit hujus in antiquis ejus urbis dedicationibus mentio. In una est, DEO SILVANO, ET LIBERO PATRI, ET NEMAVSO. In alia: DEO NEM... Vbi NEMAVSO sine dubio fuit. Nemausus iste Herculis progenies, & urbis conditor habebatur. Stephanus: Νέμαυσος πόλις Γαλλίας,

λίας, ἀπὸ Νεμαύσου Ηρακλείδου, ὡς Παρθένιος. *Nemausus, urbs Italiæ, à Nemauso Heraclida, secundùm Partheniũ.* Parthenius ille temporibus claruit Cæsaris Augusti †.

† Sub Iu.

CAPVT XXXVI.

Britannicam gentem Gallicæ priscæ propaginem imprimis videri. Herculis in Danmoniis promuntorium. Nec tamen inde colligi debere, Herculem fuisse in Britanniis. Figmentum Ioſephi Iscani de Britannis, qui nuptias Telamonis in Græcia præsentiâ suâ honorarint. Poetæ hujus ætas, & patria. Britanniam Trojanis temporibus, imò plurimis post seculis, fuisse Romanis, ac Græcis, incognitam. Vtrùm Vlysses in Caledonia aram exstruxerit. Becani opinio refellitur de Britannica ara Elissæ, Iavanis filii. Geada sive Geda, numen veterum Britannorum.

NVnc è Galliis Britannicas petamus insulas : præsertim quando non aliunde primi etiam Britanniæ incolæ veniſse eas in sedes videantur. Quod juxta mecum agnoscet, qui cogitet, ab Oriente reliquum in orbem genus veniſse humanum; nec aliunde, quàm ab ultimis Gallicarũ gentium Morinis è portu Iccio, sive Gessoriaco malis, breviorem esse trajectum. Antiquis etiã temporibus magna utriusque gentis in moribus similitudo. Tacitum * audiamus : *Proximi*, inquit, *Gallis, & similes sunt.* Et mox : *In universum æstimanti Gallos, vicinum solum occupâsse credibile est.* Ac deinde : *Sermo haut multum diversus; in deposcendis periculis eadem audacia; & ubi advenere, in detrectandis eadem formido : plus tamen ferociæ Britanni præferunt; ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse, accepimus : mox segnitia cum otio intravit, amissâ virtute pariter ac libertate : quod Britannorum olim victis evênit : cæteri manent, quales Galli fuerunt.* Imprimis verò in considerationem venit, quod de similitudine religionis ibidem ait : *Gallorum sacra deprehendas superstitionum persuasione.* Sanè utrique genti erant Druidæ; Cæsare, & Tacito, testantibus. Vtrique mos homines Diis immolare; quod de Gallis tradunt Cicero, & alii, antea adducti : de Britannis autem Plinius lib. xxx, cap. 1, & Acron in Horat. lib. III, od. IV. Quare verisimile est, magnam partem in Britanniis quoque locum habuisse, quæ de Diis antea Gallicis diximus. Præter verò numina, quæ cum Gallis antiquis communia habuerunt, Romani, ubi insulam occuparunt, sua etiam induxerunt. Vtraque hæc tam Celtica, quàm Romana, Gildas, de Britanniæ excidio agens, appellat *portenta diabolica, penè numero Ægyptiaca vincentia : quorum*, inquit, *nonnulla lineamentis adhuc deformibus, intra vel extra deserta mœnia, solito more rigentia, torvis vultibus intuemur.* In his numinibus fortasse etiam Hercules mereatur locum. Nec enim leve habiti illi honoris argumentum videtur *Herculis promuntorium*, Ptolemæo etiam memoratum

* in vita Agricolæ.

in Dumnoniis, sive Danmoniis potiùs. Atque eruditissimus Camdenus, in veteri sua Britannia, existimat, hodieque prisci hujus nominis vestigia esse, quòd non solùm promuntorium hoc dicatur *Hertypoint*: sed vicinis etiam oppidis nomen sit *Herton, & Hertlond*. At perperam inde colligunt nonnulli, Herculem venisse in Britannias: quod disertim negat Diodorus Siculus in IV; ubi de Britannia agens inquit, Οὔτε γὰρ Διόνυσον, οὔθ' Ηρακλέα παρειλήφαμεν, ἐστρατευμένον ἐπ' αὐτῶν· *neque enim vel Liberum, vel Herculem, accepimus bellum ei intulisse*. Atque ut Hercules aliquis in ea fuisset; non is dicendus Thebanus, sed alius, bellica itidem laude illustris; eoque & Herculis nomine appellatus. Est enim id cognomen virorum fortium. Quare nec Thebano primùm hoc nomen fuit, sed *Alcides* priùs dictus; à Pythia autem, cum consultum veniisset oraculum, cognomentum *Herculis* accepit: ut ait Apollodorus lib. II. Itidem nec dubitandum, quin dux coloniæ Phœniciæ in Hispaniam, quem Gadibus sepultum ex Mela cognoscimus, priùs aliud nomen habuerit, quàm *Hercules*. Et quo pacto Thebanus ille fuerit in Britannia, cum regio illa multis post bellum Trojanum seculis fuerit ignotissima: imò Romanis etiam tam fuerit incognita, ut ubi jam Cæsar in ea bellum gesserat, *alter orbis* haberetur & diceretur? Quod verò Iosephus Iscanus, qui vulgò inscribitur Cornelius Nepos, in secundo poematis de bello Trojano, Britannos, quos reducis è Britannia Herculis comites putant, interfuisse ait nuptiis Telamonis ac Hesiones, id condonandum temporibus, quibus vixit. Claruit enim demum sub Ioanne, Anglorum rege, anno Christi cIↃ ccx. Commentumque id est poetæ in honorem gentis suæ. Quippe Britannus ipse erat. Nec obstat, quod Burdigalensis fuisse archiepiscopus dicitur à Ioanne Pitseo in illustribus Angliæ scriptoribus *. Nihil enim tale ex Lelando, & Guilhelmo Fastregico, Balæus †. Etiam in Burdigalensibus archiepiscopis de hoc apud Ioannem Chenu ‡ silentium est: uti & in Chronico Burdigalensi Gabrielis Lurbei. Sed ut Burdigalensis fuerit archiepiscopus, non hoc impedit, quo minus fuerit Anglus, cùm iis temporibus penes Anglorum reges Aquitania fuerit. Quid multis? Iosephus hic, ut Angli consentiunt, patriâ fuit Devonienſis; educatus apud Iscanos, sive Exonienses. Hinc ipse in primo dicti operis: — *Sine remigis usu*

Non nosset Memphis Romam, non Indus Iberum,
Non Scytha Cecropidem, non nostra Britannia Gallum.

Atque his, quæ adversus Herculis appulsum in Britanniam diximus, etiam convellitur opinio de Vlyssis in eandem adventu: qui non aliis nititur, quàm illis Solini verbis cap. XXV: *Britannia octingentis & amplius millibus passuum longa porrigitur: ita ut eam in Caledonium usque angulum metiamur: in quo*

* *stat.* 13.

† *centur. tertia scriptorum Britann.*

‡ *in chronologica episcoporum Gallia historia.*

in quo receſſu Vlyſſem Caledoniæ appulſum manifeſtat ara Græcis literis inſcripta voto. Si hoc eſſet, non ſiviſſet id nos Homerus ignorare. Sed poeta is, ut dixi, nec fando audierat Britanniæ nomen: plurimiſque poſt ſeculis ea Græcis juxta ac Romanis fuit ignota. Quod verò ad aram attinet, in dubium vocari poſſit, an non potiùs ea Vlyſſi, quàm ab Vlyſſe, fuerit exſtructa. Nam Trojanis heroibus ſacrificari ſolere, exemplis compluribus antea † oſtendimus. Et cui homines Græci, tempeſtate in has oras rejecti, potiùs vota fecerint ac ſacrâ, quàm Vlyſſi: qui non ignarus malorum, quæ ſubeunt pelago errantes, faciliùs aliis heroibus miſericordiâ tangeretur? Sed enim, ut demus, ab Vlyſſe ipſo aram eſſe conſtitutam, quando id potiùs voluit Solinus: eone ara illa ſit ab Vlyſſe Homerico? Quid impedit, quo minus aliquis multo recentior ejus nominis fuerit? Potuere etiam Græci principi ſuæ navigationis ob ſimilitudinem cum Vlyſſe Homerico nomen dare Vlyſſi. Et quid ſi eo lubentius hoc nomen aræ adſcripſerint, ut ὁμωνυμίᾳ vel fucum facerent, vel dubium ſaltem relinquerent lectorem? Horum quippiam, vel tale aliud, longè malim credere, quàm quod viſum fuit Goropio Becano in ſecundo Hiſpanicorum. Arbitratur ille, *Vlyſſis* hujus Britannici nomen eſſe ex *Eliſſa*: quem Iavanis fuiſſe filium, docet nos Moſes Geneſ.x,4. Hunc enim in Britanniam, atque alios veniſſe Occidentis tractus. Quaſi temporibus illis, quibus Noachi viveret pronepos, Græcis aræ literis inſcriberentur. At ajunt, Græcas quidem fuiſſe literas, non item linguam: quomodo & Helvetios, ac Gallos, Græco uſos charactere, ex Cæſare cognoſcimus. Aliquid hoc pacto dicerent, ſi Eliſſæ hujus temporibus in uſu fuiſſent literæ Græcorum, quæ poſt tempora demum Moſaica effictæ ſunt è Phœniciis à Cadmo in Bœotiam inductis: ut oſtendimus in primo de arte Grammatica cap.x. Præterea, quàm ridiculum eſt putare, Cæſarum temporibus exſtitiſſe aram in Caledonia, conſtitutam ab eo, qui Iapheti eſſet nepos, Noë pronepos. Denique Iavan, cujus filius Eliſſa, non Celtarum, in quibus etiam Britanni, parens fuit, ſed Græcorum: ut tradunt Ioſephus, Euſebius, Epiphanius, Hieronymus. Imò LXX, loco non uno, pro *Iavan* habent Ελλάδα *: uti Thargum Hieroſolymit. *Macedonia.* Sanè ex יון, *Iavan*, eſt Ιων, unde *Ionia.*

† *cap.21.*

* *Graciam.*

Nunc paucis agamus de Geada, ſive Geta: quem ex hominibus in Deorum eſſe numerum à veteribus relatum Britannis, teſtis nobis Cælius Sedulius; cui, ut homini Scoto, de gente vicinâ non temere eſt deroganda fides: præſertim ſcriptori ſic ſatis antiquo: ut qui, ſi Gemblacenſi credimus Sigeberto, temporibus vixerit Conſtantis & Conſtantii Imperatorum; vel ſaltem ſub Theodoſio juniore; ut jure maluerunt Tritthemius,

mius, & Gyraldus : quippe qui opus ſuum Paſchale ſcripſerit ad Macedonium Abbatem, B. Hieronymi coætaneum :

Cùm ſua gentiles ſtudeant figmenta poetæ
Grandiſonis pompare modis, tragicoque boatu,
Ridiculove Getæ, ſeu qualibet arte canendi,
Sæva nefandarum renovent contagia rerum,
Et ſcelerum monimenta canant, rituque magiſtro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego Davidis adſuetus cantibus odas
Chordarum reſonare decem, ſanctoque verenter
Stare choro, & placidis cæleſtia pſallere verbis,
Clara ſalutiferi taceam miracula Chriſti?

Eos verſus adducit quoque Ioannes Aſſerus, epiſcopus in Anglia Scyreburnenſis, ſive, ut poſtea dixere, Sareſburienſis; qui annum circa nongenteſimum vitam ſcripſit Aelfredi, Angloſaxonum regis : cujus genus, initio operis ſui, ab hoc Geada ſive Geta deducit. Nam Aelfredus ei vigeſimus eſt ab Frithuwulf. Poſt quem ſubjungit : *Qui fuit Fingodwulf, qui fuit Geada; quem Getam jamdudum pagani pro Deo venerabantur.* Poſtea vero hunc Geada decimum fuiſſe à Noe perſuadere nobis conatur.

CAPVT XXXVII.

Cur Germani ſint habiti indigenæ. Priſcos illos, & opicos Germanos, ex Cæſaris ſententia, non alios agnoviſſe Deos, quàm Solem, Lunam, & Vulcanum. Sed falli, qui inde colligant, eos credidiſſe myſterium Trinitatis. Ad opinionem hanc refellendam adducitur tum Peruanorum opinio de tribus ſummis Diis, Viracoche, quo mundi opifex ſignatur, Sole, & Tonitru : tum Ægyptiorum, quibus præcipui Deorum, Sol, Luna & Vulcanus. Nec ſolos, quos Cæſar putavit, Germanis fuiſſe Deos; ſed præterea, tum Martem, & Herculem, quorum illum naturale, hunc animale numen videri; ut perperam pro eodem habeantur : tum etiam Mercurium, Deorum cum Marte præcipuum. In dubium vocatum, an rectè Romani Mercurium *reddiderint, qui Germanis* Wodan *fuit. Permutari W, GV, & G. Vnde dicantur* Galli, guerra, Germani, Dani, Codanus, woonſdag. *Dici non ſolum* Theuth; *ſed etiam* Thot, & Thoyt, *vel* Thout. *Vnde Deus nobis* God *vocetur.*

EX inſulis Britannicis vela nunc fiant, ancoriſque præciſis, Germania petatur. Quâ, ex veterum ſententia, complectimur, quicquid continetur Rheno, Danubio, Viſtulâ, & mari Septentrionali. Vaſtiſſimæ hujus nationis Deos ab aliis derivare vix poſſumus, quia de coloniis eam in gentem

gentem antiquitus ductis, nulla exstiterit memoria : unde & Germani αὐτόχθονες sive *indigenæ* habebantur. Tacitus de mor. Germ. *Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos.* Quod mox pluribus exponit : *Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos, nullis aliarum nationum connubiis infectos, propriam ac finceram, & tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur : unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto numero, idem omnibus ; truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida.*

Fuere Germanis Dii, alii quidem naturales, animales alii. Hoc libro de animalibus sermo est nobis. Sed, ut in Hispanicis, Gallicis, Britannicis, fecimus ; ita hic quoque addere quædam cogimur de naturalibus : ut magis pareat, quam cujusque crediderint numinis naturam.

De Diis illorum ita Cæsar in VI belli Gallici : *Deorum numero eos solos ducunt, quos vident, Solem, Vulcanum, & Lunam : reliquos ne fama quidem acceperunt.* Eruditissimus Cluverius in primo Germaniæ antiquæ cap. XXIX, hinc colligebat (ut verba ipsius retineam) *priscos Germanos unum, verum, æternum Deum, in trinitate coluisse sub Solis, Lunæ, atque Ignis numinibus.* Equidem vellem, verum ut diceret, tum dogmatis caussâ, quod sanctè credo ; tum gentis ergo, in qua primùm vitalem hausi aëra. Sed ipse obstat Cæsar, quando ait, Germanos non alios agnoscere Deos, quàm quos vident. Et profectò quid infirmius, quàm ex eo, quòd Germani tria statuerint numina, colligere eos agnovisse mysterium illud Trinitatis, quòd Catholica nos docet Ecclesia ? Num & Peruani hoc credunt dogma ? quibus, ut scribit Iosephus à Costa lib. V rerum Occidentalis Indiæ cap. IV, tres summi sunt Dii, Viracoche, Sol, & Tonitru. Hic multò verisimilius procederet commentum. Nam Viracoche est creator mundi. Sed Sol, & Tonitru, nihil ad sacrosanctam Trinitatem. Siquidem Sol non Λόγος est, Dei filius ; sed ille Sol, qui sub aspectum cadit : Tonitru quoque, non profectò Spiritus Sanctus, sed concursus ille fulminis è nubibus erumpentis, & soni ex rupta nube maximi. Nec mirum, si post orbis architectum numina hæc maximi fecerint. Nam quid in æthere pulchrius, & admirabilius Sole ? quid in aëre magis percellit homines, quàm Fulmen, ac Tonitru ? Hæc igitur caussa est, cur Peruani opifici Deo, ut vocant, Viracochæ, addiderint Deos minores duos ; velut advocatos, & intercessores apud Viracocham : quæ & Iosephi à Costa sententia est. Ecquid hæc commune habent cum Ecclesiæ dogmate ? Nec multò amplius pro adversa sententia religio Ægyptiorum facit. Quibus summi itidem tres Dii : atque hi iidem, qui Germanis : nempe Sol, Luna, & Vulcanus. Nam Vulcanus idem, ac Ignis Germanis, & Peruanis Fulmineus ignis cum tonitru,

nitru. Afferam de numinibus hisce verba Diodori Siculi lib. I : ubi, postquam egerat de Sole, & Luna, ista subjungit : Τὰς δ' ἐν κατ' Αἴγυπτον φασὶ ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν ἡγουμένους, ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγῆναι καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς ἀϊδίους τὸν καὶ πρώτους, τόν τε Ἥλιον & τὴν Σελήνην. *Antiquissimos ajunt Ægypti incolas, suspicientes in cælum, & non sine stupore ob naturam universi admiratos, existimasse, duos esse Deos sempiternos, & primos; Solem, & Lunam.* Hinc multa de utroque subjungit; inter alia autem, Τούτους δὲ τοὺς θεοὺς ὑφηγεῖσθαι τὸν σύμπαντα κόσμον διοικεῖν, τρέφοντάς τε & αὔξοντας πάντα. *Hos autem Deos mundum universum gubernare statuunt nutrientes, & augentes omnia.* Postea varia quidem numina recenset; sed principem & locum, & honorem, tribuit Vulcano. Sic enim paullò pòst subjungit : Τὸ δὲ πῦρ μεθερμηνευόμενον Ἥφαιστον ὀνομάσαι, νομίζοντες μέγαν εἶναι θεὸν, καὶ πολλὰ συμβάλλεσθαι πᾶσιν εἰς ἡγεσίν τε & τελείαν αὔξησιν· *Ignem autem per interpretationem nominare Vulcanum, & ipsum magnum esse Deum existimantes, qui multum conferat omnibus, tum ad generationem, tum ad exactum incrementum.* Quam hæc conveniunt cum eo, quod de Germanis dicit Cæsar, veneratos numina, quæ viderent? Dixeris, Cæsarem tradere, non alios à Germanis Deos agnosci: at alios præterea ab Ægyptiis cultos. Id parum præsentem ad rem facit. Sufficit enim, quòd Ægyptiis summa hæc numina fuerint : ut si illis designentur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, per Deos cæteros intelligere angelos possis : ut qui in sacris etiam literis *Elohim* sive *Dii* nuncupentur. Verùm enimvero quis Sanctorum vel prophetarum, vel apostolorum, vel etiam patrum, per Solis, Lunæ, Ignis cultum, venerationem potiùs creatoris, quàm creaturarum intellexit?

In isto etiam ob oculos iis caligo obstitit, quod à Cæsare, summo licet auctore, decepti, arbitrentur, tria solùm numina fuisse Germanis. Quippe acutiùs ista perspexerunt, qui postea signarunt situm ac ritus Germaniæ : qualis Tacitus imprimis. Primùm de Marte videamus : de quo nobilis ille Annalium scriptor lib. IV ejusce operis : *Tenctteri, Rheno discreta gens, missis legatis, mandata apud concilium Agrippinensium edi jubent. Quæ ferocissimus è legatis in hunc modum protulit : Rediisse vos in corpus, nomenque Germaniæ, communibus Deis, sed præcipuo Deorum Marti, gratias agimus.* Idem in Germania sua ait, *Martem ab iis placari concessis animalibus.* Iornandes† verò de Gothis : *Martem semper asperrimâ placavere cultura. nam victimæ ejus mortes fuere captivorum.* Quid verò Martis nomine intellexerint, meliùs libro proximo disquiretur. Nam is destinatus Diis naturalibus; in quibus etiam Mars ille Germanorum.

† *de rebus Geticis cap. 5.*

At de Hercule, quem & ipsum coluere, secus censeo. Heroa enim fuisse, indicat Tacitus de mor. Germ. *Fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque*

mumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Nec tamen existimo, Herculem Germanicum Germanis etiam *Herculis* nomine vocatum : sed Germanicam appellationem Romani Romano sic nomine reddiderunt. Videbant nimirum , celebrari iis inclytæ fortitudinis heroa : qualis Græcis Hercules Thebanus,ac propterea dedêre nomen Herculis;etsi sine dubio longe alius esset ab Hercule,non Thebano modò, sed Tyrio etiam, atque Ægyptio, vel Libyco. Atque ex his simul liquet, cur Tacitus , aliquanto post verba superiùs producta, Martem , & Herculem , distinguat his verbis : *Herculem,ac Martem,concessis animalibus placant.* Nempe Hercules erat,ut eidem dicitur,*primus virorum fortium:* unde Germanis mos gesta ejus canere in prœlium ituris,quò militem ejus accenderent exemplo. At Mars non ex Semideis,sive heroibus,vel Indigetibus diis erat : sed, ut loquitur Tacitus,*præcipuus Deorum.* Vt planè fugerit ratio eruditissimum virum * , cùm Germanis Herculem putat eundem fuisse , ac Martem. Nec juvat eum Macrobius † , quando ait , Pontificibus idem esse Herculis, ac Martis numen. Neque enim hoc intelligendum de Hercule heroë ; sed Hercule æthereo : quorum ille ad veterem pertinet historiam ; hic ad rerum naturam ; quippe qui idem sit ac Sol. Amborum autem cultu sociato ac permixto, & Sol cultus cum heroë , & heros in Sole ; ut plenius libro proximo explicabitur.

* *Antiq. Germ. lib. 1, cap. 28.*

† *lib. 1 Saturnal. cap. 19.*

Mercurium etiam Germani coluerunt ; vel saltem numen aliquod , quod ipsi Wodan vocarint, teste Paulo Diacono * ; Romani autẽ suâ linguâ *Mercurium* reddiderint. Equidem, quàm rectè id fecerint, ambigo : quia nihil video, unde colligam, Wodan apud Germanos, vel literaturæ, vel facundiæ,vel negotiationi,præfuisse. At potiùs cerno, unde fiat verisimile,eum rei præfectum militari. Quippe apud Tacitum est in VI Annal. *Ab Hermunduris diversam aciem Marti, ac Mercurio, sacratam.* Etiam similis in eo cultus , quod utrique victimas , imò & humanas mactarent hostias. De Marte ex Iornande antea vidimus. De Mercurio sic Tacitus lib. de Moribus Germ. *Deorum maximè Mercurium colunt : cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent.* Operæ etiam est considerare,quod hic dicit, Mercurium ex Diis maximè coli. Ac apud eundem lib. IV Histor. Tencteri Martem vocant præcipuum communium Germaniæ Deorum. Credo,in tam diversis Germaniæ populis, alii Martem, Mercurium alii,præcipuo habuerint loco. Quod si Germanicum Mercurium censere liceret ex illo Romanorum , qui ingeniorum erat præses : poteramus putare , sacrificasse ei Germanos,quando astu & strategemate fuissent superiores : Marti autem , si vicissent virtute, &, ut dicitur , Marte aperto. Sed tantum abest,Mercurium ut Germanicum ex Romano censendum putem : ut

* *lib. 1 de gestis Langobardorum cap. 9.*

ne quidem arbitrer, eum, qui Germanis Wodan, rectè *Mercurium* reddi à Romanis. Quippe Wodan Germanis non est Deorum nuncius; eoque multò inferior, non Iove solùm, sed cunctis Saturni liberis: verùm summus Deus, universi præses. Nam Wodan, sive Woden, est idem, ac *Guodan*, sive *Guode*; pro quo **Gode**, vel **God**, nunc dicimus. Quippe permutantur W, GV, & G. Quomodo hodiéque scribimus, *Wilhelmus*, *Guilhelmus*, & *Gilelmus*. Imò & apud Annam Comnenam in Alexiados opere Γωλίερμος, Γιλίελμος, & Γιλίερμος legas. Similia sunt *Walen*, *Gualen*, *Galen*. Hodie **Walen** obtinet. Sed à *Galen* Romani fecere *Galli*. Itidem ex **werren**, quod est *contendere*, *pugnare*, ut **weren**, *defendere*, est **werre** pro bello, sive **warre**, ut Angli pronunciant. Pro **werre** Galli *guerre*, Itali *guerra*: quod nec Latino in carmine refugit Baptista Mantuanus. Verùm Itali dicunt *gara*. Et ex *gara*, vel *gera*, & **man**, quod *virum* notat, est conflata vox *Germani*, quasi hominem dicas militarem. Simile igitur istis *Wodan*, *Guodan*, *Godan*: ex quo κατ' ἀποκοπὴν est **God**; κατ' ἀφαίρεσιν, *Dan*: unde *Dani* dicuntur, pari ratione ac à *Theuth*, *Teutones*. At ab integro *Godan*, sive *Codan*, est *Codanus* sinus: item *Gedanum*, quod aliter *Dantiscum*. Eruditissimus Belgarum sui temporis, Iustus Lipsius, putabat, numen hoc non Wodan dictum, sed Wonsda: atque ita in notis ad Germaniam Taciti pro Woda, vel Wodan, legere apud Paullum Diaconum jubet: nempe quia non **wodesdag**; sed, cum N, **woonsdag** dicamus: tum quia Mercurius præfuerit lucro, quod Belgis **winst**, vel **wonst**. Nempe non cogitavit, à Wodan, vel Woden, esse wodansdag, vel wodensdag, unde κατὰ συγκοπὴν **woonsdag**. Nec Mercurius Germanicus præfuit lucro: nec à wonst, hoc est, *lucrum*, nomen habuit. Vnde igitur? inquies. Dicam, quid mihi videatur. Ægyptii, quem Græci, & secuti eos Ægyptii, Mercurium interpretabantur, vocarunt Θεῦθ: ut sæpius vocatur Platoni in Phædro *. Ciceroni in tertio de Nat. Deorum est *Thoyth*: *Hunc* (Mercurium, inquit) *Ægyptii Thoyth appellant: eodemque nomine annus primus mensis apud eos vocatur*. Sic editio Aldi senioris: nec longè abit, quæ est nepotis Aldi; ubi est *Thoit*. Illa quoque Roberti Stephani † cum editione Aldi senioris convenit: uti & Lambiniana: sed in ea ad latus annotatur, alios legere *Thouth*. Sed tanti aliis est Platonis auctoritas, ut, codicibus illis insuperhabitis, præferant apud Tullium *Theuth*. Nec diffitendum, non longè hinc multos abire codices: ut in quibus reperias *Theyn*, *Thear*, & *Their*: quod postremum in veteri reperio editione, annum quidem, ut primitus fiebat, dissimulante, sed quam facilè principem esse editionem agnoscas. In isto Tullianorum codicum dissensu, eò potissimum propendeo, ut *Thoyt*, vel *Thout*, scripserit Tullius. Movet meliorum è MSSis auctoritas.

Movet

* *pag.* 274, *edit. H. St.*

† *an.* 1543.

Movet item Eusebius Præparationis Euangelicæ lib. 1, cap. IX, ubi legas: Αιγύπτιοι μὲν ἐκάλεσαν Θωὺθ, Αλεξανδρεῖς δὲ Θὼθ, Ερμῆν δὲ Ελληνες μεθέρμηνευσαν· *Ægyptii Thoyth vocarunt, Alexandrini Thoth, Græci Hermen, hoc est, Mercurium interpretati.* Qui locus satis veterem Tullii lectionem confirmat: utcunque Xystus Betulejus, & apud Tullium *, ubi *Thoyth* legitur, & apud Lactantium †, ubi *Thoth* editum est, etiam ab Aldo, *Theuth* legere malit: sanè aliter quàm Thomasius, qui ad oram *Thoyth* reposuit. Porrò ab *Thoyt*, sive *Thout*, κατὰ μετάθεσιν est *Thuoth*: quæ pronunciatio durior. Germani igitur, qui litera W gaudent, T rejecto, fecere Woth, sive, terminatione additâ, Wothan, vel Wodan, vel Woden, aut Wode. Ex Wode autem vel Woth, ut diximus, est Guoth, Goth, **God**, vel **Got**. Vulgaris quidem illa opinio est, **God**, sive **Got**, dici à **goet**, id est, *bonus*, quia Deus fons sit bonitatis. Sed contrà est, cùm, ut bonitas est à Deo, ita & à **God**, quod est *Deus*, sit **goed**, penè quasi dicas *divinus*. Benefaciendo enim reddimur Deo similes: unde proverbium, *Homo homini Deus*. Atque hanc sententiam confirmat, quod ut à *Thoyt*, sive *Thuoth*, est Wod, sive **God**: sic à *Theuth* sit θεὸς, & *Deus*, T in S conversò: quæ facilè commutantur: ut apud Græcos γλῶσα, γλῶττα; ὀρύσσω, ὀρύττω: apud Germanos, das, **dat**; wasser, **water**, & Latinis fluvius Germanicus *Isurgus*, *Iturgus*. Et, si ista non sufficiunt, similiter dixerunt Latini *pulsare*, & *pultare*: item Festo teste, *mersare*, *mertare*; *adgressus*, & *egressus*, quæ prius *adgrettus*, & *egrettus*. A τόσσα quoque *tot*; ab ἅλσος, *saltus*; à σὺ Tarentino more τύ; ab εἴκοσι Laconicum βείκατι, unde *viginti*; τίτυρος, *Tityrus*, à σίτυρος, quo *aries*, significatur, sive *vervex*, *sectarius*; ut ex Servio cognoscimus. Valde etiam, quæ dicebamus, firmantur derivatis à *Godan*, *Dan*, *Theuth*. Nam à *Godan*, insula Danica Melæ est *Codanonia*, quæ nunc Zielant; uti incolæ Ptolemæo *Codanones*: sinus etiam *Codanus* Melæ, Plinioque. Et quia à *Godan*, extrito O, est *Gdan*, unde *Dan*, hinc *Danis* nomen datum. Et affine Δὰν à Σδὰν, pro Ζὰν, sive Ζεὺς: nam Z valet σδ. A *Teuth* vero Germanicum Teutsche; Latinis *Teutoni*, vel *Teutones*: ac ab eodem Gallis *Teutates*. Nempe nationes Germanicæ à Deo, suâ quæque dialecto, nomen adsumserunt; quasi *populum Dei* dixeris: quod facere iis visum ad cultum Dei inculcandum suis, & simul ad terrorem injiciendum hostibus.

* lib. 3 de Nat. Deor.
† lib. 1, cap. 6.

CAPVT XXXVIII.

Tuiſto, Germanorum origo, Gomer videtur; ſive ex Thogarma, ſive ex Aſcenes propagentur. Sed de Aſcenes opinio rejecta, ac Aſcenazim *potiùs eſſe minoris Aſiæ gentes. Si Tuiſto ſit Germanorum parens, id non aliter eſſe capiendum, quàm quia origo ſit generis humani; Adamus puta: Mannum autem, Noachum videri. Niſi Thuiſto potiùs ſit ipſe univerſi conditor, qui &* Theuth: *Mannus autem Adamus; qui &* Man, Men, Menis, Menas, Maneros. *Nec* Iſenaco *ab Iſide, nec* Hamburgo *ab Iove Hammone nomen datum eſſe. Iſidem Germanicam videri aliam ab Ægyptia: niſi utrâque Evam adumbrarint, quæ* Iſcha *Moſi. Adanum Cilicum videri Adamum, & unde* Sari *appellatio, qui alter Adanorum conditor. Si Tacitum audimus, etiam Caſtorem & Pollucem cultos Germanis: ſed Germanos potius gemino illo numine ſignâſſe Deum bonum, & malùm, ſive nigrum; qui &* Zeerneboch; *&, ſi pleriſque Tertulliani codd. ſtandum,* Tibilenus. *Sed poſſe pro Caſtore & Polluce etiam par naturalium Deorum intelligi. Ex ſententia Saxonis, & aliorum, etiam Danis, & Sueonibus, defunctos pro Diis cultos eſſe.*

PRæterea Germanis Deus fuit Tuiſto. De quo Tacitus in Germania ſua: *Celebrant carminibus antiquis Tuiſtonem Deum, terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoréſque.* Vbi, ſi eos intelligit, qui proxima ſint Germanorum origo, Tuiſto ſit Gomer; Mannus autem vel Thogarma, vel Aſcenez. Gomer ille Iapheti filius fuit; ut eſt Geneſ. x, 3. Ab eo Germanos ducere originem, communis eſt ſententia. Sed alii genus arceſſunt ex Thogarma; quem Moſes tertio inter Iapheti liberos loco recenſet: & favet Chaldæus, Ezechielis cap. xxvii, 14; ubi de equis תוגרמה, *Thogarma,* reddidit de גרמניא, *Germania.* Alii verò genus repetunt ex Iapeti hujus primogenito, nomine Aſcenez. Atque ita recentiores Iudæi. Nam Hiſpaniam *Sepharad*, Galliam *Carphat*, Germaniam *Aſcenazim* appellant. Et favere creditur Flavius Ioſephus lib. i, cap. vii; ubi vulgò quidem ‡ legas, Ασχανάζης Ασχανάζας ὥκισεν· οἱ νῦν Ρηγῖνες ὑπὸ τῶν Ελλήνων καλοῦνται· *Aſchanazes condidit Aſchanazas: qui nunc Rhegines* (ſive Rhegini) *à Græcis appellantur.* Sed plerique, & in his Antonius Delrius *, pro Ρηγῖνες (quales nulli Græcis cogniti, præter incolas Rhegii Iulii, & Rhegii Lepidi) reponere jubent Γερμανοὶ: eo magis, quia parum veriſimile videatur, Ioſephum ſilentio præteriturum fuiſſe parentem magnæ illius & populoſæ Germaniæ, temporibus ſuis bello cum Romanis geſto celebratiſſimæ. Sed enim conjectura iſta penitùs eo concidit, quòd ſic jam olim in Ioſepho lectum ſit; ut conſtat ex Euſebio, & Hieronymo, atque hos exſcribente Iſidoro.

‡ *Niſi quod perperam in Frobeniana,* Ασχανάζης Ασχαράξας.

* *gloſsis in Geneſ.* 10, 3.

Quare

Quare *Aſcenazim* potiùs ſint gentes minoris Aſiæ, mari Ægeo propiores. Cui ſententiæ favet Hieroſolymitanus, idque ex Ierem. LI, 27 : ubi Aſcenes numeratur inter eos, qui auxilia Medis tulerunt. Atque idem, vel prope idem, cenſet Theodoretus. Vt qui *Aſcenez* dicat prophetæ Ieremiæ eſſe gentem Mediæ vicinam. Quid hoc ad Germanos? Et opinionem eorum, qui in Aſia collocant, multum juvat frequens in ea *Aſcanii* nomen; præcipuè terris Ægeo mari magis vicinis. Vt inde etiam Aſcanio, Æneæ filio, nomen eſſe videatur. Sed utcunque illud, Aſcania Stephano eſt Troadis urbs; quam in Phrygia ponit Heſychius. Et ante Troadem Plinius Aſcanias agnoſcit inſulas lib. IV, cap. XII, & lib. V, cap. XXXI. Item in Troade ſtatuit Aſcaniam lib. V, cap. XXXII, & Aſcanium flumen, ibidem. Vti & Aſcanium ſinum prope Niceam, & Aſcanium lacum. Quemadmodum & inter Phrygiam, & Myſiam, eum ponit Arrianus lib. I de geſtis Alexandri : qui locis iis, ac vicinis, ſalem naturâ ſuâ ait concreſcere. Quamobrem ſic ſtatuo, *Aſcenazim* non eſſe Germanos, ut cum Iudæis plurimi cenſent : ſed Troada, Phrygiam, Bithyniam, Æolidem, & tractus vicinos : nec alias, quàm haſce nationes, intelligi à propheta Ieremia.

Expendimus eorum ſententiam, qui ab Gomero, ejuſque filio Aſcenez, Germanicam eſſe gentem conditam arbitrantur. Sed enim cauſſæ nihil animadverto, cur apud Plinium neceſſe habeamus intelligere eos, qui proximi ſunt ejus gentis parentes. Mihi videor in illis, quæ de Tuiſtone Deo terrâ edito, & Manno, ejus filio, ſcribit Tacitus, reliquias cernere doctrinæ veteris de Adamo, terrâ edito; ut is ſit Tuiſto : item de Noacho, trium filiorum parente. Subjungit enim Tacitus; *Manno tres filios adſignant*. Nec obſtat, quòd Noachus ſit decimus ab Adamo; Mannus autem Tuiſtonis filius dicatur : illius item filii tres fuerint, qui inter ſe Germaniam diviſerint : unde & proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, cæteri Iſtævones vocentur. Siquidem, qui filium genuit, nepotem etiam, & omnem ejus genuiſſe poſteritatem, cenſetur. Cujus rei compluria habemus exempla apud Matthæum Euang. cap. I, ac alibi in Scripturis paſſim. Porrò multi quidem ſic fuerint Germanicæ gentis genitores : ſed è tota eorum ſerie non alii memorari juſtiùs merentur Adamo, & Noacho. Quæ etſi ita ſint, ſuſpicor tamen, in Manno adumbrari nobis, non Noachum duntaxat, ſed etiam Adamum : ut eoſdem uno Saturni nomine ſignare gentes ſolent; quemadmodum ſuperiùs oſtendimus. Movet me, præter alia, *Manni* vocabulum. *Man* enim Germanis virum deſignat : quam vocem ex Aſia attulere : unde Aſiaticis, *Turcimani, Othomani, Solimani*, pluraque ejuſmodi. *Manni* igitur nomen præcipuè con-

veniat Adamo. Ita Tuiſto ſit Deus ipſe, Adami & Evæ conditor. Et fortaſſe ab eadem origine Romanorum *Mas*, Germanorum man, Ægyptiorum *Men, Menis*, vel *Menas*: quem primum ſtatuunt regum ſuorum, ut vidimus antea * : item, (quod propius ad Man accedit) *Maneros*: de quo Iulius Pollux lib. IV, cap. VII, §. 11 : Αἰγυπτίοις μὲν ὁ Μανέρως γεωργίας εὑρετὴς, Μουσῶν μαθητής· *Ægyptiis Maneros eſt agriculturæ inventor, idemque Muſarum diſcipulus.* Primus ſanè agriculturam exercuit; primus quoque literas reperit, & docuit, Adamus. Itaque *Manni* nomen maximè conveniat Adamo : *Tuiſtonis* verò nomen Deo ipſi, Adami & Evæ conditori. Quomodo dictus quoque *Theuth*, & *Thoth*. Ab his verò non longè abit *Thuiſto* : unde trajectis duabus literis *Thuiſto* : ubi O ſolùm Latina eſt terminatio : ut fortaſſe hinc ſit Tuiſchen : quomodo à *Teuth*, itidem terminatione O additâ, *Teuto*; inde *Teutones* : ut ſuperiùs expoſui.

* cap. 27.

Poſt Tuiſtonem, & Mannum, venio ad Iſidem : de qua ſic Tacitus in Germania ſuâ : *Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat.* Quod ſi eſt, numen hoc fuerit à Græcis, Iſtri accolis; his verò ab Ægyptiis : qui Iſidem in Deas retulere, quia cùm triticum, & hordeum, ſponte antea creſceret inter herbas, nec uſus eorum eſſet cognitus; prima Iſis eum monſtrârit Ægyptiis; ut ex Diodoro antea diximus. Vnde ipſa, apud Appulejum XI Met. Eleuſiniam Cererem, & Ægyptiam Iſidem, prædicat eandem. Itaque & nonnulli ab Iſide, oppidum Germaniæ *Iſennacum* dici arbitrantur. Et eò id putant veriſimilius, quia Iſis ſit Oſiridis uxor; Oſiris ſit Mitſraim; is filius Cham, ſive Ham : unde itidem vocari autumant *Hamburgum*, ſive *Hammeburgum* potiùs. Ludovico enim primo literis Aquiſgrani datis vocatur *Hammeburgck*. Sed quanto eſt credibilius *Iſenaco* eſſe nomen à ferro, quod Germanis *iſer* : *Hamburgi* autem vocabulum eſſe à Gambriviis, populo Germaniæ apud Tacitum libro de Germania, & Strabonem etiam in VII : niſi quod, cum Latinè ſit Gambrivii, Græcè ſcribendum Γαμβρεϊοι, non, uti literulæ errore exaratum, Γαμβρεϊνοι. Difficulter etiam poſſum in animum meum inducere, Germanos vetus Iſidis numen, cujus ſera adeo notitia Græcis & Romanis, accepiſſe ab Ægyptiis. Sed ſi in ſuperſtitione, tot ſeculis intermortuâ, nunc etiam conjecturis eſt locus : dixero, Germanis fuiſſe reliquias primævæ traditionis de Adamo & Eva : quorum ille Mannus ſit, hæc Iſis. Nam quomodo Adam, quod hominem notat, ac κατ' ἐξοχὴν, marem, commodiùs reddidiſſent ſuâ linguâ, quàm *mannum* ? A *man* autem mulier dici potuit *manna* : ſed non fuit hoc in uſu Germanis. Ac fortaſſe ex longa traditione retinuerunt Hebræum *iſcha*; quod apud Moſen, & veteri Latinorum linguâ *viram* ſonat : unde apud Feſtum, *Viræ Querquetulanæ*. Romani autem cùm audirent

Germa-

Germaniæ genti cultos Man,& *Iſcha*; ut ex illo *Mannum*,ita ex hoc *Iſidem* fecerint : quia non viderent, quod numen *Iſcha*, quàm *Iſis* eſſe poſſet. In quo quantopere falſi ſint, ex iis videre eſt, quæ diximus. Niſi & Ægyptiis,ut Oſiris Adamus,ſic Eva Iſis. Nec enim putandum,primum parentum memoriam in Aſia penitus intercidiſſe apud gentiles. Multa in contrarium obducere poſſem. Sed uno contentus nunc ero, quod occurrit. Adana antiqua Ciliciæ urbs erat, condita à Syris,inque memoriam primi hominis *Adam* ſive *Adama* appellata. Sed conſtat, Græcos non habere voces in M exeuntes, eoque pro Αδὰμ dixere Αδὰν, & terminatione additâ, Αδανος : unde urbs Αδανα. Αδανος iſte, ut ait Stephanus, Cæli, Terræque filius erat. Quod nulli melius convenit, quàm Adamo noſtro. Idem Stephanus ait, aliter dictum Saturnum, & Rheam. Puta, quia Saturnus eſt primus homo,& Rhea,omnium mater Eva. Hi,quia una erant caro, ut etiam loquitur Scriptura, eo uno nomine numineque comprehendebantur à Cilicibus : ſi rectè eorum mentem nobis expoſuit Stephanus. Quo teſte,idem quoque Ανδης, qui fortaſſe Σάνδης,hoc eſt,Hercules. Nam hunc Indis *Sanden* vocatum, ſuperiùs * oſtendimus. Idemque Αδης * *cap.22.* ſive Dis : nempe Adam è terra & in terram rediit; atque inde ei nomen : uti & Αδὰω quoque Græci dixere ex אדמה, Adama, *Terra*; M itidem in N abeunte. Parque ratio in aliquot aliis gentium Diis, à Stephano memoratis : cujus cauſſa eſt, quod ut in naturali Theologia præcipui Deorum ad Solem, & Lunam, referuntur : ita Dii animales potiſſimi pertineant,vel ad primos parentes; vel Noë,& conjugem; vel liberos horum, qui orbem inter ſe partiti fuere. Ac hinc etiam videmus,cur Adanus ille creditus fuerit Iapetus; eodem teſte. Sed quia ſæpius jam Stephanum adduximus, ipſum potius audiamus : Αδανα, Κίλικια πόλις, ἀδιάλεκτος. ταύτην ὤκισεν Αδανος & Σάρος, Ταρσεῦσι πολεμήσαντες & ἡττηθέντες· ἀφ' οὗ ἡ πόλις, ἀπὸ τοῦ ἡγεμόνος, Αδανα· τὸν δὲ ποταμὸν Κοίρανον καλοῦσιν Σάρον καλέσαντες. ἔστι δὲ ὁ Αδανος γῆς καὶ οὐρανοῦ παῖς, & Ωκεανὸς, καὶ Ανδης, & Κρόνος, καὶ Ρεα, καὶ Ιάπετος, & Ολυμβρος. ADANA, *Ciliciæ civitas, genere neutro. Hanc exſtruxere Adanus, & Sarus, cum bellum geſſiſſent adverſus Tarſenſes, ſed ſuccubuiſſent. Ac à duce quidem Adano urbs dicta eſt Adana : flumen autem, quod* COERANOS *dicitur, Sarum nominarunt. Eſt verò Adanus Cæli ac Terræ filius. Idemque & Oſtaſius, & Andes, & Saturnus, & Rhea, & Iapetus, & Olymbrus.* Vbi conſpicimus,ut Cilices videri voluerint, Adanum, & Sarum, eſſe urbis ſuæ conditores. Nempe quia Adana ab omni hominum memoriâ fuiſſet,voluere videri eſſe opus primi hominis, ſive Saturni, vel Adami. Quicum tamen non bellè convenit, quod Adanus,& Sarus,dicuntur victi fuiſſe à Tarſenſibus. Vt convenientius fuerint dicturi, in honorem Adani, ſive primi omnium parentis, ſic

urbem

urbem vocitatam. Dicitur autem & Sarus urbem ædificasse, ac honori ejus flumen, ad quod exstructa fuit, Sarum nominatum. *Sari* quidem appellatio optimè convenit tum Adamo, tanquam Deo tutelari, unde urbs dicta: tum conditori urbis; qui & ipse forsitan *Adam* dictus; quomodo ambiguitas vocabuli occasionem præbuerit Cilicibus natales suæ urbis referendi ad primum hominem, Cæli Terræque filium. Vtrique competit appellatio שַׂר, sar, quod est, *dominus, princeps.* Vnde & Abrahami uxor vocata שָׂרָה, Sara, hoc est, *domina.* Non vanam esse hanc conjecturam, arguit, quòd Stephanum audiimus dicentem, fluvium aliter vocatum Κοίρανον, hoc est, *dominum.* Nempe à Syris *Sarus,* à Græcis Κοίρανος vocabatur: quia Ciliciæ variis in locis Syri Græcique erant permixti. Siquidem, ut superiùs ostendimus, Syria antiquitus ad Pontum usque Euxinum extendebatur: unde & Cappadoces *Leucosyri* dicebantur.

Si Tacitum audimus, etiam Castor & Pollux culti sint Germanis. Sic enim ille libro de moribus Germaniæ: *Apud Naharvalos, antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu: sed Deos interpretatione Romani Castorem Pollucemque memorant.* Vbi non de nihilo est, quod INTERPRETATIONE dicat. Neque enim Germani habuere nomina *Castoris,* & *Pollucis.* Sed Romani, cùm persuasum haberent, colere se, quicquid Deorum esset: in cultu numinis barbarici considerabant, cui ex Diis suis is cultus maximè conveniret: atque inde hoc numen Iovem, aut Neptunum; illud Iunonem, aut Cererem; aliud Herculem, aut Martem, & ita in cæteris, interpretabantur. Quamquam verò apud Diodorum etiam in IV legere sit, Dioscuros à Celtis maris accolis, in quibus & plerique Germani, cultos esse: valde tamen metuo, ne de illo ratio fugerit Romanos pariter ac Græcos. Sanè quàm minutum hoc argumentum, quod Germani duos Deos luci præsides, & quidem (Taciti verba sunt) *ut fratres, ut juvenes venerentur.* Nam quid si per duo hæc numina intellexerint Germani principium unum boni, alterum mali? quæ de duobus summis Diis opinio, vetustissimorum apud gentes Theologorum fuit, ac legislatorum: ut Plutarchus clarè ait libro de Iside & Osiride; fusèque à nobis superius * est declaratum. Idem Germanos putâsse, saltem aliquas ejus nationes, eo mihi verisimilius fit, quia & Slavi, quorum pars bona cis Vistulam in Germania veteri, opinionem hanc amplexa fuit. Helmoldus lib. I Chron. Slavorum cap. LIII: *Sub nomine Deorum, boni scilicet atque mali, omnem prosperam fortunam à bono Deo, adversam à malo, dirigi profitentur. Ideo etiam malum Deum suâ linguâ Diabol, sive zeerneboch, id est, nigrum Deum appellant.* Sed *Zeerneboch* quidem sit à Slavis: at *diabol* sine dubio est ex *diabolus*; ut à Christianis hoc acceperint vocabulum. Nisi forte de diabolo ex

* cap. 5.

glosse-

glossemate in contextum irrepsit. Sanè non habet Albertus Crantzius in Wandalia sua lib. III, cap. XXXVII : ubi Helmoldum ad verbum exscripsit, tacito auctore. Quem Slavi *Zeerneboch*, hunc Saxones antiqui, si audimus Fabricium * in Saxonia sua, vocant *Tybilenum* : imò, ut ait, hodiéque sic malum dæmonem † nuncupant. Itaque nihil fortasse mutandum apud Tertullianum Apologetici cap. XXIV, ubi in multis codd. est : *Vnicuique provinciæ & civitati suus est Deus, ut Syriæ Astarte, Arabiæ Disares, ut Norico Tibilenus, ut Africæ Cælestis, ut Mauritaniæ reguli sui.* Alii tamen locum censent corruptum : ut Nicolaus Loensis Epiphyllid. lib. V, cap. XV, qui pro *Tibilenus* corrigit, *Dius Belenus*. Pithœus autem Subsec. lib. I, cap. IV, simpliciter legit *Norici Belenus*. Quod magis placet. Vt illud TI in *Tibelenus* sit ex repetito TI ex Norici. Nam T, & C, in veteribus MSSis, confundi solent; ut norunt, qui eos tractarunt. Sin minùs placet, per numina, quæ Romani *Dioscuros* interpretabantur, bonum Deum, & *Zeerneboch* intelligi : quid si capiantur Dii illi, qui Romanis Cælus, & Tellumo; puta Cæli, & Terræ Deus ? Vel, quia Dioscuri isti à Diodoro Celtis maris accolis tribuuntur; quid si fuerint Romanorum Iupiter, & Neptunus ? Fratres quippe hi, nec senescit eorum natura. Vel quid si frater sororque signentur, sive Cælum & Terra, sive Sol, & Luna ? Saltem non paullò hæc verisimiliora mihi videntur, quàm ut reliquiæ fuerint doctrinæ de trinuno Deo; perque Castorem & Pollucem signati fuerint Λόγος sive Verbum, & Spiritus S. Quæ opinio fuit eruditi nostri amici in Germania antiqua lib. I, cap. XXX.

Vlysses etiam in Germania fuisse existimatus, & ararum honore cultus. Tacitus de moribus Germaniæ : *Ceterùm & Vlyssem quidam opinantur longo illo, & fabuloso errore, in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniæ terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodiéque incolitur, ab illo constitutum, nominatumque* ἀσκιπύργιον ‡. *Aram quin etiam Vlyssi consecratam, adjecto Laërtis patris nomine, eodem loco olim repertam; monumentáque & tumulos quosdam Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ, Rhætiæque, adhuc exstare : quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est : ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem.* Verùm nunquam Vlysses navigavit in Oceano, sive mari externo. Quod multis possim comprobare. Sed sola sufficerint, quæ adducit Brodæus Miscellaneorum lib. III, cap. IV. Cujus in sententiam pedibus nunc, quantum video, penè ab omnibus itur eruditis. Eoque & de Olysippone Lusitaniæ, ab Vlysse exstructa, prorsus repudiant : non minori sanè jure, quàm circumspectiores Zelandicæ gentis de Vlissinga suâ ab Vlysse, ac Ziricea à Circe exstructâ.

Ad veterem quoque Germaniam pertinent Dani, & Sueones, aliique

* *lib. I originum Saxonicarum.*

† *Interim vereor magnopere, ne deceptus sit Fabricius, ac Tifel non ex* Tibilenus *fit; sed ex διάβολος, unde & Germanis* **Teuffel**, *Belgis* **Duyvel**.

‡ *Assentio illi, qui vocem Græcanicam delent : ut qua antecesserit. Nempe aliquis memoriæ ergo ad oram adscripserat, unde in contextum irrepsit.*

populi Septentrionales : quorum Deos fuisse homines, ac tum in vita meruisse honores ; tum à morte pro Diis esse cultos, etiam agnoscit Saxo Grammaticus lib. VI Hist. Dan. Audiamus loquentem : *Olim quidam magicæ artis imbuti, Thor videlicet, & Othinus, aliique complures, mirandâ præstigiarum machinatione callentes, obtentis simplicium animis, divinitatis sibi fastigium arrogare cœperunt. Quippe Norvagiâ, Sueciam, ac Daniam, vanissimæ credulitatis* † *laqueis circumventas ad cultus sibi pendendi studium concitantes, præcipuo ludificationis suæ contagio respersérunt. Adeo namque fallaciæ eorum effectus percrebuit, ut in ipsis cæteri quandam numinum potentiam venerantes, eosque deos vel deorum complices autumantes, veneficiorum auctoribus solennia vota dependerent, & errori sacrilego respectum sacris debitum exhiberent. Quo evenit, ut legitima feriarum series apud nos eorundem nominibus censeatur : cum ipsis Latinorum veteres, sive à Deorum suorum vocabulis, sive à septeno planetarum numero, nuncupationem singulatim adaptasse noscantur.* Plura de iis ibidem subjungit. Vide & Ioannem Magnum, Gothorum, Sueonumque historiæ lib. I, cap. IX, X, & XI ; & de vitis Pontificum Vpsalensium lib. I *. Ex hujus verò temporis scriptoribus de istis Danorum Diis vide sis eruditissimum amicum nostrum, virum de literis optimè meritum, Isacium Pontanum in Glossario Priscogallico, Originibus Francicis, & lib. I Hist. Danicæ.

† *Apud Ioannem Magnum, qui locum hunc, sed absque ulla Saxonis mentione, exscripsit, pro* credulitate, *perperam in Romana ipsa editione*, crudelitate *legas, lib. I historiæ Gothicæ cap. 10.*

* *edit. Rom. pag. 14.*

CAPVT XXXIX.

In dubium revocatum, an à Sarmatis paganis præter Deos naturales, quorum nomina referuntur, etiam culti sint Dioscuri sub nominibus Leli, *&* Poleti. *Alexandri Magni, & Cæsaris Augusti aræ ad Borysthenem. Aurea Vetula accolarum fluminis Oby. Zamolxis à Getis, quibus leges tulerat, pro Deo cultus. Orpheus geminus, Argonauta unus, alter poeta, qui proprio nomine Onomacritus ; & amborum ætas ; deque cultu Argonautæ locus Cononis. Temesius Clazomenius in Thracia ab Abderitanis cultus. Plestorus, deus Thracum, cui sacrificatus Oebazus. Helena, Veneris ministra, ab Epidamniis, vel Epidauriis, pro Dea est habita.*

POlonia partim ad Germaniam magnam, partim ad Sarmatiam pertinet. Incolæ his terris, ut rerum Polonicarum scriptores tradiderunt, coluere non Solem modò, & Lunam : sed etiam Pogwisd, sive Auram, Iessam sive Iovem, Lacton vel Lactonem, sive Plutonem, Niam sive Cererem, cujus celeberrimum Guesnæ templum fuit, Marzanam sive Venerem, Zievoniam, sive Dianam. Sed omnes isti fuere Polonis Dii naturales : quos venerati fuere usque ad annum Christi Io CCCCLXV ; quo Miesco, sive Mieczlaus rex sacris est iniatus Christianis. Ajunt verò & habuisse

buisse Deos animales, Castorem, & Pollucem : eos vocitatos Lelum, & Poletum : & cultus eorum supersesse vestigia hodieque in sympoſiis Polonicis; ubi vulgo *Lelus, & Poletus,* soleat inclamari. Sic præter alios Alexander Guaguinus in Sarmatia sua Europæa. Vellem autem rationem addidisſent, cur Lelum, & Poletum, interpretati sint Dioscuros. Num quia Dii gemini, & affinia videantur vocabula, *Poletus,* & *Pollux?* Nunc verisimilius non occurrit. Sed quàm frivola hæc sint, omnes vident. Quid si igitur dicamus, à priscis illis Sarmatis per Leli, & Poleti nomina intelligi potiùs solere, sive bonum, nigrumque Deum; sive Cælum, & Tellurem; sive Iovem, & Neptunum : prout antea exponebamus numina illa Germaniæ, quæ Castorem & Pollucem fuisse, etiam Tacitus arbitrabatur? Sin verè Lelum, Poletumque, per Castorem, & Pollucem, explicuere : Sarmatæ, credo, eorum cultum acceperint à Græcis, Istri accolis. Quomodo & à Græcis fuit ara Alexandri M. ad Borysthenem : uti à Romanis illa, quæ ibidem constituta fuit Cæsari Augusto. Meminit utriusque Ammianus Marcellinus lib. XXII : *Deinde Boryſthenes, à montibus oriens, Neurorum primigeniis fontibus copioſus, concurſuque multorum omnium adoleſcens, mari præruptis undarum verticibus intimatur : cujus in marginibus nemoroſis Boryſthenes eſt civitas, & Cephaloneſus, & aræ Alexandro Magno, Cæſarique Auguſto ſacratæ.*

Ad Oby fluvium coluere Auream Vetulam : sed difficile dictu, num ea symbolum fuerit Evæ, omnium nostri matris : an Telluris, quæ & ipsa antiqua omnium mater. De hoc numine sic Paulus Oderbornius in vita Ioa. Basilidis, magni ducis Moscoviæ : *Obdorii ab Obbo amne nominantur; qui ex lacu Citaiſco ortus ab Oriente in Septentrionem labitur. His Vogulici, & Hugrii vicini, & Moſchis ſubjecti ſunt; à quibus Aureæ Anus idolum ſanctè colitur; quod, oraculi Delphici inſtar, futura quærentibus reſpondere ſolet.* Item Adamus Clemens in Anglorum Navigatione ad Philippum Angliæ tum temporis regem, & Hispaniæ principem : *Tatarorum confinia tenent Moſcovitæ idololatræ. Percelebre eſt illis idolum Aurea Vetula dictum. Siqua gravior calamitas gentem premit; veluti fames, bellum, vel peſtis : idolum ſuum ſtatim conſulunt, quod hoc modo faciunt. Coram ſimulachro proſtrati preces fundunt : mox tympanum in medio ſtatuunt. Hoc ſorte lecti circumſtant : argenteum bufonem tympano imponunt : dein bacillo concutitur tympanum. Ac cui circumjacentium circumſtat bufo, protinus interficitur. Statim, neſcio quibus idoli præſtigiis, vitæ reſtitutus malorum cauſſas exponit. Itaque placato idoli numine, non ita multo pòſt publicâ calamitate liberantur.* Vide & Guaguinum Veronensem in Sarmatia Europæa *.

* *in deſcriptione Moſcovia, cap. de Obdoria.*

E Sarmatia venio in Daciam, ac regionem Getarum : quorum legislator in Deos relatus. Homo Thrax apud Platonem in Charmide : Ζάμολξις λέγει

λέγει ὁ ἡμέτερος βασιλεὺς, θεὸς ὤν. *Zamolxis ait noſter rex, qui Deus eſt.* De eodem ſic Laertius in Pythagora: Εσχε δὲ δοῦλον Ζάμολξιν, ᾧ Γέται θύουσι, Κρόνον νομίζοντες, ὡς φησιν Ηρόδοτος· *Habuit & ſervum Zamolxin, cui Getæ ſacrificant, Saturnum enim exiſtimantes, ut ait Herodotus.* Reſpicit autem ea, quæ apud Herodotum legere eſt in Melpomene. Sed refert Herodotus, putare ſe Zamolxin multò fuiſſe antiquiorem Pythagora. De cultu ſic quoque Iamblichus in vita Pythagoræ cap. xxx: Καὶ ταῦτα παιδεύσας τὺς Γέτας, καὶ γράψας αὐτοῖς τὺς νόμυς, μέγιστος ἦν θεῶν ὅτι παρ' αὐτοῖς· *Cumque hæc Getas docuiſſet, eiſque leges præſcripſiſſet, Deorum apud eos habitus eſt maximus.* Vide & de eodem Strabonem lib. VII, & XVI, Lucianum in Deorum Concilio, Malchum ſive Porphyrium in vita Pythagoræ, Origenem lib. II, & III contra Celſum, Iornandem in Geticis, & Etymologici Magni auctorem in Ζάμολξιν; ubi variæ veterum de eo ſententiæ afferuntur. Imò temporibus Auguſti Cæſaris parum abfuit, quin eadem gens Getica divinos etiam honores tribueret Ceneo, homini præſtigiatori, inque Ægypto divinandi artem edocto, atque oracula ſe dare ſimulanti; teſte Strabone in VII.

A Getis in Thraciam me confero. Vbi eumpſe Zamolxin cultum fuiſſe, tradit Lucianus in Iove Tragœdo: Σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύουσι, καὶ Θρᾷκες Ζαμόλξιδι, δραπέτῃ ἀνθρώπῳ ἐκ Σάμυ· *Scythæ quidem acinaci ſacrificant, & Thraces Zamolxidi, homini fugitivo ex Samo.* Etiam domo Thrax Orpheus; quem, uti & Muſæum, relatum fuiſſe in numerum Deorum, docet Tertullianus de Anima cap. II. Intellige autem non Orpheum poetam, quem habemus, ſed Argonautam: quod non appoſuiſſem, niſi hos confudiſſet Pamelius ad locum Tertulliani memoratum. Sed duos illos jure diſtinxit vetus Apollonii ſcholiaſtes in primum Argonauticôn *. Argonauta vixit triginta circiter annis ante excidium Trojanum. Alter ille, vel potiùs Onomacritus, cujus pleraque ſunt Orpheo tributa, claruit temporibus Hipparchi, & Hippiæ, filiorum Piſiſtrati: ut Tatianus etiam ſcripſit adverſus Gentes. Illius igitur Threicii vatis nihil habemus: etſi ad ejus libros provocet Arnobius in quincto. Sed de hoc, & Muſæo pariter, Linoque, plura diximus in primo operis noſtri de re Poetica. De cultu Orphei ita Conon narratione XLV apud Photium in bibliotheca: Λαβόντες ἓν (τὴν κεφαλὴν τοῦ Ορφέως) ὑπὸ σήμαλι μεγάλῳ θάπτουσι· τέμενος δὲ περιείρξαντες· ὁ τέως μὲν ἥρῳον ἦν, ὕστερον δ' ἐξενίκησεν ἱερὸν εἶναι. Θυσίαις τε γὰρ, καὶ ὅσοις ἄλλοις θεοὶ τιμῶνται, γεραίρεται· ἔστι δὲ γυναιξὶ παντελῶς ἄβατον. *Accipientes igitur (caput Orphei) ingenti tumulo mandarunt, ac monumentum ei heroicum circumdederunt, poſtea autem obtinuit, ut eſſet delubrum. Sacrificiis enim, aliiſque rebus, quibus Dii ſolent coli, & ipſe honoratur. Feminis verò templum id omnino eſt inacceſſum.*

* verſ. 27.

Etiam

Etiam Abdera Thraciæ urbs: cujus fundamenta primus jecit Temesius Clazomenius: sed nihil fructus inde à Thracibus retulit; ut quem expulerint: sed postea eo coloniam duxere Teji; à quibus divinis est honoribus affectus. Herodotus in Clio: Ὑπὸ Τηΐων ἐν Ἀβδήροισι ὡς ἥρως ἔχει· *A Tejis Abderorum urbe colitur, ut Deus.* Vbi heroici solum honoris meminit; sed is in conditoribus urbium divinus esse solet.

Erat & Thracibus Deus Plestorus: sed dubito, utrùm naturalis, an animalis. Huic Persa Oeobazus sacrificatus. Herodotus lib. IX: Οἰόβαζον ἐκφεύγοντα ἐς τὼ Θρηΐκω, Θρήϊκες Ἀψίνθιοι λαβόντες, ἔθυσαν Πλειστώρῳ, ὀπιχωρίῳ θεῷ, τρόπῳ τῷ σφετέρῳ· *Oeobazum, fugâ elapsum in Thraciam, Thraces Apsinthii exceptum Plestoro, Deo indigenæ, ritu suo immolaverunt.*

Hinc in Illyridem proficiscor: cujus pars Macedoniæ propior *Dalmatia* vocatur. In hac Epidaurii videntur Helenam coluisse; non illam à Paride raptam, sed aliam; de qua sic Ptolemæus Hephæstion novarum histor. lib. IV*: Ἡ διακονήσασα Ἀφροδίτῃ ἐν τῇ πρὸς Ἄδωνιν ὁμιλίᾳ, ἡ Ἐπιδαμνίου θυγάτηρ, ὧν Ἐπιδαύνιοι ἐν Ἀφροδίτης σχήματι τιμῶσι, χρήματα λιμώττουσιν ὀπιδιδοῦσαν· *Illa ministra Veneris in congressu cum Adonide, Epidamnii filia, & ab Epidauniis Veneris figurâ culta, divitias inhiantibus largiens.* Vbi dubitari possit, an non vel priori loco Ἐπιδαυείου, vel posteriori Ἐπιδάμνιοι, legi debeat. Sanè verisimile est, hanc Helenam filiam fuisse ejus, qui urbem sive Epidamni, sive Epidauri, condidisset. Sed Epidamnus est in Dalmatia duntaxat; aliterque *Dyrrachium* vocatur: Epidaurus autem triplex, una quidem in Dalmatia; at duæ præterea in Peloponneso; una ad sinum Saronicum, altera ad Argolicum.

* apud Photium cod. 190.

CAPVT XL.

Diomedis Ætoli nemus, ac templum, juxta ostium Timavi. Eidem delubrum in insulis Adriæ, quæ Diomedis dicuntur. Metabus Metapontinis Deus, item Pythagoras: Sybaritis autem semicaper puer: Sardis Hercules Thebanus, sive Alcides, & cum eo Iolaus; item Hercules Libycus, sive Maceris, cum Sardo; unde Sardis nomen. Etruscis quoque cultus Hercules. Quis Tages iste fuerit, qui extispicii artem docuisse Etruscos dicitur: & cur sacra ejus dicta Acherontia. *Marsis in veneratione Circe, vel Medea, nomine* Angiciæ, *ab anguibus impositio. Minturnensium Dea Marica, quæ eadem ac Circe: item culta hæc Circeiis. Pilumnus, ac Picumnus, quos à Rutulis accepere Romani, quibus rebus præfuerint, & unde nomen acceperint.*

AB Illyride læti jam Italiam prospicimus: unde, Istriâ relictâ, proxima se offert Venetia. Vbi ad ostium Timavi Diomedis nemus, ac

templum fuit. Strabo lib. v : Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου ἐστὶν ἱερὸν τῆς Διομήδους, ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον· *In ipso Adriatici sinus intimo recessu Timavum est, Diomedis templum memorabile.* Paullo verò pòst subdit, Diomedi apud Venetos sacrificari equum album.

Sunt & ex adverso Marucinorum, ac Pelignorum, insulæ quinque Diomedeæ; ubi itidem cultus est Diomedes. Theophrastus lib. IV Histor. Plant. cap. VII : Ἐν μὲν γὰρ τῷ Ἀδρίᾳ πλάτανον οὐ φασὶν εἶναι· πλὴν τὸ Διομήδους ἱερὸν· σπανίαν δὲ καὶ ἐν Ἰταλίᾳ πάσῃ· *Platanum ajunt non esse in Adria, præterquam circa Diomedis delubrum: raram autem esse in Italia universa.* De eodem sic Augustinus lib. XVIII de Civit. Dei cap. XVI : *Diomedem fecerunt Deum; quem, pœnâ divinitus irrogatâ, perhibent ad suos non revertisse; ejusque socios in volucres fuisse conversos. Quin etiam templum ejus esse ajunt in insula Diomedea, non longè à monte Gargano, qui est in Apulia: & hoc templum circumvolare, atque incolere has alites, tam mirabili obsequio, ut rostrum aquâ impleant, & adspergant: & eò si Græci venerint, vel Græcorum stirpe progeniti, non solùm quietas esse, verùm & supervolare: si autem alienigenas viderint, subvolare, & capita eorum tam gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare.* Intelligenda verò hæc, quæ diximus, de Diomede, non Thrace illo, hospites suos objicere equis solito : sed Ætoliæ rege, celebrato tantopere ab Homero, præcipuè Iliad. E. Hic enim, cùm ob adulterium uxoris reverti domum nollet, in Italiæ loca varia concessit, inque Apulia consedit: ubi Argyrippam, sive Argos Hippium, sive Arpos (uti & in Hirpinis Beneventum, & Equum Tuticum) condidit.

Sed, dum Diomedi insistimus, prætervecti sumus Marsos. Ne retro cursum legere cogamur, postea de iis dicam. Nunc loca adibimus Apuliæ proxima. Qualia Lucanorum, & Brutiorum. In Lucania est Metapontum : cujus incolæ coluerunt Metabum, urbis conditorem. Hinc ἡρῶον τοῦ Μεταβου, *sacellum Metabi,* apud Strabonem legas in VI.

Etiam Metapontinis Deus habitus est Pythagoras. Iustinus lib. XX : *Pythagoras cum annos* XX *Crotonæ egisset: Metapontum migravit, ibique decessit: cujus tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent, eumque pro Deo colerent.* Laërtius tamen paullò aliter lib. VIII : Μεταποντῖνοι γε μὲν τὴν μὲν οἰκίαν αὐτοῦ, Δήμητρος ἱερὸν ἐκάλεν· τὴν γειτνιῶσαν δὲ, μουσεῖον, ὡς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπαῖς ἱστορίαις· *Metapontini illius domum Cereris delubrum vocabant, vicumque Musæum; ut ait Phavorinus in omnimoda historia.*

In Lucanis sunt Sybaritæ. Hi in Deos retulere puerum cruribus hircinis, tanquam Sylvanum quendam. Natus is erat ex caprario Crathide, & caprâ; quam cùm flagitiosè deperiret Crathis, in somno est interfectus ab hirco, rivali suo. Vide de impuro hoc amore, ac numine, Ælianum lib. VI de animalibus cap. XLII.

Sed

Sed tædioſum fortaſſe ſit, ita per omnes ire Italiæ regiones: utcumque ex ſingulis pauca decerpantur. Ad vetus igitur Latium feſtino; quò Romam revertamur, unde per Tiberinum oſtium jamdiu ſolvimus. Ab meridie ejus eſt mare Tyrrhenum ſive inferum: in quo, ſed ex adverſo magis Liguriæ, ſunt Corſica, & Sardinia. In hac cultus Hercules, & cum eo Iolaus: unde Sardi montani, qui & Diagebrenſes, priùs fuere Iolaënſes vocati; ſecundum Strabonem in v. Vbi & addit, eum in hanc inſulam adduxiſſe quoſdam filiorum Herculis. Etiam refert Diodorus in v, campos Sardiniæ amœniſſimos *Ioleos* dici ab Iolao, eumque natum fuiſſe ex fratre Herculis. De honoribus Iolao habitis, ut cui feſtum *Iolaia* ſtatuerint, ſic Pauſanias ſcribit in Phocicis: Ἔστι δὲ ἔν γε κατ' ἐμὲ ἔτι χωρία τε Ἰολάϊα ἐν Σαρδοῖ, καὶ Ἰόλαος ὑπὸ τῶν οἰκητόρων ἔχει τιμάς. *Etiam ætate mea in Sardinia ſunt loca dicta Iolaia, honoreſque ab incolis habentur Iolao.* Præterea hoc feſtum Thebis fuit. Scholiaſtes Pindari Iſthm. od. IV: Μυρσίνης στεφάνοις ἐν Θήβαις στεφανοῦσθαι, οἱ νικῶντες τὰ Ἰολάϊα· *Qui Thebis viciſſet in feſto Iolai, coronâ myrteâ coronabatur.* Aliter verò Ἡράκλεια vocabatur, quaſi dicas, *Herculea.* Teſtis idem ſcholiaſtes Olymp. od. VII, & Iſthm. od. I. Ex his colligat aliquis, Thebanum fuiſſe Herculem, quem cum Iolao coluerint Sardi. Nec de Græcis repugno, qui in inſulam hanc conceſſerint. At iis, qui ex Africa veniſſent, venerationi fuit non Thebanus Hercules cum Iolao; ſed Libycus cum Sardo. Hercules iſte nomine vero *Maceris* dictus fuit; filius ejus *Sardus*, qui coloniam in inſulam hanc duxit; unde *Sardinia* eſt vocata. Pauſanias in Phocicis: Ἑλλήνων οἱ κατ' ἐμπορείαν ἐσπλέοντες Ἰχνοῦσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα τῇ νήσῳ κατ' ἴχνος μάλιστα ἔοικεν ἀνθρώπου . . . . . πρῶτοι δὲ διαβῆναι λέγονται ναυσὶν ἐς τὴν νῆσον Λίβυες. Ἡγεμὼν δὲ τοῖς Λίβυσιν ἦν Σάρδος ὁ Μακήριδος Ἡρακλέους ἐπονομαζομένου ὑπὸ Αἰγυπτίων τε καὶ Λιβύων . . . . . καὶ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ Σάρδου τούτου μεθέλαβεν ἡ νῆσος. Οὐ μέντοι τούς γε αὐτόχθονας ἐξέβαλεν ὁ τοῦ Λιβύων στόλος. Σύνοικοι δὲ ὑπ' αὐτοῦ οἱ ἐπελθόντες ἀνάγκῃ μᾶλλον, ἢ ὑπὸ εὐνοίας, ἐδέχθησαν. *Græci mercatores, qui eò adnavigabant, Ichnuſam vocavere, quòd iſti inſulæ figura eſt humano veſtigio proxima. Primi autem in eam inſulam navibus trajeciſſe feruntur Libyes: quibus ductor fuit Sardus, Maceridis illius, qui Hercules cognominabatur ab Ægyptiis, atque Afris, filius. Inſuláque hæc à Sardo nomen mutavit. Non tamen inquilinos depulit Afrorum claſſis: ſed à Sardinienſibus decretum eſt, neceſſitate magis, quàm benevolentiâ, unà ut advenæ cohabitarent.* Idem firmat Silius Italicus lib. XII:

Inſula fluctiſono circumvallata profundo
Caſtigatur aquis, compreſſaque gurgite terras
Enormes cohibet nudæ ſub imagine plantæ.
Inde Ichnuſa prius Grajis memorata colonis:

Mox

Mox Libyci Sardus generoso ſanguine fidens
Herculis, ex ſeſe mutavit nomina terræ.

Solinus cap. x : *Nihil attinet dicere, ut Sardus Hercule, & Norax Mercurio procreati, cùm alter ab Libya, alter ab uſque Tarteſſo Hiſpaniæ, in hoſce fines permeaſſent, à Sardo terræ, à Norace Noræ oppido nomen datum.* Iſidorus lib. xiv Orig. cap. vi : *Sardus, Hercule procreatus, cum magna multitudine è Libya profectus, Sardiniam occupavit; & ex ſuo vocabulo inſulæ nomen dedit.* Hujus fanum apud Ptolemæum, Σαρδοπάτορος ἱερὸν, q. d. Sardipatris, ſive Sardi patris.

Ab occaſu veteris Latii eſt Etruria : ubi inter Deos cæteros magno itidem in honore Hercules fuit. Hujus fanum ad portum Labronis erat, qui hodie *Liburnus*. Meminit Antoninus in Itinerario, ubi AD HERCVLIS legas in via à Vadis Volaterranis ducenti. Etiam infra Lucam Ἡρακλέους ἱερὸν, *Herculis fanum*, apud Ptolemæum ; qui illud ſtatuit inter Feroniæ lucum, & Piſas. Magna etiam in veneratione Etruſcis Tages ; vix tamen, ut Deus videatur. De eo Feſtus : *Tages nomine, Genii filius, nepos Iovis, puer dicitur diſciplinam haruſpicii dediſſe* XII *populis Etruriæ.* Fuſè de eo M. Tullius lib. II Divinat. Inter alia : *Tages*, inquit, *dicitur in agro Tarquinienſi, cum terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, exſtitiſſe repentè, & eum adfatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus ; ſed ſenili fuiſſe prudentiâ.* Narrat deinde, quomodo ab eo Etruſci didicerint aruſpicinam. Poſtea hæc ſic impugnat : *Deum dicam an hominem ? Si Deum, cur ſe contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adſpiceret ? Quid ? idem nonne poterat Deus hominibus diſciplinam ſuperiore ex loco tradere ? Si autem homo ille Tages fuit ; quonam modo potuit terrâ oppreſſus vivere ? Vnde porrò illa potuit, quæ docebat alios, ipſe didiciſſe ?* Meminere & Tagis hujus Ovid. lib. xv Met. Lucanus lib. I, Cenſorinus de die Natali, Ammianus Marcell. lib. XVII, & XXI, Mart. Capella lib. VI, Iſidorus lib. VIII Orig. cap. IX. Cæterùm vel hoc de Tage fabula eſt, quæ originem trahere potuit ab Adamo, Terræ filio, à quo primum edocti ſunt homines cultum Dei : vel ſi puer ejuſcemodi è terra exſtitit, à quo Lucumones Etruſci diſciplinam exſtipicii diſcerent, is malignus fuerit ſpiritus : quem Deus non permiſerit cælitus deſcendere, quod majorem addidiſſet impietati fidem, eoque ab Acheronte venerit : & hac de cauſſa etiã ſacra ejus dicebantur *Acherontia.* Vnde Servius in illud x Æn.

Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum ſupereſſe per annos.

Sciendum, ait, *ſecundùm haruſpicinæ libros, & ſacra Acherontia, quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata decem annis quadam ratione differri : quod nunc dicit Vulcanus potuiſſe fieri.*

Ab

Ab septentrione priscis Latinis fuere Marsi. Hi coluere Angiciam : de qua sic Iulius Solinus cap. VIII : *C. Cælius Æetæ tres filias, Anguiciam, Medeam, & Circen, dicit fuisse : Circen Circæos insedisse montes, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem : Anguiciam vicina Fucino occupavisse; ibique salubri scientiâ adversus morbos resistentem, cum desisset* (Salmasius *dedisset*) *hominem vivere, deam habitam : Medeam ab Iasone Buthroti sepultam, filiumque ejus Marsis imperasse.* Sed valde in his abit ab aliis sive Solinus, sive C. Cælius. Nam multò plures Circen, quam *Deam sævam* Maro vocat VII Æn. non Æetæ filiam, sed Solis; Medeæ non sororem, sed amitam, dicunt : ùt Homerus Il. K. Hesiod. Θεογον. Orpheus in Argonaut. Apollon. Argon. lib. III. Anguicia autem si filia Æetæ fuit, diversa à Medea, potiùs sit Chalciope. Ovid. epist. Helenes ; ubi de Medea sermo,

Non erat Æetes ad quem deserta rediret,
Non Ipsea parens, Chalciopéque soror.

Silius ἁπλῶς dicit prolem Aetæ; ut inde, quæ filiarum fuerit, haut liqueat. Sic enim ille lib. VIII :

Æetæ prolem Anguiciam mala gramina primam
Monstravisse ferunt, tactuque domare venena.

Sed profectò Anguicia non alia, quàm Medea. Vnde gloss. vett. à Salmasio laudatæ : *Angicia*, Μήδεια. Idem docet Servius in illud VII Æn.

— Neque enim juvere in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angiciæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevere lacus.

Medea, inquit, *quando, relictis Colchis, Iasonem secuta est, dicitur ad Italiam pervenisse : & ibi populos quosdam, circa ingentem lacum habitantes, qui Marrubii appellabantur, docuit remedia contra serpentes. Hi ergo populi Medeam Angiciam appellarunt ab eo, quod ejus cantus serpentes angerent.* Verùm de etymo fallitur. Quanto enim verisimilius, sic dici ab *anguibus*, in quos suam exereret potestatem : quorum etiam in venenis sive pharmacis usus. Vt à *patre*, *patricius* ; à *latere*, *latericius* ; à *crate*, *craticius* : sic ab *angue*, *anguicius*. Quod verò Latinis, *Anguicia*, id Græcè esset ἐχιδναῖα. Quippe ἔχις, *anguis*. Imò ex illo est hoc Latinum, N inserto ; ut à θίγω, *tango* ; à πλίσσω, *pinso* ; à ῥυκάνη, *runcina* ; à δασὺς, *densus*, & trecentis id genus. Videtur & ab *angue*, *anguia* vocata. Nam apud Vibium Sequestrum legas : *Anguiæ vel Anguiciæ, Lucaniæ.* Nisi *Anguinæ* priori loco rescribendum : vel etiam *Angiciæ*. Nam C, G, & Q, facilè commutantur. Atque id occasionem erroris præbuerit Servio, ab *angendo* deducenti.

Ab Oriente est Latium novum : ubi ager Pometinus, & Campanis

proximi Aurunci. Auruncorum oppidum Minturnæ. Prope hoc fuit templum Maricæ: quod à Minturnenſibus religioſiſſimè cultum, teſtis eſt Strabo in v. Fuit Marica Latini regis uxor ex Fauno. Maro Æn. VII :

— Rex arva Latinus, & urbeis
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno, & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus.

Vbi ſic Servius : *Eſt Marica, dea litoris Minturnenſium, juxta Lirim fluvium.* Poſtea ſubjungit : *Dicunt alii per Maricam, Venerem intelligi debere : cujus fuit ſacellum juxta Maricam : in quo erat ſcriptum* ; Νικὸν ἡ Ἀφροδίτης. *Sanè Heſiodus* * *Latinum Circes, & Vlyſſis, filium dicit : quod & Virgilius* † *tangit dicendo, Solis avi ſpecimen.* Heſiodum, ac Maronem, ſequitur Lactantius lib. I, cap. XXI : *Nam & Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt, & Circe Marica.*

* in Theogonia.
† 12 Æn.

Auruncos excipit ad occaſum Pomptinus ager, ſive Pometinus, ſic à civitate Sueſſa Pometia, Volſcorum urbe, nuncupatus. In hoc Circejum promontorium, & oppidum Circeji, à Tarquinio Superbo conditum. Nomen à Circe, antè memoratâ, quæ hic habitâſſe fertur ; ut tradit Theophraſtus in Hiſtoria plantarum lib. V, cap. IX, & lib. IX, cap. XV. Apollonius Argonaut. lib. III, & ibidem ſcholiaſtes, Dionyſ. Halicarn. lib. IV, item Diodorus Siculus lib. IV, Virgilius Æn. VII, Mela lib. II, cap. IV, Solinus cap. XXIV. Nonnus Dionyſiacon lib. XXXVII, Iſacius Tzetzes in Lycophronem. Fani Circes juxta Circeios meminit Strabo lib. V. Ciceronis quoque eſt in III de Nat. Deorum : *Quamquam Circen quoque Circeienſes noſtri religioſiſſimè colunt.*

In Latio veteri ſunt inter alios Rutuli; quorum princeps civitas Ardea fuit. Horum propriè Dii Pilumnus, & Picumnus ; ille Turni avus, hic avunculus, aut patruus magnus. Quamquam alii hos Dioſcuros eſſe tradiderint. Meminit Pilumni Maro in IX :

— Luco tum forte parentis
Pilumnus Turnus ſacrata valle ſedebat.

Vbi ſic Servius : *Pilumnus, & Picumnus, fratres fuerunt, & dii. Horum Picumnus uſum ſtercorandorum invenit agrorum ; unde & Sterquilinius* (vel *Stercutius*) *dictus eſt : Pilumnus verò pinſendi frumenti ; unde & à piſtoribus colitur. Ab ipſo etiam Pilum dictum eſt.* Sic locum hunc cenſeo corrigendum. Idem Maro in X : *— Et patriâ Turnum conſiſtere terrâ ;*

Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Quem in locum Servius inter alia annotavit : *Pilumnus idem Stercutus : qui propter pilum inventum, quo fruges confici ſolent, ita appellatus eſt.* Vbi pro *Stercutus* malim *Stercutius*. Vt & apud Plinium lib. XVII, cap. IX : *Fimi*

plures

plures differentiæ : ipsa res antiqua. Iam apud Homerum regius senex agrum ita suis manibus lætificans reperitur. Augeas rex in Græcia excogitâsse traditur : divulgâsse verò Hercules in Italia : quæ regi suo Stercuto, Fauni filio, ob hoc inventum immortalitatem tribuit. Fuerit igitur Pilumnus ex priscis Italis; qui inverit artem, tum pinsendi sive tundendi frumenta, tum stercorandi agros. A posteriori dictus sit *Stercutius*, vel ut in aliis est libris, *Sterculius*. A priori autem *Pilumnus* : nempe à *pilum* ; ut à *picus*, *Picumnus* ; ab *auctu*, *auctumnus* ; à *verto*, *Vertumnus*. *Pilum* verò est id instrumentum, quo quid in mortario tunditur : contractum ex *pistillum* ; ut ab *ala*, *axilla* ; à *maxilla*, *mala* ; à *vexillum*, *velum* ; à *paxillus*, *palus* : etsi contrarium vulgò statuant, quando ex integris faciunt diminutiva. *Pilumnus* igitur ex eo, quia docuerit pili usum in frugibus tundendis : quod Latinis *pinsere*, priùs *pisere*, ἀπὸ τοῦ πίσσειν. Pomponius, Atellanarum poeta :

Neque molis molui, neve pilis pinsui.

Ita legendus senarius ille, apud Diomedem, ne versus claudicet : non, ut in vulgatis, *neque pilis*. Præterea verò Pilumnus, & Picumnus, tum connubiis præfecti, tum tutelæ puerorum. Quibus probandis Nonius Marcellus insignem hunc Varronis adducit locum, ex secundo de Vita populi Romani : *Natus si erat vitalis, sublatus ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse : ac diis conjugalibus, Pilumno, & Picumno, in ædibus lectus sternebatur.* Etiam apud Servium legas ad allatum antea Maronis locum ex x Æn. *Varro Pilumnum, & Picumnum, infantium Deos esse ait; eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur, an vitalis sit, qui natus est.* Nam *vitalis*, non *utilis*, legi hoc loco oportere, indicant verba Varronis jam ex Nonio allata. Subjungit deinde Servius : *Piso, ait, Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiæ.* Vbi intelligendus L. Calpurnius Piso, vetustus Annalium scriptor, Tullio, Varroni, Dionysio, Plinio, Gellio, Censorino, & aliis memoratus. Sed de etymo potius Servio assensero. Interim ex his colligimus, Pilumnum non docuisse duntaxat stercorandi, frugesque pinsendi modum; sed etiam quædam, quæ ad connubia, & infantiam, pertinerent.

De cæteris Rutulorum Diis, in quibus Venilia * etiam fuit; item aliorum veteris Latii populorum, nihil ultra addam : quia fere vel Dii fuere naturales, de quibus posthac dicendum; vel animales, sed ante expositi nobis, cùm de Romanis numinibus tractaremus. Accedit, quod exeuntibus ab Rutulis in conspectu sit vetus Roma; quam, quasi longam post perigrinationem, lubens animo conspicio, lætus saluto, atque id, (si gentilium fas verbis) cum Erinna poetria :

* *Virgil.* 10 *Æn.* & 16 *Servius.*

Χαῖρέ μοι Ῥῶμα Θυγάτηρ Ἄρεος
Χρυσεομίτρα, δαίφρων ἄνασσα.

Martis ô salve mihi gnata Roma,
Provida, & mitrâ Regina refulgens
Aureâ.

Vel Christiano potiùs ritu, salve, iterumque salve, (verbis B. Hieronymi * utar) *Vrbs potens, urbs domina, urbs Apostoli voce laudata.*

* *lib. 2 adversus Iovin.*

CAPVT XLI.

Refelluntur, qui animas colunt, ut Deos; quandoque etiam eas, quarum impietas, dum in terris agerent, ne quidem fugerit cultores suos. Hujusmodi cultum etiam beatis Martyribus attributum: uti à Rugianis, qui pro Deo habuerunt S. Vitum, Diocletianeæ ætatis martyrem. Cujusmodi discrimen statuerit Plato inter cultum Dei, & Naturæ; item Deos, & heroas: eique occurritur, quòd diceret, non colere se heroas, tanquam summâ præditos potestate, sed ut medios inter Deos, & homines. De Abrahamo patriarcha culto ab Cæsare Alexandro Severo: de Marcellina Gnostica, incensis colente B. Paulum. Cur uni Deo conveniat sacrificii honos. Quo sensu sacrificiis dicantur expiari peccata: & analogia inter effectum temporalem victimarum Veteris Testamenti, & spiritualem sacrificii Iesu Christi. Vbi loci vulgo, præcipueque à philosophis, constitutæ olim sint animæ heroum.

HVc delati considerabimus, quid de cultu defunctorum statuere conveniat. Vbi duo spectamus, quales sint, qui coluntur, & quales habeantur à colentibus. Eorum, qui coluntur, alii fuere inimici Dei, eoque jam pœnas subeunt æternas; alii amici fuerunt in terris, beatamque nunc vitam degunt in cœlis. Vtrique autem vel coluntur, ut Dii; vel ut mediatores inter Deos ac homines. Primùm de iis videbimus, qui animam ipsam habeant pro numine. Quorum errorem contra Fortunatum refellit B. Augustinus, his verbis: *Aliud esse Deum, aliud esse animam. Deum esse inviolabilem incorruptibilem, & impenetrabilem, & incoinquinabilem, & qui ex nulla parte corrumpi possit, & cui nulla ex parte noceri potest. Animam verò videmus, & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio animæ ostendit mihi, quòd anima non sit Deus. Nam si anima substantia Dei est; substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere.* Et postea: *Aliud est, qui fecit; aliud, quod fecit. Qui fecit, corruptibilis omnino esse non potest. Quod autem fecit, omnino non potest æquale esse illi, qui fecit.*

Quod si animæ non sint Dii; fateri etiam cogimur, nec coli eas, ut Deos, posse, sine maxima veri numinis offensa. Nam si reges indignarentur, aliquo honorem alteri regiam exhibente, quàm regi: multò magis indigna-

dignabitur Deus, si divinus honor, ejusve pars, tribuatur non Deo. Vt de mortuis etiam habeat locum, quod de vivis ait Callisthenes apud Arrianum in IV; ubi cùm diceret Anaxarchus, adorandum esse Alexandrum; contra eum contendit, alios esse honores divinos, alios heroicos; Diis templa exstrui, eosque adorari; heroës laudari, & statuis ornari. Postea subdit: Οὐδὲ Αλέξανδρον ἀνασχέσθαι ἄν, εἰ τῶν ἰδιωτῶν τὶς εἰσποιοῖτο τῶν βασιλικαῖς τιμαῖς χειροτονίᾳ ἢ ψήφῳ ὀ δικαίᾳ· πολὺ ἂν οὖν δικαιότερον τοὺς θεοὺς δυσχεραίνειν, ὅσοι ἄνθρωποι ἐς τὰς θείας τιμὰς σφᾶς εἰσποιοῦσιν, ἢ πρὸς ἄλλων εἰσποιούμενοι ἀνέχονται· *Non pateretur Alexander, privatum aliquem regios honores, electione suffragiisque illegitimis, usurpare. Multo itaque justiùs Deos indignaturos, siquis mortalium divinos honores sibi arroget, aut ab aliis delatos sustineat.*

Cùm verò Deus graviter succenseat omnibus, qui alium, præter se unum, pro Deo venerantur: tum verò imprimis irascitur iis, qui in throno ejus constituunt veri numinis nescios, homines impios ac profanos. Quales colebantur à gentilibus innumeri. Vt Iupiter ille Phrygius sive Tantalus, raptu Ganymedis celebris: Venus Cypria, deliciæ Cinyræ regis: tot Cæsares Romani, atque impii alii, ab impiis in Deos relati. Quorum impietas sæpe nec cultores ipsos fugiebat: honorabant nihilominus, διὰ φόβον προστάξοντος, *ob metum ejus qui præcepit*: ut Athanasius ait orat. contra gentes: ac pro exemplo adfert catamitum Hadriani Cæsaris Antinoum, quem venerati καίπερ εἰδότες ἄνθρωπον ὀ σεμνὸν, ἀλλ' ἀσελγείας ἔμπλεον· *gnari fuisse hominem, & quidem non sanctum, sed stupris plenum.*

Interea & gravis ac spissa committitur idololatria, si pro Deo colatur vir pius ac sanctus. Vti factum ab incolis Rugiæ, Suevici maris insulæ, numinis loco honorantibus S. Vitum: idq; occasione hujuscemodi. S. Vitus circa annum trecentesimum, temporibus nempe Diocletiani, martyr obiit cum Modesto & Crescentia: quod paucis refertur in martyrologio Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Romano *: fusè autem deducitur apud Surium in vita ejus ex MSSis expressa. Hujus corpus à Fulrado, abbate S. Dionysii, Româ sub Pipino Rege translatum fuit Parisios: ut Sigebertus in Chronicis annotavit ad annum Iↄ CC LVII. Anno autem Iↄ CCC XXXVI, sub imperatore Ludovico Pio, ut idem refert, reliquiæ Viti martyris à Parisiis *ad Corbeiam Saxoniæ translata: unde ipsi Franci testati sunt, quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata sit.* Vide & Witichindum lib. I gest. Saxon. Porro Rugiani, qui à Saxonibus, & Corbeiensibus imprimis, religionem hauserant Christianam, eorum exemplo summo in pretio habuere S. Vitum, templumque magnificum ab eo *Viti* vocitarunt. Postea redierunt ad religionem gentilem: sed sic ut persisterent in S. Viti cultu: imò in supremi cum numinis locum eveherent. Quam rem his verbis exponit

* 15 *Iun.*

Helmoldus in Annalibus Slavorum lib. 1, cap. sexto: *Peragratisque multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani sive Rugiani, & habitant in corde maris. Ibi fomes est errorum, & sedes idololatriæ. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam insulam lucrati sunt; ubi etiam oratorium fundaverunt, in honorem Domini ac salvatoris nostri Iesu Christi, & in commemorationem † sancti Viti, qui est patronus Corveiæ. Postquam autem, permittente Deo, mutatis rebus, Rani à fide defecerunt; statim, pulsis sacerdotibus, atque Christicolis, religionem verterunt in superstitionem. Nam sanctum Vitum, quem nos martyrem, ac servum Christi, confitemur, ipsi pro Deo venerantur, creaturam antеponentes creatori. Nec est aliqua barbaries sub cælo, quæ Christicolas ac sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine sancti Viti gloriantur; cui etiam templum, ac simulachrum, amplissimo cultu dedicaverunt, illi primatum Deitatis specialiter attribuentes. De omnibus quoque provinciis Slavorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum exhibentur annuæ solutiones. Sed nec mercatoribus, qui fortè ad illas sedes appulerint, patet ulla facultas vendendi, vel emendi; nisi priùs de mercibus suis deo ipsorum preciosa quæque libaverint: & tunc demum mercimonia foro publicantur. Flaminem suum non minus, quàm regem, venerantur.* Atque iterum cap. LIII: *Inter multiformia Slavorum numina præpollet Zuante Vith *, deus terræ Rugianorum; utpote efficacior in responsis; cujus intuitu cæteros quasi semideos æstimabant. Vnde etiam in peculium honoris annuatim hominem Christicolam, quem sors acceptaverit, eidem litare consueverunt. Quin & de omnibus Slavorum provinciis statutas sacrificiorum impensas illò transmittebant. Mirâ autem reverentiâ circa fani diligentiam affecti sunt. Nam neque juramentis facile indulgent, neque ambitum fani vel in hostibus temerari patiuntur.* Similia habet lib. II, cap. XII; uti & Albertus Crantzius Vandal. lib. III, cap. XXXVII. Verba non appono, quia Helmoldum exscripsit. Sed corruptè apud eum *statuas impensas*; pro *statutas*: extrema quoque verba sic apud eum leguntur: *Neque ambitum fani, neque ostia temerari, quavis immunditia patiuntur.* Etiam de hoc fusè admodum Saxo Grammaticus lib. XIV. Paucula solùm describam: *Rugiani, quondam à Karolo Cæsare expugnati, sanctumque Vitum Corvegiensem, religiosâ nece insignem, tributis colere jussi, defuncto victore, libertatem reposcere cupientes, servitutem superstitione mutarunt, instituto domi simulachro, quod sancti Viti vocabulo censuerunt. Ad cujus cultum, contemtis Corvegiensibus, pensionis summam transferre cœperunt, affirmantes, domestico Vito contentos, externo obsequi non oportere. Quamobrem Vitum, veniente sui solennis tempore, eorum mœnia turpaturum, à quibus tam similem monstro figuram acceperit. Meritò namque eum ab his injuriarum pœnas exigere debere, qui venerabilem ejus memoriam sacrilego cultu complexi fuerunt.*

Proximum est, ut de iis agamus, qui defunctorum animas venerantur ac honorant, non ut fontem ac principium boni; sed ut creaturas dignitate præstan-

† *quamodò & cultum Christi ac sanctorum distinguit Greg. Nyssenus orat. de S. Theodoro martyre:* Nos quidem, ô beate, coegimus tibi publicum conventum, sacrum, inquam, martyribus addictum, & communem dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes. *Hinc* memorias martyrum *dixere, ut concilii Gangrensis can.* 20, *item Augustinus, atque alii.*

* *hoc est* sanctus Vitus: *uti nunc Polonice,* Svviety Wit.

præstantiores; quæ preces hominum deferant ad Deum, bonaque iis impetrent & procurent. Quo pacto & heroas in invocando spectabat Plato. Quod planius erit, si paucis ejus exposuero sententiam de diis & animalibus, & naturalibus. Quando ex sua philosophus is loqueretur sententia, non agnoscebat pro Diis æthera, aera, aquam, aut terram: quorum natura mysticè in Deorum genealogia aut gestis describitur. Interea, metu populi, ipse etiam Diis popularibus sub Apollinis, Iunonis, aliisque nominibus, sacrificabat. Præterea licet unum esse Deum agnosceret, universi conditorem, etiam dæmoniorum: nihilominus non Deo duntaxat sacra faciebat; sed etiam spiritibus Dei ministris, quæ dæmonia vocabantur: heroibus item, quibus ob benefacta publica divini essent honores constituti. Vt videre est apud eum in VIII, & XII de Legg. atque alibi. Duo igitur gravissimi illius errores erant. Prioris auctor quidem aliis non fuit; attamen abripi sese ab aliis in hoc sinebat. Alterius verò suis quoque auctor erat. Vnde liquet, utcunque agnosceret Deum, non eum tamen glorificâsse, ut oportuit; eoque Deum etiam perpessum, ut in cogitationibus suis evanesceret. Quod & Augustini judicium est lib. x de Civitate Dei cap. III. Doctoremque suum Platonem, quem inter semideos & Labeo retulit, ut alibi idem Augustinus * refert, sectatores sui in hac re sequebantur: imprimis posteriores, qui non tam *Academici* amplius, quàm *Platonici*, dici voluerunt. Quippe his etiam, præter Deum principem, mundi opificem, duplices Dii fuere: alii, qui semper fuissent à corporeis vinculis immunes, ac à Christianis *angeli* vocantur: alii, qui aliquando fuissent corporibus illigati. Quorum nonnullos putabant privatim ejus familiæ curam gerere, quam ex se natam scirent: alios esse custodes Reip. nempe qui benefaciendo Vrbi, vel Reipublicæ, vel universo generi humano, promeriti hoc crederentur, ut sacra iis, votaque publicè fierent.

* *lib. 2 de Civit. Dei cap. 14.*

Hæc Platonicorum sententia eo refellitur, quòd solis veri Dei amantibus pateat aditus in cælos. Heroes verò isti gentilium non solùm veri numinis nescii fuerunt; sed honoravere Deos alienos, sæpe etiam vitâ in fœdissimis voluptatibus, atque adeò sceleribus, transegerunt. Vtcumque igitur ingeniosè aliquid hominibus utile invenerint; utut quoque vel urbem condiderint, vel strenuè & feliciter pro ea bellum gesserint: non propterea idonei sunt existimandi, quibus sacra votáq; fiant, ut amatores suos commendent Deo. Quomodo enim alios illi reddant gratos, & amicos, qui ipsi fuerint ingrati, & inimici? quomodo in cælos commeent ad preces hominum offerendas, qui ipsi carcere detenti graves vitæ anteactæ pœnas luant, & gravioribus reserventur? Fuere enim dæmoniorum cultores,

tores, ſub dæmoniis ducibus militarunt in caſtris hoſtilibus adverſus Deum, & electos ejus. Condidere urbes: ſed in conditas, rejecto Deo, dæmoniorum cultum induxere. Pugnarunt ſtrenuè pro focis, ariſque; ſed dæmoniorum aris; & eorum qui hæc coluiſſent: quales cælo locarunt, quo æternùm ipſi caruerunt.

Atque ut non horum omnium omnes forent rei; ſed aliqui unum coluiſſent numen, quod condidiſſe & gubernare omnia faterentur; vitam etiam honeſtè traduxiſſent: non eò à morte iis ſacrificatum oportuit: qui honos eſt ſic Dei proprius, ut communicari poſſit nemini. Scio, diſtinxiſſe philoſophos quoſdam, inter cultum ſupremi numinis, quem Iovem dixere; illumque dæmoniorum, & heroum: Iovi tribuiſſe imperium ſupremum, & à nullo dependens: dæmoniis autem, & heroibus, dependens ab alio, eoque ſubordinatum ſive ſubalternum. Proptereaque Iovem veneratos ut fontem, & principium omnis boni; heroas, ut ejus adminiſtros, pariterque amicos, orantes pro hominibus, & ubi, quæ petiiſſent, impetrarant, eorum procuratores. Sed ſic argumentantes, an argutantes, dicam, non omnis purget Oceanus à crimine fædæ ſuperſtitionis. Nam ita cum ſacrificiis in cultu divino comparatum eſt, ac cum congreſſu in matrimonio. Si mulier cum alio concumbat viro, adultera eſt: nec refert, ſi alio id animo agat: cum viro quidem, tanquam longè cariſſimo, quicum etiam ſolo conſueſcat, quamdiu gravida non ſit, inſtar Iuliæ Auguſti, quæ eò ſe ajebat liberos parere marito Agrippæ ſimiles, quia *nunquam* *, *niſi navi plenâ, tolleret vectorem.* At interea, quæ moribus ſit hujuſcemodi, caput cũ altero collimet, non parili affectu, ſed fortè quia in re quapiam ejus auxilio egeat: qualis, ut prope adducatur invita, rebus ſuis ad incitas redactis, imò vel nimio mariti amore, ut liberet captivum, nihilominus adultera eſt. Cujuſmodi illuſtre ſuggeſſit exemplum vicina Zelandia, temporibus Caroli Audacis, anno Chriſti cIↃ cccc lxix. Longior hiſtoria eſt: ſed legere poſſis apud Pontum Heuterum Delphium in quincto rerum Burgundicarum. Nimirum concubitûs ea indoles, ut majori, an minori amore fiat cum alieno, dummodo conſentiat, adultera ſit. Similiter ſtatuendum de ſcortatione ſpirituali; qualis eſt, ſi alteri ſacrificetur, quàm Deo. Nimirum quia Deus noſter eſt zelotypus, nec patitur ſui cultum alteri tranſcribi. Sacrificium autem eſt actus λατρείας uni Dei conveniens: ut nulli creaturæ, quocunque id animo fiat, poſſit competere. Quamobrem ſic ſtatuimus, non idololatricum modò actum fuiſſe, cum Cæſar Alexander Severus ſacrificaret Orpheo, inclyto & vati, & Argonautæ: ſed etiam cum ſacra faceret patriarchæ Abrahamo. Vtrumque conſueviſſe, indicare videtur his verbis Ælius Lampridius: *Si facultas eſſet, ſi non*

* *Macrobius lib. 2 Sat. cap. 5.*

non cum uxore cubuisset matutinis horis in larario suo (in quo & divos principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & hujuscemodi Deos habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat. Similiter thus accendebat Paulo Apostolo Marcellina, Carpocratis & Gnosticorum sectatrix †; quæ sub Aniceto Papa Romam venit * circa annum Christi CLXVII. De hac ita B. Augustinus ‡: *Sectæ ipsius* (de Carpocrate erat locutus) *fuisse traditur socia quædam Marcellina: quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo.*

* * *codex Regius,* Hujusmodi cæteros: *quod probant Casaubonus, & Salmasius.*

† *Epiphanius hæresi 27.*

* *Irenæus lib. 1. cap. 24.*

‡ *lib. de hæreticis cap. 7.*

Causa verò, cur noluerit Deus alteri sacrificari quàm sibi, ea potissimùm videtur, quòd sacrificia imprimis fierent ad expianda peccata: solus verò Deus jus habeat ea condonandi. Vnde & Iesus Christus uni Deo Patri obtulit animam suam λύτρον *. At hujus sacrificii à Christo peragendi sacrificia cætera typi erant: quia ut pecus moriebatur pro homine †: ita & Iesus Christus esset sanguinem suum effusurus pro nobis. Vtraque igitur auferebant reatum: hoc tamen discrimine, quod sacrificium Christi id præstabat virtute suâ: illa verò legalia propriè & directè solum tollebant reatum ratione pœnæ temporalis: in figura tantum promitterent piis effectum spiritualem & æternum, puta ablationem reatus æterni sive pœnæ infernalis. Quam rem pluribus excussimus in dissertatione nostra De Satisfactione Christi ‡. Si igitur solus Deus peccata ignoscit, idque propter sacrificium Christi, qui Patri se obtulit victimam pro hominibus: soli etiam Deo sacrificandum ad expianda peccata.

* *solutionem. Matth. 20, 28.*

† *Levit. 17, 11.*

‡ *In respons. ad judic. H. R. pro libro Hug. Grotii de Satisf. Chr. cap. 23. & 24.*

Supereſt postrema quæstio, quæ est de precibus & votis. At verò nec ista heroibus conveniunt. Quorsum enim invoces eos, qui nesciant, quæcunq; in terris agantur; quippe tanto dissiti locorum intervallo? Neque id tantum dictum velim, si detineantur carcere concluſi, ut antea diximus; sed etiam, si demus, illis beatos degere locis, quibus ipsi eos gentiles statuerunt. De loco isto multũ interim discrepant. Primùm aliter de eo philosophi, aliter vulgus. Variare item philosophi: quorum opiniones præcipuas aperit Tertullianus de Anima cap. LIV: *Apud Platonem in Ætherem sublimantur animæ sapientes; apud Arium, in aerem; apud Stoicos, sub Lunam.* Item: *In æthere dormitio nostra cum Platone; aut circa Lunam cum Endymionibus Stoicorum.* Sed in gentili negotio gentiles potiùs advocemus. Varro lib. XVI rerum divinarum *: *Mundus dividitur duas in partes, cœlum & terram. Et cœlum bifariam, in æthera & aera: terra verò in aquam & humum. E quibus summus est æther, secundus aer, tertia aqua, infima terra; quæ omnes quatuor partes animorum sunt plenæ. In æthere & aere, immortalium: in aqua & terra, mortalium. A summo autem circuitu cæli, usque ad circulum lunæ, æthereæ*

* *apud Augustinum lib. 7 de civit. Dei.*

animæ ſunt aſtra & ſtellæ ; iique cæleſtes dei non modò intelliguntur eſſe , ſed etiam videntur. Inter Lunæ verò gyrum , & nimborum , ac ventorum cacumina , aëreæ ſunt animæ : ſed eæ animo, non oculis, videntur ; & vocantur heroes , & Lares , & genii. Lucanus lib. IX :

Quodque patet terras inter, cælique meatus ,
Semidei manes habitant; quos ignea virtus
Innocuos vitæ, patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Atque inde eſt, quod hæret Plinius in Panegyrico, ubi animam conſtituat ejus, qui ſummum principem, Trajanum Cæſarem, genuiſſet : *Sed*, inquit , *& tu pater Trajane , ſi non ſidera , proximam tamen ſideribus obtines ſedem.* Quaſi dicat, anima tua eſt inter animas ſapientum ; ſi non inter ſidera, ut cenſent Platonici ; ſaltem loco Lunæ proximo, ut viſum Stoicis.

CAPVT XLII.

Beatas animas non eſſe invocandas , quia honos is ſolum conveniat Deo : ut qui ſolus ubique, & ſemper, omnia, ſingulaque, videat, & audiat, arcana etiam cordis intelligat. Durandi opinio de ſpiritualis naturæ omnipræſentia rejicitur. Tertulliani de eo ſententia explicatur. Occurritur iis , qui non aliud velle Scripturam exiſtimant , quàm Deum naturâ ſuâ omnia ſcire ; ſanctos ex gratiâ. Chriſtianos quidem ſacerdotes eſſe : at non ſanctorum, verùm Dei, cui propterea ſoli debeant offerri vituli labiorum. Καχοζηλίαν *eſſe poeticam, cùm jubent ſanctis vel offerri victimas , vel thus accendi. Nec propterea omnem beatis animis cultum adimi ; ſed nimium. Cultum Dei, & ſanctorum, eſſentiâ ipſâ differre. Priorem dici religioſum : alterum officioſum , vel etiam civilem , utcunque non fiat ob cauſſas civiles, ſed ſupernaturales : eoque , ut loquuntur in ſcholis , civilis ſit non cauſſaliter , ſed formaliter ſolum. Poſſe cultum Dei* λατρείαν, *humanum vocari* δουλείαν, *dummodo illa hominum non ſtatuatur ſpecies cultus religioſi, ſive divini.*

POrrò ex iis, quæ proximè de invocatione heroum, atque illis item, quæ de angelorum cultu cap. IX afferebamus , conſtare etiam poteſt, quid judicare conveniat de cultu beatorum martyrum, aliorumque, qui pietate, & ſanctimoniâ , cæteris præcelluerunt. Sic enim ſtatuimus , non ab talibus opem & auxilium religioſo eſſe affectu implorandum , qui neſciant omnes omnium viventium preces : ſed duntaxat à natura infinita , eoque omnipræſente, omniſcia, & καρδιογνώστη *. At ut angelica, ita animæ quoque natura, eſt definita ac determinata, ſive vires conſideres, ſive ſpatium loci, quo ita continetur, ut vi illius præſentiæ alibi eſſe non poſſit. Proinde nequit omnes omnium preces ex orbe univerſo eodem tempore , etiam

* cordis arcana noſcente.

etiam cordis gemitus, tacitáque ſuſpiria, ac cogitationes intimas, cognoſcere. Solus Deus nullo definitur loco, ſed quemvis excedit. Vno eodemque tempore idem orbe toto omnium miſerias videt, omnium poſtulata audit. Novit quoque privata cuncta, atque etiam cordis cujuſque arcana. Vt legere eſt 1 Sam. XVI, 7, & 1 ſive III Reg. VIII, 39, & II Paralip. VI, 30, atque aliis in locis.

Nec ignoro, Durandum de S. Porciano putare, quodammodo etiam ſpirituali naturæ convenire, ut ſit ubique: angelum enim ſecundùm ſitum eſſe nuſquam: omni autem corpori præſentem eſſe ratione habitudinis ad quodlibet corpus movendum: ad hanc enim non requiri præſentiam realem ſecundùm eſſentiam; ſed ſufficere præſentiã virtutis ab intellectu & voluntate, ad effectus extra ſe producendos: quemadmodum pluribus diſputat lib. I, diſt. XXXVII, qu. I. Interea timidè, *circa hanc*, inquit, *opinionem, nihil volo nunc aſſerere; ſed ſolum procedere inquiſitivè.* Et ſanè, ut Ioſephus Angles Valentinus Florum Theologicorum tractatu de Angelis ait diſt. II, qu. III, *Communis eſt doctorum ſententia, angelos eſſe in loco certo, & determinato: uno excepto Durando.* Poſteaque, cum varia adverſus eum Scripturæ loca produxiſſet, ſubjungit: *Hinc non ſolum temeraria eſt opinio Durandi, verùm etiam erronea: quia opinatur, angelum eſſe in loco, non tamen certo, & determinato, ſed ubique: repugnat enim locis adductis ex ſacra Scriptura. Et in II Synodo Nicena habetur, quòd angeli habent definitum locum.* Nec obſtant his illa Tertulliani adverſus gentes cap. XXII: *Omnis ſpiritus ales eſt. hoc angeli, & dæmones. Igitur momento ubique ſunt. Totus orbis illis locus unus eſt: quid ubique geratur, tam facilè ſciunt, quàm enunciant. velocitas, divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.* His enim verbis non aliud vult, quàm angelos mirâ moveri celeritate, ita ut breviſſimo temporis ſpatio ſe conferant, quocunque volunt. Quomodo & Origenes ait, *Vbique dæmon eſt præſens, totum mundum ſubitò pervolans.* Ex qua angelorum velocitate minimè conſequitur, illos eſſe omnipræſentes: eoque nec id de beatorum animis exiſtimandum. At dixeris, ut beatæ animæ non ſint ubique, in vita tamen glorioſa ita eſſe comparatum, ut ſciant hominum miſerias, & preces, & cogitationes ipſas; non quidem naturâ ſuâ, ſic enim ſolum eas deum cognoſcere; ſed per gratioſam revelationem: ac proinde, ſi in hac vita etiam alter ab altero expoſcamus, ut noſtri in precibus ſuis ad Deum memor eſſe velit; longè majori id cum exauditionis fiducia rogari ab iis, qui, de ſe jam ſecuri, pro amore erga nos ſuo, ſolliciti ſunt de ſalute noſtri, adhuc militantium in terris: nec poſſe hoc cultum dici divinum, quia non invocentur eo affectu, quo Deus; ſed tanto inferiori, quanto excellentia creaturæ inferior eſt divinâ: quippe, ut omnis boni fontem, invocari Deum:

ſanctos, ut mediatores, ſi non ad Deum, inter quem & nos mediator eſt Ieſus Chriſtus; ſaltem ut mediatores ad mediatorẽ † Ieſum Chriſtum. Sed multa hic peccantur. Primùm enim cogitandum, *καρδιογνωσίαν* * in Scripturis Deo tribui ſimpliciter, & oppoſitè ad omnes creaturas. Vt non debeat illud ſic reſtringi, quaſi hæc aliis quidem ſit communis; ſed Deo uni certâ ratione competat; nempe per naturam. Quomodo, quod citra exceptionem dicitur, reducitur ad certum genus: quaſi noſtrum ſit excludere quicquam, ubi non limitat Deus. Nec adverſus ea magni illud ponderis videtur, quod rogamus alii alios, ut nos precibus Deo commendent. Siquidem eodem nunc omnes in ſtadio ſumus, ut mutuò exponere poſſimus calamitates noſtras. Diſpar ratio, quando curſu hoc abſoluto quieſcimus. Nec enim tum particulatim cognoſcimus, quid geratur in terris. Vel ſi aliqua per revelationem ſive angelicam, ſive aliam, diſcimus; non tamen ulli hoc creaturæ datur, ut ubique, & ſemper, nos videat, & audiat. Soli hoc convenit Deo, & Mediatori noſtro Ieſu Chriſto, qui iccirco dicitur *Pontifex magnus* ‡, *ſecundùm ordinem Melchiſedech* †; *qui in cœlos introivit, ut appareat vultui ejus* *, atque ibi *intercedat pro nobis* †, & ſic *reconciliet omnia in cælis, & terris* ‡. Proinde Deo, & homini-Deo Ieſu Chriſto, offerimus vitulos labiorum: qui eâ mente, qua Scriptura * loquitur, non magis conveniunt meræ creaturæ, quàm vituli propriè dicti. Et angeli enim, & homines ſolius Dei, non ullius creaturæ ſunt ſacerdotes. Dicimur quidem *regale ſacerdotium* 1 Petr. 11,9: ſed non ſanctorum ſacerdotes, verum Dei: juxta illud ad Hebr. XIII, 15: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo; id eſt, fructum labiorum confitentium Deo.*

† *Joannes Heſſelius, Theologus Lovanienſis in 1 Tim. 2, 5, 6.*

* *cordis notitiam.*

‡ *Heb. 4. 14.*
† *Heb. 6, 20.*
* *Heb. 9, 24.*
† *Heb. 7, 25.*
‡ *Coloſſ. 1, 20.*
* *Oſ. 14, 3.*

Non igitur tantummodo à divino receditur cultu, ſi, qui eſt non-deus, credatur deus: ſed etiam ſiquis credatur non-deus, interim verò ob excellentiam, licet inferiorem multò, eo afficiatur cultu, qui ſolum numini convenit divino. Longè quidem gravius delinquit, qui objecto pariter, & cultus ratione, aberrat: ut qui Soli ſacrificet, eumque invocet: attamen & cultum ille divinum exhibere dicendus eſt creaturæ, qui ſupremi numinis pacem expetens, ſe conſequi eam melius poſſe ſperat, ſi amicos Dei, cœlo jam donatos, honoret offerendo vel vitulos propriè dictos, vel vitulos labiorum: utcunque cultum hunc ſe exhibere dicat, non ut creatori, ſed ut creaturæ.

Quamobrem ſive de propriè, ſive impropriè dictis vitulis, & ſacrificiis aliis, intelligas, probari nequit illud nobilis & elegantis poetæ Actii Sanazarii ad B. Nazarium:

Salve io magni nova lux Olympi,
Cui per extentas operoſa terras

Templa

Templa tot surgunt, calidisque fumant
Ignibus aræ.

Vti nec illud Hieronymi Vidæ, hymno magnæ Matris Virginis:

Nos quoque divinos, ut cuique est copia, honores
Largimur: tibi centum aræ, tibi maxima centum
Thure calent delubra.

Vbi & *divinos* vocari honores videmus. Quemadmodum & hymno B. Laurentii: — *Romana propago*

Centum aras, centum magnis penetralia templis
Eriget, & tumulo divinum imponet honorem.

Quæ nimis ἑλληνίζουσι ‡, nec per κατάχρησιν ullam satis excusantur. Revera enim proprieque divinus est honos, sive sacrificiis, thure, templis, arisque honoremus; sive opem auxiliumque poscamus, ab animis beatorum, spemque nostram in iis collocemus: prout tamen loqui non dubitat idem Vida hymno B. Andreæ:

‡ *Græcos seu gentiles imitantur.*

Illa Deum te post unum veneratur, & omnem
In te spem locat.

Et B. Laurentii: *Spes tuas in te locat advocato.*

Hujusmodi, quocunque mantelo tegantur, nulli conveniunt creaturæ, præterquàm uni Deo-homini Christo. Vt enim unus Deus, ita unus ille Mediator †. Hic omni loco, & tempore, nos cernit, atque audit, juvareque vult, & valet: ac solus dicere potest, *Scio quod me semper exaudias.* Ioh. XI, 42. Hujus etiam illud promissum habemus Matth. XI, 21: *Amen, amen, dico vobis, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ex his, & similibus, quid Deo placeat, videmus. Nusquam verò ad beatas animas remittimur. Qua igitur fide & conscientia eas advocemus: nisi certi priùs reddamur, placere Deo, ut iis utamur mediatoribus, & advocatis?

† 1 *Tim.* 3, 16.

Nec quia sic invocationem beatarum excludimus animarũ, eò omnem iis adimimus cultum, sed nimium, Deoque proprium. Nam rectè Clemens Alexandr. in VII Stromateon: Τίμιον ἅπαν τὸ ὑπερέχον ἡγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τιμητέον. *Id omne, quod dignitate præcellere existimatur, honorabile est, & honorandum.* At quid aliud est cultus, quàm honos ab inferiori debitus & præstitus superiori? Ad superiores verò referimus etiam animas beatas. Quicunque enim ad triumphantem Ecclesiam translati, ii per gratiam divinam evecti sunt ad sublimiorem locum ac dignitatem, quam qui in militanti hac cum peccato etiamnum conflictantur. Quare sanctos etiam à morte honorandos agnoscimus: quodque superiùs de cultu angelico diximus, eum extendere se ad intellectum, voluntatem, & actus exteriores; idem non inviti, dum commodè capiatur, de beatorũ cultu fatemur. Nam

& intellectu præstantia eorũ agnoscitur, & voluntas se ad illorum obseruantiam ac imitationem componit,& linguæ præconio,aliisque corporis membris, animum hunc manifestamus. Verùm cultus iste non gradibus solum,sed totâ specie ab divino distat : cùm præcellentia creatoris infinitis sit partibus major, quàm ullius creaturæ : eoque cultus de creatura dicatur non *συωνύμως*,sed *ἀναλόγως*, non simpliciter,& eodem planè modo, sed ob qualemcumque similitudinem. Vt non tam pars sit cultus divini, quàm effectum, quia cultus sanctorum ex Dei cultu promanat. Vtrumque *cultum* dici,agnoscit etiam B. Augustinus lib.x de Civit. Dei cap.1 : *Si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim colere homines, quos honorificâ vel recordatione, vel præsentiâ frequentamus. At per hoc cultum quidem non deberi,nisi Deo; propriâ quadam notione verbi hujus verissimum est.* Possumus sic utrumque hunc cultum distinguere, ut ille Dei dicatur *religiosus* : quando, ut ait Lactantius lib. 1, cap.xx, *Religio & veneratio nulla, nisi unius Dei, tenenda est.* Et Augustinus in octoginta tribus quæstionibus, quæst. xxxi : *Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam ceremoniamque adfert.* Hujus generis sunt inuocare, adorare, victimas cædere, vel thus adolere, per nomen ullius jurare,vota facere, templa alicui exstruere, festaque instituere, etiam aras erigere ad cultum : quod liquet ex historia tribuum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manassis : de qua Ios. xxii. Horum vel partem, vel particulam, tribuere creaturæ, planè vitiosum est, quocunque id animo facias : ut accommodem huic loco,quod adversus quiddam,à L. Seneca in deperditis Exhortationum libris prolatum, differit Lactantius lib.iii, cap.xv : *Nihil,* inquit, *interest, quo animo facias, quod feciſſe vitiosum est.* At cultum sanctorum dicere liceat *officiosum* ; quando nostri est officii diligere & honorare imprimis eos,qui in cælis regnant. Possumus & *civilem* vocare,cùm una sit Dei civitas, illa civium in cælis,& hæc in terris ; quia charitate & societate inter se colligantur. Dixerit aliquis,honorem esse civilem,quando homines colimus in terris ob potestatem, nobilitatem,partas de hoste victorias, eruditionem etiam, aliáque id genus : quæ causſæ sunt civiles. Disparem verò rationem esse eorum, quos colimus ob causſas supernaturales : uti quia Deum videant, & *ἀναμάρτητοι* * sint, quippe charitate perfectâ, & alia hujusmodi. Exinde autem consequi, cultum, quem mens religiosa præstat animis beatis, non *civilem*, sed *religiosum* dici oportere. Atqui profectò sic nec cultus erit civilis, qui regi præstatur à piis hominibus,quia sit propter Dei mandatum, & conscientiam. Satius igitur est laxiùs *civilis*, strictius *religiosi* nomine uti : puta ut religiosus cultus Dei sit proprius : quia,ut Isidorus ait lib.viii Orig. cap.ii, *Religio appellata, quod*

* peccati expertes.

quod per eam VNI DEO *religamus animas nostras ad cultum divinum vinculo serviendi.* Alter autem cultus, qui creaturæ debetur, *civilis* vocetur, quia præstatur civibus nostris, sive isti sint cælites, sive terræ incolæ: sive item ob caussam fiat merè civilem; ut quia quis pecuniâ juverit: sive ab religione is cultus promanet; qualis est obsservantia non mentium beatarum modo, sed sanctorum etiam, & illorum, qui nobis præsunt in terris. Nec quia obsservantia hæc actus sit religionis, eo cultum dixerim *religiosum:* cùm duplex sit religionis actus; alius proprius, sive, ut Scholastici vocant, elicitus; alius, quem iidem nominant imperatum. Posterioris generis sunt officia ad charitatem proximi pertinentia. Quippe, ut ait B. Iacobus 1, 27, *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas.* Ad actus hosce pertinet etiam obsservantia sanctorum: non verò ad actus religionis elicitos, Deique proprios; qualis est invocatio; quæ non solùm actus est religionis, quia à religione promanat; sed etiam ex se & natura sua cultus est religiosus, sive divinus. Si igitur cultum Cæsaris gentilis, sancti episcopi, animæ jam beatæ, & ipsius Dei, per σχολομίαν lubeat complecti: malim uno cultus officiosi aut civilis, aut alio nomine, comprehendere obsservantiam beatæ animæ, & viri sancti in terris, imo & Cæsaris gentilis; quàm tam late extendere appellationem cultus religiosi, ut contineat venerationem Dei, & animæ beatæ. In caussa potissimùm est, quòd ut nulla est proportio inter Deum infinitum, & opus ejus finitum: ita etiam, cùm cujusque rei excellentiæ suus respondeat honos, invocatio Dei, & obsservantia sanctorum totâ distent naturâ. At cultus, quo sanctos colimus in terris degentes, non specie, sed gradu duntaxat, ab eo differt, quo veneramur illos in cælum receptos. Vnde B. Augustinus contra Faustum lib. xx, cap. 1: *Colimus martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse scimus. Sed illos tanto devotiùs, quanto securiùs, post incerta omnia superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc usque pugnantes.* Quibus continuò subjicit Augustinus: *At illo cultu, quæ Græcè* λατρεία *dicitur, (Latinè uno verbo dici non potest) cùm sit quædam propriè divinitati debitæ servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum docemus.* Et compluribus sanè locis religiosum cultum vocat λατρείαν; illum sanctorum, δουλείαν. Non tamen Scripturæ hoc discrimen obsservant, nec SS. Patres, ne Græci quidem; nec ex proprietate, sive origine vocum earum, hujusmodi quid consequitur. Nec propterea adverser B. Augustino, dummodo ex mente ejus his vocibus utamur: non, ut vulgo fit, distinguamus cultum religiosum in λατρείαν, & δουλείαν: quod non video, quomodo aliud

sit,

sit, si ex mente quidem Augustini eas voces acceperis, quàm cultum religiosum dispescere in religiosum, & non religiosum, ac ita, quod dicitur, oppositum statuere in apposito.

Atque ista, pro instituto nostro, de sanctorum cultu hîc loci sufficiant. Nam propriè nunc agere visum de cultu erroneo, quo peccatur non tam in colendi modo, quàm objecto, sive numine ipso. Cætera non perfunctoriè, uti nec contradicendi, vel aliis placendi studio, malo temporibus nostris perfamiliari; sed conscientiâ ducti, & amore veritatis, jam ante annos aliquot alio sumus opere prosecuti: quo & Sacræ expendimus Scripturæ loca, & vetustioris adstruximus Ecclesiæ consensum, & illis occurrimus, quæ ab eruditissimis hominibus, sed in alia penè omnia abeuntibus, vel objici solent, vel adferri posse viderentur.

FINIS LIBRI PRIMI.

GE-

ADDENDA

LIBRO PRIMO.

Prior numerus paginam, barbaricus versum designat.

III, 30. POst *judicium* adde :

Et cogitare debuit Iustinus, Christianos quoque à gentilibus atheos vocari, quia non agnoscerent gentium Deos. Sic enim ipse scribit apolog. II : Ενθέν δε & ἄθεοι κεκλύμεθα, ϗ ὁμολογοῦμεν τ τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι· ἀλλ' οὐχὶ τ ἀληθεστάτε, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης, & σωφροσύνης, ϗ τ ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτε τε κακίας θεε· *Vocamur autem Athei : & sanè confitemur talium, qui habentur, Deorum nos esse expertes, & hac ratione atheos : sed non verissimi illius Dei, patris justitiæ, & temperantiæ, & cæterarum virtutum, & ab omni vitio intacti.*

Ibid. 30. post *Laertium*, adde : Et puto, idem statuendum de Callaicis, gente Hispanica : de qua sic Strabo lib. III : Ενιοι δὲ Καλλαικὸς ἀθέους φασί· *Quidam Callaicos non agnoscere numen ajunt.* Eidem in XVII proditum, Æthiopes similiter atheos esse creditos. Suspicari liceat, hoc inde fuisse, quia nulla haberent simulachra in templis. Saltem non omnes omni caruisse cultu, liquet ex Strabonis lib. XVII ; de quo dicam cap. XXXII.

XIII, 30. post *cognoverint*, adde : nempe verum Deum; cùm absurdum dictu sit, Deum, qui unicus est, alium iis monstrâsse Deum, quàm se ipsum.

XXXII, 24. post *fidus* adde : Sed ἀστροθύτλω, sive *siderum cultorem*, interpretantur Dinon, & Hermodorus, teste Laërtio in præfat.

XXXIII, 20. post Ορομάσδλω adde : sive Ωρομάσδλω, quando eos Ωρομάσδλω, & Αρειμάνιον, Laertius quoque vocat ex Hermippo in primo de Magis, Eudoxo in Periodo, & Theopompo in octavo Philippicæ Historiæ.

Ibid. 20. post *Alexandro* adde : Photius in bibliotheca cod. LXXXI, tradit, ex Theodori presbyteri, Mopsuestias postea episcopi, de Persica magia libro, Ζασρᾴδλω, sive Ζαρουὰμ, omnium principem, quem & Fortunam vocat, genuisse Ορμίσδαν, & τ Σαζανᾶν. Vbi Ορμίσδας est, qui aliis Ορομάσδης : at Σαζανᾶς sine dubio est Arimanius. Ζαρουὰμ est ex Arabico *Zarabou* : quod *omnium satorem* notat ; ut doctissimo Gaulmino observatum ad Psellum de operatione dæmonum.

LVII, 20. post *cap.* II, adde.

Iapo-

Iaponii etiam dæmoni fana exſtruunt luculenta : eorum reges in prœlium ituri magnam illi vovent pecuniæ vim : à plebeiis quoque in periculo conſtitutis, quò liberentur eo, ſuppliciter ſolet invocari.

Similis cultus in India Occidentali : ubi Mexicanis nulla quidem ſollicitudo alterius eſt vitæ : pro bonis tamen temporalibus dæmoni ſupplicant : tum etiam ne noceat ſaltem. Auctor eſt Acoſta lib. v rerum Amer. cap. XXVII.

Poſſum idem de aliis quibuſdam ejuſce Indiæ gentibus dicere: ſed omnium inſtar fuerint, quæ de religione Tapuiarum perſcripſit nobis Chriſtophorus Arciſſewſki, Polonus, genere quidem prænobili apud ſuos; ſed nobilior tamen rebus iis, quas, pro fœderatæ Belgicæ terris, in Braſilia fortiter adeò, ac feliciter, geſſit, ut æternùm ei debituræ ſint terræ noſtrę, nec ejus memoria ſine animi mirè ingrati crimine apud nos poſſit intercidere. Paucis exſequar; non paullo tamen fuſiùs, quàm in ſimilibus opere hoc facere eſt animus. Nimirum hiſtoria omnis delectat, præſertim novitate.

Eſt verò Tapuiarum, ſeu Tapuionum gens, inter Siaram, & Maranthon ſita; vagabunda locis incultis, & deſertis, fera, ἀνθρωποφάγος *, nullâ parte corporis velata, vel non aliâ ſaltem, quàm verendis. Imò cum Hollandi aliquammultis veſtes donaſſent, priùs quidem rei novitas eos delectavit: ſed intra biduum illas, vel reſtituerunt, vel aliis largiebantur, vel abjecerunt. Eadem gens præputium obligabat ligulâ bombycinâ, viminea, vel alîus materiæ, ne caput penis fædè aſſurgeret; quod unum ſedulo cavent. Labiis, genis, naribus, & auribus, fuit perforata, ac è foraminibus ornamenta geſtabat è ligno, oſſe, lapide, pluma, vel aliunde. Pro armis habuit clavam è duriſſimo ligno, arcum ejuſdem materiei, ſagittas ex arundine, ex eadem jacula longitudine haſtæ. Nullum iis eſt auri, vel argenti pretium; ſic ut cum ſcrinia aureis & argenteis referta armis, quæ humo condiderant Luſitani, effodiſſent, facilè ab Hollandis pecuniâ emungerentur, nunc ſecures emtitantes, nunc canes venatui idoneos, cui admodum ſtudent, nunc vulgares etiam ac viliſſimos; quorum pro unico vel viginti annumerabant daleros imperiales. Longum eſſet omnes ejus gentis mores referre, quos ab nobiliſſimo Arciſſeuſkio accepimus. Aliàs fortaſſe commodior erit iis memorandis locus. Illud præterire nõ poſſumus, humanis veſci carnibus : ſed eo ſe meliores putare aliis ἀνθρωποφάγοις †, quod hi carnes edant hoſtiles : ipſi manducent cadavera amicorum, prœlio, vel morte exſtinctorum; idque ad teſtandum ſuam erga eos pietatem ac amorem : ut quos non patiantur vermium eſcam fieri, vel fœtidâ putredine abſumi; ſed in propria recondant viſcera, inque ſuccum ſanguinemque ſuum, & ipſam quodammodo animam, quibus nihil carius, convertant.

* *homivora.*

† *humana carne vilitantibus.*

vertant. Memorabile hujus rei exemplum ab eodem generoſo viro accepimus. Evênit,ut Tapuis in Hollandorum territorio ad arcem,ut vocant, *Rio Grande* conſiſtentibus, quidam ejus gentis vitâ excederet. Hujus cadaver conſanguinei laverunt, exenterarunt, viſcera à ciborum retrimentis repurgarunt, cæteras etiam ſordes undique abluêre: crines & ungues reſecuere, reſectas ſervarunt. Tum corpus diſſecuere in partes varias, quarum nullas,ne genitales quidem,fuere aſpernati: univerſas enim aſſarunt, ſedulò etiam adipem, humoremque in aſſando deſtillantem, exceperunt: hæc univerſa pro epulis fuere inter ſanguine conjunctos: nam cæteri à convivio hoc arcentur. Quæ comedi nequeunt,ut crines,ungues,dentes, oſſa, in cinerem rediguntur: ejus cineris portio aliqua poculis inditur, & bibitur, donec longiori compotatione abſumtus ſit univerſus. Hæc de moribus barbaræ gentis præmiſimus: licet ad religionem non pertineant; de qua nunc dicam.

Duplex agnoſcunt numen,bonum,malùmque: ſed bonum,quia ſponte faciat bene,affligat neminem, nullo proſequuntur honore: malum contrà venerantur,& invocant,quia iracundum ſit,& cultum ſui negligentes malè perdat. Nec vel iter inſtituunt, vel adverſus hoſtem tendunt, niſi malo hoc numine,quem dæmonem dicimus,certis priùs ritibus conſulto. Hinc divinandi ſibi ſcientiam arrogant. Et fatendum, varia ſæpe prædicere, quæ proſpicere mens nequeat humana. Quale illud, quod cùm Sapo Amama Friſius, turmæ equitum præfectus, ad Coniahu hoſtiles obſervaret excurſiones, ac fortè illi tum afforet voluntariorum ex Topuis militum manus: prædictum ab iis fuit, poſtridie præfecti optionem, ac præterea ex equitibus unum in velitando periturum globis è bombarda miſſis. Id riſum eo tempore, quo dicebatur; ſed eventu poſtea eſt comprobatum. Ac hujuſmodi alia etiam ferebantur. Quomodo dæmonem evocarent, eumque ad prodenda arcanò acta, vel futura prædicenda, orare, quandoque etiam objurgare, conſueverint, non aliàs luculentiùs apparuit, quàm cùm nobiliſſimus Chriſtoph. Arciſſewſkius (cui Hollandi,quæ in Braſilia poſſident, imprimis debent) iſtic locorũ præeſſet fœderatorum Belgarum copiis. Fortiſſimus is vir adduxerat ex Arce *Rio Grande* præſidiariorum partem; cui ſe ſponte addiderunt Tapuiarum circiter quinquageni. Quia exigua hæc manus erat ad Barra-Canium, munimentum Hiſpanicum, occupandum: cardo rei in eo potiſſimùm verſabatur, ut oppugnationem ejus ſubitò, occultéque, aggrederentur. Metus interim erat, ne conſilium hoc à Tapuis proderetur indigenis infidelibus: eoque non aliâ conditione in ſocietatem admiſſi ſunt, quàm ut nec unguem tranſverſum ab agmine diſcederent: in quo ipſo fidem exſolverunt. Quia verò non eſſet po-

testas recedendi; triduano itinere, quo per avia sunt circumducti, diebus singulis in omnium conspectu sacros suos ritus peregerunt. Poposcerat à Tapuis Arcissewskius, ut se commonerent, quando dæmonem essent evocaturi: conditionéque eâ promissum, ut ne ille sacra earum violari, vel turbari sineret. Tertiâ igitur die, cùm corporibus jam curatis inciperet agmen moveri, arcessitus ab iis fuit: ac comperit eos prope viam in formam semicirculi, seu lunæ corniculatæ, considentes cruribus divaricatis. Ex adverso itidem humi sedebat sacrificulus. Hic cæteros varia interrogabat, de variis item rogabatur: utrimque dabantur responsa. Sed qualia ista forent, quæ dicerentur, non satis cognosci quitum, vitio interpretum. Nam quibus Hollandi utebantur, solùm duas callebant linguas; unam maritimis Brasiliæ gentibus communem, qua interpretes illi affati sunt Tapuias; alteram Lusitanicam, qua ex illis audita exponerent Hollandis. Illa verò Tapuiarum ab communi istac multum abiit. Incolunt enim mediterranea Brasiliæ; quæ ut in varias dissecta sunt gentes, ita linguis multùm distant; uti animis etiam sunt inter se hostilibus. Interpretes itaque multa à Tapuis responsa assequi non satis valuerunt: nec rarò è nutu potiùs, & gestibus, quam auditis, judicium ferre cogebantur. Quâ de caussâ etiam pauca adeò de Tapuiarum religione cognita habemus. Ad historiam cœptam redeo. Vbi sermocinandi pausam concio fecerat, consurrexit sacrificulus, & extra conspectum omnium abiit in sylvam, vocéque sat sonorâ dæmonem tertiò etiam inclamavit. Eo non reddente responsum, rediit ad suos: novique inde inter eos sermones: sed quos nec interpretes caperent. Hinc sacrificulus (jussus à consessu, ut videtur) iterum petiit sylvam. Verùm neque tum ad iteratum, tertiatumque sermonem, à dæmone dabatur responsum. Reversus igitur, ut antè, ad suos. Post tertiò ingressus sylvam: ac tum demum eo inclamante, audita est è remotiori sylva vox sonora, sed gracilis, & velut fistulâ emissa. Hinc Tapuiæ collegêre, rem bellè habere, ac dæmonem mox affuturum. Sacrificulo ad cœtum suum reverso, verba iterum utrimque sunt commutata. Hinc denuo recessit sacrificulus. Tum varia erat acclamatio, ac sermocinatio frequens. Interim è sylva magis, & magis, appropinquabat gracilis vox dæmonis, donec hic tandem consisteret proximè sacrificulum; qui eum ad Tapuarum cœtum deduxit. Ac ipse quidem priorem locum occupavit; dæmonem item ex adverso cœtus juxta se considêre jussit. Hinc jam sermones varii, nunc cœtu aliqua dicente, nunc sacrificulo, vel dæmone: quorum illi vox erat, qualis solet semper; huic gracilis illa, de qua dictum. Ac nunc sacrificulus, nunc complures ex cœtu, jactare verba animosi ac masculi pectoris; aliquando etiam intentare minas, imò videri jam

arma

arma velle arripere adversus dæmonem. Quid mirum? quando si immorigerus esse pergat, quandoque verberibus etiam malè mulcare dicantur. Vltima interrogantis verba excipiebat inconditus quidam multitudinis sonus, longo tractu ab imo productus pectore; qui mirè adstantes afficiebat Belgas. Nisi homines coram vidissent, dixissent, concluſos in cavea leones rugire, vel caurire pantheras. Dimidiam sic horam spectarat ista Arcissewskius, cùm sacrificulus dæmonem reducit in sylvam, eóque redit relicto. Cæterùm dum sic histrioniam suam agunt Tapuiæ, animadversum à Belgis fuit, militem Germanum proripuisse se ab agmine, atque inter frondes reptâsse eo loci, ubi optimè occuleretur. Hinc igitur ab iis, quibus istoc incumberet, ut observarent, nequis se subduceret, retractus mox fuit. Iterum tamen se subduxit, & quia propterea transfugii suspectus foret, ad Arcissewskium est deductus. Causſam istorum rogatus, priùs quidem frivola quædam prætexuit; verùm ubi sensit non haberi iis fidem, atque adeò vinctus traheretur ad arborem torturæ destinatam, conceptis promisit verbis, dicturum se, quod res erat: hoc verò esse hujusmodi: non intra decennium se preces Deo fudisse: ac propterea, cùm dæmonem inter Tapuias versantem conspiceret, malè sibi metuisse, ne ipse homo tam nefarius ab eo facilè agnitus auferretur eò loci, quò sui similes mererẽtur. Et hæc quidem tum sic fuere. Quærat autem aliquis, utrùm verè hunc dæmonem fuisse credamus, quem diximus. Mihi videtur, in toto hoc negotio intercurrisse fraudem, non dæmoniacam modò, sed etiam humanam. Siquidem commodiori pòst tempore rogavit Arcissewskius Tapuias, cur eum finxissent dæmonem, qui homo foret, sibi ipsi sæpius visus. Negare id continuò Tapuiæ, qui verè fuisse dæmonem pertenderunt. Sed sæpius jam ante viderat hominem Arcissewskius: illa verò vocis gracilitas erat à gramine, vel alio, quod ori indiderat. Nec quia fraus aderat humana, eò nullæ erant dæmonis partes. Nam aliud longè ostendit, quòd tam audacter responderunt de futuris nonnullis, quæ præsciri ab homine nequirent. Vt quòd dicerent, munimentum venturum in fœderatorum potestatem, tribus tantùm militum amissis. Sic enim contigit. Quia verò nec dæmoniacæ est potestatis prævidere omnia, fuere in quibus eos fefellerit divinatio. Ajebant, nostros pro ponte usuros asserе, atque ita fossam transituros, hoste ignaro. Sanè sic decretum nostris: quod nihil mirum scîsse spiritum malignum. Sed hostis excitatus præsensit: ac diutiùs se defendit globis bombardarum emissis. Quo insolito fragore, tonitrui non absimili, usque adeò exterriti fuere Tapuiæ, ut non redirent, nisi diluculo, capto munimento, atque ubi jam rebus omnibus compositis silentium intus esset. Post ista etiam, cùm Arcissewskius petiisset flumen Mon-

guoape, atque ibi ex navibus hoſtium ſubductis vacuas quidem incendiſſet, ſaccaro verò onuſtas abducere vellet, & ad hoc Tapuiarum operâ egeret, quos breviore anfractu in tutiora vellet loca remittere: planè navem ingredi recuſarunt, cauſſam hanc adferentes, quòd mali aliquid portenderetur. Exitus reſpondit; quia navis ea, prædæ plena, cui impoſita erant decem majora tormenta bellica, nec exigua copia vini Hiſpanici, ſaccari ac mercium aliarum, in exitu portûs anguſti illiſa ſaxo diſſiliit, cunctaque naufragio ſunt abſumta. Atque ex his de cæteris etiam non difficilis erat conjectura. Nihil enim ullius momenti aggrediuntur, niſi dæmone priùs conſulto: ubi licet, ut dixi, fraus etiam ſit humana, concurrat tamen vis dæmoniaca; nec ſanè aliud multitudo propoſitum habet, quàm cultum unius dæmonis. Cui quantum tribuat, argumento erit, quòd aliâ contigit expeditione. Arciſſewſkius à ſacrificulo petierat, ut ejus rogatu dæmon, ſe inſpectante, induſium, quod manu teneret, in ſublimem aëra raperet: ac promittebat, induſium id mercedis loco ceſſurum ſacrifico. Solùm id ſtipulatus fuit, ut liceret ſibi dæmona accedentem ferire baculo, quem manu teneret alterâ. Placuit conditio credulæ multitudini, quæ nullo id negotio dæmona facturum ajebat. Sed non potuit adduci ſacrificulus, ut acciperet conditionem. Vnde riſus eſt ortus ingens: quo deſinente, Arciſſewſkius ſic jocabundus affatus eſt ſacrificulum. At ego me majorem te artificem præſtabo. Die enim craſtini faxo, ut capite cornua geſtes cervina, ejus magnitudinis, quæ non ſinat te exire ex hoc conclavi. Hoc ſermone ita hominem exterruit, ut poſtea, dilapſis aliò cæteris, cum interprete rediret, atque Arciſſewſkium rogaret, ut ne tantâ ſe afficeret contumeliâ. Hæc dè Tapuis ab nobiliſſimo, & conſtantiſſimæ fidei Arciſſewſkio, accepta, eò fuſiùs ſum hoc loco perſecutus, quia necdum eſſent conſignata publicis literarum monumentis; nec obſcurè docerent, quàm arctis limitibus Deus eorum quoque poteſtatem conſtrinxerit, qui noſtris etiam temporibus totos ſe cultui dæmonis manciparunt.

Quod ſi ſeculis aliquot retro tempora legamus, comperiemus itidem, dæmonas ab antiquis eſſe Saxonibus cultos, quibus ante tempora Karoli M. præter Finnum Deum, & Deam Sibam, malus Deus, quem atrum ajebant, colebatur, ne noceret: ut eſt apud Georgium Fabricium lib. 1 Originum Saxonicarum *. Similiter culti fuere Vngaris: quorum etiam rex Vata, in Belo oppido natus, ſe iis devovit, honori illorum caput, more Scythico, raſit, tres cincinnos pagano ritu pendulos dimiſit: ut hodieque Turcis eſt conſuetudo. Auctor eorum Antonius Bonfinius Vngar. lib. XII †.

* pag. 62, edit. Lenenſis a, 1597.

† p. 223, edit. Operinæ a, 1568.

LXXI, 8, & 9. poſt *Celticis* adde: Etiam Simon Magus amplexus eſt hoc

hoc dogma, teſte Irenæo lib. 1, cap. xx, & Tertulliano lib. de Anima cap. xvi. Adhæc Manichæi, ut eſt apud Auguſtinum hæreſ. xlvi. De Iudæis Thalmudiſtis idem liquet ex Thalmud ordine iv, tractatu ii.

lxiii, 30, poſt *operantem* adde : Ac Theodoretus itidem in v Græcarum affectionum Platoni animam eſſe ait οὐσίαν νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κινητήν, *ſubſtantiam intelligentem ex ſe mobilem.* Nempe movere ſe ipſum nihil aliud eſt Platoni, quàm à ſe ipſo habere principium motus, ita ut moveat nullius interventu, ac ſine inſtrumento. Quomodo Platonis ſententiam etiam accipit, imò & probat, Cæſar Scaliger in Ariſt. lib. v Hiſt. Animal. cap. xix; ſive ex ipſius Scaligeri diſtinctione cap. xviii, ſect. ccix.

lxxxv, 27. poſt *geſſiſſent*, adde : De his ita Lactantius lib. i de falſa religione cap. v : *Quos imperiti, & inſipientes, tanquam Deos & nuncupant, & adorant, nemo eſt tam inconſideratus, qui non intelligat fuiſſe mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dii crediti ſunt? nimirum quia reges maximi, ac potentiſſimi fuerunt, ob merita virtutum ſuarum, aut munerum, aut artium repertarum, cùm chari fuiſſent iis, quibus imperitaverant, in memoriam ſunt conſecrati. Quod ſi quis dubitet, res eorum geſtas, & facta, conſideret : quæ univerſa tum poetæ, tum hiſtorici veteres, prodiderunt.* Item Auguſtinus de Civit. Dei lib. viii, cap. v : *Ipſi etiam majorum gentium Dii, quos Cicero in Tuſculanis, tacitis nominibus videtur attingere, Iupiter, Iuno, Saturnus, Vulcanus, Veſta, & alii plurimi, quos Varro conatur ad mundi partes, ſive elementa transferre, homines fuiſſe produntur.* Pluraque inibi in hanc mentem. Imò nec gentiles diffitentur.

xcvii, 11, poſt *cælum* adde : Nec Græci de eo aliter. Strabo lib. iv : Οὕτω δ' ὁ θεὸς Καῖσαρ ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν εἴρηκεν. *Sic Divus Cæſar in ſuis tradit commentariis.* Diodorus Siculus lib. i : Γάϊον Ἰούλιον Καίσαρα, ὁ διὰ τὰς πράξεις προσαγορευθεὶς Θεός. *Cajus Iulius Cæſar ob res geſtas vocatus Divus.* Io. Tzetzes lib. i Hiſtor. lxviii :

Ὅθεν θεὸς Ἰούλιος ἐκλήθη τοῖς Ρωμαίοις,
Τούτῳ καλλῷ ἐκ πράξεων εὖρων ἐπωνυμίαν.
Vnde Iulius vocatus eſt Divus Romanis,
Hoc pulcro è rebus geſtis parto nomine.

xcviii, 28. poſt S. P. F. C. adde : Hoc eſt, *ſuâ pecuniâ faciendum curavit.* Mæſa quoque, ut Herodianus lib. vi ait, in Deos eſt relata. Ea ſoror quidem fuit Iuliæ ii, Severo Cæſari nuptæ; avia autem duorum Imperatorum, Varii Heliogabali, & Severi Alexandri.

ci, 33. poſt *videamus*, ſubde :

Meſſenii rem divinam fecere Polycaoni, Lelegis filio, & uxori ejus Meſſenæ, Triopæ filiæ, Phorbantis nepti : qui primi apud Meſſenios regnarunt. Apud eoſdem Glaucus, Æpiti filius, primus in Gerenia rem divinam

vinam fecit Machaoni, Æsculapii filio. Isthmius autem, Glauci filius, Pheris, seu Pharis Messeniacis exstruxit templum Gorgaso, & Nicomacho. Sybotas, Dotade prognatus, statuit, ut Euryto, Melanei filio, in Oechalia Messeniaca fierent parentalia. Auctor istorum Pausanias in Messenicis. Etiam Tricca Messeniorum oppidum est; ubi Æsculapium eximio fuisse honore cultum Lucianus tradit in Pseudomante. Ac hîc quoque prima artis suæ experimenta fecisse, legas apud Theodoretum Θεραπευτικῆς serm. VIII.

CII, 19. post *Corinthiacis* adde: Fani iis constituti meminit & Hyginus fab. CLXVIII.

Ibid. 24. post *alii* adde: Etiam sepulchrum ejus Epidauri ostensum, refert Clemens Alexandrinus lib. X Recognit. *

* *fol.* 110, *edit. Paris. an.* 1568.

Ibid. 27. post *Tiberina* adde: nempe, quia sanitatis esset numen: agri autem urbibus salubriores. Ambraciæ tamen, Epiri oppido, Æsculapii fanum videtur fuisse intra urbem. Vide oppugnationem Ambraciæ à M. Fulvio consule factam apud Livium lib. XXXVIII.

Ibid. 31. post *restitutus* adde: Atque ista de ætate, & magistro ejus, & alia, legas quoque apud Theodoretum Θεραπευτικῆς serm. VIII.

CIII, 11. post *Celsum* adde: Oraculum ejus in Ætolia celebrat quoque Aristides oratione in Asclepiadas †. Idem orat. Siculâ priori ‡ jungit Bacydis, & Amphilyti oracula. Sed puto, pro Αμφιλύτου legendum Αμφιλόχου.

† *pag.* 82.
‡ *p.* 22.

Ibid. 14. post *amœnum* adde: Sed Oropum arbitror non tam Atticæ fuisse, quàm Bœotiæ. Itaque de Divis ejus inferiùs dicam.

Ibid. 15, post *cultus* adde: ut est apud Pausaniam in Atticis.

CIV, 31. post *Vulcani* adde: Erechtheum hunc potiùs, quàm superiorem Erichthonium, intellige, cùm Servius in VII Æn. scribit: *Virbius est numen conjunctum Dianæ, ut matri Deûm Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.*

CV, 39. post *Scytha* adde: ex quo etiam dilucet, æqualem fuisse Solonis legislatoris, & popularis sui Anacharsidis. At non æquè nota ætas Panopis herois: de cujus cultu sic Hesychius: Πάνοψ, ἥρως Αττικῆς· ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ νεὼς, καὶ ἄγαλμα, καὶ κρήνη· *Panops, heros Atticæ: est verò ejus & fanum, & statua, & fons.*

CVI, 10. post *Socratis* adde: item Theodoretus lib. X de Curat. Græcarum affect. Etiam Oropii Amphilochum coluere; de quo Atticis in Diis vidimus. Cur verò Oropus ab his, Atticis; ab illis, ac justiùs, Bœotis adscribatur: liquet ex Pausaniæ Atticis, & Achaicis. Sanè & Strabo, etsi in primo dicat, Bœotiis, & Athenienſibus, fuisse controversiam de Oropo; in nono tamen eam Bœotiæ adjudicat.

CVII,

CVII,17. post *Bœoticis* adde: & Scholiastes Aristophanis in Nubes:

Ibid.24. post *gentes* adde:

In Macedonia Æneatæ coluere Æneam. Livius lib. XL de Poride, & uxore Theoxena: *Proficiscuntur ab Thessalonica Æneam ad statum sacrificium, quod conditori Æneæ cum magna ceremonia quotannis faciunt.*

Ibid. 28. post *potius* adde: Sed si in honorem Aristotelis solùm diem conviviis, & similibus, transegerint, non possit is honos divinus vocari.

Hæc singularia tangunt oppida. Vniversi autem Macedones venerabantur Philippum Amyntæ, & Alexandrum Magnum. Iustinus lib. XXIV: *Nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant, nunc excidia urbium metuebant, nunc Alexandri, Philippique, regum suorum nomina, sicut numina, in auxilium vocabant.* Sermo est de Macedoniæ statu, Gallis in eam irrumpentibus post cladem Ptolomæi Cerauni. Interdum videri ea possint ὑπερβολικώτερον dici.

Ibid.33. post CXXXIV adde: & Ammianus Marcellinus lib. XXII.

Ac versu proximo post *Periplo* adde: Deque eadem sic anonymus in periplo Ponti Euxini, quem filius meus Isaacus publici juris primus fecit: Ὡς δὴ συγγράφει Δημήτριος, ταύτην τὴν νῆσον λέγει Θέτις ἀνεῖναι τῷ παιδὶ, καὶ ταύτην οἰκεῖν τὴν Ἀχιλέα, καὶ ναὸς ἔστιν ἐν πάλαι ἐργασίας. *Vt Demetrius inquit, insulam hanc fertur à Thetide concessam filio suo Achilli, atq; ab eo inhabitari, & esse in ea templum illius, ac simulachrum jam olim effictum.* Satis etiam apertum arbitror, non alium signari locum à Clemente Romano in X Recognitionum: ubi ait *, apud Leuconessum Achillem pro Deo coli.

* *fol.* 110. *a. edit. Senniana.*

Ibid. versu ult. post *civitatis*, adde: Plura de Tene hoc Diodorus Siculus extremo libro V, cui Τέννης vocatur, Cygni filius, ac ab Achille dicitur interemtus, cùm Græci Tenedum vastarent.

CVIII,19. post *Chios*, adde: Athenagora teste, nisi *Ceos* apud eum legi debet, est

Ibid.37. post od.V, adde:

Ios Cycladum una est prope Theram; ut ex Ptolemæo, & Antonino, liquet: nisi quòd apud Antoninum quidem sit *Los*, quia *los*, & *Ios*, facilè in scriptura confunduntur: pro *Ios* autem, spiritu perperam addito, sit *Hios*: at apud Ptolemæum in Latinis sit *Chios*, præter quam editione illâ Gerardi Noviomagi, ubi est *Ios*, quemadmodum in codd. Græcis. In hac insula coluere Homerum: ut Varroni relatum libro de Imaginibus primo; ubi, Agellio teste, lib. III, cap. XI, Homeri imagini hoc epigramma apposuit:

Capella Homeri candida hoc tumulum indicat,
Quòd ara Iëtæ mortuo faciunt sacra.

Ἰήτης gentile ab Ἰὼ, ut Stephanus in Ἰὼ indicat: ubi & matrem Homeri

meri ex hac insula fuisse indicat. Sententia igitur est Varronis, non aliunde meliùs intelligi, quæ patria sit Homeri, quàm quòd Ietæ sive Ienses sacra faciunt Homero. Atque addit, id candidâ eos feciſſe capellâ. Nempe ut Apollinari viro. Nam Apollini solere capros albos significari, etiam Livius indicat lib. xxv. Ion autem patriam esse Homeri, etiam proditum Aristoteli; ibiq; sepultum fuisse, traditum Dionysio Halicarnassensi, Straboni, Plutarcho, Suidæ. Vide & Hier. Magium Miscell. lib. III, cap. I.

Ibid. vers. ult. post *Eliacis* adde: & ex eo Cyrillus in VI contra Iulianũ.

CIX, 7. post *bibliotheca*, adde. Etiam immortalibus honoribus, ut Diodorus in V ait, prosecuti sunt Idomeneum, & Molonem, Minois nepotes; quorum ille ex Deucalione, hic ex Molo progenitus. Hi LXXX navibus opem tulere Agamemnoni adversus Ilium. Nec heroicos solùm, sed divinos iis attributos esse honores, arguunt hæc Diodori verba: Τούτους μὲν ὡς ἥρωας ὑπερφυεῖς τιμῶσιν οἱ Κρῆτες ἀφερόντως, θύοντες, καὶ κατὰ τοὺς ἐν πολέμοις κινδύνους ὑπερκαλούμενοι βοηθούς· *His tanquam heroibus eximiis summi honores à Cretensibus præstantur; sacrificando iis, & eos in belli periculis invocando, ut auxiliatores.*

CXV, 34. post *Ganymedem*, adde: Atque hæc ostendunt, memoriâ deceptum esse Ciceronem, cùm sic scribit lib. I Tusc. Qu. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, ut Iovi pocula ministraret; non justa caussa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: divina mallem ad nos.* Neque enim filius fuit Laomedontis, Priami frater, ut Tullius putavit; sed filius Trois, patruus Laomedontis, Priami patruus magnus: ut ex iis liquet, quæ memoravimus. Sub fabula autem de Ganymede à Iove rapto latere historiam de Tantalo, Phrygiæ rege; præter Phanoclem, de quo dixi, etiam Herodianus prodidit in vita Commodi Cæsaris.

CXXIV, 23. post *explicamus* adde: Quare non diffiteor, quod Isidorus ait lib. VIII Orig. cap. XI, Vulcanum fuisse hominem: sed quod ait, vixisse in Lemno, id de antiquissimo illo nequit intelligi.

CXXVI, 16. post *declarabitur* adde: Vnum tamen obstare illud videtur, quòd Σάμης etiam constanter legatur apud Ioannem Antiochenum, & Georgium Syncellum. Sed fortasse primus, vitioso codice deceptus, in errorem eos induxit, qui sequerentur.

Ibid. 38. post *Sophoclis* adde: (& convenit, quòd ejus in Thracia sepulcrum ostendi solere, dicat Clemens Romanus lib. X Recognitionum *) * fol. 110. a. edit. Paris. 1568.

CXXIX, 21. post *dabimus*, adde: Priùs quidem hominem fuisse, etiam apud Isidorum, priorum exscriptorem, legas lib. VIII Orig. cap. XI.

CXXXI, 10. post *educata*, adde: Itaque & Isidorus lib. VIII Orig. cap. XI ait, Iunonem fuisse mulierem Samiam, sed in Deos postea relatam.

CXXXV,

CXXXV, verſ. ult. poſt *ſymbolum* adde : Paphi vixiſſe, dum inter homines ageret, ait Iſidorus lib. VIII Orig. cap. XI. Et favet, quod apud Clementem lib. X Recognitionum * legere ſit, Cypriæ Veneris ſepulchrum in Cypro fuiſſe.

* *fol.* 110, *edit. Sonniana an.* 1568.

CXLI, 9. poſt *Noachus* adde : Quæque paullo antè de certamine lampadum dicebamus, nihil aliud ſignificare videntur, quàm quòd priores ſemper (quomodo loquitur Lucretius in ſecundo) *Quaſi curſores vitai lampada tradunt.*

Ibid. 27. poſt *quidem* adde : non poſſit eſſe σύγχρονος † patriarchæ Abrahami, &

† *coætaneus.*

CXLVI, 31. poſt CXX adde: Atque ex his non operoſum ſit veriorem diſcernere opinionem in iſto veterum diſſenſu. Quippe Euſebius ſic ad annum Ioſuæ XVII : (tribuit autem ei annos XXVII) *Phœnix, & Cadmus, Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum, & Sidonem, regnaverunt.* Ad annum vero XXXVIII Othonielis : *Harmonia rapta à Cadmo.* Et XXXIX : *Cadmea condita eſt.* Et ad I annum Debboræ cum Baracho : *Secundùm quoſdam Thebis regnavit Cadmus.* Sepulchrum Liberi fuiſſe Thebis oſtenſum, ubi eſſet diſcerptus, tradit Clemens Romanus, ſive ſub hoc nomine alius, in decimo Recognitionum †.

† *fol. & edit. ut ſupra.*

CLVII, 22. poſt *ululet*, adde :

Etiam ad hiſtoriam refert Varro, cur cum leonis ſimulachro in ſacris Cybelles ſpectaretur. Sic enim ſcribit ὅν⊙ λύρας : *Non vidiſti ſimulachrum leonis ad Idam è loco, ubi quondam eum cum vidiſſent quadrupedem Galli, tympanis adeò ferunt manſuetum, ut tractarent manibus?*

Ibid. verſ. antepenult. poſt *multa*, adde : præſertim quando iterum de ea erit dicendum, cùm de Cybelle agemus libro proximo, quatenus naturale eſt numen, perque eam Tellus intelligitur.

CLIX, 17. poſt *adorant* adde : Atque idem de Hectore tradit Clemens Romanus lib. X Recognit. ‡.

‡ *fol. & edit. ut ſupra.*

Ibid. 24. poſt *delubro* adde : Vlteriùs apud Pontum cultus eſt Patroclus ; ut teſtis eſt Clemens loco paullò antè memorato. Etiam Sinopenſes ad Pontum Euxinum in Paphlagonia Autolycum divinis affecere honoribus. De hoc ita Strabo in XII : Καὶ τὰ μὲν ἄλλον κόσμον τῆς πόλεως διεφύλαξεν ὁ Λύκκλος· τὴν δὲ ὑπὸ Βιλλάρβα σφαῖραν ἦρε, καὶ τὸν Αὐτόλυκον, Σθένιδος ἔργον, ὃν ἐκεῖνοι οἰκιστὴν ἐνόμιζον, καὶ ἐτίμων ὡς θεόν· ἴσως δὲ καὶ μαντεῖον αὐτοῦ. Δοκεῖ δὲ τῷ Ἰάσονι συμπλεύσαντων εἶναι, καὶ καταμεῖναι τοῦτον τὸν τόπον. *Luculius, conſervatis reliquis Sinopes ornamentis, Billari tamen ſphæram abſtulit, & Sthenidos opus, Autolyci ſtatuam, quem illi, urbis conditorem exiſtimantes, divinis colebant honoribus. Fuit etiam oraculum ejus. Videtur is unus eorum fuiſſe, qui cum Iaſone navi-*

gaverunt, & locum iſtum occupâſſe. Quod verò ambigit Strabo, num is unus Argonautarum fuerit, id inde eſſe arbitror, quòd in itinere demum iis acceſſerit. De quo vide Apollonium Rhodium lib. II, & Val. Flaccum in V Argonauticôn.

Nec dubium, quin & Cappadociæ, & variæ Aſiaticæ hujus magnæ peninſulæ regiones, ſimiliter homines coluerint pro Diis.

CLX, 20. poſt *od.* VII adde: Etiam à Rhodiis cultum eſſe Alexandrum Magnum, refert Clemens Romanus lib. X Recognitionum *.

* *fol.* 110, *edit. Pariſ. a.* 1568.

CLXII, 21. poſt *dicam*, adde: De Æſculapio ab Ægeatis in Cilicia culto vide Hiſtoriam Tripartitam lib. II, cap. XX.

CLXVIII, 1. poſt *commendabantur*, adde: Stephanus in Ἀρταῖα: Ἀρταίους δὲ Πέρσαι παλαιοὺς ἀνθρώπους καλοῦσι· *Artæos vocant Perſæ homines priſcos.*

Ibid. 8. poſt *bellatorem* adde: Ab eadem origine eſt Artabazus. Stephanus loco antè memorato: Ἐνλεῦθέν μοι δοκεῖ Ἀρταξέρξαι, καὶ Ἀρταβαζοί· *Hinc mihi dicti videntur Artaxerxæ, & Artabazi.*

CLXIX, 19. poſt *cap.* V adde: Videntur interim illa de Samſone, pro more gentilium, qui ex pluribus unum conflare ſolent, adaptata eſſe Herculi. Vt quod Iud. XIV, 5, 6, Samſon dicitur leonem occidiſſe. Notiſſimum enim de leone Nemeæo, quem ab Hercule ſuo necatum tradiderunt. Et cenſet B. Ambroſius, eo Samſonem divertiſſe de via ad cadaver leonis à ſe necati, quò exuviis ejus indutus Herculem referret. Fortaſſe igitur duo fuere Hercules Palæſtini, antiquior, & Samſon: quorum geſta in pleriſque convenerint, unde & unus crederentur. Vetus Hercules fuerit Melicarthus, ſive is Eſavus, ſive Tyriæ urbis conditor: qua de re diximus lib. XXXIV.

CLXX, verſ. ult. poſt *coluerunt* adde: Fuere & alia Phœnicibus numina: ſed de quibus difficile ſit dicere, homineſne fuerint, an naturæ partes. Neutrum enim liquere arbitror de Zauane. Heſychius: Ζαυάνας, θεὸς τὶς ἐν Σιδῶνι· *Zauanes, Deus quiſpiam Sidoniis.*

CLXXVI, 22. poſt *Venus* adde: In Syris numinibus etiam locum habet filia Iephthæ. Epiphanius Hæreſi LV, quæ eſt Melchidecianorum: Ἐν δὲ τῇ Σεβαστῇ τῇ πόλει Σαμαρείᾳ καλουμένῃ, τῇ θυγατρὶ Ἰεφθάε θεοπεμπάσαντες ἔτι ταύτῃ πλεονὶ κατ' ἔτος ἄγουσιν. *Sebaſte verò, quæ olim Samaria dicebatur, Iephthæ filiam divinis honoribus conſecrarunt; in cujus memoriam ſolemne quotannis feſtum celebrant.* Feſti hujus originem cognoſcimus ex Iudicum XI, 39, 40. Puto autem, ex Ἰεφθὶς, quomodo filia ſit à patre dicta, corruptum eſſe Ἰφις, uti ex eo, & ἄναοσα, conflatum *Iphianaſſa:* item quia genita ex Iphe, hoc eſt, Iephthe, dicta eſt *Iphigenia.* Nempe ex hac hiſtoria de Iephthe, Deo filiam offerente, occaſionem cœpit Homerus fabulæ de Agamemnone, ſacrificare

crificare parato filiam Iphigeniam. Etiam Memnon ille, qui cum opem ferret Priamo, ab Achille est interemtus *, in Assyria cultus fuit. Vnde Oppianus lib. II Κυνηγετ. †

* *Homerus Od. 5. Ovid. 13 Met. Seneca Troad.*

Μεμνόνιον περὶ νηὸν, ὅθ' Ασσύριοι ναετῆρες
Μέμνονα δακρύσι κλυτὸν γόνον Ηελιωνης·
Memnonium circa fanum, qua Assyrii incolæ
Memnonem deflent, illustre germen Auroræ.

Eundemque Thebis in Ægypto habuisse templum, cognoscere est ex Dionysii περιηγήσει.

CLXXX, 30, 31. post *sextidecimi* adde: Templum ei à Semiramide conditum fuisse, ait Dionysius Periegetes:

— Μέγαν δόμον εἴσατο Βήλῳ.
— *Magnam domum exstruxit Belo.*

Vbi δόμος pro *templo*; ut in Scripturis *Beth-Peor, Beth-Dagon, Beth-Baal*; pro templo Phegorii Dei, Dagonis, Baalis.

CLXXXVII, vers. antepenult. post *videamus*, adde: Sanè Mosen pro Deo cultum esse in Arabia, ubi majorem ætatis partem egit, testis est Epiphanius in Melchidecianorum Hæresi LV: Οἱ μὲν γὰρ ἐν τῇ Αραβίᾳ τῇ Πετραίων Ρωκὼμ τε καὶ Εδὼμ καλουμένῃ, τὸν Μωϋσέα διὰ τὰ θεοσήμεια Θεὸν νομίζουσι· προσκυνοῦσί τε τὴν αὐτοῦ εἰκόνα, ἣν ἀναλυπωσάμενοι ἀπεπλανήθησαν. *Siquidem Arabiæ Petrææ incolæ, quæ regio Rochom, & Edom, appellatur, Moysem, propter edita ab illo prodigia, pro Deo venerantur, & ejus imaginem adorant; quâ effictâ in errorem delapsi sunt.*

CXCVIII, 33. post *exponam* adde: Quamquam & per phallum significari potuit naturalis Deus, Nilus: quia Nilus pater est eorum, quæ crescunt è tellure Ægyptiâ: ut libro sequenti demonstrabitur.

CXCIX, 9. post *Græcis* adde: Isidem verò hominem priùs fuisse, agnoscit & Servius in VIII Æn. *Hanc Isim, & alios Deos, ideo Ægyptii colunt, quia Deos reges habuisse dicuntur.*

CCIII, 36. post *ostendimus* adde: Quare & corrigendus Hesychius, ubi vulgò sic legitur, Ερμοχοίμη· γῆ ἡ Αἰγυπτία· τὸ πρότερον ἔτως ἐκαλεῖτο. *Hermochœmia terra* (scr. Hermochemia) *Ægyptus primò sic vocabatur.* Mercurii sepulchrum Hermupoli ostensum, refert Clemens Romanus, vel alius in X Recognitionum †.

† *pag. 110, edit. Sonniana an. 1568.*

CCIX, 19. post *diviserit*, adde: Atque ista jam scripseram, cùm ecce commoneor ab Nobilissimo, & Amplissimo Georgio Ratallerio Dubletio, in supremo Hollandiæ Consilio Senatore integerrimo, ac undecunque doctissimo, videri deceptum Petavium editionibus primis, uti Parisina Petri Vidovæi, qui Aldinam ab se expressam profitetur. In hac desideratur

caput II, τὶ ἀετῷ νεοσσόν· & V, πῶς πολέμε σῶμα· & XXIII, πῶς μέλλον ἔρχον· Quemadmodum nec ea habet tralatio Gallica, vel Latina princeps Bernardini Trebatii Vicentini, Conrado Peutingero jam anno inscripta CIↃ IↃ XV. Nempe sic factum, ut quod nunc est caput LXXXIX, in editionibus istis sit LXXXVI. Interim, quæ ex Oro adduximus, in his etiam, solùm variante paullùm capitum numero, liquidò leguntur.

CCXV, 21. post *comparetur* adde : Item quòd neque è Rabbinis desint, qui vitulos in Dan, & Bethel, signa fuisse Iosephi credant. Et favet, quòd Ieroboam, qui eas collocârat, fuerit è tribu Ephraim, filii Ioseph.

CCXVI, 33. post *lib.* II adde :

Non ignorâsse hæc gentiles, ostendit Trogus, sive Iunianus Iustinus lib. XXXVI : ubi inter alia sic de Iosepho : *Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit ; nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur : adeò ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit : periissetque omnis Ægyptus fame, nisi monitu ejus rex edicto servari per multos annos fruges jussisset : tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, sed à Deo, responsa dari viderentur.*

CCXXVII, 7. post *Complutensi* adde : vel potius ἠέλιω, quod Hesychius exponit κιβώτιον.

CCXXVIII, 25. post *nisi quia* adde : puer esset Hebræus : Hebræi verò ex Palæstina, sive Cananæa profecti essent in Ægyptum. Nonne vel hinc luculentum pro Mose nostro habemus argumentum ? Etsi verò hoc, quod diximus, uti simplicissimum, ita verissimum fuerit : non tamen absque eo nominis deforet ratio, longiùs licet arcessita. Vt si sic nuncupatum dicamus,

CCXXIX, 23. post convertisse : Et quid apertius illis Trogi, sive Iustini in XXXVI historiæ Philippicæ ? *Filius ejus Moses fuit, quem præter paternæ scientiæ hæreditatem etiam formæ pulchritudo commendabat.*

Ibid. 33. post *tulit*, adde : Vnde Chronicum Alexandrinum *, ubi de XII claris montibus agit : Νύσσ, Σίνα ἐν Ἀραβίᾳ· *Nyssus, Sina in Arabia.* * pag. 80.

CCXXXI, 20. post *binis* adde : Fortasse autem exinde, quòd radii de capite Mosis prodeuntes referrent cornuum figuram, consuetudo manavit bibendi è cornibus Liberi patris bellaria : quo de more diximus cap. XXVII.

CCXLI, 26. post *Argonauticis* adde : item Hyginus fab. XIV : qui priùs quidem rectè Ampyci, & Chloridis filium appellat : sed postea scribitur : *Mopsus, Amyci filius, ab serpentis morsu in Africa obiit. Is autem in itinere acceserat comes Argonautis, Amyco patre occiso.* Vbi reponendum, *Ampyci filius*, & *Ampyco patre* : unde & Ovidius XII Metamorph.

Nec

Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum.

CCXL, 4. post *etiam* adde : fuere Leptitani, quibus cultus Severus Imperator, civis suus. Spartianus in Severo : *Horum igitur tantorum, ac tam illustrium virorum interfector* (Severus) *ab Afris ut Deus habetur.* Inque eadem

CCXLV, 14. post *combusserit* adde : Imò Livii quoque est lib. XLI : *Compertum tamen affirmarunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu Senatum in æde Æsculapii datum esse.* Loquitur de legatis Romanis Carthagine reversis, quos id de Persei legatis comperisse ait.

Eâdem pag. post versum 34, sive ultimum, adde : Fortasse autem ejus, qui primus est *Iuba* vocatus, id non proprium nomen, sed cognomen fuit : ut Nimrodi *Bel*, hoc est, *dominus.* Hanc suspicionem injicit summa cum nomine Dei τετραγράμματῳ convenientia. Siquidem aliqui id *Iuabo*, *Iabo*, vel etiam *Iabe* extulerunt. Ἰάω summum Deum vocari, apud Macrobium † legitur. Ac agnoscit id in Dei nominibus Epiphanius Hæres. XL. Vbi & Ἰαβὲ dictum ait. Nempe, ut Theodoretus refert in Exod. Quæst. XV : Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι, δὲ Ἰάω. Vbi tamen vulgò Ια editur. Sed sic non fuerit tetragammaton : quale esse id nomen, ibidem ait Theodoretus. Dixeris, nec Ἰάω esse tetragammaton. Verùm cogitare oportet, Iones non habuisse vau literam; sed solos è Græcis Æoles, qui dixissent Ἰάϝω, ut Latini *Iavo.* Solent verò Græci pro litera vau, sive V consono, ponere B, vel diphthongum ΟΥ. Ita pro *Virgilius* scripsere Βιργίλιος, & Ουιργίλιος. Nempe quia vau inter β, & υ, haberet medium quendam sonum. Diximus de isto abunde in primo de Arte Grammatica. In B convertitur, cùm effertur Ἰαβὲ, de quo dictum : in ΟΥ verò ab iis, qui scripsere Ἰαυέ. De isto sic Clemens Alexandrinus in fragmentis nondum editis : unde hæc adducuntur à summæ doctrinæ viro Ioanne Crojo * : Καὶ τὸ τετραγράμματον ὄνομα τὸ μυστικὸν, ὃ φυλάττεσθαι, οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν, λέγεται Ἰαυὲ, ὁ ἐρμηνεύεται ὁ ὤν, καὶ ἐσόμενος. *Et quatuor literarum sacrum ac occultum nomen, quo redimiti erant ii, quibus solis adytum ingredi licebat, effertur* IAVE : *quod exponitur*, QVI EST, ET ERIT. Atque idem Crojus adducit scholion ineditum de jubilæo, quo vocetur Ἰουάω : & ex eo, & Ελαὰ, conflatum dicatur Ἰωβηλ, ut *Iubilæus* sic dicatur, quasi annus numinis Ἰουάω καὶ Ελαά. Sed de etymo illo *Iubilæi* falli puto scholiasten : cum nomen Dei tetragrammatum per י scribatur; *jubilæus* per ב : puta יובל.

† *lib.* I *Saturn. cap.* 18.

* *Sacrarum & Historicarum Observationum Parte* I, *cap.* 12.

CCLIII, vers. ult. post *profectus* adde : Idem lib. XXXIV : *Secundo vento Emporias perventum. Iam tunc Emporiæ duo oppida erant muro divisa. Vnum Græci habebant, à Phocæa, unde & Massilienses, oriundi; alterum Hispani.* Sic interpungo, distinguendo post *habebant*, & *Massilienses* : ut sententia sit,

tam

tam Emporienses, quàm Massilienses, esse oriundos à Phocæensibus.

CCLV, 18. post *Horum* adde: fuere & insulæ Baleares. Strabo lib. III: Σφενδονῆται ἄριστοι λέγονται· καὶ τοῦτ' ἤσκησαν, ὡς φασὶ, διαφερόντως ἐξ ὅτου Φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους· *Baleares optimi funditores habentur, & hoc maximè exercuerunt, ut fama est, ex quo Phœnices insulas eas obtinuerunt.* Eorundem

CCLVIII, 1. post *tur*, adde. In hoc verò, & cætero Deorum cultu, etiam gentium aliarum judicio Gaditani fuere immodici, ac nimii. Sic enim de iis Philostratus lib. V, cap. I: Περίττοι δέ εἰσι τὰ θεῖα· *circa divina modum excedunt.* Itaque, ut Latini loquebantur, non tam religiosi erant, quàm superstitiosi. Quippe, ut Cicero hæc distinguit in primo de natura Deorum, *in superstitioso, & religioso, alterum est vitii nomen, alterum laudis.* Epicureos excipe; qui, quoniam omnis Dei cultus est nimius, eò *superstitionem* simpliciter pro *religione* dixerunt.

CCLIX, 6. post *Morales* adde: Imò & ante quingentesimum id nomen fuit. Nam commodè ecce occurrit Idacius, nisi Hydatius malis, Gallæciæ episcopus, qui circa annum claruit quadringentesimum quinquagesimum. Hic in suo Chronico, & fastis Consularibus, scribit hoc pacto *: *Rechiarius ad locum, qui Portucale appellatur, profugus regi Theuderico captivus adducitur.*

* pag. 34, edit. Paris. an. 1534.

CCLXI, 15. post *clarent* adde: Illustre etiam est, quod Livius lib. XXV, cap. XLVI narrat de C. Fabio Dorsone, qui Gabino ritu cinctus, sacra manibus gerens, ex Capitolio à Gallis obsesso Quirinalem in collem per medias hostium stationes ivit, statumque ibi sacrificium fecit, ac, nullam vim intentantibus Gallis, sospes inde in Capitolium rediit. Vnde ibidem Livius: *seu attonitis Gallis miraculo audaciæ, seu religione etiam motis: cujus hautquaquam negligens gens.*

CCLXIV, 31. post *cap.* VI adde: & imprimis, quæ fusè dicimus lib. proximi cap. XVII.

CCLXXIV, in marg. versu ult. post *cap.* 9. adde: item Godefrido Viterbiensi Chronici parte XVII.

CCLXXXIV, vers. ult. post *inaccessum*, adde: Præterea Thracibus cultus est Odrysus. Nempe quia conditor gentis, si non universæ, quod Thera potiùs sibi vindicat; saltem partis ejus. Epiphanius lib. I †: Ἔπειτα δὲ ἀκινάκην σέβοντες οἵ τε τῶν Σκυθῶν Σαυρομάται, Ὀδρυσόν τε τῶν Θρᾴκων προπάτορα, ἐξ οὗ τὸ γένος κατάγεται Φρυγῶν, ὅθεν καὶ Θρᾷκες ἀπὸ τοῦ Θήρας ἐπίκλην τοῦ ἐν τῇ πυργοποιΐᾳ γεγενημένου καλοῦνται. *Tum acinacem Sarmatæ Scythici generis pro Deo colere cœperunt; ut & Odrysum, à quo Thraces oriundi; indidemque & Phrygum genus originem accepit: ex quo etiam accidit, ut à Thera, qui in illa turris ædificatione natus est, Thracum appellatio deducta sit.*

† pag. 8.

CCLXXXVI, 4. post *album*, adde:

In Pi-

In Picena etiam regione pro numine Diomedes fuit. Scylax Caryandensis in Periplo : Μετὰ δὲ Δαυνίτας ἔθνος ἐστὶν Ομβρικοὶ· καὶ πόλις ἐν αὐτῷ Αγκών ἐστι· τοῦτο δὲ τὸ ἔθνος τιμᾷ Διομήδην εὐεργετηθὲν ὑπ' αὐτοῦ· καὶ ἱερόν ἐστιν αὐτοῦ. *Post Daunitas gens est Vmbrorum : inque ea est Ancon urbs. Hæc verò gens colit Diomedem, cui ille benefecit : ac ibidem ejus est fanum.*

Ibid. 9. post *universa* adde : Plinius lib. x, cap. XLIV : *Diomedeæ aves uno in loco totius orbis visuntur, in insula, quam diximus nobilem Diomedis tumulo, atque delubro, contra Apuliæ oram, fulicarum similes. Advenas barbaros clangore infestant, Græcis tantum adulantur, miro discrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes ; ædemque eam quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt, atque purificant : unde origo fabulæ, Diomedis socios in earum effigies mutatos.*

CCLXXXIX, 20. post Μήδεια adde : Est ex glossis Philoxeno tributis. Doctissimus Rigaltius notis ad Artemidorum legit, Μήδεα, *inguina.* Sed omnino recta est lectio vulgaris.

CCXCI, 30. Antium etiam fuisse in Rutulorum solo videtur. Prope quod oppidum in litore fanum Æsculapii fuit : ut testes sunt Livius lib. XLIII, Sextus Aurelius, vel quisquis auctor est libri de viris illustribus, quem aliqui Plinio, Suetonio alii tribuerunt. Imò & Ovidius lib. xv Met. fab. L : quamquam pro *Antium* ibi in codd. nonnullis *Anxur*, *Auron*, vel *Anchon* legas.

CCXCIV, 37. post *fuerunt* adde :

Alterum addam exemplum ex Sarmatia Europæâ, modò terminum illi non tam Tanaim, quàm Obii fluvium, & Kitaia lacum, statuas. In hoc enim tractu est regio Permia : ubi divino honore cultus est Stephanus episcopus : de quo sic Sigismundus L. B. in Herberstein in commentariis rerum Moscoviticarum : *Idioma* (in Permia) *proprium habent ; characteres item proprios ; quos Stephanus episcopus, qui eos, in fide Christi vacillantes, confirmârat, (nam antea in fide adhuc infantes episcopum quendam idem attentantem excoriaverant) primus adinvenit. Hic Stephanus postea, Demetrio, Ioannis filio, imperante apud Ruthenos, in numerum Deorum relatus est. Supersunt adhuc ex iis in sylvis passim plures idololatræ ; quos monachi, & eremitæ eò proficiscentes non cessant ab errore, vanoque cultu revocare.*

FINIS.

INDEX LIBRI PRIMI DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE, AC PROGRESSV; QVI EST

De cultu creaturæ ſpiritualis.

Prior numerus, qui eſt Romanus, libri caput; alter, qui eſt barbaricus, paginam deſignat. A notat Addenda. Numerus ſubſequens ad locum additionis remittit adeo numero ſignatum.

Abracadabra vox magica. VIII. 60.

Abraham, & Iſaac, in Orphaicis, ſive Onomacriticis, confunduntur. XVIII. 143. Abrahamus Patriarcha cultus ab Cæſare Alexandro Severo. XLI. 296, 297.

Ἀβρώξας Baſilidis. VIII. 60.

Abrech, quod Ioſepho acclamatum, quam diversè exponatur à veteribus. XXIX. 220.

Acca Larentia quæ, & cur ei cæleſtes honores decreti. XII. 91, 92.

Acherontia ſacra à Tagete reperta. XL. 288.

Achilles Sarmatis Deus. XXIV. 179. Achillis templum in Leuce. XIII. 107. A. 107. 34.

Adad, ſive Adod, Phœnicibus, & Aſſyriis, cultus. XXII. 169.

Adamus, ſecundùm fabulas Iudæorum, annis CXXX ab Eva ſeparatus, ex Naama, Ohereth, Lilith, & Mahalath, dæmonas genuit. XVII. 129, 130. Adam ſub variis nominibus à Græcis cultus. XXXVIII. 279.

Adana, Ciliciæ urbs, ab Adano dicta; qui idem videtur ac Adamus. XXXVIII. 279. Cur Iapetus credatur Adamus. *Ibid.*

Ἅδης unde dicatur Græcis. XXXV. 265. XXXVIII. 279.

Adoratio civilis differt à religioſa, ſive divina. IV. 28.

Æaci, ab Athenienſibus culti, fanum. XIII. 105. item Æginenſibus. 108.

Ægei fanum. XIII. 105.

Ægeus, licet filius foret Pandionis, tamen & Neptuni dictus, idque quia in mari ſit ſubmerſus. XV. 121.

Ægypti, & Danai fratrum, ac de utriuſque quinquaginta liberis, hiſtoria. XIV. 113. Ægyptii bis adverſus Perſas rebellarunt. XXXI. 236. Ægyptii regni, quæ à Manethone, aliiſque Ægyptiis memoratur, antiquitas, quomodo conciliari poſſit cum Moſe, & Scripturis. XXVIII. 207. & ſeqq. Ægyptiorum dii, Menis. XXVII. 196. 197: Oſiris. 198: Mercurius. 203: Hercules. 204: Anubis. 205: Pan. *Ibid.* Apis, & Epaphus. XXIX. 214. Ægyptiorum dynaſtiæ multæ non ſucceſſivæ fuerunt, ut Manetho putavit; ſed collaterales, hoc eſt eodem tempore diverſis locis. XXVIII. 211. Ægyptiorum opinio de principio duplici. V. 34. & ſeqq. Eorundem opinio, quibus præcipui deorum Sol, Luna, & Vulcanus. XXXVII. 271, 272. Ægyptiorum regum ſucceſſio à Cambyſe, primo è Perſis rege Ægyptio, uſque ad Darium Codomannum, regem ex ea gente ultimum. XXXI. 236. Ægyptus, nunc terra Cham, (ut Græcis Χημία) nunc terra Mitſraim dicta. XXVII. 197.

Æneas ab Æneatis honore cultus divino. A. 107. 24.

Æquivoca, quæ Scholaſticis *analoga*, quàm variè Ariſtoteli vocentur. III. 21.

Æſculapius Epidauri primum cultus. Horum exemplum ſecuta mox reliqua Græcia. XIII. 102. Item Romani. Ejus ætas. *Ibid.* & 103. Ambraciæ cultus in oppido. A. 102, 27. Cur extra urbem alioqui coli ſoleat. *Ibid.* Æſculapius Romanis qua occaſione templum, & ubi, acceperit. XII. 87. Æſculapii templum Carthaginenſibus, & unde eum habuerint cultum. XXXII. 245. A. 245, 14.

Æternitas quid Severino Boethio. II. 11.

Æthiopes alii orientales, alii occidentales. XXX. 226. Æthiopum Dii. XXXII. 240.

Αἰθιὰ, partis Ægypti nomen, à flumine Αἴθης ſic dicta. XXVII. 205.

Afrorum Dii. XXXII, 239, & ſeqq.

Aga-

Agamemno Laconibus cultus. XIII. 101.
Agdistis, sive Agdestis, nunc lapis, nunc juvenis ex eo natus, nunc ipsa Cybele. XX. 152.
Agesilaus de Plutone. XVIII. 141.
Aglibolus, & Malachbolus, Arabum, vel saltem Palmyrenorum dii, & unde nomen acceperint, conjectura nostra. XXVI. 194, 195.
Agrauli, Cecropis filiæ, templum. XIII. 103. Cypriis humanâ colebatur victimâ. XXI. 160.
Αγρούηρος, ἢ Αγρότης, Phœnicum Deus, quis. XXII. 165.
Αιάντεια, festum Ajacis Telamonii. XIII. 108. Ajax Salaminiis cultus. *Ibid.*
Αιώρα, festum in honorem Erigonæ institutum. XIII. 104, 105.
Alabandi cultus. XXI. 160.
Αλαλκομενηΐς. XVII. 130.
Albani tantùm abest, ut coluerint defunctos, ut iis nec fas illos fuerit nominare. XXXIII. 251.
Alcathoi veneratio à morte. XIII. 106.
Alcmenæ fanum. XIII. 105.
Alexander M. cultus Ionibus. XXI. 159. Macedonibus. A. 107. 28.
Alexandri Magni, & Cæsaris Augusti, aræ ad Borysthenem. XXXIX. 283.
Alexandro Aphrodisiensi nemo Græcorum, Latinorum, Arabum, meliùs Aristotelis mentem perspexit. I. 6.
Alpes unde dictæ. XXXV. 266.
Amathus urbs Phœniciæ, & Cypri. XXII. 167.
Ambrosii non esse commentarium in epistolas Paulinas: neque Gelasii Cæsariensis esse: verùm Hilarii, diaconi Romani. IX. 68.
Amen diversum quid signat Latinis, Græcis, Syris. VIII. 61, 62.
Amilcar Pœnus, qua occasione diis adscriptus à suis. XXXII. 244.
Ammon Arabibus quidem consulebatur; non tamen fanum ei statuerunt. XXVI. 186. Ammonis oraculum esse Chami, filii Noe; quod, exoriente salutari Euangelio Iesu, minus minusque consuli solitum. XXXII. 239. Ammon unde dictus. XXVII. 197. Cur cornutus fingatur. 201, 202. Etiam Indis cultus. XXV. 239.
Amphiarai fanum Athenis, & Oropi. XIII. 106. ac Thebis. 107.
Amphilochus in quibus Græciæ civitatibus cultus. XIII. 103. 105. Amphilochi, & Mopsi cultus apud Cilices. XXI. 161. Ætas eorum. *Ibid.* & 162.
Amphion quando vixerit. XVI. 127.
Anaces etiam alii præter Tyndaridas. de etymo horum falsi Eustathius, & Plutarchus, sic enim videri vocatos ab illis Anakim, de quibus Mosis, & Iosuæ libri. XIII. 100.
Ανακεῖον templum Dioscurorum. XIII. 105.
Anaxagoræ Deus incorporeus. II. 12. Anaxagoras, & Socrates, cur ἀσεβείας damnati. I. 4.
Anaxilai ludicra. VI. 45.
Androcrates Platæensibus cultus. XIII. 107.
Androgeonis Athenis cædes. XIV. 117. Ejusdem cultus. XIII. 105.
Andromeda an eadem ac Κητώ. XXIII. 172, 173. Ejus fabula poeticè & historicè enarrata. XXX. 225.
Angeli originis pariter ac temporis principium habuerunt, contra quàm visum Aristoteli. VII. 49. Sed, quando producti, parum convenit inter veteres Theologos. 49. 50. Angelos suo modo corporeos esse, non modo philosophi, sed & multi sanctorum patrum crediderunt. VI. 47, 48. Angelicæ naturæ præstantia in quibus consistat. VII. 49. & seqq. Angelici intellectus perspicacia ad præterita, præsentia, futura, se extendit; non tamen omnia. VII. 51. Potentia iisdem magna tribuitur in rebus exsequendis: quo & velocitas pertinet; unde alæ eis tributæ. 52. 53. Angeli cur non aliis, quàm homines, instrumentis utentes, tamen multis partibus majora, quàm homines, possint. VII. 52. Angelorum officium consistit in triplici ministerio; ac de eo gentilium & Christianorum sententiæ conferuntur. VII. 53. & seqq. Angeli custodes ut singulis hominibus, ita & integris populis appositi. VII. 55, 56. Angelorum religiosus cultus è Scripturis, & patribus antiquis, refellitur. IX. 64. Is obtinuit in Phrygia, cujus civitas Colossi. *Ibid.* & 65. simulque ostenditur, quod cultus genus Angelis conveniat. 65, 66. & seqq. Angelolatrarum defensioni, quod colant eos velut sequestros & suffragatores ad Deum, occurritur verbis scriptoris antiqui. IX. 68. Αγγελολατρείας causæ. VII. 49. & seqq. Angelicorum hæresis unde nomen acceperit. IX. 69.
Angicia, *vid.* Anguicia.
Anguicia Dea eadem ac Medea. XI. 289. unde hoc nomen. *Ibid.*
Anima humana spiritualis est naturæ, & αὐτοκίνητος. X. 76, & seqq. non componitur ex elementis. 76. Animæ immortalitatem ex Philosophis gentium negant Epicurus, & Dicæarchus; asserunt Thales, Pherecydes, Plato, X. 72. & seqq. Aristotelis de eo sententia, item Stoicorum. 73, 74, 75. ac argumenta aliquot pro animæ immortalitate. 75, & seqq. Animæ immortalitas consensu gentium credita fundamentum erat erronei cultus, qui iis à gentibus præstitus fuit. X. 70. Ani-

mæ heroum ubi loci vulgo, præcipueque à Philosophis, olim sint constitutæ. XLI. 297, 298. Animæ defunctorum à gentilibus cultæ. XIII. 99. & seq. XLI. 293. Animarum sive hominum defunctorum cultus quibusdam gentibus receptus, quibusdam non. XI. 79, 80. partim introductus authoritate privata, partim publica. 82. Animarum sive defunctorum cultus refellitur, cùm qui iis exhibetur tanquam diis. XLI. 292, 293, 294. tum qui illis tanquam mediis inter deos & homines præstatur. 294, 295, 296. item inter mediatorem Christum & homines. XLII. 300, 301. Invocationi adversari, quod nec natura, nec gratiosa Dei revelatione sciant omnia. 298, & seqq.

Animales Dii qui dicantur. XI. 83.

Anius, sive potius Alius, Eliensibus pro Deo habitus. XIII. 102.

Annæ Bovillanæ honores. XII. 96. Annæ Perennæ, quale numen, & origo rituum in ejus sacris. XII. 94.

Anni dynastiarum, quas Manetho tradit, non sunt expliciti seu Chronologici; sed impliciti, & cum aliis concurrentes. XXVIII. 211. Scaligeri opera in digerendis istis annis defenditur. 212. Annus Ægyptiacus triplex; Lunaris, Canicularis, Solaris. Lunaris menstruus, vel quatuor mensium. XXVIII. 207. Canicularis vulgaris, vel est dierum solum CCCLX, vel præterea dierum quinque intercalarium, quarum quæque numini sit dicata. 208. A vulgari diversus triplex; magnus, major, maximus. *Ibid.* Magnus fuit quatuor Julianorum, de quo Scaliger defensus contra Petavium. 209. Hoc exacto, creditum eandem rerum faciem redire; quod Græcos primus docuit Eudoxus. *Ibid.* Maximus annorum fuit ↀ CCCCLXI. *Ibidem.*

Antigoni Sochæi dictum, unde origo præbita Saducæorum sectæ. X. 72.

Antinous, deliciæ Hadriani, inter numina relatus. XII. 98. Fuit in Diis Ægyptiis. XXXI. 238. Cultus à Mantineensibus. XIII. 102.

Antipatri Tharsensis de reginâ Gatide, quæ nulla fuit, sententia refellitur. XXIII. 171.

Antisthenis opinio de Deo. II. 12.

Anubidis ætas, & cur canino fingatur capite. XXVII. 204, 205.

Ἀφαία, sive *Aphæa*, Diana. XVII. 134, 135.

Apis geminus; unus Argivus, alter Ægyptius. XIV. 112. Ægyptius bis à regibus Persicis malè habitus. XXXI. 236. Apis non est idem ac Epaphus; contrà quàm Herodotus, & Græcorum alii, putarunt. XXIX. 210. Lunæ sacer Memphi. 218. unde nomen acceperit, 219, 220. Apis symbolum Patriarchæ Iosephi. XXIX. 214, & seqq. qui etiam à Mose *bos* vocatus. 215. Apim Argivum, & Ægyptium, Græci, & ab iis decepti Theologi nostri, confundunt. 220, 221.

Ἀποθέωσις Cæsarum, Augustarum, item aliorum apud Romanos. XII. 97, 98.

Apollo antiquissimus Iubal Mosis. XVI. 127. Apollinis Ægyptii repertum laurus. XXVII. 203. Apollo Delphinius. XXXIII. 254. Apollo, Diana, Dis, à Gallis culti. XXXV. 264. Apollo Μουσαγέτης XXVII. 205. Apollo quis ille, quem Laomedon fraudavit mercede pacta. XV. 122, 123.

Apollodorus bis emendatus. XIV. 113. iterum XXXV. 265.

Apparitionum Dei quatuor genera. X. 77, 78.

Ara ignoto Deo cur Athenis consecrata. II. 13, 14. Ara Britannica Vlyssis nomine inscripta. XXXVI. 268, 269. Aræ Philænis fratribus à Carthaginensibus statutæ. XXXII. 244.

Arabia unde dicta, ac Scaligeri de eo rejecta sententia. XXVI. 186. Arabum Dii, Cælus, sive Vranus, & Dionysus, sive Bacchus. *Ibid.* & seqq.

Arcades, & Spartani, χρηστὸς dixere mortuos. XI. 83.

Arctia Dea ab Armeniis culta, Annii Viterbiensis figmentum. XXIV. 179.

Ἀρὴς unde dictus. XII. 167.

Ariadna utraque Naxiis culta. XIII. 108.

Arimanius principium mali habitus Zoroastri; Orimasdes, boni. V. 33.

Arimi, & Arimæi, sive Aramæi, iidem, qui Syri. XXVI. 193.

Arion fidicen Neptuni dictus filius, quia servatus in mari, in quod desilierat. XV. 121.

Aristæus Arcadibus pro Deo habitus. XIII. 101, 102. Aristæus Chiis cultus. XIII. 108.

Aristoteles cultus Stagiræ, non tam ob doctrinam, quàm quòd persuasisset Alexandro M. ut instauraret urbem dirutam Philippo. XIII. 107. A. 107. 28. Aristoteli Deus incorporeus. II. 12. Eidem non alios esse agnitos spiritus, quàm qui moverent orbes cælestes. VI. 40, 41. Loca ejus varia, ex quibus colligi videtur, animam illi fuisse immortalem. X. 74. *De hoc plenius, libro tertio.*

Arnobius correctus in nomine *Putas*, pro *Butas*, qui fuit scriptor Caussalium. XII. 95.

Arsalus, Druus, seu Arutus, & Tosibis, seu Tasabis, à Solymensibus culti. XXI. 160.

Ἀρτεῖος, & Ἀρτοξέρξης, unde. XXII. 168, 169. A. 168. 1, & 8.

Ἄρτης Mars, & unde ea appellatio. XXII. 167.

Aruëris, alius est ab Anubide, contrà quàm Scaliger putabat. XXVIII. 208.

Ascena

Aſcenazim, quorum pater Aſcenes, filius Iapheth, non ſunt Germani, ſed potiùs minoris Aſiæ gentes. xxxviii. 276, 277.

Aſcipurgium in Germania non eſſe Vlyſſis opus; quod jam Taciti ævo complures putarunt. xxxviii. 281.

Aſii herois cultus. xxi. 160.

Aſinum Marti Scythæ mactabant. xvi. 127.

Aſnath, uxor Ioſephi, non eſt filia ejus, qui ipſum emerat, ſed principis cujuſdam in On: qui & nomine ipſo differt ab illo priori. xxix. 218.

Aſſyriorum nomine etiam Babylonii intelliguntur, cum imperium eorum omnium vetuſtiſſimum dicitur. xxiv. 179.

Aſtarte, dea Phœnicia, unde dicta. xxii. 170. Eadem eſt, quæ Europa, Agenoris filia, & cur tauro vecta dicatur. *Ibid.*

Atargatis, ſive Atergatis, pro quo & *Artaga*, & *Athara*, legitur, regina Syriæ, poſt mortem divinis honoribus culta. xxiii. 171. Eadem *Derceto* appellata. *Ibid.* Cur in piſcem converſa dicatur. 172, 173, 174. & quod in honorem ejus Syri piſcibus abſtineant. *Ibid.* forma Atergatis prodigioſa, & vocis ejus origo. 173. Etiam in Parthia culta. *Ibid.* Atergatin, & deam Syriam, diverſas videri. 175, 176.

Athanaſio tribui falsò librum quæſtionum ad Antiochum. vii. 50.

Athenienſium jactatio refellitur, gloriantium ſe frugibus uſos ante Ægyptios. xvii. 133.

Ἄθεότης quadruplex. iii. 17. Atheorum cognomen à gentibus etiam tributum Chriſtianis. A. 3. 30.

Atlas Phœnix. xxii. 166.

Atoſſa gemina; una Belochi filia, quæ & Semiramis; altera Cyri. xxiii. 175.

Attis unà cum Cybele cultus. xx. 150. aliter *Papa* dictus. 151. Sacrorum ejus origo. *Ibid.* & 152. Attin unde nomen acceperit. 153. Attidos nuptiæ cum Midæ filia à Cybele diſturbatæ. *Ibid.* Ejuſdem exſectio, dubium an ab ipſo. *Ibid.* Simulachrum Attidis, cui pectus illidebant Galli ſacerdotes. 155. 156.

Atymnus Gortynenſibus cultus. xiii. 109.

Augilæ, Africæ populus, ſolos Manes Deos putant; ſi Melæ, & Plinio, ſtandum, id ſcribentibus de Augilis, quod de Naſamonibus prodiderat Herodotus. xi. 79. Nihil impedire, quo minus de utraque gente id verum ſit. xxxii. 240.

Auguſti Cæſaris, & Alexandri M. aræ ad Boryſthenem. xxxix. 283.

Aurea vetula, numen accolarum fluminis Obii. xxxix. 283.

Αὐτοκίνητον alio ſenſu à Platone animam dici, quam Ariſtoteles eam vocem interpretabatur. x. 73. A. 73. 30.

Autolycus à Paphlagonibus cultus. A. 159. 24.

Babylonis conditores varii à ſcriptoribus nominantur, & quomodo hi conciliari inter ſe poſſint. xxiv. 181.

Bacchi cultum Græci ab Ægyptiis accepere: indeque ſacrorum ſimilitudo inter Liberum Ægyptium, & Thebanum. xxvii. 199. Bacchus Arabicus Moſen deſignat. xxx. 225, 226, *& ſeqq.* Legiſer vocatur, uti & Moſes. 231. Cornifer, uti & moris eſt Moſen cum cornibus effingere, & unde mos ille. *Ibid.* Fortaſſe & inde eſſe, quòd vinum, quod Liberi inventum habebatur, è cornibus bibere ſoleant. xxvii. 202, & A. 231. 20. In Bacchi Orgiis percuſſio petræ repræſentata, qua Moſes aquam eduxit; item erecti ſerpentis memoria renovata. xxx. 231. Bacchus Indis cultus, ſed à Thebano diverſus: videri autem hunc Noë. xxv. 183. & antea. xix. 144. Cui etiam *bimatris* nomen accommodatum. xxv. 183. Perperam tamen ex *Noachi* vocabulo nomen Bacchi deducitur. xix. 144. Cur Indicus dictus: ubi commentum Græcorum de Indis à Libero, & muliebri ejus exercitu devictis, refellitur. *Ibid.* & 184. Cur Iovis filius dicatur. xix. 144. ac è Iovis femore natus. *Ibid.* & 146. Bacchi Thebani ætas. 146. unde nomen Διονύσου, & *Liberi* acceperit. *Ibid.* Thebano antiquior Ægyptius: cujus plurima ad illum tranſlata. 147. Baccho cur attributus ſocius canis. xxx. 232. Bacchi κίρνος unde fieret. v. 29. Bacchi expeditio in Hiſpaniam fabuloſa: uti & Græculorum eſt commentum de nomine Spaniæ à Panos præfectura. xxxiii. 252.

Baleares inſulæ à Phœnicibus poſſeſſæ. A. 255. 18.

Barbariſmus, & Scythiſmus, perperam jam olim pro impietatis ſpeciebus habiti. iii. 17.

Batto, Cyrenarum conditori, fana conſtituta: unde origo proverbii, *Batti ſilphium.* xxxii. 240, 241.

Becani opinio refellitur de Britannica ara Eliſſæ, Iavanis filii. xxxvi. 269.

Belenus Apollo. xxxv. 264.

Belus idem ac Nimrod, & Baal. xvi. 124, 126. xxiv. 180. Ejus cultus. xvi. 18. A. 180. 31.

Bergion, & Albion, Neptuni filii fabuloſi. xxxv. 266.

Bojohæmi, ſive Bojemi unde dicti. xxxv. 260.

Bona dea, aliter dicta Fauna & Fatua, quale numen fuerit. XII. 95.

Bonzius Combadaxi nomine à Iaponiis cultus. XXV. 184.

Bos aptiſſimum ſymbolum frumenti, vel annonæ, præcipuè apud Ægyptios. XXIX. 216, 217.

Britannia Romanis, ac Græcis, diu incognita. XXXVI. 268. Britannica gens Gallicæ priſcæ propago. XXXVI. 267. Britannica Vlyſſis ara. XXXVI. 268, 269. Britannorum Dii. XXXVI. 267. & ſeqq. Britannorum Druidæ antiquiores Gallicis: imo à Britannis diſciplinam hauriebant. XXXV. 264.

Βελόμαχλις Diana, & unde hoc nomen. XVII. 134.

Buſiris an, & quis fuerit. XXX. 226. ejus ætas *Ibid.*

Butæ heroïs cultus. XIII. 104.

Butàs ſcriptor Cauſſalium. XII. 95.

Βύρσα cur arx Carthaginenſis diceretur. XXXII. 242.

CAbaliſtarum, & Avicennæ opinio, angelorum unum eſſe ab altero. VI. 49.

Cadmus cultus Gortynenſibus. XIII. 109.

Cælus, & Tellus, quomodo inter Deos animales, id eſt, ex hominibus factos, referantur Sanchoniathoni. XII. 166.

Cæſares in Deos relati ritibus certis. XII. 97. ac Cæſarum quoque uxores; ut Livia, & Fauſtina. 97. 98.

Calchantis cum Mopſo certamen; à quo victus præ mœrore vita exceſſit. XXI. 161, 162.

Caleb pro Hebronis tractu, & ejus incolis: ubi perperam Græci *canium*, vel *venatorem*, reddiderunt. XXX. 232.

Calechutenſibus qualis ſit Dei cultus. VIII. 57.

Callaici habiti ſunt ἄθεοι. A. 3. 30.

Calliſtagoras cultus Teniis. XIII. 108.

Canis aſtro cur datum nomen Μαίρας. XXX. 232. & cur poteſtas attributa maturandi uvas. 233. Canis mactatus Marti à Caribus. XVI. 126.

Canobus, ſive Canopus, quale Ægyptiorum numen; patriumne, an adventitium. XXXI. 234, 235.

Capella candida ſacrificata Homero, & cur. A. 108. 37.

Carmentæ quare cæleſtes honores decreti. XII. 91. Vbi & de ara, ac porta Carmentali.

Carolo IX Galliarum rege ſpectante exhibitum mirificum magicarum præſtigiarum exemplum. VIII. 62, 63.

Carthaginis conditores fabuloſi; Xonis & Carchedon; & unde fabellæ hujus origo. XXXII. 242. unde urbs *Carthada*, arx *Burſa* dicta ſit. *Ibid.* Carthago condita ab Eliſſa Tyria ſive Didone. 243. fabulæ de agro ab ea empto, quantum bovis tergo amplecti poſſet, origo. *Ibid.* Carthaginenſium duces etiam dicti *reges*. XXXII. 244. Carthaginenſium dii. XXXII. 242, & ſeqq.

Caſtor, & Pollux, etiam culti Germanis; ſi Tacitum audimus. XXXVIII. 280.

Caſtoris liber de erroribus ex inſcitia temporum obortis. XIV. 112.

Catabathmus Deos coluit patrios. XXXII. 239.

Cayſtrii heroïs cultus. XXI. 160.

Cecrops, poſt mortem, in Aquarium converſus fingitur. Ejus filiæ Agraulos, Herſæ, & Pandroſos. XIII. 103.

Celſi Epicurei, contra quem Origenes ſcripſit, ætas, & impudentia. XXXI. 238.

Celtiberi dicti ad differentiam Celtarum, qui trans Pyrenæum habitabant: non Gallorum, qui in Hiſpaniam colonos miſerant. XXXIV. 258.

Celticæ dii. XXXIII. 246. & quas gentes Celticæ vocabulo veteres intellexerint. *Ibid.* Celticæ vocabulum nunc preſsè, nunc laxè, accipitur. *Ibid.* 247.

Centauri, & Lapithæ, primi Græcorum equis vecti: unde origo fabulæ de biformi monſtro. XV. 119, 120.

Ceres frugum inventrix, imò & legifera: unde feſtum Θεσμοφόρια. XVII. 132. eſtque eadem, quæ Ægyptiis Iſis, ſoror & uxor Oſiridis regis. 133. aut ſi Græcorum Ceres ſit alia, ejus ſacra ad Iſidis ſacra adaptata. 134. Sanè Cereris, & Iſidis ſacra ſimilia. 133.

Chaldæis etiam unus Deus. V. 38.

Chami liberorum, vel poſterorum, contentiones, & bella inter ſeſe. XXVII. 200. Chami terra, & Χημία, pro Ægypto. XXVII. 197.

Characteribus, & verbis, nulla per ſe ineſt vis. VIII. 59, 60. nec ab imaginativa imprimi poteſt. 61.

Chriſtiani Sacerdotes ſunt; at non ſanctorum, verùm Dei. XLII. 300.

Chronicon Alexandrinum ſemel iterumque fortaſſe correctum. XVI. 126.

Chryſor, qui Vulcanus videtur, Phœnicibus non ſolùm artis fabrilis; ſed etiam facundiæ, divinationis, piſcationis, & navigationis auctor. XXII. 164, 165. Idem Diamichius. 165.

Ciceroni Deus mens incorporea. II. 12. Ciceronis memoriæ error. A. 115. 34.

Circe *Maricæ* nomine à Minturnenſibus culta: item, ſed reſervato Circes nomine, à Circeienſibus. XL. 290.

Clemen-

Clementis Alexandrini locus de Anio Deo emendatus. XIII. 102.

Cleomedes athleta in veneratione Astypalæis. XIII. 108.

Cluverii opinio diluitur, existimantis, Germanis idem fuisse numen Herculis, ac Martis. XXXVII. 273. Cluverius refellitur; qui ex eo, quia Germani coluere Solem, Vulcanum, Lunam, colligebat, iis fuisse cognitum Sacrosanctæ Trinitatis mysterium. XXXVII. 271.

Clymene cur dicta Iapeti conjux. XVIII. 142.

Cneph, vel Cnuphis, Thebaidos numen, mundi opifex, unde & fingebatur ovum ore effundens, ovo mundum significante. II. 15.

Cnuphis, vide *Kneph*.

Codan idem ac *Godan*, vel *Wodan*: indeque *Codano* sinui nomen. XXXVII. 274. item *Codanoniæ*, & *Codanonibus*. 275.

Codri regis post mortem honos. XIII. 105.

Cœranus, & Sarus, ejusdem Ciliciæ fluminis nomina: sed hoc Syriacum, illud Græcum, ejusdem interim notæ. XXXVIII. 280.

Colchus diu Græcis credita terminus orbis nostri. XXIV. 177.

Columbæ Syris pro Diis, eoque nec eas edere audebant. XXIII. 174. Columba symbolum regni Assyrii. XXIII. 174. An & columbæ simulachrum Samaritanis cultum. 175.

Compitalia quæ. XI. 85.

Counidas, Thesei pedagogus, cultus. XIII. 105.

Consentes, & Selecti dii. XIV. 110. quorum sex mares, sex feminæ. *Ibid.* & 129.

Constantini M. consecratio. XII. 97.

Consualia ludi Neptuno equestri solennes, à Neptunalibus quomodo differant. XV. 119.

Consus Neptunus equestris Romanis dictus. *Ibid.*

Cres rex Cretæ antiquissimus. XIV. 115.

Cultus Dei idololatricus distinguitur in proprium, & symbolicum. V. 30. Proprius in varia genera diducitur. *Ibid.* Cultus spiritualis corrupti origo. *Ibid.* In hoc primus datur locus cultui duplicis principii, boni, ac mali. *Ibid.* 31. Proximus locus attributus spiritibus ministris: angelis nempe, & dæmonibus. VI. 40. Cultus divini angelis præstiti duæ præcipuè causæ: una, naturæ spiritualis præstantia: VII. 49. & seqq. Altera, officium eorum, ac cura erga homines. 53. Cultus bonorum spirituum refellitur. X. 64, 65, 66. & seqq. simulque ostenditur, quod cultus genus Angelis conveniat. 65. 66. Cultus malorum spirituum sive dæmonum Mosaicis temporibus receptus in Palæstina, locisque vicinis, hodiéque apud Calechutenses. III. 57. Item Tapuias: de quibus fusè actum. A. 57. 20. Vtrùm Platonici bonos coluerint spiritus, an malos: magi item utris sacrificent. VIII. 58, 59. Quartus datur locus cultui animarum: & quæ cultus iis exhibiti causa. X. 70. Porrò vel privatâ fit auctoritate. XI. 82, & seqq. vel publicâ. 85. & seqq. Cultus hic vel animis præstatur infidelium, vel beatorum. Is qui beatis convenit, essentiâ ipsâ differt à cultu Dei. Prior dicitur religiosus; alter officiosus, vel etiam civilis; laxius hac voce ad cælestis civitatis cives extensa. XLII. 302. Cultus animarum, sive defunctorum, antiquis Persis, & Afris, incognitus: à Mela, & Plinio Augilis, sive Augilitis tributus: quem Nasamonibus assignat Herodotus. XI. 79, 80. Fere cum naturæ cultu conjunctus fuit, sacerdotibus callidè occultantibus, homines fuisse, qui colerentur. 81, 82. Origo hujus cultus. *Ibid.* Cultus is præstitus Cæsaribus; imo aliis etiam ex Cæsarum ac Senatus decreto. Cultus defunctorum refellitur, sive iis exhibeatur, tanquam Diis. XLI. 292. & seqq. sive, ut mediis inter Deos, & homines. 294. & seqq. sive ut mediis inter Christum, & homines. XLII. 300, 301.

Cybele Dea Phrygia. XX. 150. Ejus varia nomina. *Ibid.* cur à leonibus alita dicatur. *Ibid.* Cybeles, Attidisque historia varie narrata à Diodoro, Servio, Arnobio. 151, 152. Amor in Attin flagitiosus. 153. Galli, sacerdotes ejus, in honorem Attinis castrati, 154. castratio ea fiebat ad tibiæ cantum, & quæ causa ejus ritus. *Ibid.* cur Sacerdotes hi *Galli* vocati. 155. Cybeles in sacris cur pinus gestaretur ab iis, quos Δενδροφόρους dixere. XX. 155. cut lanâ pinum velarint Galli sacerdotes, ac ramos ejus ornarint corollis violaceis 156. cur in sacris hisce omnia personuerint planctibus ac lamentis. *Ibid.* cur Galli pane abstinuerint. *Ibid.* cur capita jactarint. 157.

Cyclæus Platæensibus cultus. XIII. 107.

DÆdali, & Icari fabula historicè relata. XIV. 117.

Dæmones πολεδροι agniti Irenæo. VI. 45. Dæmoniacarum præstigiarum exemplum editum coram Carolo IX Galliarum rege. VIII. 62, 63. Dæmonibus non minùs, quàm angelis bonis, alæ attributæ. VII. 53. Dæmonium meridianum quid vocet divinus psaltes. VIII. 58. Dæmonum cultus Mosaicis temporibus receptus in Palæstina, locisque vicinis, hodieque apud Calechutenses viget. VIII. 57. Item Tapuias. A. 57. 20. Idem statuendum de Platonicis, ac universe de Magis, eorum-

eorumque sacrificiis. 58, 59. Dæmonum societas quævis S. Scripturis damnata. VIII. 63.

Dagon deus Phœnicius. XXII. 165. Beth-Dagon. 166.

Danai filiæ docuere Pelasgos sacra Ægyptia. XVII. 134.

Danorum, & Sueonum dii animales. XXXVIII. 281, 282.

Dea Syria diversa ab ea, quæ dicitur *Atergatis*. XXIII. 176.

Dei cognoscendi triplex via, secundum scholasticos. II. 11. Dei notitia à revelatione profecta, ac traditione continuata, certissimis è naturæ opificio ac gubernatione ejus, argumentis firmata. 1. 2, & 3. Deum verum ex parte aliquibus gentilium fuisse cognitum. II. 13. Deus unicus sapientioribus gentibus creditus. II. 9. opifex Thaleti, Platoni, Tullio. 1. 6. Idem undique perfectus. II. Perfectio ejus triplex. II. 11. Deus incorporeus. II. 12. infinitus. 12. colendus ob naturæ excellentiam, & benefacta. 12. 13. Notitia Dei apud gentiles valde imperfecta, & multiplici est ignorantiâ contaminata: cujus rei variæ adferuntur caussæ. IV. 22, *& seqq.* Dei veri cultus pro duplici hominum genere, quod inter gentes olim extitit, dissimiliter quidem, sed tamen æquè propemodum, in mendacio est, sive injustitia, detentus. IV. 29. *Dei ignoti ara*, apud Athenienses, & *Dei incerti sacra*, apud Romanos, & de causa hujus nominis. II. 14. Vide plura in *Deorum*, & *Dii*.

Deiphobi cultus Therapnis. XIII. 101.

Democrates Platæensibus cultus. XIII. 107.

Denates unde Halicarnasseus dictos putarit; qui sunt Penates. XII. 87.

Δενδροφοριὰ sacris Cybeles. XX. 155. Dendrophori ipsi qui gestarent pinum. *Ibid.*

Denicales feriæ. II. 83, 84. unde dictæ. *Ibid.*

Deorum animalium historia, qui culti in Phœnicia. XXII. 163, *& seqq.* item in Syria. XXIII. 171, *& seqq.* In Media. XXV. 182. India. 183. Vid. *Dei*.

Δεισιδαιμονία quid. III. 16, 18.

Derceto, vide *Atargatis*. An etiam dicta sit *Ceto*, & an eadem sit Andromeda ceto objectanda. XXIII. 172.

Desanaus, Herculis cognomen, quam variè scribatur. XXII. 168. Vnde hoc nomen ductum videatur. *Ibid.* & 169.

Diabolorum consortium ad mira patranda multi ambierunt frustra: & quæ sit caussa hujus rei. VI. 46.

Diagoras, & similes, cur ἄθεοι dicti. I. 4.

Diamichius idem qui Chrysor. XXII. 165, 166.

Diana, sive Dictynna, repertrix venatoriorum cassium: ejus ætas, & cur in Dearum numerum adscripta. XVII. 134, 135.

Dicæarchi Messenii, magni alioquin viri, error fædissimus de anima. X. 72.

Dictynna, & unde ea hoc nomen sit sortita. XVII. 134.

Dido Carthaginensibus culta pro Dea. XXXII. 243. unde ea *Elisa*, unde item *Dido* vocata. *Ibid.*

Dii animales quibusdam sacris fiebant. XI. 83. Dii duplices; alii minorum, alii majorum gentium, sive cœlestes. XIV. 109. Dii naturales præcipui ad solem, & lunam, referuntur: at dii animales potissimi pertinent, vel ad primos parentes, vel Noë, & conjugem, vel liberos horum. XXXVIII. 279. Dii selecti, item Consentes. XIV. 110. Vide plura in *Dei*, & *Deorum*.

Diluvia particularia, sub Prometheo, aliisque facta, reliquiæ sunt veteris traditionis de Diluvio universali, quod sub Noacho contigit. XVIII. 141, 142.

Diodoro Siculo occurritur, duos Minoas confundenti. XVII. 135.

Diognetus pugil Cretensibus cultus. XIII. 109.

Diomedis Ætoli nemus ac templum juxta ostium Timavi. XLIV. 285, 286. Ejusdem delubrum in insulis Adriæ, quæ Diomedis dicuntur. 286. A. 9. idem cultus Picentibus. A. 286. 4.

Dionysium Halicarnassensem de anima cum Stoicis sensisse. X. 76.

Διόνυσος unde dictus. XIX. 146, 147.

Dioscuri alii etiam præter Tyndaridas. XIII. 100.

Dioscuri, Penates Dionysio visi; quos perperam, ut videtur, *Denates* dictos putavit. XII. 87. An Dioscuri sub nominibus Leli, & Poleti, à Sarmatis fuerint culti. XXIX. 283.

Divinationes ab Aristotele tribui humori melancholico: sed infirmo nixum argumento. VI. 43: à Plutarcho adsignari vapori terrestri: sed itidem invalidè. *Ibid.* 43, 44.

Divini honores quomodo ab Heroïcis differant. XII. 96.

Διωδῆς. XXII. 169.

Dodonæum oraculum, ipsaque Dodona, unde nomen videantur habere: & origo fabulæ de columbis, quæ ei præsediisse à veteribus dicuntur. VII. 54.

Domine miserere, vetus formula precandi in Ecclesia, nec gentilibus planè fuit ignota. II. 15.

Dorsanes, Herculis cognomen, & unde sic vocetur. XXII. 168.

Druidæ unde dicti. xxxv. 264. à Britannis ad Gallos traducti, & cur se Dite natos dicerent. *Ibid.* & 265. Druidarum opinio, animas post mortem in alio orbe degere. xxxv. 265. Eorundem religio, & sacrificia, primùm Romæ, deinde etiam in Gallia à Cæsaribus abolita. xxxv. 263.

Drusilla, soror Caligulæ Cæs. relata in Deos habitu Veneris Pantheæ. xii. 98.

Durandi opinio de spiritualis naturæ omnipræsentia rejicitur; & Tertulliani, Origenisque de eo sententia explicatur. xlii. 299, & 300.

Ecstasis quid. x. 78.

Edemum Cythnii coluere. xiii. 108.

Elissæ, quæ Carthaginem condidit, unde nomen. xxxii. 243.

Ἑλλώπια, festum Europæ, Agenoris filiæ. xiii. 109.

Empedoclis sententia de duobus principiis, uno bono, altero malo. v. 36.

Emporitarum urbs à Massilienſibus condita. xxxiii. 254. A. 254. 39.

Ἐναγίζειν, & ἐνοδεύειν, ut differant. xii. 96.

Ἐνυάλιος Martis cognomen. xvi. 125.

Ἐπαγώμενοι ἡμέραι quæ vocentur, & ut singulæ fuerint Numini dicatæ. xxviii. 208.

Epaphus diversus ab Apide Ægyptio. xxix. 214

Epicurei de providentia divina pejus sapuere Saducæis. x. 72.

Epimenidis Cretensis exemplum, Athenienſibus datum, grassante pestilentiâ. ii. 13. Ejusdem cultus apud Athenienses. xiii. 109.

Erechtheus ob immolatam filiam in Deorum numerum relatus. xiii. 104.

Erichthonius ob quadrigarum inventum inter sidera relatus. xiii. 104.

Erigone, ob pietatem erga parentem, in cæleste Virginis signum dicitur conversa. xiii. 104.

Ἐροσφόρια. xiii. 103.

Erythea, ac *Gadis*, planè diversæ, contrà quàm Solino traditum. xxxiv. 255, 256. *Erytheæ* nomen unde. *Ibid.*

Erythræo, sive Rubro mari, à quo nomen. xxxiv. 256.

Euander, Arcadum in Latium dux, unde hoc nomen acceperit. xii. 91. Inter Deos relatus. *Ibid.*

Eudoxus hanc sententiam in Græciam intulit primus, quarto quoque anno redire eandem ventorum, & reliquarum tempestatum faciem. xxviii. 208.

Euhemeri Messenii liber de hominibus in Deos relatis. xi. 82.

Eumolpus Thrax, qui in sacris instituit Athenienses. xvii. 134.

Europæ tauro transvectæ fabulæ origo. xiv. iii. Europam qui rapuit, quod nomen habuerit secundum varios. xxii. 170.

Eusebii error in annis Othonielis computandis. xxii. 170. Locus ejusdem emendatus. xviii. 143.

Eurytì cultus in Oechalia. A. 101. 33.

Exverræ unde dictæ. xi. 89.

Ευ, & *η*, sæpe commutantur, ut apud Græcos, ita & horum exemplo apud Romanos. xxvii. 197.

Fabulæ poetarum rebus gestis colorem quendam addunt. In his ergo distinguere oportet, quæ Historicâ fide, quæ item Poëtica dicantur. xiv. iii, *& seqq.* Fabula Iudaica de Naama ab Angelis, imò & Adamo adamatâ, atque exinde genitis dæmonibus. xvii. 129, 130. Fabula velleris aurei historice explicata. xxiv. 178, 179.

Fatua Dea quæ, & unde dicta. xii. 95.

Fauna, & Fatua, aliter Bona dea, quale fuerit numen. xiv. 95, 96.

Faunus nunquam rex fuit Aborigenum: sed idem est, qui Pan; & unde ei, uxorique, *Fatuis* nomen. xii. 90. Cultus ejus ab Euandro inductus. 91.

Femur pro partibus, quibus viri sumus. xix. 146.

Flora Dea à Sabinis accepta, non à Romanis primitus instituta in honorem meretricis, quæ sua legârit populo Romano. xii. 93. Floræ sacra diu ante Florales ludos Romæ celebrata. *Ibid.* Quando ludi Florales cœperint, & quomodo annui facti. *Ibid.* & 94.

Frugum inventum Ægyptiis potiùs, quàm Athenienſibus, Cretensibus, aut Siculis, adscribendum. xvii. 133.

Futura contingentia nec ab angelis citra revelationem divinam certo præsciri. vii. 51.

Gabriel Biel, sed contra aliorum Scholasticorum sententiam, existimabat, hoc ipsum, quod sit Deus, non certò, sed verisimiliter solùm, naturæ lumine posse cognosci. ii. 10.

Gades cur sic vocentur. xxii. 166. Gades colonia Phœnicum. xxxiv. 255. Gadis longa tum alia est ab Erythea, licet aliter Solinus: tum à Tartesso, contrà quàm Plinio visum. xxxiv. 255, 256. Gaditani superstitiosi. A. 258. 1.

Galeæ, & *galeri*, unde appellationes. xxvii. 201.

Galinthiadis, Prœti filiæ, sacra. xiii. 107.

Gallia olim etiam *Iberia* nominata. xxxv. 259. Hinc est, quòd Rhenus Nonno dicatur *Iberus*. *Ibid.* Gallica gens unde sic dicatur. xxxvii. 274. Admodum est religionibus dedita, quamvis contradicat Tullius. xxxv. 260, 261. A. 261. 15. Humanis hostiis Deos suos coluere. xxxv. 261, 262, 263. Gallorum dii. xxxv. 262, 263, 264.

Gallorum nomen unde sit sacerdotibus Cybeles. xx. 155. Quibus ritibus in Cybeles sacris usi sint. 155, 156. Exsecabantur ad Phrygium tibiæ cantum. 154.

Ganymedes cur ab aquila raptus dicatur, & quis Iupiter, qui rapuit, fuerit; quando item hæc res contigerit. xiv. 115.

Gatis regina nulla fuit. xxiii. 172.

Geada, sive Geda, numen veterum Britannorum. xxxvi. 269.

Genii vocabulum πολύσημον Romanis. xviii. 136.

Genitales dii, qui, & unde dicti. xii. 86.

Germani à *Gomer*, filio Iapheth, creduntur oriundi. xxxviii. 276. Germanorum etymon. xxxvii. 274. Cur sint habiti indigenæ. xxxvii. 270, 271. Dii illorum Sol, Luna, Vulcanus. xxxvii. 271. Germani & alios agnoverunt Deos, quàm Solem, Lunam, & Vulcanum; quos solos Cæsar eorum Deos putavit. xxxvii. 271, 272. Tales, Mars, Hercules. 272. & Mercurius, deorum cum Marte præcipuus. 273. Germani Marti suo humanis hostiis litarunt. xxxvii. 272. item Mercurio. 273. Germanorum geminum numen non Castorem & Pollucem, ut Tacitus putabat; sed potiùs deum bonum, & malum, sive nigrum signabat. xxxviii. 280. aut etiam par naturalium Deorum. 281.

Geta, Caracallæ frater, Divus. xii. 98.

Gigantibus cum Cananæis quod bellum gessit Iosua, adscribitur Herculi. 188. & 189. & imbre lapideo adjutus dicitur Hercules, ut Iosua pugnans cum gigantibus. 190, 191.

Gladius Angeli pro pestilentia. vii. 54.

Glaucus Messeniis cultus. A. 101. 33.

Gomer, filius Iapheth, Gomeritarum auctor, & quæ gentes Gomeritarum nomine intelligantur. xxxvii. 248. Gomer ex Thogarma, vel Ascenez, parens Germanorum. xxxviii. 276.

Gorgasus, & Nicomachus, quibus culti. A. 101. 33.

Goropius Becanus, deq; eo judiciū. xviii. 141.

Guilielmi Conquæstoris dictū. xix. 145, 146.

HAda, sive Ada, Babyloniorum dea. xxii. 170.

Hamburgum an à Iove Hammone nomen acceperit. xxxviii. 278.

Hamilcar. V. *Amilcar*.

Harpocratis sive Sigalionis simulachrum in omnibus fuit templis, in quibus Isis, & Serapis, colerentur: & quæ ejus rei causa fuerit. xi. 82.

Hector cultus Ilienſibus. xxi. 159.

Helenæ Pollucisque ex ovo prognatorum fabula historicè relata. xiv. 117. Helena Ilienſibus culta. xxi. 159. Helena, Veneris ministra, ab Epidamniis, vel Epidauriis, pro dea est habita. xxix. 285.

Hephæstion in deos relatus ab Alexandro. xxv. 182.

Hercules Marguſanus. xxv. 266. Hercules Ogmius Gallis eloquentiæ symbolum. xxv. 266. Hercules Pollens. xxii. 168, 169. Hercules Romæ etiam variis cognomentis & honoribus cultus. xii. 86, 87. Quæ Herculi à poetis tribuuntur, non unius fuere hominis gesta; sed variorum virorum fortium; quæ poetæ, more suo, permiscuerunt. xii. 87. Hercules Thebanus. xiii. 106, ejus ætas. *Ibid.* & 107. Hercules Thebanus prius Alcides dictus. xxvi. 268. Herculis, Thesei, Pirithoi, ad inferos descensus historicè explicatur. xix. 149. Hercules Tyrius cur nonnullis vocetur Ægyptius. xxiv. 256. Is geminus fuit; vetus, qui *Melicarthus* dictus, sive is Esavus, sive Tyriæ urbis conditor; & junior, à quo Geryon subactus, & Tyriorum colonia in Hiſpaniam deducta; qui à morte eodem templo, ac sacris iisdem cultus, quibus vetus ille, etiam apud Hiſpanos. *Ibid.* Antè item de Hercule Tyrio, seu Melicartho. xxii. 167. idem Sidone cultus, & unde Melicarthi vocabulum. *Ibid.* ejus ætas, quæ alium à Samsone arguit. 169. Herculis Ægyptii inclytum apud suos nomen. xxvii. 204. dictus Gignon, vel Gigon. *Ibid.* Is duplex, unus Osiridi æqualis, alter Iosua, sive Hercules Cananæus. *Ibid.* Herculis fanum apud Etruscos. xi. 288. Herculis in Danmoniis promuntorium non arguit Herculem in Britanniis fuisse. xxvi. 267, 268. Herculis in Indiam profectio, & Aorni petræ irrita aggressio, fabulosa. xxvi. 187. Herculi suo tribuunt Phœnices ea, quæ Iosua in Cananæa gessit, *Ibid.* & quâ occasione illud evenerit. 188. Herculis per Gallias, & Alpes, transitus. xxv. 265, 266. Pugna ejus cum Albione & Bergione, & unde his nomen impositum. 266. Herculis triplicis gesta ut distinxerit Diodorus. xxvii. 204. Herculis Tyrii ætas iterum indicata. xxvi. 194. Herculi Tyrio decimas prædæ mittebant Carthaginenses. xxxii. 242.

Hermes

Hermes Trismegistus, scriptor supposititius, Semi-Platonicus, idemque Semi-Christianus. x. 75.

Hermochemia, Ægyptus. A. 203. 36.

Hermotimus cultus Clazomeniis. xxi. 159.

Heroici honores quomodo à divinis differant. xii. 96.

Hesus, deus Gallorum, idem videtur esse, qui Mars. xxxv. 263.

Hesychius correctus. A. 203. 36.

Hirci figura comparere solitum diabolum in desertis. viii. 57.

Hispani ex multorum sententia Iberum Asiaticorum coloni. xxx. 248, 250. Maximè tamen verisimile, occidentalis, & Asiaticæ Iberiæ gentes nihil præter nomen habuisse commune. 251, 252. Hispani omnes, non soli Celtiberi, sunt Celtæ. xxxiv. 258. Hispanorum dii. xxxiii. 253. & xxxiv. 257, *ac seqq.*

Homerus cultus Smyrnæis. xxi. 159. Item Iensibus, idque caprâ candidâ. A. 108. 37.

Homines à morte culti memoriæ, & solatii caussâ. xi. 81, 82. Præcipuè conditores urbium, & invento, aut virtute, illustres. xii. 85. & xiii. 99.

Honores Heroici quomodo à divinis differant. xii. 96.

Hostiliis Laribus immolatum. xi. 86.

Hyacinthides quæ. xiii. 104.

Hyacinthus, heros Spartanus, cujus sacrum in festo Apollinis celebrabatur. xiii. 101.

Hyginus emendatus. A. 241. 26.

IAΩ nomen Dei secundùm Samaritanos. A. 245. 34.

Ianus est Noe, qui & *Xysuthus* vocatus à gentibus, vel potiùs Iavan, pater Iaonum sive Ionum. xviii. 137. Ianus, & Saturnus, falsò inter Reges Aborigines, eoque Deos indigites, relati. xii. 90. Ianus cur bifrons dicatur. xix. 148.

Iensis Homero quomodo sacrificarint. A. 108. 37.

Ιάω, sive Ιάεω, nomen Dei mysticum. A. 245. 34.

Iapetus poetarum omnino est Iapheth, filius Noë. xviii. 142.

Iaponii colunt dæmonem. A. 57. 20. Iaponiorum opinio de suo Bonzio Combadaxo, quem anniversariâ die colunt, & invocant. xxv. 184: quam ridiculè sapiant de Manibus suorum: opinioque eorum collata cum Stoicorum quorundam sententia. 185.

Iavan Græcorum parens, xxvi. 269.

Iberes, & Albani, præcipuè cælestia corpora venerati. xxxiii. 251.

Idoli vox laxiùs accepta pro omni eo, quod mens humana in veri numinis locum substituit. iii. 18.

Idololatriæ, qua transfertur à Deo cultus ad opificium, causa & origo. iv. 22, 23, *& seqq.* Idololatria à Phœnicibus, & Ægyptiis, translata fuit ad Græcos. xxii. 164. Idololatræ fuere plerique omnes Gentilium Philosophi, dum Deum magis ex consuetudine vulgi, quàm ex notitia sua colunt. iv. 26. Idololatræ item, qui cultum soli Deo debitum inter verum falsumque Numen partiuntur. *Ibid.* & 27. Quales hodie Peruani. *Ibid.* Idololatria propriè accepta est duplex; *plena*, qua pro vero Deo falsum numen colitur; & *ex parte*, cùm adversus Dei mandatum in simulachro colitur verus Deus. iii. 18, 19, 20, 21. Κατὰ μεταφορὰν autem vocatur *idololatria*, quando in opibus, honore, potentiâ, vel voluptate, summum bonum collocatur. 21. Idololatricus cultus distinguitur in proprium, & symbolicum; iique deinceps in varia genera dispescuntur. v. 30, *& seqq.* Idololatricus cultus vel veterem gestorum historiam, vel historiam naturæ, pro fundamento habet. xi. 81.

Idomenei cultus. A. 109. 7.

Iehoud, cujus nomen *unigenitum* Phœnicibus signat, à Saturno immolatus. xviii. 42, 43.

Iephthæ filia occasionem præbuit fabellæ de mactata ab Agamemnone filia Iphigenia, sive Iphianassa. A. 176. 22.

Imaginativæ tanta vis non est, ut vim aliquam imprimere rei valeat verbis, aut characteribus. viii. 61.

Immolandi homines mos quibus gentibus usurpatus fuerit. xxxv. 261, 262.

Impietatis genera quatuor. iii. 17.

India nunc strictè, nunc laxè, accipitur. xxvi. 187. Indiæ nomine antiquitus etiam vocata Phœnicia, Æthiopia, sive Arabia, aliæque terræ ab Oriente ultimo usque ad mare internum sitæ. xxx. 225, 226. Indicorum scriptores veteres magnam partem mendaces. xxv. 184. Indicum numen Ammon: item Liber. xxv. 183.

Indigites unde dicti. xii. 85, 86.

Ino cum Melicerta filio cælo donata, xxvii. 106.

Intercalandi ratio apud Ægyptios. xxviii. 208.

Invocatio beatorum mortuorum refellitur, xiii. 298, *& seqq.*

Io gemina, prior Inachi, altera Iasi filia. xiv. 113

Iolaï, Herculis ſocii cultus. XIII. 105. Iolai veneratio Thebis. XIII. 107.

Ἴωνες priùs Ἰάονες nuncupati. XVIII. 137.

Ionica, & Dorica, principes dialecti. XVIII. 137.

Ionis fabulæ in vaccam converſæ occaſio. XIV. 113.

Ioſephi beneficium triplex erga Ægyptios oſtenditur. XXIX. 215. Ad illud exprimendum nullum aptius ſymbolum, quàm bos. 216. Ejus viri dignitas apud Pharaonem. 217. Nomen *Saphenath-Paneah* à Pharaone ei inditum, quàm variè à veteribus reddatur. *Ibid.* Aſnath uxor non eſt filia Potipharis, qui ipſum emerat, ſed principis viri in On, hoc eſt, Heliopoli. 218. Notus gentilibus Ioſephus. A. 216. 33.

Ioſephi Iſcani figmentum de Britannis, qui nuptias Telamonis in Græcia præſentiâ ſuâ honorarint. XXXVI. 268. Poetæ hujus ætas, & patria. *Ibid.*

Ioſephus Iud. Ant. ſcriptor emendatus. XVI. 125

Ioſephus Scaliger defenſus contra Petavium. XXVIII. 208.

Ioſua, & Ægyptius, & Arabicus, & Tyrius Hercules dici poteſt; non tamen Thebanus. XXVI. 194.

Iovis nomen pluribus tributum. XIV. 110. Ioves Argivi minimùm duo; quorum prior cum Niobe rem habuerit, Phoronei ſucceſſor Apis: à quo & Io violata videri poſſit. 112, 113. Alter Iupiter Argivus, Acriſii frater Prœtus, qui Danaën violavit. 114. Ab his longo temporis interſtitio diſtat Iupiter Amphitryonis rivalis. *Ibid.* Per Iovem Ganymedis raptorem ſignatur Tantalus, Rex Phrygius, & cur in aquilam dicatur converſus: item ætas ejus. 115. Ioves Cretenſes duo. *Ibid.* poſterior rapuit Europam, cujus verum nomen Aſterius, ſive Xanthus, & quando is vixerit. 116. Iupiter Ledæ ſtuprator, & quæ ad tempora ſit reducendus. A. 117. Iovis varii concubitus ab Homero, & Naſone, expreſſi. XIV. 110, 111.

Iphigenia, ſive Iphianaſſa unde dicta, nec aliam propriè eſſe, quàm filiam Iephthe. A. 176. 22.

Iſennacum urbs an ab Iſide dicta. XXXVIII. 278.

Iſis eodem loco habita Ægyptiis, quo Ceres Græcis, uſum frumenti ac hordei docuit. XVII. 133. XXVII. 199. Hinc in Iſidis pompa tritici ac hordei vaſa circumlata. 100. Dea habita. A. 199. 9. Iſis Germanica an alia ab Ægyptia. XXXVIII. 278. & quod utraque Evam videatur adumbrâſſe, ut Mannus Germanicus, & Oſiris Ægyptius, Adamum. *Ibid.* & 279.

Italorum dii. XL. 285, *& ſeqq.*

Iuba rex à Mauris cultus. XXXII. 245. Vnde id nomen eſſe videatur. A. 245. 34.

Iubilæi ἔτυμον, quod Græcus ſcholiaſtes adduxerat, rejectum. *Ibid.*

Iudæa cur Lucano dicatur Incerti Dei. II. 14.

Iulius Cæſar in Deos relatus. XII. 97. A. 97. 11.

Iuno Cretica, Argiva, Imbraſia ſive Samia. XVII. 131. *Iuno* pro genio mulieri appoſito. XVIII. 136.

Iupiter quàm variè intelligatur. II. 13.

Iuſtini hiſtorici locus correctus. XXIII. 171.

Iuſtinus Martyr excuſatus, quòd Anaxagoram vocârit ἄθεον. I. 5.

Ixion, Theſſalus rex, gentem ſuam docuit pugnare ex equis, & quando is vixerit. XIV. 119, 120.

Κιμωρίδαι qui. XXI. 162.

Κυρίη, χαλέη, ἰκπάγλη, unde dicta. XXVII. 201.

Κύριε ἐλέησον, nõ Chriſtianis modò, ſed quibuſbuſdã etiam gentiliũ, forma precandi fuit. II. 15.

Lacedæmonii colonia Heraclidarum. XII. 89.

Lactantii de Flora opinio refellitur. XII. 92, 93, 94.

Lampadum traditio in Promethei feſto. XVIII. 141. Quid ea ſignârit. A. 142. 9.

Laodicenæ Synodi canon contra angelorum cultum. IX. 64, 65.

Lapithæ Pelethronii primi Græcorum arte equeſtri excelluerunt: primi ex iis pugnare docuerunt. XV. 119, 120.

Lara, vel Larunda, vel Mania quæ. XI. 83.

Lares qui, & unde dicti. XI. 82. Privatim culti vino, ture, corollâ, ſeu laneâ vittâ, pauxillo cibi de menſa; quod igni abſumebatur: nam homini guſtare nefas. XI. 85. Publicè autem in compitis mactabatur iis porcus. *Ibid.* Cur Laribus Hoſtiliis immolatum. *Ibid.*

Λατρείας, & δουλείας, diſcrimen Scripturis & SS. patribus (ſi unum Auguſtinum excipias) ignotum. Poſſe tamen cultum Dei λατρείαν, humanum vocari δουλείαν, dummodo illa hominum non ſtatuatur ſpecies cultus religioſi, ſive divini. XLII. 303.

Lemurum appellatio unde ducta. XI. 82.

Leonis ſimulachrum unde in ſacris Cybelles. A. 157. 22.

Leonidas cultus Spartanis. XIII. 101.

Leuco Platæenſibus cultus. XIII. 107.

Leucothea. XIII. 106. Leucothea eadem, quæ Ino. XXIV. 177.

Libe-

Liberalia ſacrum Bacchi. XII. 86.
Lipſii ſententia de Paulli Diaconi loco rejecta. XXXVII. 274.
Livia Auguſta inter Deos à nepote Claudio relata: quem ei honorem conferre noluerat filius Tiberius. XII. 97. Livia Auguſti conjux, à marito adoptata, dicta eſt Iulia. XII. 98.
Livius interpunctione emendatus. A. 253. 39.
Ludorum gladiatoriorum origo à prava ſuperſtitione. XXXV. 262.
Ludovici Vivis lapſus. XXXI. 237.
Lycurgus Spartanis cultus. XIII. 101.
Lyſander cultus Samiis. XIII. 108.
Lyſis commentitius; unde tamen Luſitaniæ nomen petunt. XXXIII. 252, 253.

MAchiavelli judicium de prodigiorum cauſſa efficiente. VI. 46.
Madai, filius Iapheth, Medorum auctor. XXXIII. 248.
Maerte Belgicum unde. XVII. 134.
Mæſa in Deos relata. A. 98. 28.
Magia non omnis naturalis, aut artificioſa; ſed quædam à ſuperiori natura. VI. 44, 45. Magia Salmanticæ publicè docta. VIII. 63.
Magicum eſſe, & diaboli opera fieri, cum quis, licet ignarus, verbis & characteribus efficit, quod non poteſt præſtari actu humano. VIII. 59, 60.
Magog, filius Iapheth, Scytharum, & forte etiam Tartarorum auctor. XXXIII. 248.
Mala ſymbolum τῶ διδύμων. XX. 152. Mali Punici fabuloſa origo. *Ibid.*
Malica, Amathuſiis Hercules. XXII. 167.
Maneros deus Ægyptius. XXXVIII. 278.
Manes, ſive Manichæus, angelos à malo eſſe principio arbitrabatur. VI. 49. Vide *Manetis.*
Manes qui, & unde dicti. XI. 83. iidem qui Arcadum χθονίοι. *Ibid.*
Manetho Ægyptius quando vixerit, unde ſua deſumpſerit, & quouſque hiſtoriam perduxerit. XXVIII. 210.
Manetis, Manichæorum patriarchæ, ſententia de duplici ſpiritu, uno boni, altero mali auctore. V. 37. Vide *Manes.*
Mannus Germanorum Deus. XXXVIII. 277. Ejus etymon. *Ibid.*
Marcelléa Syracuſis, quæ poſtea *Verrea.* XIII. 99.
Marica Minturnenſium numen. XI. 290.
Maronea Thraciæ perperam à Diodoro opus creditur Maronis, ſocii Oſiridis. XXVII. 205.
Maronis error ex Homerico Ἐν Λείμωνι cudentis inſulam Inarimen; cujus errorem ſecuti ſunt non Poëtæ ſolùm; ſed etiam Livius, Plinius-que. XXVI. 193, 194.
Mars antiquiſſimus Nimrodus, ſeu Belus, conditor Babylonici imperii. XVI. 124, 125. Item Ninus, & Thurras; qui & ipſe rex Aſſyriæ. 126. Martis Græcanici ætas, & quis Mars ille, quo gentis ſuæ auctore Romani gloriantur. 127. Martis cultus apud Accitanos. XXXIII. 251.
Maſculorum amores etiam ſapientiſſimis cœcorum gentilium probati. IV. 25.
Maſſilienſes, & horum exemplo Emporitæ, cur coluerint Apollinem Delphinium, & Dianam Epheſiam. XXXIII. 254.
Mater pro *nutrice.* XIX. 147.
Matuta eadem ac *Ino*, & *Leucothea.* XIII. 106.
Mauri coluere reges ſuos: in his Iubam. XXXII. 245.
Medea Colchis culta. XXIV. 179. Eadem *Angiciæ*, vel *Anguiciæ* nomine ab anguibus impoſito, fuit Marſis in veneratione. XL. 289.
Medico an liceat, perſuadere uſum certorum verborum, vel characterum; cùm ipſe non ignoret, ſiqui ſic ſanentur, non id virtute fieri iſtorum; ſed vi phantaſiæ, qua certam ſibi inde ſanitatem promittunt. VIII. 60.
Megaſthenes, rerum Indicarum ſcriptor, in multis eſt fabuloſus. XXV. 183, 184. Idem refellitur de Hiſpanis à Nabuchodonoſoro devictis. XXXIII. 251.
Melæ, ac Plinii lapſus, tribuentibus id Augilis, quod Naſamonibus ſignandum. XI. 80. Melæ mutilus locus de Philænorum aris ſuppletus Salluſtii aut Valerii verbis. XXXII. 244, 245.
Melicerta Inous, Deus Palæmon, & Portunus, idem numen: & unde ei nomen *Melicertæ.* XIII. 106.
Memnon cultus Aſſyriis. A. 176. 22.
Menas, *vide* Menis.
Menelaus cultus Laconibus. XIII. 101.
Menes, *vide* Menis.
Meneſthei fanum in Hiſpania. XXXIII. 253.
Menis, ſive Menas, vel Men, antiquiſſimus Ægypti Rex. XXVIII. 196, 197. Ejus ſymbolum videri fuiſſe Μνεῦν bovem. *Ibidem.* Menes duo apud Ægyptios, unus Thinites, alter Thebanus. XXVIII. 211.
Mercurium an recte reddiderint Romani, qui Germanis Wodan fuit. XXXVII. 273, 274.
Mercurius Ægyptius tradidit Ægyptiis leges, & literas. XVI. 128. Ejus ætas ex ætate Oſiridis oſtenſa. *Ibid.* Græcorum Mercurio, Atlantis nepoti,

poti, cujusmodi inventa tribuantur, ac ætas ejus monstrata ætate Herculis Thebani & Penelopes. *Ibid.* Mercurius quanto in precio fuerit apud Ægyptios, & ut Ægyptus ab eo Ἑρμογμία dicta. XXVII. 203. An Romani eum, qui Germanis *Wodan*, rectè reddiderint *Mercurium*. XXXVII. 273, 274.

Mesech sive Mosoch filius Iapheth, Meschinorum, hoc est Cappadocum, & fortè etiam Moschorum auctor. XXXIII. 248.

Messeniis qui homines à morte culti. A. 101. 33.

Metabi templum in Metaponto. XL. 286.

Μετεμψυχώσεως figmentum videtur ortum ex certissima traditione de resurrectione futura. X. 70. idque à variis gentibus receptum. 71. idem placitum Pharisæis. *Ibid.*

Mexicani colunt dæmonem. A. 57. 20.

Miltiadis festum apud Chersonitas. XIII. 107.

Minervæ fanum in Hispanis. XXXIII. 253. Minerva videtur eadem, ac Naama Tubalcaini soror, quam alii Venerem putant esse. XVII. 129. Minervæ Atticæ ætas, ac solum natale. 130.

Minos geminus. XIV. 116, 117.

Minotauri nomen unde. XIII. 105. Ejus fabula historice relata. XIV. 117.

Μνεῦις bos Soli sacer Heliopoli; Apis Lunæ sacer Memphi. XXIX. 219. Mneuis sine Menis cultus vetustior; sed Apis bos honoratior Heliopolitano. *Ibid.* Μνεῦις bos symbolum non Solis modo; sed & Menæ, primi Ægyptiorum regis. XXI. 197.

Μυζιεὶν quid, & unde. VIII. 58.

Molonis cultus. A. 109. 7.

Mopsium, Thessaliæ urbs, nomen habet à Mopso Ampycide. XXI. 161.

Mopsopia dicta Attica, non à Mopso; sed Mopsopo, vel Mopsope. XXI. 161.

Mopsus geminus; unus Thebanus, Tiresiæ filius, Calchantis victor: alter Ampyci filius, Thessalus Argonauta. XXI. 161. Mopsus Cilicibus cultus. *Ibid.* Ejus ætas. *Ibid.* Cum Calchante certans. *Ibid.* Idem Afris Deus, filius Ampyci. XXXII. 141. A. 241. 26.

Mosis historia cum fabulis gentilium de Oside, & Libero suo, collatio. XXX. 226, *& seqq.* Vnde Moses vocatus. XXX. 228. Idem, ut ajunt, dictus *Monius*, *Mises*, *Moso*, *Palæstinus*, *Ioakim*, & *Melchi*. *Ibid.* Item A. 228. 25. Convenit cum Baccho, quod uterque bimater, & forma præcellens. 229. A. 229. 23. & quia Moses ex Arabia in Ægyptum concesserit, educturus inde populum Israeliticum, Liber est creditus in Arabia natus: & Sina mons, celebris lege illic datâ, trajectis literis *Nisa*; ubi Bacchus in pueritia educatus putatur. *Ibid.* utrique exilium tribuitur. 230. de utroque proditum, subiisse eos mare rubrum, & pugnâsse cum rege Arabum. *Ibid.* utrumque mulieres in exercitu habuisse. 231. Pro Deo cultus Arabibus Moses. A. 187. 37.

Muhammedis urna in aere pendens, merum est commentum. XXXI. 237.

Mundi opificem deum agnoscunt Thales, Plato, Tullius. I. 6. Mundus hic nec fortuito casu extitit, neque necessitate aliqua exortus, nec semper & necessario fuit. I. 7, 8. Mundus mysticè per ovum intelligitur. V. 34.

Musæ, si Myrsilo Lesbio credimus, Mysæ fuerunt: Æolicè autem Μῶσαι: sed verisimilius videri, Doricum Μῶσαι esse ab Hebræo *Mosar*, artem vel disciplinam significante. XIII. 108. Musæ novem Ægyptiis. XXVII. 205.

NAama cur à Mose memoretur, præter morem Scripturæ; quæ non solet in genealogiis referre feminas. XVII. 129, 130.

Nasamones coluere Deos patrios. XXXII. 240. Nasamones solos coluere manes. XI. 80. eorum interitus, & hujus caussa. *Ibid.* & 81.

Natoliæ unde nomen. XX. 150.

Nemausus Heraclides Nemausensium Deus tutelaris. XXXV. 266.

Neoptolemus cultus Delphensibus. XIII. 106.

Neptunalia à Consualibus esse diversa. XV. 119.

Neptuni multi, quorum antiquissimus Iapetus Noæ filius: & cur ei non maris solùm; sed etiam artis equestris imperium sit tributum. XV. 118. Neptunus Thessalus. 119. Pater Beli. 120. Pater Nauplii. *Ibid.* Pater Pelei, & Nelei. *Ibid.* Neptuni filii dicti cùm alii, tum moribus asperi, & inhumani. *Ibid.* & 120. Item qui mari periissent. 120. Neptunus ille, qui cum Pallade certâsse dicitur in Athenarum primordiis, quis: & unde fabulæ origo. 121, 122. quis item alter ille fuerit, qui exstruxisse creditur muros Trojanos, & fabulæ explicatio historica. 122, 123.

Neton, Martis simulachrum Accitanis in Hispania. XXXIII. 251.

Nicomachus Pheræis cultus. A. 101. 33.

Nili pro incremento fertilitas se habet Ægypti. XXIX. 216.

Nimrodus Babylonis conditor; qui aliquibus Orion, pluribus verò, ac vetustioribus, Belus vocatur. XXIV. 179, 180. quomodo conciliari inter se possint scriptores, quorum alii Nimrodum, alii Babylona, alii Semiramidem, censent Babylona urbem condidisse. 181.

Ninus

Ninus Beli, seu Nimrodi filius. XVI. 125. Ninus forte idem, qui *Babylon* aliis dicitur. Ejus etymon. XXIV. 181.

Niobe gemina, una Phrygia, altera Argiva. XIV. 112. Niobes cultus. XXI. 160.

Noachus à Latinis novè; nec satis ἀναλόγως dici. XIX. 144, 145. Noachus in Prometheo adumbratus. XVIII. 141, 142.

No-Amon utrùm Prophetæ Nahum, ac No Ezechieli, Diospolin, an Alexandriam, significet. XXXII. 239, 240.

Nonnus, & *Nonna*, unde dicantur. XXIV. 181.

Novemdiale sacrificium. XI. 83.

Nyssa ex *Sina*. XXX. 229. A. 229. 33.

OBlivio Dei duplex. III. 19.

Obodes rex, & Deus Nabathæus. XXVI. 194.

Odrysus, conditor gentis Thraciæ. A. 284. 39.

Og, Rex Basan, idem qui Typho, sive Typhœus Græcis. XXVI. 189. de hoc portentosa narrant Rabbini. 190.

Olysippo, Hispaniæ urbs, ab Vlysse condita. XXXIII. 253.

Omnipræsentia spiritualis naturæ, quam statuit Durandus, rejicitur, & Tertulliani, ac Origenis de ea sententia explicatur. XLII. 299.

Omomi herba. V. 33.

Onati Pythagorici locus apud Stobæum restitutus. II. 10.

Onesilaus ab Amathusiis cultus. XXI. 162.

Ωον quid Laconibus. XIV. 117.

Oraculorum causæ quædam naturales, quædam artificiosæ, quædam superioris naturæ. VI. 43, 44.

Orion idem ac Belus, sive Nimrodus. XVI. 124. & XXIV. 179, 180.

Ormisdas. A. 33. 20.

Oromasdes boni principium Zoroastri, Arimanius mali. V. 33. A. 33. 20. Idem Ormisdas. *Ibid.*

Oropus Atticæ, an Bœotiæ sit, dubitatum. A. 106. 10.

Orpheus Thrax suos docuit sacra Ægyptiaca. XIX. 147. Orpheus geminus; Argonauta unus, alter Poeta, qui proprio nomine Onomacritus: utriusque ætas, & de cultu Argonautæ locus Cononis. XXXIX. 284.

Osculum non tantùm amoris, sed & subjectionis signum. XXIX. 217.

Osiridis nomen unde deductum. XXVII. 198. Cur phallus in sacris ejus monstraretur. *Ibid.* Osiris unde dicatur. XXVII. 198. Osiris, Isis, Typho, quid Ægyptiis designent. V. 34, *& seqq.* Quantóque aliter, quàm vulgò Ægyptii, nomina hæc, seu numina intellexerit Plutarchus. *Ibid.* & 35, 36. Osiris, sive Mitsraim, filius Chami, Diodoro idem, qui Græcis Διόνυσος vocatur. XXVII. 198, 199. Ejus opus, ex quorundam sententia, Thebæ Ægyptiæ; ex omnium vero opinione Iovis Ammonis templum. 199. Agriculturæ inventor. *Ibid.* Cur cornutus fingatur. 201, 202. periit à Typhone fratre interemtus. 202. sepultus in insula Nili apud Philas. *Ibid.* Sacra ejus, & inventa ab eo hedera; quæ inde vocabatur herba Osiridis. XXVII. 203. Osiris tertius idem qui Arabicus Liber. XXX. 224. In hoc Moses expressus. 225, 226, *& seqq.*

Ostenta, & prodigia, probant dæmones esse. VI. 46.

Ovum antiquis mundi symbolum. V. 33, 34. Ovum quomodo sponte moveatur [in mensa. VI. 44.

PAlæmon Deus. XIII. 106.

Palatium in Palantii Arcadici memoriam conditum. XII. 91.

Pallas architecturæ præfecta. XVII. 131.

Pandari apud Pinarenses cultus. XXI. 160.

Pan Deus Naturæ. XII. 91. Quos Pan habuerit parentes. XVI. 128. Panos Ægyptii ætas. XXVII. 205. Vide *Panes.*

Pandari apud Pinarenses cultns. XXI. 160.

Pandroso, Cecropis filiæ, sacra fecere Athenienses. XIII. 103.

Panes ac Fauni, ac Satyri, sylvestria numina, cur hirsuti, & hircinis pedibus effingerentur. VIII. 57.

Panopolis aliter Χέμμις. XXVII. 205.

Panops Atticæ heros. A. 105. 39.

Paridis cultus, & quod mirum, Therapnis Laconicis. XIII. 101.

Pateræ, Apollinis Beleni sacerdotes. XXXV. 264.

Patrocli cultus. A. 159. 24.

Paulli Diaconi vulgaris lectio contra Lipsium defensa. XXXVII. 274.

Paulus Apostolus à Marcellina Gnostica incensis cultus. XLI. 297.

Peleo, & Chironi, homo sacrificatus à Pelæis. XIII. 107.

Penates publici Dioscuri, sive Castor, & Pollux. XII. 87.

Πεντάπλοος Atheniensium unde fieret. V. 29.

Perdicis fanum, qui ex Dædali sorore natus. XIII. 105.

Persæ

Persæ invocabant Naturam, ejusve partem; ut Solem: at non defunctos. XI. 79.
Perseus Argivis prò numine cultus. XIII. 102.
Peruanis sub quo nomine Deus colatur. IV. 27.
Peruanorum opinio de tribus summis deis. XXVII. 271.
Petri Aponensis opinio, imaginatione imprimi vim corpori longè diffito. VI. 45.
Φάντασμα. VI. 41.
Pharao, dignitatis nomen, omnibus olim Ægypti regibus commune. XXXI. 235, 236.
Pharisæi μετεμψύχωσιν Pythagoricam amplectebantur. X. 71.
Pheræi quos à morte coluerint. A. 101. 33.
Philadelphi decretum de fano Arsinoë exstruendo, in quo simulachrum ejus nullo subnixum in aëre penderet. XXXI. 237. Ausonii in eo lapsus, ac fortè etiam beati Augustini. *Ibid.*
Philænis fratribus aras statuerunt Carthaginenses. XXII. 244.
Philippus Amyntæ F. invocatus Macedonibus. A. 107. 28.
Philippi Butacidæ cultus Syracusis. XIII. 99.
Philo quidam, Oniæ temporibus, librum Sapientiæ, Salomoni tributum condidit. XI. 81.
Philo, auctor libri de antiquitatibus Iudaicis, suppositititius. XXX. 229.
Φιλομήδης Veneris cognomen. XVII. 135.
Phœnices cur Erythræi dicti. XXXIV. 256. Soboles sunt Phœnicis, hoc est, Edom, sive Esaui. *Ibid.*
Phryxi templum sitne extructum in honorem ipsius Phryxi, an Leucothoës sive Inus, an potiùs honori Helles. XXIV. 177, 178. Thesauri ejus ter ablati. 179.
Picentibus cultus Diomedes. A. 286. 4.
Picumnus, *vid.* Pilumnus.
Picus perperam inter Aborigenum reges relatus. XII. 90.
Pilumnus, ac Picumnus, quos à Rutulis accepere Romani, quibus rebus præfuerint, & unde nomen acceperint. XL. 290, 291.
Pisces Syris pro Diis, ac propterea iis abstinuere in cibo. XXIII. 174.
Plato cujusmodi discrimen statuerit inter cultum Dei, & naturæ; item deos, & heroas. XLI. 295. Licet non agnosceret deos populares, metu tamen populi ipse etiam iis sacrificabat. *Ibid.* Plato cum Aristotele, mundi æternitatem statuente, perperam à sectatoribus suis conciliatur. I. 6. Platonicorum error circa cultum Angelorum. VIII. 58, 59. Platoni Deus incorporeus. II. 12. Tertulliano occursum, qui aliam Platoni opinionem tribuit. *Ibid.* Platonis opinio de animæ immortalitate. X. 73. Platonis sententia de duobus principiis, uno bono, altero malo. V. 36. Platonicorum error circa cultum Angelorum. VIII. 58, 59. Plato an masculæ Veneris amans. IV. 25, 26.
Plestonis Deus Thracum, cui sacrificatus Oebazus. XXXIX. 285.
Plutarchi locus correctus. II. 15. & XXI. 160. Ejusdem opinio discussa de duabus Accis Larentiis. XII. 92.
Pluto cur Agesilaus dictus. XVIII. 141. unus è filiis Noe, puta Iapetus, aut potiùs Chamus. *Ibid.* & XIX. 148. Non tam à parente, quàm à posteris, in deos relatus. *Ibid.* cur mortuis præfectus. *Ibid.* Plutonis Græcanici ætas. 149. Pluto cur Phœnicibus dicatur Mouth sive Mors. XIX. 148, 149. Pluto ille, qui Proserpinam rapuit, Aidoneus sive Orcus fuit, Molossorum rex. XIX. 149.
Politiani, & aliorum error de Nymphodori Tisinomis. XI. 80.
Polycaon Messeniis cultus. A. 101. 33.
Pomponatius refellitur de caussa rerum magicarum. VI. 45.
Porcus Larium hostia erat feriis Compitaliciis. XI. 85.
Portugalliæ nomen non à Gallis, sed à populo Callaico, vel Cale opido, juxta Durium flumen. XXXIV. 258. Quando id nomen primùm in usu esse cœperit. 259. A. 259. 6.
Portunus. XIII. 106.
Prædictiones de Christo multis antè seculis factæ, certum esse veritatis Euangelicæ argumentum, cùm futura contingentia præscire solius sit Dei. VII. 52.
Præstigiarum diabolicarum exemplum editum coram Galliarum rege Carolo Nono. VIII. 62, 63.
Primorum parentum memoria in Asia apud Gentiles diu conservata. XXXVIII. 279.
Principium, ex antiquissimorum gentilium sententia, esse unum bonum, alterum malũ. V. 31. Zoroastris, & Persarum de hoc mens, 33. ac Ægyptiorum. 34, *& seqq.* & hinc derivata veterum aliquot Philosophorum, etiam Platonis, 36. Refellitur hæc opinio, præcipueque contra Plutarchum, & Manichæos, ostenditur, nihil esse in rerum natura, quod non prosit. *Ibid.* 38, 39.
Prometheus Noachum adumbrat, & diluvium sub eo factum, diluvium sub Noacho. XVIII. 141, 142. Prometheus, & Epimetheus, unde dicti. 142. Promethei plures videntur fuisse: quorum

rum celebratissimus apud Græcos, Atlantis pater, & quando is vixerit. XVIII. 142. Promethei in festo cur lampas traderetur. A. 142. 9.

Proserpinæ raptus juxta historiæ fidem narratur. XIX. 149.

Protesilaus cultus Abydenis. XXI. 159.

Ptolemæus magnus, sive Soter, fœda sacerdotis Ammonii adulatione pronunciatus Deus. XXXI. 236, 237.

Pythagoræ opinio de duobus principiis. V. 36. Eidem agnitos esse spiritus, & qui philosophorum in hoc eum fuerint secuti. VI. 41. Pythagoras Metapontinis cultus. XI. 286.

Pyxodori apud Ephesios cultus. XXI. 160.

QVadriennio quoque creditum redire eandem temporum faciem. XXVIII. 208.

Quirinus, hoc est, Romulus, cur à Curibus id nomen acceperit. XII. 87, 88.

RAcemi ab exploratoribus terræ Canaan portati incredibilis magnitudo descripta à Philone Alexandrino. XXX. 233. & cur vecti fuerit deportatus. *Ibid.*

Reges quomodo à morte divinos nacti honores. A. 85. 27.

Religio quid. III. 16. Ejus extrema, in defectu, impietas; in excessu, superstitio. *Ibid.*

Religiosi actus dividuntur. IV. 27.

Revelatio intellectualis duplex. X. 78.

Rharias Cereris cognomentum. XIII. 104.

Rhenus cur à Nonno Iberus dicatur. XXXV. 259, 260.

Romani sacra sua acceperunt ab Albanis, Sabinis, Thuscis. XVIII. 138.

Rubro, sive Erythræo mari unde nomen. XXXIV. 256.

Rugianorum spissa idololatria, martyrem pro Deo colentium. IV. 293, 294.

SAbini Lacedæmoniorum coloni. XII. 89.

Sabus Sabinæ gentis author. XII. 89.

Sacra Romanorum ab Albanis, Sabinis, Thuscis. XVIII. 138.

Sacrificii honorem nulli præter deum convenire ostenditur. XII. 296, 297. quo sensu sacrificiis dicantur expiari peccata, & analogia inter victimas V. T. & sacrificium D. nostri Iesu Christi. 297.

Saducæi negabant spiritus: & quid verisimile sit, eos respondisse, quando iis objicerentur è pentateucho tot loca, in quibus est de apparitionibus angelorum. VI. 40. Saducæorum error de mortalitate animarum ex Mose refellitur. X. 71. origo ejus sectæ. 72.

Samaritani aliter extulere nomen Dei πεντα-γράμματον, quàm Iudæi. A. 245. 34.

Samsonis gesta Herculi tributa. A. 169. 19.

Sanchoniathonis ætas, dignitas, scripta. XXII. 164.

Sandes Herculis cognomen, & unde sic appelletur. XXII. 168.

Saphenath Paneah, quo nomine Iosephum Pharao vocari jussit, variè à veteribus redditur. XXIX. 217.

Sapientiæ libri, qui vulgò Salomonis inscribitur, quis auctor. XI. 81.

Sarapis, sive Serapis, deus Ægyptius, idem ac Apis, sive Iosephus patriarcha. XXIX. 220. Ejus effigiei cur modius impositus. *Ibid.* & etymon illius tergeminum adfertur. 221. Deum Ægyptiorum patrium fuisse, contrà Tacitum, eique ὁμόψυχον Scaligerum, probatur. *Ibid.* & 222. De Serapidis effigie, jussu Sesostris Regis facta, Athenodori Tarsensis sententia, & unde nigricans Serapidis color. *Ibid.*

Sardorum Dii Hercules Thebanus, sive Alcides, & cum eo Iolaus; item Hercules Libycus seu Maceris cum Sardo, unde *Sardi* dicti. XI. 287.

Sari, alterius Adanorum conditoris, appellatio unde. XXVIII. 280.

Sarmatarum dii. XXXIX. 282, *& seqq.*

Sarpedon cultus Trojanis. XXI. 159.

Saturnalium festo, quæ fuere mense Decembri, etiam servis par, ac dominis, libertas. XVIII. 140.

Saturnus idem ac Adamus. XVIII. 138. Repertor agriculturæ. 139. Forte & idem est Noë. XIX. 148. Quò pertinet, quòd Saturnus Phœnicibus bifrons creditus. *Ibid.* Videtur & Abraham, filium paratus sacrificare, cultus esse in Saturno. XVIII. 142, 143. Phœnicibus dictus Ilus, non Israel: etsi sic apud Porphyrium legatur. 142, 143. Saturnus, & Iupiter Ægyptius, sive Ammon quis. XXVII. 197. Saturnus falsò traditur fuisse rex Italiæ: nec Saturnus ille animale, sed naturale numen fuit. XII. 90.

Satyri à Silenis solâ ætate differunt. VIII. 58. & XXI. 259. Vnde dicti. VIII. 58.

Saxonibus antiquis culti dæmones. A. 57. 20.

Σαυὴ, Caini soror, & conjux. XVII. 129.

Scaligeri opera in digerendis Manethonis Sebennitæ annis defenditur. XXVIII. 212. Scaliger refellitur super eo, quòd putârit, Sarapidem Ægyptiis fuisse numen ab exteris acceptum. XXIX. 221, 222. Scaliger deceptus, cùm à Solino solo

arbitra-

arbitratur odoratum laſerpitii radici tribui odorem. xxxii. 241.

Scripturæ Sacræ varia illuſtrata loca, hæc præcipue: Exodi xxxii. 4. illuſtratur cap. iii. 19.

Levit. xvii. 7. vide cap. viii. 57.

Deut. xxxii. 17. cap. viii. 57. Deut. xxxii. 18. cap. iii. 19.

Iudic. xvii. 5. cap. iii. 20.

1 Paralip. xvi. 26. cap. iii. 18.

Pſal. ii. 12. cap. xix. 217. Pſal. lvii, ſive juxta Hebræos lviii. 5. cap. viii. 62. Pſal. xc, ſive xci. 6. cap. viii. 58. Pſal. cv, ſive cvi. 20. cap. iii. 19.

Ieſ. xiii. 21. cap. viii. 58.

Ierem. ii. 32. cap. iii. 19. Ier. xxv. 38. cap. xxiii. 174. Idem xlvi. 16. *Ibid.* Item ii. 27. cap. xxviii. 276, 277.

Act. Apoſt. xviii. 28, 29. cap. ii. 13.

Rom. i. 25. cap. iv. 24. Rom. i. 19. cap. ii. 13.

1 Cor. i. 21. cap. iv. 25. 1 Cor. ii. 10. cap. vii. 55. 1 Cor. viii. 4. cap. iii. 18. 1 Cor. x. 21. cap. iv. 27.

ii Cor. xii. 2, 3, 4. cap. x. 76.

Col. ii. 8, 18. cap. ix. 64. Col. iii. 2. cap. iii. 17.

Tit. i. 1, 2. cap. iii. 16.

Scytharum, atque Indorum vocabula, quàm late olim accepta. xxiii. 246. Scythis, forte & Iberibus, Mars cultus. xxxiii. 251. Scythæ cur per acinacen jurarint. *Ibid.*

Scythiſmus, & Barbariſmus, jam olim perperam pro impietatis ſpeciebus habiti. iii. 17.

Selecti dii octo. xviii. 136.

Seleuci Nicatoris fanum, & feſtum Nicatoria. xxiii. 176.

Semiramis, filia Atergatis, educata à Simma, ſive Sema. xxiii. 173. In columbam verſa fingitur, & quæ cauſſa figmenti. Hinc columbæ figura culta. 175. & Syri columbis abſtinent. *Ibid.* Semiramidis etymon. *Ibid.* & 174. Tres Semiramides; Nini una, Belochi altera, tertia quæ Medici imperii tempore fuit. 175.

Semo, Sancus, ſive Sangus, ſive Sanctus, idem qui Fidius, ſive Hercules. xii. 88, 89.

Senacheribi in exercitu cùm clxxxv millia dicuntur occiſa gladio Angeli, id de peſtilentia accipiendum videri. vii. 54.

Serapeum Alexandrinum, & Romanum. xxix. 223.

Serapidi ſimulachrum Solis artificio adſurgens magnetico. xxxi. 237.

Seſak, ſive Suſakim, qui templum ſpoliavit Hieroſolymitanum, Seſoſtris ſit, an Suſannis, vel potius Seſonchis. xxix. 223.

Seſoſtris, Ægyptiorum regis, antiquitas. xxix. 222, 223. Is in Palæſtina ſtatuam poſuit cùm pudendo muliebri ad molliciem genti exprobrandam. 223. An idem ac is, qui in Scripturis *Seſac* dicitur. *Ibid.*

Severus Imp. Leptitanis cultus. A. 242. 4.

Sextus Clodius, & Butas in Cauſſalibus, refelluntur de Fauna, ſive Bona Dea virgis cæſa: cùm ea, quæ virgis eſt cæſa, fuerit ſacerdotis ſeu vatis Flavii conjux. xii. 95, 96.

Sileni qui dicantur. viii. 58. Sileni, & Satyri, ſolâ ætate differebant. xxi. 159. Sileni vox quàm variè ſcribatur. xx. 158. Silenus Phryx in deos relatus. xxi. 158. Sapientia ejus excellens, unde Midas rex aures ei commodâſſe dicitur. *Ibid.* Cujuſmodi dolo à Mida ſit captus. *Ibid.* Silenus unus è regulis Cariæ, qui Niſæ imperavit. *Ibid.* Eundem videri, ac Marſyam, cui pellis detracta. *Ibid.* Nec malè eundem Satyrum dici. *Ibid.* & *ſeqq.*

Silphium herba odorata: ſuper quo Scaligeri opinio rejecta, qui putârit, Solini eſſe commentum de bono ſilphii odore. xxxii. 241.

Simmæ nomen idem videtur eſſe, ac *Semi.* xxiii. 173.

Socrates, & Anaxagoras, cur impietatis damnati. i. 4, 5.

Sol quater curſum mutâſſe dictus, dum Ægyptus ſub Regibus fuit: & quæ mens ejus dicti fuiſſe videatur. xxviii. 208.

Solis ſimulachrum Serapidi artificio adſurgens magnetico. xxxi. 237.

Solymenſium trium-virorum cultus; eoſque videri non Σκληφὺς, ſed Σκιφὺς, nuncupatos, & quæ nominis hujus ratio. xxi. 160.

Spania pro *Hiſpania.* xxxiii. 252.

Spectri vox quid ſignificet. vi. 41. Spectra quædam vera, quædam falſa. vi. 41, 42.

Spiritibus ſui generis corpus non modò philoſophi; ſed & multi ſanctorum patrum attribuunt. vi. 47, 48. Hoc inde eſſe, quia ſpiritus vocabulum non eodem ab omnibus modò ſumitur: dum alii intelligunt corpus prorſus expers materiæ: alii non omnis, ſed in ſenſus incurrentis. vi. 46. Spiritus miniſtros tum bonos, tum malos, negarunt Sadducæi: item Democritus, ex parte etiam Ariſtoteles: agnoverunt Pythagorici, & Platonici. *Ibid.* 41, 42. Eſſe ejuſmodi ſpiritus, probatur, partim traditione, partim quadruplici experientia. 42, & *ſeqq.*

Stephanus Byzantius fortè emendatus. xxvii. 203.

Stephanus epiſcopus à Ruthenis idololatris eſt in Deorum numerum relatus. A. 294. 37.

Stoi-

Stoicorũ ſententia de animæ longævitate poſt mortem. x. 74,75. Stoicorum quorundam ſtulta opinio de animarum interitu, ſiquis vel ſubmergatur, vel obruatur ruinâ. Interim credidiſſe, nihil iis ab imbri eſſe periculi. xxv. 185.

Superſtitio quid, & unde dicta, ac quotuplex ſit. III. 18.

Sybaritarum deus ſemicaper puer. XL. 286.

Συγκαθέδρασις quid Chryſoſtomo. VII. 52.

Syri cur piſcium, & columbarum eſu abſtineant. XXIII. 172, 173, 174. Syri olim etiam dicti ultra ſinum Iſſicum: unde alborum, nigrorumque Syrorum diſtinctio. XXII. 163. Syrorum, Medorum, & Perſarum res Græcis quaſi ignotæ ante bellum Perſicum. *Ibid.*

Syria dea non eſt eadem, quæ Atergatis. XXIII. 176.

T, & S, permutantur. XXXVII. 275.

Taautus, & Sanchoniathon, ſcriptores priſci, commendati à Philone Byblienſi, quòd nudè rem narrarent, quam poſteriores detorſere in ſenſum allegoricum. XXVII. 205, 206. Taautus literarum repertor. XXII. 165. idem qui Mercurius. *Ibid.*

Taciti de Serapide opinio, tanquam deus eſſet Ægyptiorum inquilinus, rejecta. XXIX. 221, 222.

Tages iſte quis fuerit, qui extiſpicii artem docuiſſe Etruſcos dicitur, & cur ſacra ejus dicta Acherontia. XL. 288.

Tantalus rapuit Ganymedem. A. 115. 34.

Tapuiarum gens ubi; & mos gentis, hominibus veſci, ſed nonniſi amicis defunctis; deque dæmonum apud eos cultu fusè actum. A. 57. 20.

Taranis, ſive Tharanis, deus Gallorum, idem videtur iis eſſe, qui Iupiter. XXXV. 263.

Tarteſſus alia à Gadibus: etſi aliter Plinio viſum. XXXIV. 255, 256.

Temeſius Clazomenius in Thracia ab Abderitanis cultus. XXXIX. 285.

Tenes Tenediis cultus. XIII. 107. A. 107. 39.

Teraphim Michæ, ſimulachrum veri numinis. III. 20.

Tertullianum videri deceptum, quando ait, Deum Platoni eſſe corporeum. II. 12.

Teutates, deus Gallorum, idem videtur eſſe, ac Mercurius. XXXV. 262, 263. Vnde dicatur Teutates. XXXVII. 275.

Teutones unde nomen acceperint. XXXVIII. 278.

Thalmudiſtarum opinio, angelos eſſe eductos è ſiniſtro maſſæ latere. VI. 48.

Theagenes Thaſiis cultus. XIII. 108.

Θεὸς. A. 227. 7.

Theodoretus emendatus. A. 245. 34.

Theodori Cyrenaici dictum, dextrâ ſe dare, quæ diſcipuli acciperent ſiniſtrâ. V. 31.

Θεουργία, & γοητεία, ſpecies magiæ. VI. 44.

Theſei fana compluria Athenis. XIII. 105. Theſeus, Ægeo natus, cur & Neptuni diceretur filius. XV. 121.

Θεσμοφόρια Cereris feſtum. XVII. 132.

Theut, vel Thot, Thoyt, aut Thout, Ægyptiorum Deus. XXXVII. 274, 275. A *Thot* nobis Deus *God* vocatur. *Ibid.*

Thiras, filius Iapheth, Thracum eſt auctor. XXXIII. 258. Sed partis Thracum Odryſus conditor. A. 284. 39.

Thracum nomine quæ gentes antiquitus vocarentur. XXXIII. 249. Thracum dii. XXXI. 284, 285. In iis Odryſus. A. 284. 39.

Θρησκεία nomen unde. XXVII. 199.

Thuras, ſive Thurras, rex Aſſyrius, idem qui Mars. XXIV. 181. Vide *Thurras.*

Thurras rex Aſſyriæ pro deo habitus, & *Mars* dictus eſt. XVI. 126. Vide *Thuras.*

Thuſci unde in Italiam venerint. XVIII. 138.

Timomachus à Laconibus cultus. XIII. 101.

Tlepolemi regis cultus. XXI. 160.

Toxaris Scytha heroicos Athenis nactus honores. XIII. 105.

Traditio de Deo antiquiſſima, & communi gentium conſenſu recepta. I. 2, 3.

Trinitatis myſterium non fuiſſe creditum priſcis Germanis: ut perſuaſum aliis voluit Cluverius. XXXVII. 271.

Triptolemus à Cerere agriculturam edoctus. XIII. 103, 104. Triptolemi fabula hiſtoricè relata. XVII. 132.

Τριτογένεια, Minervæ cognomentum unde. XVII. 130.

Trophonius Lebadiis cultus. XIII. 107.

Tubal falsò creditus Hiſpaniæ gentis conditor: & unde hæc opinio originem cœperit. XXXIII. 247, *& ſeqq.* Rectiùs Ioſephus, qui Iberes Aſiaticos Thubalis poſteros ſtatuit. 249.

Tuiſto, & Mannus, Germanorum dii. XXXVIII. 276, 277.

Tybilenus deus Saxonum. XXXVIII. 281.

Typhœus idem, qui Ogus Moſi. XXVI. 189. Is periit in terra Aramæa, ſive Syria. 192, 193.

Typho in ultionem Oſiridis ab Iſide, & Oro, interemtus. XXVII. 202.

Tyrii ab Idumæis, hoceſt, Eſaui poſteris, oriundi. XXXIV. 256. Cur Tyrii dicti Erythræi. 255.

Valerii

INDEX LIBRI PRIMI.

VAlerii adversus Gallos corvo adjuti historiam fabulosam videri: & unde error ille in Romanam irrepserit historiam. XXVII. 201, 202.

Vellus arietis aureũ thesauros designat, & quæ caussa figuratæ istius locutionis. XXIV. 178, 179.

Venenum quid uni esse, alteri medicamentum. V. 39.

Ventis cur alæ tribuantur non modò à poetis gentilibus, sed etiam divinis. VII. 52.

Venus Cypria quæ fuerit, & quædam de sacris ejus. XVII. 135. Cur sacerdotes ejus Κινυρίδαι dicti. XII. 162.

Veritatem detinere in mendacio, seu injustitia, quid Apostolo significet ad Rom. I. cap. IV. 24.

Vesta an repertrix architecturæ, & quale numen. XVII. 131.

Viales dii. XI. 83. unde dicti. 85.

Vitulus ab Israelitis cultus εἰδώλου dicitur Stephano protomartyri. III. 20. Et vitulos Ieroboami Scriptura vocat deos alienos, ac conflatiles. *Ibid.*

Vitus, ætatis Diocletianeæ martyr, pro deo habitus à Rugianis. XLI. 293, 294.

Vlysses an in Caledonia aram exstruxerit. XXXVI. 268, 269. Vlyssis ara Britannica. XXXVI. 268, 269.

Vngaris culti dæmones. A. 57. 20.

Voces non habent vim naturâ, sed ex instituto. VIII. 61.

Vulcanus antiquissimus Tubalcainus: inde Vulcani nomen factum κατ' ἀφαίρεσιν: nec is tam ignem hominibus ostendit, quam ignis usum in arte fabrili. XVI. 123, 124. Vulcanus, Rex Deusque Ægypti: unde Ægyptus vocata Ἡφαιστία. XXVII. 196.

W, GV, & G, permutantur. XXXVII. 274. *Wodan* Germanicus Deus, ab Ægyptio *Thoyt*, vel *Thout*, nomen accepit. XXXVII. 27. *Woonsdag* Germanicum unde dicatur. XXXVII. 274.

XΕμμις Ægyptiis, quæ Græcis Πανόπολις. XXVII. 205.
Χημία. Vide *Chami terra.*
Χρησὺς ποιεῖν quid Arcadibus sit. XI. 83.
Xysithrus Noë. XVIII. 137.

ZΆμης. A. 126. 16.
Zamolxis à Getis, quibus leges tulit, in deos relatus. XXXIX. 283, 284. item à Thracibus pro deo cultus. *Ibid.*
Ζάνης. A. 126. 16.
Ζαρυάμ, & Ζαραμάδης. A. 33. 20.
Ζαώναι Sidoniorum. A. 170. 31.
Zeerneboch, & *diabol*, Slavorũ dii. XXXVIII. 280.
Zoroastres quis, & quando fuerit, variæ sententiæ adferuntur. V. 32. Quid vocabulum hoc significet. *Ibid.* & A. *eodem numero.* Zoroastris dogma de principio boni, & mali. V. 33.

CORRIGENDA LIBRO I, & additiones minutæ.

Prior numerus paginam, alter versum designat.

8, 22. SCribe *quotcunque.* 14. 33. post *Pharsalia* adde *Dedita sacris* 16. 13. *colitur genus esse*, sic distingue, *colitur, genus esse* 32. ult. *Batavianus*, & pro *Nili*, *Nini.* 39. 18. post *putarit*, infere: *Sed de tempore nec inter nostros convenit.* 44. 26. post *quæ*, adde, *uti dixi.* 52. 30. ὑψηλοτάτων. 57. 28. לשעירים 60. 6. *Valentinianum.* 62. 9. pro אמץ leg. אמן 71. 1. μελαγχολικώτερος: & mox, κακοδαιμονία. At vers. 8, post *potestatem* adde: *Vel dicendum, putasse Herodem, animam Ioannis se insinuâsse in corpus Iesu, ejusque animâ expulsâ, imperium occupâsse, & tanta fecisse miracula.* 78. vers. 16, 29, & 30. *ecstasi.* 79. 1. *Aliquanto.* 82. 32. post *incerta* delendum comma. 85. 33. scr. *Indigites.* Sic & 89. 9. item 90. vers. 8. & 11. 89. 31. pro *Sabus* scr. *Sanctus.* 91. 9. dele *libro proximo.* 100. 13. Διοσκόρους. 104. 18. *Clytamnestra*, & vers. 26. *filiæ.* 113. 8. Καλλιόπης. 114. 32. *adversus.* & vers. ult. ἐπιγαμίους. 122. 13. ἡδέως. & vers. 17. γραμματικῶς. 130. 1. post *ipsum* omissum, *amore ejus captum prædicant. Imò, si fidem his habemus,* 133. 8. pro *tempore* scr. *nemore* 138. 26. post *Quamquam* adde, *ut Ianiculum exstruxerit,* 142. 2. pro *Prometheo* scr. *Noacho:* & vers. 35. ἐκάλουν. 148. 33. περὶ. 153. 11. ζωαλυπίστα. 156. 13. *indicem.* 157. argumenti vers. ult. Κινυρίδαι, & pro *Onesimus*, scr. *Onesilaus.* 162. 30. pro *Cretenses* scr. *Cyprii:* 163. 7. Σιτᾶν: & vers. 13. *Astarte.* 165. 34. Σιτᾶν. 168. 30. pro *Quod* scr. *Ad quod:* & seq. vers. dele *ad.* 171. 19. post *filia*, adde, *ut inferius ostendam.* 174. 25. pro ד scr. ש. & vers. 37. יונה 179. 34. Νιμεσιάδ. 194. in margine pro LXXXVII scr. LXXXVI. 198. 24. post *proximo* adde *tertioque.* 210. 6. pro *ut idem testis Censorinus.* scr. *ut hic indicat locus Censorini.* 214. 12. pro *quarum* scr. *quam.* 221. 15. post *litera* adde, *vel ejectâ tertiâ, primisque trajectis.* 227. 6. חיבה 228. 10. משה. & vers. 35. ἄρχειν, & mox, *pererudítus.* 232. 13. כרכית 235. 39. post *temporibus* adde omnino, *& aliquanto antè jam ab ætate Abrahami.* 240. 23. pro *proximo* lege *tertio.* 245. 28. *prætexunt.* 246. 19. dele hæc verba: *Luciferi fanum, quod aliter dixere lucem dubiam.* 250. 15. *item.* 261. 2. pro *spoliarint* scr. *oppugnarint.* Et vers. 12. *Deistaro.* 264. 5. *scriptore.* 270. 9. pro *Davidis* forte *Davidicis* scripserat Sedulius. 276. 23. & 25. pro *Iapeti* scr. *Gomeri.* 279. 4. *primorum.* 282. vers. ult. *initiatus.* 291. in margine pro 16 *Servius*, scr. *Ibid. Servius: uti & ad* 6, 7, *&* 12 *librum.* 292. vers. ult. *regium.* 302. 33. ἀναμφίλογος.

FINIS.

GERARDI IOANNIS VOSSII

DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE, AC PROGRESSV,

LIBRI SECVNDI PARS I:

Quæ est de cultu corporis cælestis.

CAPVT I.

Transitum ab animalibus Diis ad naturales. Vnde naturalium cultus profluxerit. Qualia Deorum corpora existimata. Opinio veterum de Diis, qui cœlo descenderent in terras; sed noctu, ne conspicerentur. Prutenorum gentilium Dii. Triplex gentium theologia; fabularis poetarum, civilis legislatorum ac sacerdotum, & naturalis philosophorum. Ad hanc distinctionem præisse aliis Mucium Scævolam Pontificem: vestigiis ejus institisse Terentium Varronem. Sed utrumque putâsse, fabularem esse civitatibus damnosam. Ac à Dionysio quoque laudari eos, qui fundassent Remp. Rom. quod hujusmodi Deos non introduxissent. Sed nec illam Romanæ civitatis alterutri satisfeciisse. Imò Varronem sponte profiteri, si novum ipse imperium condidisset, theologiam populo præscripturum fuisse, quæ conveniret cum theologia naturali.

DIximus de spirituali natura, tum eâ, quæ à nexibus corporeis libera semper foret; tum illâ, quæ aliquando fuerit corpori ligata. Quæ satis ostendunt, quomodo à cultu veri numinis paullatim sit deflexum, partim ad colendum dæmoniorum principem, qui mali omnis principium haberetur: partim ad alios malos bonosque spiritus, & defunctorum etiam animas, quas *Deos manes* dixere. Venio nunc ad naturam corpoream. Nam homines terris, & terrestribus adsueti, adduci vix poterant, ut esse crederent, quod non viderent, atque ut colerent, quod esse non putarent. Facilè igitur in oblivionem venit veri numinis cultus. Imò postquam etiam multitudo Deorum induci cœpit, multi nolle ullos agnoscere cælicolas, quia natura eos, ut dignitate, sic loco discluſos, visibus nostris denegasset. Sed sollertia vatum ac sacerdotum quiddam est commenta, quo se in eorum cultu retinere simpliciores posse arbitrarentur. Quia enim quod corporeum, ac visibile non esset, ne esse quidem putaretur: cælicolis etiam tribuerunt corpora, non absimilia nostris, sed

ἄφθαρτα *, quia ambrosiâ, ac nectare pascerentur; præterea subtilia, eóque ἀναίματα †, ac pro sanguine habentia tenuissimum quendam humorem; qui quoniam ἰχῶρα nostrum, non imperfectione quidem (nam ἰχὼρ nobis crudus est ros sive succus, ac necdum concoctus sanguis; ut ex Aristotele ‡, & Galeno *, constat) sed tenuitate tamen, & colore subalbido, referret; eò ab Homero † ἰχὼρ quoque appellatur. Præterea finxere, quandoque Deos illos, & cælesti domicilio, & simulachris suis, exire: à vulgo tamen non videri, quia loca seligerent ab hominibus secreta; nec ea frequentarent, nisi de nocte, cùm mortale genus altus urget sopor. Hinc Statius lib. 1 Sylv. Equo Domit.

* *incorruptibilia.*
† *sanguinis expertia.*
‡ *lib. 1, & 3 Hist. animal.*
* *lib. 2 de elem.*
† *Il. 5.*

— *Huc & sub nocte silenti,*
Cùm superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cælo.

Fusiusque Quinctilianus Declam. x; ubi inter alia inquit: *Omnis religio templorum, omnis religio lucorum, cum tacuere mortalia, & profani procul erravere sedibus totis, solitudine frui, & suis dicitur exire simulachris.* Hinc de Venere, & Gratiis, sublustri nocte choreas agentibus, Horatius in primo odarum ait:

Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Lunâ,
Iunctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

Ac similiter Hesiodus initio Θεογονίας de Musis:

— Κεκαλυμμέναι ἤερι πολλῷ
Ἐννυχίαι στεῖχον, περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι.
— *Velatæ aëre multo*
Noctu incedebant perpulcrâ voce sonantes.

Sed ut hæc inveniissent fidem apud stolidos, & quos nimia teneret socordia: minimè tamen in animum hoc induxissent, non dico, qui pleno saperent pectore; sed quicunque non omni vacarent prudentiâ. Credebant quippe oculis suis, nihil tale de nocte deprehendentibus, etiam cum maxima per terras omnes fierent itinera. Quocirca, (paucis exceptis, qui, quorum conspectus homini negaretur, ea acrius mentis acie contemplarentur) cæteri non alios agnoscere Deos, quàm qui in oculos incurrerent: sive eos hebeti adeo obtutu cernerent, ut de magnitudine, & sublimitate, ne inter sapientes quidem conveniret; ut in sideribus usu venit: sive manifesti ponerentur ob oculos; ut terra, aqua, alia, quæ manibus ipsis contrectarentur. Hujusmodi numina fecit Oriens, fecit etiam Ægyptus: & secuti sunt Græci pariter, ac Romani, gentesque omnes barbaræ. Quæ singula plurimis deinceps parebunt exemplis. Nunc multorum instar fuerit

fuerit gens Prutenorum sive Borussorum. Ab ea, priusquam nomen Christo dedisset, tria hæc colebantur numina: Peruno, sive fulmen, cujus honori perpetuus ex quercu ignis servabatur: Patrimpo, cujus in honorem serpens vivus alebatur lacte: Patelo, cujus symbolum erat caput hominis demortui. Item tres hi Dii, Vurschayto, qui Lar erat, sive Deus domesticus, ac præerat jumentis, & cæteris quadrupedibus: Sneybrato, cui cura erat avium: Gurcho, qui cibo potuique præfectus. Auctor Guagninus Veronensis in Sarmatia Europæa *. Qui & adjungit, præterea *tonitrui, lunæ, stellis, serpentibus, bubonibus, & omnibus penè creaturis, divinum honorem detulisse.*

* in Prussiæ descriptione.

Vt omnis hic gentium cultus meliùs intelligatur, præsertim Græcus ac Romanus: discerni opus est triplicem nationum Theologiam, fabularem, naturalem, & civilem. Prima illa hauritur ex poetarum figmentis: altera ex naturæ mysteriis: tertia ex legislatorum decretis. Quâ distinctione in universa hac doctrina, nihil utilius est, vel necessarium magis; ne more, non vulgi modò, sed doctissimorum etiam hominum, prope omnia in hoc tam vario argumento confundamus. Præivit verò ad eam primus Q. Mutius Scævola; non ille, quem augurem Tullius vocare solet; sed Publii filius, quem pontificem appellat, cùm alibi, tum in III de Nat. Deor. *Temperantiæ*, inquit, *prudentiæque specimen ante simulachrum Vestæ pontifex maximus est Q. Scævola trucidatus.* A Marianis enim, anno Vrbis Io c LXXI, Cicerone annum tum agente XXV, interemtus fuit: quod in vestibulo Vestæ contigisse, retulit quoque Livius lib. LXXXVI, & Lucanus in II. Summo huic viro illam Theologiæ divisionem deberi, ex B. Augustino cognoscimus, lib. IV de Civit. Dei cap. XXXVII, his verbis: *Relatum est in literas, doctissimum pontificem Scævolam disputasse, tria genera tradita Deorum: unum à poetis, alterum à philosophis, tertium à principibus civitatis. Primum genus nugatorium dicit esse, quòd multa de Diis fingantur indigna: secundum non congruere civitatibus, quod habeat aliqua supervacua, aliqua etiam, quæ obsit populis nosse. Hæc*, inquit, *non esse Deos Herculem, Æsculapium, Castorem, Pollucem. Proditur enim à doctis, quod homines fuerint, & humanâ conditione defecerint.* Subjungit mox Augustinus: *Hæc pontifex nosse populos non vult. nam falsa esse putat* †. *Expedire igitur existimat, falli in religione civitates. quod dicere etiam in libris Rerum Divinarum ipse Varro non dubitat.* De poetica hinc Theologia subjungit: *Poeticum sanè deorum genus cur Scævola respuat, eisdem literis non tacetur: quia sic videlicet Deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur, cùm alium faciunt furari, alium adulterare: tres inter se Deas certasse de præmio pulchritudinis: victas duas à Venere, Trojam evertisse: Iovem ipsum converti in bovem, aut cygnum, ut cum aliqua concumbat: deam homini nubere: Saturnum filios devorare.*

† Ita, deleta negativa, legendum censeo: ubi vulgo, non putat.

Scævolæ judicium in omni hac re secutus est Terentius Varro, primo rerum divinarum libro, ad Iulium Cæsarem Pontificem maximum. Vbi sic ille, si non verbis planè iisdem, illis saltem, quæ leguntur apud B. Augustinum lib. VI de Civ. Dei cap. IV: *Tria sunt genera Theologiæ, eorumque unum Mythicon appellatur: alterum Physicon: tertium Civile. Mythicon appellant, quo maximè utuntur poetæ: Physicon, quo Philosophi: Civile, quo populi. Primum quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus. In hoc, ut dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini. Denique in hoc omnia diis attribuuntur, quæ non modò in hominem, sed etiam in contemptissimum hominem cadere possent. Secundum genus est, quod demonstravi, de quo multos libros Philosophi reliquerunt. In quibus est, dii qui sint, ubi sint, quod genus, quale, ex quonam tempore, an sempiternò fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus; an ex numeris, ut Pythagoras; an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia, quæ facilius intra parietes in schola, quàm extra in foro, ferre possunt aures. Tertium genus est, quod in urbibus cives, maximè sacerdotes, nosse, atque administrare debent: in quo est, quo deos publicè colere, quæ sacra & sacrificia facere quemquam par sit. Prima Theologia maximè accommodata est ad theatrum; secunda ad mundum; tertia ad urbem.* Hactenus Varro.

In triplici hac theologia, nihil fabulari illâ poetarum, quemadmodum ex allatis antea exemplis paret, fuerit insulsius, nisi ad allegorias recurratur. Atque ideo Dionysius Halicarnassensis in II Antiquit. Roman. in eo Romuli commendat prudentiam, quod neutiquam admiserit Græcorum fabulas de Diis. Quæ licet vel occultent naturæ arcana, vel ad solatium superstitum, aut aliud emolumentum, fuerint confictæ: vulgus tamen, ut ibidem Dionysius censet, non penetrat hæc arcana; imò ne inquirit quidem; ut planè ea notitia sit damnosa; quia vel inde colligunt, non esse numen; vel si nec Dii fædis abstineant facinoribus, sibi quoque licere in istis Deorum imitari exemplum. Ac pluribus de illo in primo de re Poetica diximus.

Multis verò partibus poëticæ huic theologiæ præferenda est civilis. Et tamen nec illa probare se potuit, vel Mucio Scævolæ, qui multa ei falsa inesse ait, ut vidimus; vel Varroni, Romanorum doctissimo. Quid enim tantus vir senserit, indicio sint, quæ ex eodem illius rerum divinarum opere adducit Augustinus in IV de Civit. Dei cap. XXXI: *Non ego illa judicio meo sequor, quæ civitas Rom. instituit. Nam si eam civitatem novam constituerem, ex naturæ potiùs formula Deos, nominaque deorum, essem dedicaturus: sed jam, quoniam in vetere populo est accepta, ab antiquis nominum, & cognominum historiam tenere, ut tradita est, debeo, & ad eum finem illa scribere, ac perscrutari, ut*

potiùs

potiùs eos magis colere, quàm despicere, vulgus velit. Abunde hæc ostendunt, Varroni non usquequaque placuisse religionem populi Romani; & si ipse loco fuisset Romuli, aut Numæ Pompilii, vel eorum, qui postea consecuti, longè aliâ opinione de Diis imbuturum fuisse gentem Romanam. Placuit autem Varroni imprimis Theologia naturalis: quam ipsam deinceps exponam: sed sic, ut suis misceam locis, quæ ad civilem, vel fabularem, melius intelligendam pertineant.

Ac, si naturæ ordinem sequi sit visum, priùs naturam universè, quàm particulatim, considerare oporteat. Eoque primò etiam de Saturno, & Rhea, sit agendum; quia hi ad universam pertineant naturam: postea verò de Iove, quo æther significetur: tum demum de Apolline, qui Solem denotet: atque ita porrò. Sed satius existimavi, si temporis eo in cultu ordinem sequerer; eoque primò agerem de Sole, hinc Luna, tum stellis, denique æthere: exinde ad elementa accederem: postea generatim tractarem de natura: denique etiam subderem aliqua de naturæ vel particulis, vel affectionibus.

CAPVT II.

Exponuntur causſæ, quæ moverint gentiles, ut Solem pro Deo colerent. Primùm, quod conspicuus esset in cælis, quem locum tam barbari, quàm Græci, Deo tribuerunt. Imò Sacras etiam Scripturas thronum Dei in cælis constituere; non tamen quasi cælis sit circumscriptus, sed ad providentiam ejus indicandam. Pythagoræ, & aliorum opinio, ignem Solarem collocantium in medio Vniversi. Imò ante eos in hac fuisse sententia Numam Regem Romanum. An Sol nunc propior terris, quàm olim. De maculis Solaribus. Ex adspectu non capi certum de figura Solis argumentum: ratione tamen eam verisimiliter adstrui. Circuli cum Deo comparatio. Solis magnitudo: qua semper plus hemisphærio illuminat. Quanto Solis velocitas exsuperet celeritatem globorum, quos ejaculantur bombardæ. Solem cum reliquis cæli ignibus quarto die factum ex luce, sive igne prima die creato. Calore æthereo omnia generari, & conservari. Cur antiqui Solem Vulcani, & Minervæ, filium dixerint. Lucis utilitas, & quantopere variet, ac refracti luminis effectus. Temporum distinctio à motu Solis diurno, annuoque. Quo sensu anni omnes sint æquales, vel inæquales. Vnde diluceat, non idem esse centrum Solis, & universi. Omnes orbis incolas æquali spatio frui luce Solari. Cui bono sint loca polo utrique subjecta, etsi ea non incolant homines. Thomæ Aquinatis judicium de origine cultus Solaris, & aliorum siderum.

IN Solari cultu ante omnia videndum, quæ moverint gentes, ut, neglecto Deo, propriâ quadam mentis inductione uno in Sole, veri numinis

non tam effigie, quàm umbrâ duntaxat, omnia religionis ſuæ ſtudia figerent ac collocarent. In hanc varia eos ſententiam impulerunt. Ex quibus eſt, quòd in ſublimi, ipſiſque cælis, ſpectaretur. Nam ut Ariſtoteles diſſerit lib. 1 de cœlo cap. 111 *, quo loco in eo eſt totus, ut oſtendat, cœlum non corrumpi, Πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀπεδίδοασι, καὶ βάρβαροι καὶ ἕλληνες, ὅσοι περ εἶναι νομίζουσι θεούς. δῆλον ὅτι, ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὰ ἀθάνατον συμπεφυκότα. ἀδύνατον γὰρ ἄλλως. *Omnes enim de diis eam habent opinionem, atque omnes, qui Deos eſſe exiſtimant, tam Græci quàm Barbari, ſupremum Diis locum tribuerunt, propterea quòd immortali conveniat immortale: aliter enim fieri non poſſit.* Ibidem Simplicius hoc appellat † ἐν ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων φυσικήν τινα ὑπόληψιν· *naturalem quandam exiſtimationem in animis humanis.* Ac Themiſtius quoque in paraphraſi ſua ſic ſcribit, interprete Moſe Alatino Hebræo Spoletino: *Græci cum barbaris in eam exiſtimationem ac animi notionem pervenere, ut ſupremum eum locum, qui mundum ambit, corpuſque, quod in eo loco conſiſtit, glorioſo Deo attribuerint. Quamobrem invenimus eos verſus eum locum manus extollere eo potiſſimum tempore, in quo preces effundunt. Fatentur tamen, atque æquum fore arbitrantur, immortale eſſe corpus ingenitumque. Etenim dignitas, perfectio, continuatáque perpetuatio, ad immortalitatem conſequuntur: quæ omnia per ea, quæ apparent, intelligi volumus.* Hinc apud Heſiodum in Ἔργοις: — Ὅς ὑπέρτατα δώματα ναίει· — *Qui ſupremas inhabitat domos.* Horat. lib. 111, od. XXIII,

Cœlo ſupinas, ſi tuleris manus: ubi multa hujuſmodi Lambinus congeſſit. Etiam ex ſermone gentili hæc adſtruit Tertullianus Apolog. cap. XVII: *Quod Deus dederit, omnium vox eſt. Judicem quoque conteſtatur illum, Deus videt; & Deo commendo; & Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, ſed ad cœlum reſpicit. Novit enim ſedem Dei vivi: ab illo, & inde deſcendit.* Atque hæc conveniunt cum ſacris literis. Non tamen eo pertinere videtur, quod vulgo referunt ex Pſal. XIX ‡, 5; *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Vbi Hebræa ſonant, *Soli poſuit tabernaculum in ipſis:* puta *cælis.* Solidius eſt, quod ſoſpitator noſter Chriſtus ſic docuit nos precari: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Atque hoc etiam reddere poſſis, *Qui inhabitas cœlos:* ut loquitur pſaltes regius pſal. 11, 4, & CXII, 5, item CXX, 1. Quod tamen commodè capiendū: quando, ut Philo * ait, πάντα πεπλήρωκεν ὁ θεὸς, καὶ διὰ πάντων διελήλυθε, καὶ κενὸν οὐδὲν, οὐδὲ ἔρημον ἀπολέλοιπεν ἑαυτοῦ· *Omnia implet Deus, & omnia penetrat, & ſui vacuum deſertumque à ſe nihil relinquit.* Quibus ſimilia habet lib. primo ejuſce operis †, item lib. de plantatione ‡, uti & illo de confuſione linguarum *, nec non de migratione Abrahæ †. Similiterque Theophilus ad Autolycum lib. 11 ‡: Τοῦ ὅλου θεοῦ, τοῦτο ὄντος μὴ μόνον τὸ παιδαχόσε εἶναι, ἀλλὰ

* text. 22.

† pag. 27.

‡ juxta vulg. interp. 18.

* ſacræ legis allegoriarum lib. 2, pag. 41, & 42 edit. Turneb.
† pag. 33, ejuſce edit.
‡ pag. 148.
* p. 229.
† p. 284.
‡ p. 295, in Orthodox.

ἀλλὰ & πάντα ἐφορᾶν καὶ πάντων ἀκούειν· *Dei, qui verè est, hoc est proprium, ut non solum ubique sit: verùm omnia præsens inspiciat, & audiat.* Item Origenes in secundo contra Celsum *, Macarius Homil. VII †, & XVI ‡: præterea Nazianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Theodoretus, Damascenus. Ex Latinis Cyprianus de Vanitate idolorum, Hilarius lib. 1 de Trinit. Ambrosius lib. 1 de Spir. S. cap. VII, & in Psal. CXVIII, serm. XIX. Hieronymus in Iesa. cap. LXVI, Augustinus epist. LVII ad Dardanum, & lib. VII Confess. cap. V, ubi egregiâ id similitudine declarat, & tot alii. Vt Deus non eo cælos inhabitare dicatur, quasi iis sit circumscriptus; sed ad significandam Dei providentiam; quia qui cælos inhabitat, præest cælis, & iis quæ cælis subsunt, ut in uno illo fiduciam reponere debeamus. Hinc Psal. CXIII *, 5: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit & in cælo, & in terra?* Et Psal. CXIV †, 3, *Deus noster in cælo, quæcumque voluit, fecit.* Ex his dilucet, quo discrimine à Græcis, & barbaris, Christiani putarint Deum cœlos inhabitare. Interim in eo consentiunt, Deum esse in cœlis; eoque mirandum minus, si gentiles Solem, quo nihil in eo illustrius, Deum vel unum, vel præcipuum, putarint.

* p. 169, edit. August. Vindel. † pag. 95. Gr. edit. Morell. ‡ p. 235.

* vulg. 112. † vulg. 13.

Non defuere tamen, qui Solem collocarent in medio universi, terramque circa eum verti existimarent. Nam, ut de junioribus taceam, velut Nicolais duobus, Cusano, S. Petri ad vincula Cardinale, & Copernico Borusso, magno in Matheси viro, quem hodie sequuntur complures eâ in arte insignes: ex antiquis ipsis similiter sapuit Pythagoras: ut qui Solarem ignem constituerit in meditullio mundi, eumque dixerit Διὸς φυλακὴν, *Iovis custodiam*; ut est apud Aristotelem in secundo de cælo cap. XIII *. Eadem quoque sententia fuit Aristarchi Samii: ut qui & ipse scripserit, stellas fixas, & solem, non moveri; terram autem circa solem in orbem verti; ut testatur Archimedes de Arenæ numero. Mitto Philolaum, Hicetam Seleucum, Cleanthem Samium, Heraclidem, Ecphantum; imò Platonem jam seniorem; de quo id traditum Theophrasto. Mirum verò & in hac opinione fuisse multò omnibus istis antiquiorem Numam Pompilium: qui, ut proditum Plutarcho ‡, templum Vestæ rotundum fecit ad imaginem Vniversi, inque medio ejus constituit æternum ignem, ut Solaris ignis symbolum. Sed ab hac sententia abiere, qui Platoni successerunt: Lyceum item, & Porticus omnis, & horti Gargettii doctor: atque ex Astrologis etiam Hipparchus, ac Ptolemæus, & omnis hujus schola. Quod verò Solem nunc propiorem putant terris, quàm olim: in qua sententia non Melanchthon solum, sed Cardanus * etiam, aliis præivit: id planè falsum esse, jure ait Christophorus Rothmannus †; videturque is error promanâsse ex Copernico malè intellecto. De loco satis.

* cont. 72, 73.

‡ in Numâ.

* lib. 3 Subtilitatum. † in epistolis Astronomicis Tychonis Brahe p. 131.

Præ-

Præterea gentiles eò Solem putarunt Deum, quia in lucidis illis corporibus æther nihil haberet Sole excellentius. Quatuor verò eum imprimis commendant, regio vati memorata, & ex eo Gregorio Nazianzeno adducta, orat. xx, quæ est in laudem Basilii *: Ηλίῳ ἐπαινεῖ τῷ Δαβὶδ κάλλος, καὶ μέγεθος, & δρόμου τάχος, καὶ δύναμις· *Laudatur apud Davidem* † *Solis pulchritudo, & magnitudo, & cursus celeritas, & vis ac facultas.* De quatuor istis eopse ordine dicemus.

* pag. 362, edit. Morell.
† psal. 18, juxta vulg. sive Hebr. 19.

Ad pulchritudinem ac decorem à Græcis etiam Patribus * refertur, quod Psal. xix †, 7, dicatur *tanquam sponsus procedere de thalamo suo.* Pulchritudo ea consistit in colore, & figura. In coloribus enim præcellit candor: cui non detrahunt maculæ, quæ tubo Batavo, in medio etiam Solis disco nunc appárent, nunc dispárent. Neque enim sunt in Sole, sed sub Sole, Lunâ tamen superiores, cum & unâ alterâque hebdomade conspiciantur constanter uno tempore in locis longè dissitis, idque similiter, ac eadem proportione, nisi quatenus progressio, & distantia, aliquid variat. Videntur autem maculæ istæ provenire coalescentibus pluribus corpusculis opacis.

* *in aurea catena in Psalmos* L. *ab Daniele Barbaro Latine reddita.*
† *vulg.* 18.

Ad figuram quod attinet, agnoscimus de ea haut certò ex adspectu colligi posse. Quippe licet quadrangulus, vel multiangulus Sol foret; nihilominus, ob ingentem sui distantiam, evanescentibus angulis, rotundus videretur: ut colligere est ex turribus quadratis longè dissitis. Interea re verâ rotundum esse, per est verisimile: quoniam hæc figura aptior sit ad lumen caloremque æqualiter quaquavorsum diffundendum, locaque eo illustranda non quidem simpliciter infinita, at infinita tamen juxta sensus nostros. Accedit, quòd præstantissimo corpori figura conveniat præstantissima: ea autem sit circularis, cui iccirco Deus confertur. Omnia enim Deus capit & comprehendit. Circulus itidem figurarum capacissima. Deus caret principio, & fine. Circulus quoque neutrum habet. Omnium rerum Deus est caussa. Circulus etiam omnium est caussa in rebus mechanicis: juxta effatum Aristotelis, sive alterius, in subtili Mechanicorum opere: ubi & varia de admiranda circuli natura legere est.

Proximo loco relata est magnitudo: ad quam pertinet illud Gen. 1, 6, *Fecit Deus duo luminaria magna.* Et Psal. xix *, 6, si vulgatum sequimur interpretem, giganti confertur. Estque corpus totius mundi maximum; terra ipsa grandius, si non centies sexagies sexies, saltem, juxta alios, centies & quadragies: Lunâ autem, quam terra quadragies sexies continet, quinquies millies ac sexcenties majus. Imò Copernicanorum est sententia, eum tertiam mundanæ materiæ partem obtinere: quippe non concavum corpus, sed solidum; ut eo majus ex se perpetuo lumen effundat. Ea magni-

* *vulg. interp. psl.* 18.

magnitudine plus ſemper dimidiâ illuminat ſphærâ : uti Luna ſemper dimidiâ minus. Nempe juxta opticum hunc canonem : Luminoſum ſphæricum illuminat ſphærici æqualis dimidium, minoris plus dimidio, majoris minus dimidio.

Tertio loco è Nazianzeno ſummam adferebamus velocitatem. Quàm etiam, qui tardioris forent ingenii, non obſcure, etſi rudius, conſpiciebant. Cogitabant, quanta eſſet tellus, quantumque terris Sol diſtaret; qui diurno tamen ſpatio grande ab Oriente ad Occidentem iter dimetiretur. Vnde in admirationem rapti, ſic ſecum ſtatuerunt, Deum eſſe in quo reluceret incredibilis hæc divináque potentia tam vaſtum ſpacium, tam brevi tempore, conficiendi, idque ſtudio perenni ac indefeſſo. Magis verò ſtupent, qui, arcana matheſios ſcrutati, comperiunt, Solem horâ unica permeare decies centena millia milliarium : ita ut velocitas ejus longiſſimè exſuperet celeritatem globorum, qui vi pulveris pyrii exploduntur è tormentis bellicis, quæ in re nova voce nova *bombardas* dicimus. Quippe hujuſcemodi globus minuto uno vix tria tranſit milliaria : ut Sol unicâ plus ſpacii horâ conficiat, quam globus horis quinquies millenis. Vti doctiſſimo Merſennio monitum in Geneſ. 1, 1.

Vtrùm verò motus iſte, tantáque celeritas ſit à principio interno, hoc eſt, motrice vi inditâ Soli : an ab angelo, quem Deus præfecerit : an per ſe Deus moveat : neutiquam ad noſtram pertinet ſalutem : nec certi ejus quicquam invictâ ratione cognoſcitur.

Poſtremo loco ex Gregorio ponebamus Solis vim & efficaciam; unde multiplex adeò utilitas in terras, ac præcipuè genus humanum, redundat. In his calor principem tenet locum : proximum lux : quorum utrumque eſt ab ignea ejus natura. Cùm enim ignis priùs cæteris miſceretur elementis, divino poſtea juſſu ſuperiora petiit loca : ubi in globum redactus tres primos effecit dies : ut Hermes in Diexodicôn libris tradidit, & ex eo prodit B. Cyrillus in ſecundo contra deſertorem Iulianum. Atque hanc etiam ſententiam ſecutus eſt Gregorius Nyſſenus in ſexto de hiſtoria ſex dierum. Ex illo autem igne poſtea ſunt ignes facti cæleſtes, ſolaris potiſſimum : ita ut lux illa, ſive lucidum illud primæ diei corpus, Sol fuerit imperfectus; eóque imperfectus, quia nec ſuâ coruſcaret magnitudine, nec figurâ, nec pulchritudine. Calore ſuo Sol & generationi inſervit, & genita conſervat. Sol enim vires excitat & recreat, ut ſine calore ejus vivere non poſſimus. Itaque vel horam durante eclipſi, maxima eſt rerum omnium immutatio. Imò ab igne hoc etiam varium eſt temperamentum. Propterea, ut ex Ariſtotele Clemens Alexandrinus in Protreptico tradit, Apollinem dixere filium Vulcani & Minervæ. Nempe in

Sole ſpectarunt, tum quod igneus eſſet, unde Vulcani filium dixere : tum quod pro temperamento, cujus cauſſa Sol eſt, varient ingenium & mores hominum ; unde Minervæ etiam filium ajebant. Minerva enim ingenii præſes.

Altera Solis virtus ac utilitas in luce conſiſtit : qua omnia reddit conſpicua, quæ non ſint diaphana, vel non admodum diaphana : idque radio recto, protractionum omnium breviſſimâ ; unde per diaphanum ea celeritas luminis, ut, niſi quid obſtiterit, in inſtanti illuminari omnia videantur. Præterea tanta eſt hæc lux, ut diem præſtet : quod non efficiant vel ignes totius terræ conglobati, vel ſtellæ omnes in unum coalitæ. Quantopere etiam variat lux, dum alia fundit, non funditur ; ut Solaris : alia funditur & fundit, ut Lunaris : alia funditur, non fundit, ut illa aëris. Quàm diverſa etiam ratio luminis directi, quod recta tranſit ; reflexi, quod rejicitur à ſpeculari corpore ; refracti, quod non rectâ, ſed motu tranſit obliquo : quorum primi naturam exponit Optica, ſic generali nomine vocitata ; alterius autem Catoptrica, ac tertii Dioptrica. Iam ipſa luminis refractio, quam miranda præſtat circa Solem ipſum ! Vt qui ob hanc cauſſam circa horizontem major videatur, quàm circa meridiem, vel ſudo cælo : etiam cum horizontem ſubit, altior appareat, quam alioqui videatur ; imò & cum attigiſſe limbo inferiori horizontem putatur, jam eum ſubierit. Nempe interpoſito denſiori diaphano, uti ſunt vapores & fumi terreſtres, ob luminis refractionem aberrat viſus : ad quam refractionem fortaſſe nonnihil etiam confert diverſa aëris & ætheris natura ; majorque ea foret, ſi, quemadmodum Peripatetici ſciſcunt, ignis eſſet ſubditus Lunæ orbi, atque ita tria forent diverſæ naturæ diaphana, aer, ignis, æther.

Sed miranda omnia lucis exponere non eſt hujus loci. Satis ea, quæ diximus, ac imprimis, quod abſque illa homines non viderent, quæ agerent, lucem rem eſſe omnino divinam oſtendunt. Vnde eſt, quod ſoleat Deus cum Sole comparari. Quod enim Sol eſt ſenſui noſtro, id intellectui eſt Deus * : atque ut Solem non videmus, niſi luce Solari : ita nec Deum cernimus, niſi luce ipſius ſpirituali †. Senſibus igitur illuſtratos converti animo oportuit ad Deum, ut intellectus etiam illuminaretur. Sed, creatore neglecto, creaturam habuere pro Deo ; atque ita, mente animi cœcutientes, vitam in tenebris tranſierunt.

* *Nazianzenus orat. de Athanaſ.*

† *Philo lib. 1 de Monarchia.*

Tertia Solis utilitas eſt temporum diſtinctio : unde Moſes ait *, Deum feciſſe *luminaria in firmamento cœli, ut dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna, tempora, & dies, & annos.* Quæ Sol motu ſuo præſtat. Hoc enim variè calorem ac lucem terris diſpenſat. Eſtque vel diurnus, vel annuus. Prior dicitur

* *Gen.* 1, 14.

dicitur diurnus ; alter annuus. Qui æquabilis est, & constans, dummodo comparetur cum stellarum fixarum situ : ut factum à Babyloniis, & Ægyptiis ; teste etiam Albategnio *. A quibus, sed improbante Copernico, Ptolemæus recedit : ut qui motum Solis ordiatur vel ab Æquinoctialibus punctis, quæ sunt in principiis Arietis & Libræ ; vel à tropicis, sive initio Cancri, & Capricorni. Quo pacto annus fuerit inæqualis, quia æquinoctiorum & solstitiorum puncta nunc magis, nunc minus, recedant à sideribus adfixis.

* lib. de scientia stellarum cap. 27.

Porro cum motus diurnus ab Oriente sit in Occidentem ; annuus hic ab Septentrione est in Austrum, vel contrà ; sic tamen, ut inæquali spatio ultra, & cis æquinoctialem, commoretur. Nam in boreali hemisphærio, ab æquinoctio verno usque in auctumnale, dies LXXX, ac tertiam diei partem, ampliùs requirit, quàm in semicirculo Australi. Ex quo liquet, locum Solis à terra remotissimum (apogæum vel augem nominant) longiùs abesse à nobis ; quàm ab incolentibus plagam Australem distat locus Solis maximè remotus.

Hoc nunc in Austrum, nunc in Boream motu, Sol illud consequitur, ut calorem salutarem nunc has, nunc illas in terras dispergat ; atque ita nec omnia comburat semper præsens ; nec frigore enecet semper absens : sed alternis calefaciendo, & refrigerando, prosit universis. Et in hac varietate, non his, quàm illis diutius, lucem vel calorem impertit. Pari enim temporis spatio adest omnibus : quantumque hieme decedit duplicato frigore, tantum compensatur æstate duplicato calore. Itaque in Septentrionalibus etiam terris læta succrescit seges, ob dies longiores : & sub Æquatore idem contingit, quia calor diurnus æqualis sit frigori nocturno. Nec solùm sic variis consulitur terris, sed etiam plantis : cum, pro diverso solo cæloque, aliæ hac, aliæ aliâ anni parte nascantur, fructusque maturos producant.

Ad omnia ista unus Sol suffecit : imò plures tot & tanta universi commoda disturbassent. Vnum hoc fortasse inscitia culpaverit humana, quòd plagæ utrique polo subjectæ non sic calore Solis temperentur, ut habitabiles sint. Quod de Septentrionali parte satis edocti sunt Argonautæ Batavi. Verùm sic universi ratio requirebat. Oportuit enim, Sole caloris fonte, in medio, nempe intra tropicos duos, constituto ; sub polo utroque esse fontem frigoris, qui toto se orbe diffunderet, ad æstum Solis temperandum. Vti experientia docet evenire post magnum Solis ardorem, spirante Borea. Absque isto frigore foret, brevi absumeretur aqueus humor ; quo non minus, quàm calore, ad rei generationem, ac conservationem, opus est.

Ex hiſce, quæ delibare ſolùm voluimus, (nec aliud inſtituti ratio ſinebat) non obſcurè relucet miranda Solis natura ac multiplex utilitas: quæ, ut dixi, cùm rapere omnes deberent in admirationem & laudem opificis; longè aliter in maxima mundi parte evenit. Nam cum horum quædam vulgares etiam animæ viderent; cætera paullatim ſapientiores gentilium perſpicerent: pariter penè omnes in eum delapſi ſunt errorem, ut vel Solem crederent μόνον ὁρατὸν θεὸν *, quomodo Ægyptia eum appellat Theologia: vel ſaltem præcipuum ſolem numen putarent, ſideribus aliis, ob minorem utilitatem, honore inferiori cultis. Promanavit igitur hic error ab imperfectione animi humani. Quod & docet Thomas Aquinas opuſculo de Symbolo Apoſtolico: ubi cùm dixiſſet, quatuor eſſe cauſſas, ob quas homines defecerint à cultu veri Dei: de prima hæc ſubdit: *Homines imbecillis intellectus non valentes corporalia tranſcendere, non crediderunt aliquid eſſe ultra naturam corporis ſenſibilem, & ideo inter corporalia poſuerunt præeminere & diſponere mundum, quò pulcriora, & digniora in eo videbantur: & eis impendebant divinum cultum: & hujuſmodi ſunt corpora cæleſtia: ſcilicet, ſol, luna, & ſtellæ. Sed iſtis accidit, ſicut alicui eunti ad curiam Regis, qui volens videre regem, credit, quoſcunque bene indutos, vel in officiis conſtitutos, Regem eſſe.*

* unicum cæli numen.

CAPVT III.

Quam vetuſtus Solis ſit cultus, ex Moſe monſtratum; atque itẽ Iobo: de quo ut magis liqueret, oſtenſum, librum Iobi non parabolam eſſe, ſed hiſtoriam; deque ætate Iobi diſquiſitum. Quadruplicem de ea fuiſſe opinionem. Quo loco referatur inter hagiographa ab Hebræis. Videri Iobum Moſi æqualem, vel eo priorem. De genere Iobi. Quàm antiquus ille ritus oſculandi manum, in Sole, vel alio numine ſalutando: atque ut is mos ad cultum potentiorum deflexerit. Conſuetudo in adorando erigendi pollicem: item ſeſe in alterutrum latus convertendi. Chriſtianorum ritus antiquus, ac Iudaico contrarius, Orientem verſus exſtruendi templa, & inter orandum ſpectandi Orientem. Eum tamen morem precandi, haut ſolidè eo adſtrui, quod locus ille, unde Adam ejectus, & quo item paſſus eſt Chriſtus, pariter ſint in Oriente: imò ritum hunc, tanquam à gentibus profectum, ab Leone Magno improbari.

QVàm antiquus ſit cultus Solaris, non ex Homero vel Heſiodo diſcendum, quorum prior non multo ante vixit, quàm Salmanaſſar decem tribus in Aſſyriam abduxit captivas: ſed ex divino Moſe; cujus temporibus hunc cultum obtinuiſſe, colligo ex interdicto illo Repetitæ Legis cap. IV, 19: *Ne forte eleves oculos tuos in Cælos, & videas Solem & Lunam, atque Stellas, cum univerſo exercitu cælorum, & impulſus adores atque colas ea.* Valde etiam antiquitatem hanc comprobat locus ille Iobi cap. XXXI, 26, 27:

26, 27 : *Si vidi Solem, quando splendebat, & lunam,* (à qua) *pretiosum abit : & seduxit sese in abscondito cor meum, & osculatum est manum meam os meum : etiam hoc fuisset iniquitas judicata, quia abnegassem Deum desuper.* Vbi Hebraice pro *Solem* est אור *or*, quod universè *lucem* atque *ignem* significat : sed ex eo, quod de Luna subjungitur, satis evidens est, κατ' ἐξοχὴν hic sumi de luce sive igne Solari : prout & LXX acceperunt. Hoc tamen ex loco nihil solidè colligitur, si Iobi liber non historiam, sed parabolam continet : ut traditum à Maimonide in More Nebuchim partis III, sect. XXII, item à Sem Tob in ejus libri expositione. Verùm sententia hæc tum eo refellitur, quod contrà quàm in parabolis fit, & nomen Iobi, & patria ejus refertur : tum imprimis, quod Ezech. XIV, 14. Iob conjungatur cum Noe, & Daniele : quos fuisse convenit : ut mittam, quod Iacobi V, 11, Iob commendetur, ut patientiæ exemplum ; cujus vis infringitur, si ficticium sit ; quia sic virtus consideretur, non cujusmodi est in concreto, sed qualis est in abstracto, ut scholastici dicunt : hoc est, non qualis inventa unquam, sed cujusmodi esse oporteret. Sed neque ex Iobi libro antiquitatem solaris cultus rectè collegeris, si verè quidem Iob fuit ; quando autem vixerit, non constat : nempe num temporibus Patriarcharum, an Mosis, an Davidis, an captivitatis Babylonicæ : quas opiniones quatuor commemorat Maimonides loco ante memorato. Et ea opinionum diversitas Maimonidem impulit, ut putaret, non fuisse Iobum. Ac fortasse etiam hæc in caussa sunt, cur non meminerit ejus Flavius Iosephus in Antiquitatum libris : sive crediderit non fuisse, sive nescierit, ad quæ tempora referri oporteret. Præter hæc, etiam alia est nata controversia, de libri auctore : dum alii exaratum censent à Iobo, ut Gregorius M. præfat. in Iobum, & Suidas in Ἰώβ : alii verò Iobi amicos, aliqui Mosem, nonnulli Salomonem, vel prophetarum quempiam, alii aliquem ex sapientibus Babyloniis, scripsisse arbitrantur. Vt eos præteream, qui non censent librum θεόπνευστον * : ut est apud Olympiodorum præfat. catenæ aureæ in Iob ex XXIV Patribus concinnatæ, & Latinè redditæ a Paulo Comitolo. Vbi & videas, quod de Iobi amicis diximus, Mose item, & Salomone. Sanè Salomoni etiam tribuit Nazianzenus orat. ad Iulianum tributorum exæquatorem ; ut censet ejus interpres Nicetas, ac Olympiodorus præfat. catenæ suæ : imò & Polychronius in Iobi cap. XIII, sive, secundùm vulgarem, distinct. XIX, 23, exaratum ait †, *Mosis Salomonisve operâ*. Ac pro hac sententia facere videtur, quod ab Hebræis in Bava bathra Perek primo, ubi Hagiographa recensentur, primus quidem locus detur libro Ruth, quia sub Iudicibus vixerit ; alter psalmis Davidis, qui ex Ruth natus ; tertius Iobo, tanquam æquali reginæ Sabæ ; quartus Salomonis Proverbiis,

* *divinitus inspiratum.*

† *pag. 141, edit. Lugd. an. 1586.*

Ecclesiastæ, ac Cantico Canticorum, atque ita porro. Eodemque redit, quod ab Athanasio in Synopsi, Iob Cantico Canticorũ subjungitur; imò & in Concilio Laodiceno can. ult. & quibusdã Græcis bibliis vetusta manu exaratis, quæ in Vaticana Romæ adservantur. In hoc dissensu lubentius iis accessero, qui vel à Mose scriptum censeant, vel antea etiam à Iobo ipso. De Mose placuit etiam R. David Kimchi, ac ex nostris multo ante Origeni; ut nempe eum scripserit, quò populus Israeliticus longam illam peregrinationem in deserto facilius ferret. Similiter Isidorus lib. 1 Off. ut Tostatum *, & cæteros taceam. Et sanè Iob vel æqualis Mosis, vel eo antiquior fuit, unus è Nachoris, vel Esavi posteris. Prior sententia placuit Hieronymo Traditionibus Hebr. in Genesin. Nempe ut Nachor, Tharæ filius, Abrahæ frater, genuerit Hus; Hus autem Iobum. Hæc sententia nititur, partim eo, quod Genes. XXII, 21 dicatur Melcha peperisse Nachori Hus primogenitum, & Buz fratrem ejus: partim quòd Iob initio libri habitâsse traditur in terra Hus, sive Huz, ἐν γῇ Ὑς, ut est apud LXX: quæ *Ausitis* dicitur Græcis, quasi *Vsitis*. Quare colligunt, Iobum fuisse filium Vs, nepotem Nachoris, Tharæ pronepotem. Sensit hoc quoque Philo ille suppositicius, in Antiquitatibus biblicis.

* *in Hieronymi prologum galeatum cap. 7.*

Altera est sententia venerabilis Bedæ, commentariis in Iobum, Hieronymo perperam tributis: ubi longè abit ab eo, quod Hieronymum scribere dicebamus in Traditionibus Hebraicis: quod opus esse genuinum, dubium non est, cùm ipse illud agnoscat in scriptoribus Ecclesiasticis. Censet autem Beda, Iobum fuisse pronepotem Esavi. Ac suffulta hæc opinio est eo, quod Esau genuerit Revel sive Rahuel ex Basemath, Ismaelis filia: ut est Genes. XXXVI, 4, & 10. Rahueli autem filius fuit Zara, ut est ibid. comm. 13. Hoc autem genitus Iobab: ut est comm. 33. Iobab verò idem creditur, ac Iob. Nec obstat, quòd habitârit Iob in terra Hus: quia in ea Idumæi sedes habuere: ut constat ex illo in Threnorum fine: *Exulta filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Et sanè non Iobum à Nachore, per Hus; sed ab Abrahamo, & Isaaco, per Esavum descendere; opinio etiam est Athanasii, vel alterius in Synopsi, item Epiphanii penè initio operis adversus hæreses, Chrysostomi homil. 11 de Iobi patientia, Augustini lib. XVIII de Civit. Dei cap. XLVII, aliorumque magno numero. Hanc verò de Idumæo Iobo sententiam multum confirmant septuaginta, appendice Iobi; quæ etsi in Hebræo non est, uti nec fuit in tralatione Aquilę, vel Symmachi; à Theodotione tamen est retenta; uti & legitur Catenâ aureâ in Iobum: ubi sic Olympiodorus de suo, vel alieno, annotavit: *In Paralipomenis exstat genealogia. Nam ab Abrahamo ortus est Isaacus, ab Isaaco Esau, ab Esau autem Raguel, à Raguele autem Zara, qui Iobi pater exstitit.*

Quin-

Quintus igitur est ab Abrahamo, è numero Abrahamo detracto. Quocirca eum ante Legem fuisse dicimus. Nam & ab Abrahamo numeranti Moyses sextus occurrit ad hunc modum: Abrahamus Isaaci pater, Isaacus Iacobi, Iacobus Levi, Levi Caath, Caath Moysis.

Atque ex his satis elucet, quàm antiquus sit cultus Solis: ut cujus tum Moses meminerit, tum qui Mosis temporibus, vel antea, vixerit. Nec locus ille ex Iobo allatus tantummodo vetustatem idololatrici hujus cultus ostendit: sed etiam ritus ejus, quo Solem adorabant, manum osculantes: ut allata hæc verba indicant, *Si osculatus sum manum meam ore meo.* Quem locum etiam B. Hieronymus in Ezechielis VIII, 17, & Apologia I in Rufinum, refert ad ritum, quo gentiles in adorando dexteram ori admovebant. Atque idem hunc ritum tangit in Osee cap. XIII. Pertinet quoque eodem I sive III Reg. XIX: *Genua, quæ non sunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum osculans manum.* Apud gentium scriptores passim fit mentio hujus ritus. Appulejus Apolog. I: *Nulli Deo ad hoc ævi supplicavit: nullum templum frequentavit: si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admovere.* Similiter Lucianus lib. de Saltatione; & in Demosthenis Encomio: è nostris etiam Minucius Felix in Octavio: *Cæcilius simulachro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis impressit.*

Atque ab hoc ritu alter ille promanavit, ut quo Deos solerent, eodem etiam prosequerentur hominum illos, qui honore potentiaque antecellerent: tandem & pares, ac inferiores, glisçente adulatione. Hoc *manu venerari* dixere Tacitus *, & Tranquillus ‡: *manu salutare* Martialis *, Sed non, ut constat, vetustissimum esse ritum manu venerandi ac salutandi Solem: item dixerim, an vetus adeò sit, quod sic Solem, vel Deorum alium, adorantes, erectum ori pollicem admoverent: quemadmodum plenius nos docet Appuleji illud in IV Metam. *Et admoventes oribus suis dexteram, primore digito* (hæc vera lectio) *in erectum pollicem residente: ut ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.*

* 16 *Annal.*
‡ *in Claud.*
* *lib. 8, ep. 65.*

Quemadmodum nec satis liquet, antiquusne adeo sit ritus, quo se circumagebant: ac Romani quidem dextrorsum: unde Plautus Curcul. Act. I, sc. I:

—PH. *Quo me vertam nescio.*

PA. *Si Deos salutas, dextrovorsum censeo.*

Galli autem sinistrorsum: unde Plinius lib. XXVIII, cap. II: *In adorando dextram ad osculum referimus: totum corpus circumagimus: quod in lævam feciisse, Galliæ religiosius credunt.* Interea, cùm simpliciissimum quodque antiquissimum sit; longè est verisimilius, primitus fuisse contentos dextram ori admovere sine ista vel corporis conversione, vel sessione primoris digiti in pollice. Valde

Valde autem verisimile est, perantiquum etiam esse, & fortasse à primis Solaris cultus temporibus morem eum proveniſſe, ut præcipuè colerent Solem orientem, ac quocunque etiam tempore, ad Orientem conversi precarentur Deum. Israelitæ autem contra Occidentem versi, ubi sanctuarium erat, preces Deo fundebant: atque ita se ostendebant *precantes adorare non solem orientem, sed Solis dominum*: ut ait Anastasius Nicænus Quæst. XVIII in Scripturam. Hoc ita esse, tum porta Orientalis ostendit, per quam ingressi tabernaculum, vel templum, ad Occidentem oraturi pergebant: ut cognoscimus ex Exodi XXVI: tum etiam verba Ezechielis prophetæ VIII, 16, ubi Israelitæ accusantur, quod precaturi ad Orientem se converterent. *Dorsa*, inquit, *habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant contra ortum Solis.* Sic Magos precatos, refert Herodotus lib. I. Vitruvius lib. IV, cap. ult. *Aræ spectent Orientē.* Maro XII Æn.

Illi ad surgentem conversi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Christiani veteres in hoc maluere gentilium, quàm Iudæorum ritum sequi. Clemens Alexandrinus lib. VII Strom. Πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαί· *ad ortum matutinum concipiuntur preces.* Hinc & visi Solem adorare. Tertullianus Apolog. *Ad Persas si forte deputabimur, licet Solem in linteo depictum non adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo: denique inde suspicio, quòd innotuerit nos ad Orientis regionem precari.* Similiter Clemens Rom. lib. II Constitut. cap. LVII, Origenes in lib. Num. homil. III, Augustinus lib. II de Sermone Domini cap. XIX, Damascenus lib. IV Orthodoxæ Fidei cap. XIII. Ex quibus Origenes, & Damascenus, etiam ab Apostolis id ajunt institutum. Ac similiter sentit Iustinus sive alius Quæstionum, & Responsionum ad Orthod. Resp. CXVIII. Item Athanasius, vel alius, ad Antiochum quæst. XXXVII, S. Basilius de Spiritu S. cap. XXVII: imò & Augustinus ad Casulanum presbyterum. Templa etiam Orientem versus exstrui à Christianis solere, præter Clementem Romanum loco memorato, Paullinus quoque auctor est epist. XII ad Severum. Sed cum ritu convenirent, longè tamen aliud spectarunt Christiani, quàm gentiles. Hi Solem spectabant, qui sensus illustrat: Christiani Solem justitiæ Iesum Christum, qui mentes illustrat: unde & à Tertulliano *Oriens Christi figura* dicitur contra Valentinianum cap. III. Atque hanc rationem adducit inter alios Clemens Alex. lib. VII Stromateon. Sed alii eò respici dicunt, quia paradisum, unde ejecti sumus, spectemus, rogantes, ut illuc restituamur. Sic Athanasius ad Antiochum quæst. XXXVII, ac Basilius ad Amphilochium de Spiritu S. cap. XXVII. Equidem non ignoro, Genes. II legi,

11 legi, Deum creâſſe paradiſum κ) ἀνατολὰς, *in Oriente*; ut & Hebræa ſonant, & LXX reddiderunt. Sed Moſes ſic ſcribere potuit ratione loci, in quo degebat. At quid dicemus de gentibus iis, quibus paradiſus erat ab Occidente? Siquidem Apoſtolorum alii in Orientem, in Occidentem alii, prædicatum abiere. Num ergo Græcus Orientem, Indus intuebitur Occidentẽ? At hoc repugnat illi, quod putant, omnibus oculos eſſe convertendos eam in cæli plagam, unde Sol exoritur. Atque hinc liquet, quid cenſendum ſit de altera etiam ratione, quando ajunt, Orientem verſus eſſe orandũ, quò melius nobis quaſi ob oculos ponamus Chriſtum pro genere humano paſſum in Oriente. Quippe ſic quoq; omnes, qui ſive exiguo, ſive magno ſpatio, ultra Hieroſolyma habitarẽt, ad Occidentẽ ſe converterent. Si igitur, ut cenſent, ritus iſte, ab Apoſtolis ſit inſtitutus; non poſſunt huc ſpectaſſe omnes; quia, ut dixi, non minus in Orientem ſe receperunt Apoſtoli, quàm Occidentem. Atqui pugnantia ſunt iſta, ut, qui in India vivant, orantes ſpectent Orientem, quia inde oritur Solaris lux, quæ Chriſti eſt figura; & iidem ſpectent Occidentem, quia paradiſus, & locus ubi Chriſtus pro nobis paſſus, ſint iis ad Occidentem. Ne illa quidem ratio valida, orandum ad Orientem, ut oſtendamus, nos improbare Iudæos, qui orant verſus Occidentẽ. Nam ſimiliter dixeris, orandum eſſe ad Occidentem, quò diſtinguamur à gentilibus, & Priſcillianiſtis. Quò pertinent hæc Leonis Papæ ſerm. VII de Nativit. *De talibus inſtitutis etiam illa generatur impietas, ut ſol, inchoatione diurnæ lucis exurgens, à quibuſdam inſipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Chriſtiani adeò ſe religiosè facere putant; ut priuſquam ad beati Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant; ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum aræ ſuperioris adſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe ſolem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu, multum tabeſcimus, & dolemus. Quia, etſi quidam fortè creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipſum lumen, quod eſt creatura, venerantur; abſtinendum tamen eſt ab ipſa hujuſmodi ſpecie officii: quam cùm in noſtris invenit, qui deorum cultum reliquit; nonne hanc ſecum partem opinionis vetuſtæ, tanquam probabilem, retentabit; quam Chriſtianis, & impiis, viderit eſſe communem?* Atque hoc ex loco colligit Ioannes Pineda Hiſpalenſis *, *Iam Leonis tempore illam primæ Eccleſiæ conſuetudinem adorandi, & templa erigendi verſus Orientem, obſoleviſſe, quam ſervandam curarant, & præceperant, primi Eccleſiæ Patres.* Vbi eâdem vides, ut, de ritus hujus auctoribus agens, eos non *Apoſtolos*, quemadmodum alii, dicat; ſed contentus ſit nominare, *primos Eccleſiæ Patres*, hoc eſt, Apoſtolorum ſucceſſores.

* *in Iobi cap.* 31, *verſ.* 26.

CAPVT IV.

Cultum, quem Iudæi præstabant Soli, Iosias verò abolevit, haustum fuisse à Syris vicinis: uti Phœnicibus, quibus Sol vocatus est Bal, *& Bel: Saturnum quidem exponi; sed etiam Saturnum esse Solem. Dictum quoque* ἥλ: *unde error Servii,* Βῆλ, *quod ex* βέελ, *ab* ἥλ *deducentis. Idem quoque* Βολάθης: *ejus etymon, uti & Solis. Quid Phœnicibus sit* Beel-samen. *Pro quo non Accaronitæ, sed Iudæi,* Beel-zebub *dixere: nempe uti ex* Beth-el *fecere* Beth-aven. *Liberos à Phœnicibus mactatos Saturno: atque hinc Aristotelem putâsse, sed falsò, Phœnices à φόνος sive φονίζειν dici. Sol quoque Phœnicibus* Adon *sive* Adonis, *vel* Adoneus. *Hoc* dominum *notare. Vnde in S. Scripturis,* Adonai, *Dei nomen: & Plauto,* Avo donni. *Adonis aliter dictus* Gingres: *quod & tibiæ nomen. Vnde* Gingræ *vocabulum sit: & quid* γιγγείζειν, gingrire, gingrina, gingritor. *Ritus in sacris Adonidis sive Gingræ usurpati.* Ἀδωνιασμὸς *à propheta Ezechiele signatus per mulieres Thamuz plangentes. Fabula de Phaëthontiadum luctu unde orta. Vt Adonis alternis temporibus Veneri adsit, & Proserpinæ. Lectulus in Adoniis stratus à Græcis Veneri, & Proserpinæ. Quid per Adonidem interfectum, ac Veneris luctum, & eo reddito, gaudium ejus, significetur, bifariam ex antiquis exponitur.*

VIdimus, quàm antiquus sit Solis cultus: nunc, quàm latè patuerit, ostendam. Ac primùm dicam de Asia: in qua eo etiam se inquinarunt Israelitæ. Vnde II sive IV Reg. cap. XXXIII, 12: *Et abolevit* (Iosias) *equos, quos dederant reges Iuda,* &c. *& currus Solis combussit igni.* Itidem Ezechielis VIII, 16, reprehenduntur Israelitæ, quòd faciem Orientem versus converterent, Solémque adorarent. Hunc fœdissimum morem accepere à gentibus, Syriæ vicinis.

Est verò Syria, vel ad litus sita, vel mediterranea. Prior dicta Phœnice. Hîc Sol generali nomine vocatus בעל, *bahal*: quod *dominum* notat. Pro *bahal* verò, omisso ע, dixere etiam βάαλ, & βέελ, contractéque βᾶλ, & βῆλ. *Bal, & Bel,* esse Saturnum, Saturnum autem esse Solem, docet nos Servius in I Æn. Ipsum audiamus: *Assyrios constat Saturnum (quem eundem & Solem dicunt) Iunonemque, coluisse: quæ numina etiam apud Afros postea culta sunt. Vnde & linguâ Punicâ Bal Deus dicitur. Apud Assyrios autem Bel dicitur quadam sacrorum ratione & Saturnus, & Sol.* Item Damascius in Isidori vita apud Photium *: Ὅτι Φοίνικες, καὶ Σύροι, τὸν Κρόνον Ηλ, καὶ Βῆλ, καὶ Βολάθην, ἐπονομάζουσι. *Phœnices, & Syri, Saturnum vocant El, Bel, & Bolathen.* Ηλ verò esse Solem, ostendit Servius de Belo Phœnice, unde creta Dido, loquens: *Omnes*, inquit, *in illis partibus Solem colunt, qui ipsorum lingua* HEL *dicitur: unde*

* cod. 242.

unde & ἥλιος. ergo addit â digamma, & in fine factâ derivatione à sole, Regi imposuit nomen BELI. De ΗΛ, & ΗΛιος rectè. Sed falli censeo, cùm Beli nomen à Marone ex ϝῆλ, vel ϝῆλ, factum putat, appositio digamma. Potius enim est à Βῆλ, quod est apud Damascium, ut vidimus: estque contractum ex Βέελ: unde Βεελσάμιν, aliaque; quorum causas postea exponam. Imò non solum *bal*, & *bel*; sed *bol* etiam videntur extulisse: indeque Phœnicibus Saturnus sive Sol Βολάθης, ut ex Damascio jam diximus: Palmyrenis verò Αγλιβῶλος, quod signat *orbis dominum*: si recta est conjectura nostra, quam afferebamus cap. XXVI libri superioris. Nempe ν abiit in ω; quomodo & ΗΛ (unde ἥλιος) est Latinorum *Sol*, spiritu præterea, ut fieri solet, in sibilum conversò. Quia verò variis Baal cognominibus distingueretur; hinc factum, ut in Scripturis culpentur Israelitæ, quòd servierint בְּעָלִים, *bealim*, q. d. *baalibus*. Nullum verò nobilius cognomentum ei, quàm à cælis ductum. Inde enim Phœnicibus vocabatur *beel-samen*: ut ex Sanchoniathonis libris, à Philone Byblio conversis, notat Eusebius in primo Præparationis Euangelicæ* his verbis: Αυχμῶν δὲ ἡωμένων τὰς χεῖρας ὀρέγειν ἐς οὐρανὸς, πρὸς τ' ἥλιον· τοῦτον γάρ, φησι, Θεὸν ἐνόμιζον μόνον, οὐρανῦ κύριον Βεελσάμιν καλοῦντες. *Cumque siccitas obtigisset, sustulisse manus in cælum ad Solem. Hunc enim solum, inquit* Sanchoniathon, *Deum existimabant: eum vocantes cæli dominum, Beelsamen.* Id verò *Beel-samen* significare, quod dicebamus; nemo certiùs testabitur eodem Sanchoniathone, sive Philone potiùs, qui post verba adlata continuò subjungit, ὃ ἐστὶ πρὸς Φοίνικι, κύριος οὐρανῦ· *quod Phœnicum linguâ, Dominum cœli notat.* Addit quoque, Ζεῦς δὲ πρὸς Ελλησι· *Græcâ autem linguâ est Zeus, hoc est, Iupiter.* Quare *baal-semen* ad verbum sonat Ζεῦς Ολύμπιος. Atque hæc etiam firmare est è lingua Hebræa; à qua, dialecto solùm, Phœnicia differebat. Nam quod Phœnicibus *beel-samen*, id Hebræis בַּעַל-שָׁמַיִם, *baal-schamaim*: id est, *dominus cæli*. Accaron etiam Phœniciæ est civitas prope Azotum. In eâ Sol vocabatur *Baal-zebub*: ut videre est II Reg. 1, 2, *Dominus muscæ*. Quod nomen ab Hebræis accommodatum principi dæmoniorum, magno justóque Accaroniticæ idolomaniæ odio. Imò fortasse ne nomen quidem Israelitæ integrum reliquere. Nam verisimilis mihi semper visa est conjectura ingenio doctrinaque eximii Scaligeri, qui בַּעַל־זְבוּב, *baal-zebub*, per contemtum esse factum putabat ex בַּעַל־זְבָחִים, *baal-zebahim*; quod signat *sacrificiorum*, sive *victimarum dominum*. Nempe simili ratione, ac ex *Beth-el*, quod est *domus Dei*, postquam idololatria istic ad lapidem, ubi recubuerat Iacob, exerceri cœpit, fecere *Bethaven*, id est, *domus vanitatis*. Nam בֵּית *domus*, אָוֶן, *mendacium, vanitas, iniquitas*.

* cap. 7.

Porrò ex eo, quod Phœnicum Baalem esse Saturnum Solemque antea

vidimus : cognoſcere etiam eſt, quis intelligi debeat, cùm Phœnices dicuntur liberos ſuos immolâſſe Saturno. Vti apud Porphyrium de abſtinentia animalium lib. II : Φοίνικες ἐν τῇ μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ αὐχμων, ἢ λοιμῶν, ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινα ὀπιψηφίζοντες Κρόνῳ· *Phœnices magnis in cladibus vel bellorum, vel æſtus, vel peſtilentiæ, ſacrificabant cariſſimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc ſuffragiis addictum.* Subjungit deinde, plenam exemplorum eſſe hiſtoriam Phœniciam à Sanchuniathone ſcriptam, è lingua autem Phœnicia à Philone Byblienſi redditam Græcè. Similiter Euſebius oratione in Conſtantini Cæſaris laudem : Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων· *Phœnices Saturno quotannis ſacrificabant dilectiſſimos, ac filios unicos.* Falſum interim, quòd tradunt, propterea Φοίνικας dictos παρὰ τὸ φοινίξαι, quod κατὰ γλῶσσαν τὴν Περραιβῶν ἐστὶ τὸ αἱμάξαι : *dialecto Perræborum* in Theſſalia *notat occidere :* ut Ariſtoteles, ſive alius, hanc vocem interpretatur libro περὶ * θαυμασίων ἀκουσμάτων ‡. Vbi ipſe ſic dici mavult, quoniã omnes necarent, quicunque appellerent. Vera autem nominis origo eſt, quia eſſent ſoboles Phœnicis, hoc eſt, Eſavi ſive Edom. Quam rem abunde expoſui ſuperiori libro cap. XXXIV.

* *de mirabilibus auditionibus.*
‡ *pag.* 115. *edit. Sylburgianæ, ſive Wechelian. an.* 1587.

Etiam Phœnicibus Sol in cultu divino *Adon*, ſive *Adonis*, vel *Adoneus*, dicebatur. Sed appellatio hæc illis erat communis cum Arabibus. Quod Auſonii nos docet epigramma undetrigeſimum, de Græco fonte magnâ ſui parte expreſſum :

Ogygia me Bacchum vocat.
Oſirin Ægyptus putat.
Myſi * *Phanacen nominant.*
Dionyſon Indi exiſtimant.
Romana ſacra Liberum.
Arabica gens Adoneum.
Lucaniacus Pantheum.

* *Vulgo* myſtæ, *ſed perperam : quia ab Auſonio variæ memorantur gentes, quarum ſingulis myſtæ ſui. Vt huic loco non generale* myſtarum *nomen ; ſed particularis alicujus nationis appellatio conveniat. Talis Myſorum, qui Thracibus contermini.*

Sententiam hanc puto : Bacchum Thebanum, Ægyptium Oſirin, Phanacen, ſive, ut apud Macrobium legitur, Phanatem Thracum vel Myſorum, Indicum Dionyſon, Romanum Liberum, Arabum Adonea, eundem eſſe Deum : proptereaque Lucaniaci dominum Auſonium (villa enim hæc Auſonii erat, bis mille circiter paſſibus diſtans Burdigalâ) putare omnia in uno numina intelligi : haut ſecus ac Romæ Pantheon omnium erat Deorum templum. Vnde etiam videre licet, quàm multa Romana, vel Græca numina, uno Oriens nomine complecteretur. *Adonei* vocabulo etiam utitur Plautus Menæchmis act. I, ſc. II : ac fortaſſe (nam variant codices) Catullus epigrammate, *Quis hoc poteſt videre.* Si Arabum ſit numen, nomen non Græcum erit, ſed Arabicum, vel Syriacum. Quamobrem, uti Beli & Molo-

Molochi nomina, ita hæc quoque appellatio habeat dominii argumentum. Nam אדון Adon, *dominus*. Vnde &, Iod, & Cametz, additis, אדוני, Adonai: unum ex decem Dei nominibus, B. Hieronymo commemoratis epistolâ ad Marcellam. Etiam apud Plautum Pœnulo act. v, sc. II, Pœnus Hanno *Donni κατ' ἀφαίρεσιν* pro אדוני, Adoni, hoc est, *domine mi*. Et mox, *Avo donni*: חוה אדני, *ave, domine mi*.

Nec *Adonis* solùm Phœnicibus dicebatur, sed etiam *Gingras*. Pollux lib. IV, cap. X: Η Φοινίκων γλῶττα Γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ, ἀπ' τούτου ὁ αὐλὸς ἐπωνόμασται· *Phœnicum lingua Adonim vocat Gingram: & ab hoc nomen tibiæ.* Eâ tibiâ in Gingræ sive Adonidis sacris lugubres cantus ciebant. Vnde ibidem Pollux: Γίγγρας δέ τις αὐλίσκος γοώδη καὶ θρηνητικὴν φωνὴν ἀφίεσι· φοίνιξ μὲν οὖν τὴν εὕρεσιν, πρόσφορος δὲ μέση τῇ Καρικῇ. *Est & tibia exigua, gingras, lugubrem & flebilem emittens vocem. A Phœnicibus quidem inventa, Caricæ autem Musæ conveniens.* Sed ut Pollux dicat, tibiam hanc dictam *gingram* ab Deo; dubitari tamen possit, an non potiùs Adonis à cantu gingrino nomen acceperit, quia eo lugeretur: tibia verò vocata sit γίγγρας, quia fieret ex gruis vel anseris tibia. Nam Ies. XXXVIII, & Ier. VIII, עגור non *hirundo* est, aut *pica*; sed vel *grus*, vel *anser*. Indéque ע in G converso, ut sæpe fit, γίγγρας, genus tibiæ, & saltationis ad eam; ut explicat Pollux lib. IV, cap. XIV. Apud Hesychium vulgò est: Γίγγρι· ὀπφώνημά τι * ὅτι καὶ κώμων λεγόμενον. Vide, an non rescribi debeat, ὀπφώνημά τι ὅτι πρὸς Ἄδωνιδι λεγόμενον. Eo autem tibiæ nomen fuerit γίγγρας, quia ex anseris tibia fuerit. Vnde & χλωίζειν apud Athenæum de iis, qui tibiâ canunt. Simile igitur γιγγρίζειν, & γιγγράζειν, & Latinis *gingrire*. Glossæ Philoxeni, *Gingriunt*, χλῶες ἐκβοῶσι. Festus: *Gingrire anseris vocum proprium est.* Indeque apud Arnobium in VI: *Anserum gingritibus.* Subjicit continuò Festus: *Vnde genus quoddam tibiarum exiguarum gingrinæ.* Nempe ut Græcis γιγγρᾶϊνος αὐλός. Idem Festus: *Gingrator, tibicen.* Vbi propter ἀναλογίαν malim *gingritor*.

Quo pacto Adonidi, seu Gingræ, in Phœnicia apud Biblios sacra fieri soleant: legere est apud Lucianum de dea Syria. Narrat autem, ut ad repræsentandum Veneris dolorem ob Adonin ab apro interemtum, totâ regione luctus indicaretur. Tum lacerare se verberibus solitos, quasi Adonidi parentantes. Etiam capita rasisse, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος, *ut Ægyptii faciunt, mortuo Ape.* Quod siquæ mulierum, formæ studiosiores, radi abnuerent; eas die uno se peregrinis prostituisse; & quod inde meruissent, obtulisse Veneri. Post luctum die uno repræsentatum, postero omnes die pariter gaudium testatos ob vitæ redditum Adonim. De istis mulierum planctibus in Adoniis meminit & Plutarchus in Alcibiade, & Nicia. Indéque Aristophani in Pace Ἀδωνιασμὸς, ὁ ὅτι πρὸς Ἄδωνι θρῆνος,

νος, *lamentatio ob Adonidem*; ut Hesychius exponit. Et satis verisimile est, Αδωνιασμὸν hunc signari ab Ezechiele cap. VIII: *Et introduxit me ad ostium portæ domus Domini, quæ est ad Aquilonem: & ecce, sedebant ibi mulieres, plangentes Thamuz.* Et fortasse hinc occasio fabulæ apud poetas de luctu Phaëthontiadum: de quo Ovidius II Metam. Dionysius item in Periegesi, & poetarum alii. Nam Phaëthon, Sol. Porrò apud Ezechielem etiam B. Hieronymus * per Thamuz intellexit Adonidem. Ac Procopius quoque in Iesaiæ cap. XVIII, hunc Ezechielis locum adducens, post Θαμμοῦς addit, ὅπερ ἔστι τὸν Αδωνιν· *quod est, Adonim.* Ibidem refert, ut Venus amore Adonidis ab apro, in quem Mars se converterat, interemti, etiam inferos accesserit, ut Adonidem reposceret. Sed cum non minùs à Proserpina amaretur, sic tandem convenisse, ut unâ anni parte Proserpina, parte alterâ Venus adolescente potiretur. Atque ad hosce divisos amores respexit quoque Theocritus Αδωνιαζούσαις sive Idyll. XV:

Ο τριφίλατος Αδωνις, ὃ κ' ἐν Αχέροντι φιλεῖται·

Ter amabilis Adonis, qui etiam apud inferos amatur.

Vti igitur dolor repræsentatur ob mortuum Adonidem, ita ob redditum, gaudium: quod ibidem Procopius addit. Atque hunc ritum etiam imitabantur Græci. Vnde in eundem prophetam sic Cyrillus lib. II. *Græci hinc latè festum excogitavere, ut se cum Venere, propter mortem Adonidis mœstâ, condolere, & lugere; redeunti autem ex Orco, & inventum esse dicenti, quem quæsiverat, gratulari, & unà exultare, simularent.* Dixere hæc Αδώνια, quæ fiebant τῷ Αδωνίδι, καὶ Αφροδίτῃ, *Adonidi, & Veneri*; ut ait Aristophanis scholiastes. Vtrique horum lectus sternebatur: ut ait Theocritus Αδωνιαζούσαις. Sed non hujus est loci omnia exequi, quæ ista ad sacra pertinent. Potiùs adeantur, qui de Græcorum feriis scripserunt: qualis eruditissimus vir Petrus Castellanus, &, qui omne punctum tulit, Ioannes Meursius; quo de viro & hac, & aliis partibus eximio, nemo non præclarè senserit, nisi qui pariter virtuti doctrinæque bellum indixerit. Ritibus igitur hisce præteritis, potiùs exponam, quod magis nostri est instituti, quò spectarit cultus ille Veneris, ac amasii ejus Adonidis. Venus Orienti, unde cultus hic ad Græcos derivatus, complectitur tum Lunam, sive Venerem cælestem, sub qua & Hesperum sive Luciferum comprehendere possis: tum Venerem subcælestem, sive Terræ partem superiorem, quam calcamus, & cernimus. Adonis autem est Sol, verè amasius Veneris, quomodocunque Venerem intelligas. Nam sive Lunam consideres, quem illa magis amet Sole, unde lumen suum mutuatur? Sive Luciferum, is semper Solis comes: ut infrà magis liquebit, ubi de Veneris sidere sive Hespero ac Phosphoro dicetur. Sive terræ attendas superficiem, quid utilius, quid incolis

* *ad Ezech. 8, uti & epistola ad Paullinum de institutione monachi.*

incolis gratius & jucundius amabili Solis luce? De cæleſti Venere ſatis apertum. Partem verò de Venere ſubcæleſti, ex ſacrorum ratione illuſtrat his verbis Macrobius lib. 1 Sat. cap. XXI : *Adonin quoque Solem eſſe, non dubitabitur, inſpectâ religione Aſſyriorum : apud quos Veneris Architidis* (lego, *Atergatis* †, de qua poſtea) *& Adonis, maxima olim veneratio viguit : quam nunc Phœnices tenent. Nam Phyſici terræ ſuperius hemiſphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius verò hemiſphærium terræ, Proſerpinam vocaverunt. Ergo apud Aſſyrios, ſive Phœnices, lugens inducitur Dea : quod Sol, annuo greſſu per duodecim ſignorum ordinem pergens, partem quoque hemiſphærii inferioris ingreditur : quia de duodecim ſignis Zodiaci ſex ſuperiora, ſex inferiora cenſentur : & cùm eſt in inferioribus, & ideo dies breviores facit, lugere creditur dea, tanquam Sole, raptu mortis temporalis, amiſſo, à Proſerpina retento : quam numen terræ inferioris circuli, & antipodum, diximus. rurſumque Adonin redditum Veneri, credi volunt, cùm Sol, evictis ſex ſignis inferioris ordinis, incipit noſtri circuli luſtrare hemiſphærium, cum incremento luminis, & dierum. Ab apro autem tradunt interemtum Adonin, hiemis imaginem in hoc animali fingentes; quod aper hiſpidus & aſper gaudet locis humidis & lutoſis, pruinaque contectis. Ergo hiems veluti vulnus eſt Solis; quæ & lucem ejus nobis minuit, & calorem. quod utrumque animantibus accidit morte.* Subjungit deinde de ſimulachro Veneris in Libano : de quo in ſymbolica theologia dicemus.

† *Niſi* Dercitidis *malit.*

Non defuere tamen, qui per Adonidem, non Solem intelligerent; ſed frumentum : quod parte anni in terra ſepultum latet; parte item feliciter germinans ſe noſtris offert obtutibus. Apud Proſerpinam igitur agere ajunt Adonidem, ſimulac ſemina terris ſunt mandata. Veneri verò, hoc eſt ſuperiori terræ, ac hominibus, reſtitui, cùm læta ſeges ſuccreſcit. Voluit hoc Ammianus Marcellinus lib. XIX : *Fœminæ miſerabili planctu in primævo flore ſucciſam ſpem gentis ſolitis fletibus conclamabant. Vt lachrymari cultrices Venereæ ſæpe ſpectantur in ſollemnibus Adonidis ſacris : quod ſimulachrum aliquod eſſe frugum adultarum, religiones myſticæ docent.* Et fortaſſe inde eſt, quòd in Adoniis ſerebant frumentum, & hortos faciebant Adonidis. Scholiaſtes Theocriti ad ejus Idyll. XV * : Εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυρὸς, καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι προαστείοις, καὶ τοὺς φυτευθέντας κήπους, Ἀδωνίους προσαγορεύειν· *Conſueverunt in Adoniis frumenta, & hordea, ſerere in quibuſdam ſuburbiis, & conſitos hortos Adonios nuncupare.* Sed de Adonide, & Solis apud Phœnices cultu, ſatis.

* *verſ.* 112.

CAPVT

CAPVT V.

Ammonitis, Cœlesyriæ genti, solem esse cultum sub nomine Molochi, ejusque honorì traductos per ignem pueros. Traductionem eam non holocausti, sed februi fuisse genus. Tacere Scripturas de Ammonitis Molocho suos liberos sacrificantibus: sed loqui de Sepharvaitis, Assyriorum colonis, infantes suos mactantibus Adramelecho, & Anamelecho: qui tamen Dii ad Molochum reduci posse videantur. Molochum nec Priapum videri, nec Mercurium: verisimilius Saturnum dici, quia Molocho Oriens mactarit liberos: & Græci ac Romani id à Phœnicibus ac Pœnis factum dicant τῷ Κρόνῳ sive Saturno. Falsam interim hanc opinionem esse, si strictè intelligatur Saturnus ex vulgari Romanorum vel Græcorum usu. At veram videri, si ex more Orientis Moloch sive Saturnus habeatur Natura, magisque Cœlestis, maximeque Solaris. Cur septena voluerint esse conclavia in Molochi simulachro; septimumque destinarint liberis cremandis. Aliorum sententiæ de sacrificii hujus caussa adlatæ, & rejectæ. Si rectè Oecumenio traditum, in Molochi corona reluxisse lapidem pretiosum; eum non tam Luciferum, quàm Solem, repræsentasse. Sed non paullo esse verisimilius, Scripturas in posteriori Samuelis, & priori Paralipomenen libro, loqui, non de gemma unica in corona Molochi, sed de gemmis multis in corona regis Moabitici. Emesseni colebatur Sol cum Mercurio, & Marte. Ac Mercurius quidem dictus Monimus, *Mars* Azizus, *Sol autem* Elagabalus: *quæ vox vel* Deum opificem, *sive* conditorem *significat: vel potius* Deum montis: *ut nomen ex eo sit, quia in monte coleretur: uti* & Dei Carmeli *inde nomen fuit. Cæsari Elagabalo ab hoc numine nomen impositum. Templum ab eo huic Deo conditum Romæ. Palmyra eadem ac Thamar. Cujus incolis dii* Malachbelus, & Aglabelus: *hoc est, Sol, & Lunus, qui idem ac Luna.*

HAbemus de cultu Solis apud Phœnices. Nunc attendamus Syriam Mediterraneam. Qualis præter Iudæam est Comagene; & quæ, à Seleuciæ, Antiochiæ, Apamiæ, & Laodiceæ complexu, Tetrapolis vocabatur; Cœlesyria item, quæ Iurisconsultis vett. sola crebrò *Syriæ* nomine intelligitur; denique Palmyrene, & terræ aliæ, de quibus posteà dicam. In Cœlesyria Ammonitis fuit: ubi Sol cultus nomine *Moloch*, sive *Milcom:* qui disertim Ammonitarum Deus dicitur I sive III Reg. XI, 5, & 7. Ac memoratur etiam Levit. XVIII, 21, item XX, 2, 3, 4, 5, & II sive IV Reg. XXIII, 10. Iisque ex locis etiam cognoscere est, à parentibus in hujus numinis honorem liberos per ignem traduci solere. Hæc autem traductio non erat crematio liberorum; sed februatio, hoc est purgatio sive expiatio quædam, qua per spatium inter duos ingentes ignes inter-

intermedium vel à camaris sive sacerdotibus, vel ad eorum præscriptum à parentibus ipsis, aut ducebantur, aut gestabantur infantes. Ita cepere hæc verba R. Salomo Iarchi, R. Maimonides in More Nebuchim lib. III, cap. XXXVIII, & R. Ioseph Karo in Misnah Thorah tract. עכום, cap. VI. Sed dissentit Aben-Ezra: cui *traducere* valet *comburere*. Eáque sententia magis obtinet. Equidem existimo, ubi solùm traductionis meminit Scriptura, signari non crematione, sed tantummodo deductionem duos inter ignes. Interea fatemur, præter hanc februationem, quæ in familiis omnibus, rebus etiam prosperè fluentibus, obtineret, fuisse etiam vivicomburium carissimorum pignorum, & quidem ex flore populi; quo in magnis calamitatibus placari Deum posse, arbitrabantur. Hanc Phœnicum fuisse sententiam, ex Porphyrio antea vidimus: Scripturisque etiam docemur, cultum eum obtinuisse in Cananæa. Vt Psal. CVI *, 37: *Et immolaverunt* (sive mactarunt, יזבחו, *isbechu*) *filios & filias suas dæmoniis.* Sed Ammonitas Molocho suo liberos sacrificâsse, solidè ex Scripturis adstrui nequit. Solùm legitur II sive IV Reg. XVII, 31: *Ii autem, qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni, Adramélech, & Anamélech, Diis Sepharvajim.* Vbi nihil de Ammonitis, sed Assyriis in Samariam traductis. Nam commate 24, clarè legas, ut Assyriæ rex ex Babel, Cutha, Emath, & Sepharvaim, colonos traduxerit in Samariam, Israelitis in Assyriam, & Mediam, traductis. Sed neque ibidem sermo de Molocho, verùm Adramélech, & Anamélech. Quæ tamen numina non abnuerim reduci posse ad Molochum. Nempe ut *Adramélech* magnificum ac fortem Molochum sive regem signet. Sanè אדר unum est ex Dei attributis, propriéque *fortem* sive *potentem, magnum* item *ac excellentem* signat: ut Psal. XCIII, 4. At *Anamélech* fuerit responsum sive oraculum Molochi. Nam ענה, *responsio, colloquium.* Nisi malis, notare Molochum sive *regem opulentum*, vel *divitiarum.* Nam Arabibus غنى gani, cum غ punctum habente, *dives*; ut غنى, gina, *divitiæ.* Quomodo idem fuerit ac Mammona sive Plutus.

* al. 105.

Sed ad Ammonitarum Molochum redeamus; de quo ambigitur, quis fuerit. Invenio apud Antonium Fonsecam in iis, quæ ad Cajetanum in Levit. XX, 2, 5, 7, annotavit, eum esse Priapum. Quod nisi per Priapum vim Solis generativam hic quoque intelligamus, nullâ ratione nititur: & eo minoris fieri debet, quia aliter ipse Fonseca ad Levit. XX, 2, 3, 4, 5. Sed credo, memoriæ errore, confudit Fonseca numen Ammonitarum cum numine Moabitico; quod Priapum Hieronymus putabat, ut postea dicemus. Aliquanto verisimilius B. Arias Montanus in Amos cap. I; ubi Molochum censet esse Mercurium: nempe quia מלאך malach sit *nuncius*: at Mercurius Deorum nuncius statuatur à poetis. Sed de Orientis theo-

logia non debet judicari ex Græca, vel Romana. Nec *Moloch* est nuncius, sed מלך, *melech*: quod LXX in Levit. XVIII vertunt ἄρχοντα: *regem* exponit B. Hieronymus in Ies. cap. LVII, & Hierem. XXXII. Pro eodem & legas Hier. XLIX, 1, 3, מלכם: ubi LXX Μελχὸλ †, Hieronymus *Melchom*. At Christophorus à Castro in Hier. VII, Moloch censet Saturnum. Ac pro sententia hac facere videtur, quod, ut communis est sententia, ab Phœnicibus & Pœnis Molocho mactatos liberos: itidem à Græcis pariter Latinisque scriptoribus dicatur, hostias solere immolari Saturno. Hoc à Phœnicibus factum, tradit apud Eusebium Philo Byblius ex Sanchoniathone. Ac Curtius similiter lib. IV, de Tyriorum victimis agens humanis, itidem oblatas ait Saturno. De colonis quoque eorum Carthaginensibus idem refert Diodorus in XX, & Tertullianus adversus Gnosticos cap. VII. Possumusque idem dicere de Rhodiis; præeunte Porphyrio in secundo περὶ ἀποχῆς, & exinde Theodoreto in septimo Græcarum affectionum: Ἐθύετο γὰρ ἐν Ῥόδῳ μηνὶ Μεταγειτνιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου, ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ· ὁ δὴ ὅπερ πολὺ κρατῆσαν, εἰς ἔθος μετεβλήθη· ἕνα γὰρ τῶν ὅτε θανάτῳ δημοσίᾳ καταδικασθέντων μέχρι τῶν Κρονίων σωῴζετο· *Sacrificabatur enim in Rhodo* XVI *Kal. Novembris homo quispiam Saturno. Quod cum perdiu esset observatum, in consuetudinem abiit. Vnum quippe ex iis, qui capitali essent supplicio destinati, ad Saturnalia usque (vivum) asservabant.* Nec autoritate solùm, sed ratione etiam, hæc sententia firmari videtur. Nam quis Mercurium, Iovem, aut Priapum, finxit liberos suos comedentem? Saturno hoc pariter tribuunt Romani, ac Græci: idque quia Saturnus sit Tempus, quod omnia absumit: ut nulli Deorum convenientiùs potuerint liberos sacrificare, quam Temporis Deo. Sed quamcunque hæc speciosè dicantur, nihil solidi subest, si Saturnum istum animale credas numen; puta regem Italum, aut Iovis Cretici patrem, aut Noachum etiam, vel Adamum ipsum. Sed neque hæc sententia constiterit, si per Saturnum capias Saturni stellam, quàm multi eò censent tempori præfectam, quia nonnisi longissimo tempore, triginta puta annis, orbem suum absolvat. Duntaxat recipi hæc de Saturno sententia potest, si capiamus de illo Orientis: cujus populis Baal, & Moloch, longè latiùs patuere, quàm Saturnus Romanis, & Græcis. Orienti enim, & Baal, & Moloch, dominus erat universi; idem Saturnus, Iupiter idem, idemque Apollo. Nempe ut paullatim ab uno veroque numine recessit genus humanum: ita sensim, & quasi gradibus quibusdam, sua ἡ πολυθεότης * cepit incrementa. Primùm Soli divinus obtigit honos, quia nihil eo sensibus nostris vel conspicuum magis, vel acceptum. Proximè accedere videbatur Luna: quæ propterea primò in societatem cultus adscita. Hinc reliquæ cæli militiæ, ac mox etiam totius cæli machinæ, idem est communicatus. Postea

† *In Græcis bibliis Romanis* κεφ. λ'.

* *Deorum multitudo.*

Postea elementis etiam attributus : ac denique toti rerũ naturæ, quia tota divinæ esse naturæ crederetur. Interea uti una est rerum omnium natura ; ita cultum suum ad unum aliquod numen sapientiores dirigebant. Ita factũ, ut Orientis ille Moloch unus, & Apollo esset, sive Sol; & Cœlum, sive Iupiter ; & Saturnus, sive rerum Natura : quod pleniùs postea explicabitur. Præcipuè verò Solem intelligi per Molochum, multis elucet indiciis. Primùm, quia constet Orienti Solem, & Lunam, in præcipuo fuisse honore : & *Baal*, sive *Bal*, vel *Belus*, Solem fuisse conveniat : *Molech* autem, sive *Melech* idem significet. Nam quid refert, num dominum, an regem dicas universi ? At *belus*, seu *baal*, dominus ; *melech* rex : unde & ex duobus illis conflarunt *Malechbelus*, quasi *dominum regem* dicas. Præterea idem cognoscimus ex imagine Molochi : ut quæ septem constiterit conclavibus : quorum in primum offerrent similam, in alterum turturem, in tertium ovem, in quartum arietem, in quinctum vitulum, in sextum bovem, in septimum filium. Vt proditum à R. Simeone in Ialkut, atque exinde à Paulo Fagio notis in Chaldæam Levitici paraphrasin. Septem erant conclavia, pro numero Solis, Lunæ, & quinque planetarum. Ex quibus postremum propriè erat Solis ; ut excellentissimi numinis, & reliquorum moderatoris. Vnde & honos redibat ad Solem, in quocunque conclavi offerretur : sed proprius ille honos, cùm homo immolaretur. Summo enim Deo summa convenit victima. At Sol Deorum iis summus erat. Nec quicquam in mundo est excellentius homine : nihil etiam parentibus est carius, quàm liberi. Sic igitur judicarunt, non meliùs summum se posse Deum demereri, quàm si immolarent liberos suos, etiam in maximarum divitiarum, ac potentiæ spem natos. Hæc vera est illius sacrificii ratio ; non illa, quam Græculi sunt commenti, eo Saturno mactâsse ut significarent, se Saturni, sive Temporis, naturam imitari, quod omnia nata absumeret. Vti neque illa apud B. Augustinum lib. VII de Civit. Dei cap. XIX, quasi respexerint, quòd semina cooperiantur terrâ, atque ita eò redeant, unde venerunt. Nec ista apud Minucium Felicem in Octavio, *Quia*, inquit, *Saturnus filios suos exposuit, non voravit; meritò ei in nonnullis Africæ partibus infantes immolabantur.*

Existimet quis, Molochum esse Venerem, h.e. Luciferum : idque propter illa Cyrilli in Amos, & exinde Theophylacti, & Oecumenii verba in Act. VII : Μολὸχ, ἤτοι Μελχὸμ. εἴδωλον δὲ τοῦτο Μωαβιτῶν, λίθον ἔχον διαφανῆ & ἐξαίρετον εἰς ἐωσφόρου τύπον ὅλη μετώπου ἄκρου · *Moloch is sive Melchom. Erat autem hoc simulachrum Moabitarum, habens lapidem pellucidum ac pretiosum in modum luciferi extremâ frontis parte.* Sed primùm in eo peccatur, quòd Moloch dicatur Moabitarum Deus, qui potius fuit Ammonitarũ. At Moabitarum

Deus Chamos, ut postea dicetur. Prętera nihil causſæ est, cur pretiosum illum lapidem, in fronte Molochi, credamus potiùs symbolum fuisse Luciferi, quàm Solis. Quanto enim justiùs Sol dicitur Molochus, sive rex cœli, quàm Veneris stella : quæ quid ad Solem? imò ne lumen quidē à se habet, sed à Sole accipit : quia, quod veteres ignorarūt, Lunæ instar eclipsin patitur, crescit quoque & decrescit ; ut Batavo telescopo deprehenditur. Denique ne illud quidem satis apertū, an in corona Molochi sive Milcom fuerit ejusmodi lapis pretiosus. Compulit Cyrillum, & Oecumenium, ut ita scriberent, locus II Samuelis XII, 30 : ubi sic habent LXX : Καὶ (Δαυὶδ) ἔλαβε τὸ στέφανον Μολχὸμ ἀπὸ βασιλέως αὐτῶν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, καὶ ὁ σταθμὸς αὐτοῦ τάλαντον χρυσίου, καὶ λίθος τιμίου · *Et tulit coronam Molchom regis eorum à capite ejus, & pondus ejus talentum auri, & lapidis precioſi.* Eademque verba habes in I Paral. XX, 2. Nisi quod antè ὁ σταθμὸς, *pondus*, addatur, εὑρέθη, *inventum est* : postremaque verba sint, καὶ ἐν αὐτῷ λίθος τίμιος, *inque ea lapis pretiosus.* Vulgatus interpres, qui B. Hieronymus putatur, etiam *Melchom* retinuit. Sed in loco, è priori Samuelis adducto, pro מלכם *Malcam* est *regis eorum* : ut Ammonitarum regem, ac ejus coronam, non Ammonitici numinis, intellexerit interpres. Idem utrobique habet *pretiosissimas gemmas* : quia censuit, plurativum, more Hebræo, poni pro numero singulo. Ac similiter utrumque locum interpretati Vatablus, Munsterus, Pagninus, Castellio, Iunius, alii. Vt pareat, quam infirmum sit, quod post Cyrillum Oecumenius inde collegit de pretioso lapide in fronte Dei Moloch sive Milcom. Hæc de Molocho, Ammonitico numine in Syria Cava.

Videamus nunc de Syria Apamena : ubi Emessæ sive Emissæ, quæ Græcis Ἐμεσὰ, & Ἐμισὰ dicitur, ingenti itidem in honore erat Sol : nec solus, sed unà cum eo Μόνιμος, καὶ Ἄζιζος, duo Solis πάρεδροι : quorum prior est Mercurius, posterior Mars : quemadmodum Iamblichus interpretabatur : ut traditum ab Iuliano desertore, Hymno in Solem *. Soli verò nomen ab Emissenis datum *Alagabalus*, sive *Elagabalus* : pro quo Græci, ac Romani, ut vox ea quodammodo barbariem exueret, *Heliogabalus* dicere maluerunt : imò & Ἐλαιαγάβαλος pro eo apud Herodianum legas. Eum Solem esse, indicant tum Dio, & Herodianus, qui Ἥλιον exponunt ; tum lapides, in quibus est, SOL ALAGABALVS : item nummus antiquus, in quo est, SACERDOS SOLIS DEI ELAGABALI. Nomen *Elagabali* unde conflatum sit, non convenit ; præterquam de parte priori, quæ est אלה *elah*, sive Arabicè *alah*. Ea autem Deum signat. Quod ad alteram partem, variè de eo doctissimus Fullerus in Miscellaneis sacris lib. I, cap. XIV. Sed non dubitandum, quin illa sit גבל, *gabal*. Controversum interea, quomodo capi debeat. Nam גבל principe quidem significatione sumitur

* *pag.* 34, *edit. Paris. an.* 1583.

sumitur pro *finire*, sive *terminum constituere*: sed præterea notat *fingere, figurare, formare*. Vnde Syris גבול *gabul*, Arabibus גאבל *gabil*, hoc est κτιςὴς sive *fictor, conditor*. Quæ sententia Fullero imprimis placuit. Nempe ut *Elagabalus* idem sit ac ὁ ἥλιος δημιεργὸς, *Sol opifex*, sive, *conditor universi*: prout dicitur Porphyrio apud Eusebium Præparat. Euangel. lib. III, cap. IV. Quicum convenit, quod idem Sol κτιςὴς ὁ οἰκεμένης, *conditor universi*, nominatur in obelisco maximo, quem Constantinus Magnus transferri Romam jussit: ut locuples nobis testis est Ammianus in septimo decimo. Vbi Romam novam sive Constantinopolin intelligi, ex obelisci inscriptione hodieque exstantis liquet. Sed præterea גבל *gêbel*, Arabibus *montem* notat. Vt *Elagabalus* signet *Deum montem*, sive *Deum montis*, in quo ædis illius foret: unde & symbolum ejus erat lapis ingens montis in modum fastigiatim adsurgens. Nempe uti nomine Dei Carmeli, Suetonio memorati in Vespasiano cap. I, non montem intelligo; sed numen, cujus in monte eo delubrum foret. De Elagabali templo illustris est Festi Avieni locus. Apud quem primùm legas de situ urbis:

Vrbs mediis Apamea dehinc consurgit in arvis.
Et qua Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emesæ fastigia celsa renident.

Posteáque de templo ipso:

Denique flammivomo devoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondosa cacumina turget:
Et tamen his certant celsi fastigia templi.

Ab hoc numine Antoninus Varius nomen accepit *Heliogabali*, quia priùs sacerdos fuisset Dei Heliogabali, sive, ut Oriens efferebat, Elagabali, vel Alagabali. Idémque Elagabali templum Romæ constituit. Testis in vita ejus Lampridius. Vide quæ de hoc numine eruditè ad Eusebium magnus Scaliger, eruditiùs ad Lampridium Casaubonus, eruditissimè ad eundem Salmasius annotavit.

Etiam Sol cultus in Syria Palmyrena: ubi princeps urbs Palmyra, Hebræis *Thamar* vocata, Iosepho teste *, opus regis Salomonis: ut est I sive III Reg. IX, 18, & II Paralip. VIII, 4. Templi Solis apud Palmyrenos meminit Vopiscus in Aureliano. Indéque Romam devecta est tabula marmorea, quam integrè habes in Gruter. inscript. LXXXVI, 8. In hac inter cætera, *Aglibolus, & Malachbelus, dii patrii*, memorantur. Quo minus animales fuisse Deos censeam, facit, tum etymon utriusque vocabuli allatum nobis superiùs †: tum in tabula eâdem sculpti duo viri stantes in porticu, crispo uterque crine, posterior cum Luna in humeris: ut hæ Agliboli, & Malachbeli effigies videantur. Arbitrantur eos viros imagines esse

* *lib. 8 Antiquitat. cap. 2, sive apud Rufinum, 6.*

† *lib. I, cap. 26.*

esse Solis æstivi, & hiberni. Meliùs verò clarissimus Salmasius, Solis, & Luni: pro quo facit Luna humeris alterius, ut dixi, addita. At Lunus Deus idem ac Luna: quia numen hoc alii muliebri, alii virili, ut Carreni *, nomine proferebant. Nihil igitur hoc obstat illi, quod superiùs *Malachbelum*, non *dominam reginam*, sed *dominum regem*, interpretabamur.

* *Spartianus in Antonino Caracallo.*

CAPVT VI.

A Syris accessum ad Assyrios, & Babylonios: qui tamen Syris quandoque, latiùs eâ voce extensâ, accenseantur ab antiquis. Syri unde dicti. Sol Assyriis & Babyloniis Belus: *quod dominum signat; quippe ex* Beel, sive Bahal *factum. Inde gemma Solis aliter dicta* Beli oculus. *Etiam Assyriis idem Deus* Adad, *qui effingebatur, radiis terram versus reclinatis. Vocem* Adad *à Macrobio* Vnum *exponi. Vetus ejus scriptoris lectio de* Adad *defensa. Vt Sol* Adad, *vel* Adod, *sic Lunam* Adam *vocitatam. Atque ut Macrobius falleretur in vocis ejus expositione; de nomine tamen numinis non decipi, cùm similiter legatur apud Philonem Byblium, ac Plinium. Gemmæ ab Adado nomen sortitæ.*

HActenus de Syria egimus, prout, ex frequenti veterum usu, continet, tum ad mare sitam Phœniciam, tum regiones hasce mediterraneas, Iudæam, Cœlesyriam, Comagenen, & Seleucidem: hoc est, quatenus monte Amano à Cilicia, Tauro à minore Armenia, Euphrate à Mesopotamia, dividebatur. Post hasce regiones, quas potiùs spectem, quàm Mesopotamiam, Babyloniam, & Assyriam? Siquidem laxè adeò sæpe veteres *Syriæ* voce sunt usi, ut has etiam terras eâ comprehenderent. Vnde Mela lib. I, cap. XI: *Syria, & Cœle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa, & Sophene.* Item Plinius lib. V, cap. XIII: *Iuxtà Syria litus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. Namque Palæstina vocabatur, qua contingit Arabas, & Iudæa, & Cœle; dein Phœnicia, & quà recedit intus, Damascena: ac magis etiamnum meridiana, Babylonia. Et eadem Mesopotamia inter Euphraten, & Tigrin: quaque transit Taurum, Sophene: citra verò etiam Comagene. Et ultra Armeniam, Adiabene, Assyria antè dicta.* Itaque videas, ab ipso Tullio * Chaldæos in Syria statui, & Sardanapalum dici Syriæ † regem, quem Assyriæ alii nuncupant. Nec mirum, quando *Syria* priùs *Assyria*; quique *Syri*, illi antea *Assyrii*; ut ex Herodoto ‡, Trogo *, aliis, constat: unde & Maro † *Assyrium venenum* pro *Syra*, sive *Tyria purpura* dixit; & Senecæ in Hippolyto mare mediterraneum *Assyriâ tenus* se extendit. Assyriis verò nomen ab Assur, secundo Semi filio, Noachi nepote: de quo Genes. X, 22.

* *lib. I de Divinat.*
† *lib. 5 Tuscul. quæst.*
‡ *in Polyhymnia.*
* *lib. I.*
† *Georg. 3.*

Assyriis, ac Chaldæis sive Babyloniis, Sol dicebatur *Belus*. Nam ἱστορι-

κῶς

κῶς quidem iis Belus est Nimrodus; ut dictum superiori libro *: sed φυσικῶς eo nomine signatur, tum natura universa, ut inferiùs fusè ostendam: magisque natura cælestis, hoc est Iupiter, de quo Agathias auctor in secundo: maximéque natura Solaris: quod vidimus antea ex Servio, cùm de Baale Phœnicum ageremus. Atque hinc & gemma quædam, Solem referens, dicebatur *oculus Beli*. Plinius lib.xxxvii, cap.x: *Beli oculus albicans pupillam pingit nigram, è medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter suam speciem sacratissimo Assyriorum Deo dicatur.* Appositè verò Soli dederunt nomen *Beli*, uti Moabitæ *Molochi*. Nam uti hoc regem; ita *Baal*, & *Beel*, *Bal*, & *Bel* dominum significant; quemadmodum antea dictum. * cap.24.

Assyriis quoque Sol *Adad*: uti Tellus *Atergatis*. De quibus sic Macrobius lib.i Sat. cap.xxiii: *Accipe, quid Assyrii de Solis potentia opinentur. Deo quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio significat* VNVS. *Hunc ergo, ut potentissimum adorant Deum: sed subjungunt eidem deam nomine Adargatin; omnémque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes.* Et mox: *Simulachrum Adad insigne cernitur radiis inclinatis. quibus monstratur, vim cæli in radiis esse Solis, qui demittuntur in terram: Adargatis simulachrum sursù versum reclinatis radiis insigne est; monstrando, radiorum vi supernè missorum enasci quæcunque terrâ progenerat.* Sed, ut dicebamus superioris libri cap.xxii, existimare aliquis possit, hoc numen non *Adod*, sed *Achod* fuisse nuncupatum. Nam אחד *Achad*, *unum* Hebræis notat. Et sic Deum Syris, vel Assyriis, vocatum fuisse, colligunt aliqui ex Isaiæ lxvi, 17: ubi numen hoc אחד vocari, arbitrantur. Est ibi apud vulgatum interpretem, *Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post unam. Vnam* autem de singulari in hortis piscina intelligit Vatablus. Nempe hi legerunt, אחת *echath*, quod est *unam*. At in aliis codicibus אחד *achad*: hoc est, *Vnum*. Atque id præfert Scaliger, notis ad fragmenta veterum Græcorum, quæ operi de Emendatione temporum subjunxit. *Vnum* verò interpretatur *Deum*, sive idolum Dei: post quod suillam, & alia abominanda, comederint; ut mox Isaias subjungit. Sed novellitas hujus opinionis facit, ut diligentius inquirendum censeam. Nam lxx, ubi vulgatus (quemadmodum & Leo Iudas) habet *post unam*; ibi lxx ἐν τοῖς προθύροις, *in liminibus*; at tum Symmachus ἀλλήλων, teste Procopio in hunc locum; tum Theodotio, ut de utroque refert ibidem B. Hieronymus. Id sit, *alter post alterum*: quomodo & cepere Isaiam Iunius, Castellio, alii. Hæc eò adduximus, ut liqueat, quàm parùm præsidii in hoc Isaiæ loco sit ad vulgatam Macrobii lectionem convellendam. Accedit, quòd חדא Syris *unum* signet. Vnde & Ioannes Drusius *Ada* apud Macrobium rescribendum putabat. A quo etsi dissentiam, hacte-

hactenus tamen faveo, quòd numen hoc per D rectè apud Macrobium censeat exaratum. Nempe cùm unus sit Sol, Luna item una, stellæ autem multæ; etiam Sol Lunáque magnitudine lucis longè præcellant stellis: nihil mirum, si Assyrii hæc pro summis habuerint numinibus, utrique etiam ab unitate nomen dederint, ac Solem dixerint *Adod*, Lunam *Ada*. Nam, ut ex Hesychio superiùs diximus, Ἀδὰ ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ηρα· *Hada Babyloniis Iuno.* Iuno enim Orienti est Luna; ut postea planius fiet. Atque ut Macrobius de etymo deceptus ab aliquo foret, qui vicinas adeo voces *Adod*, & *Achod*, confudisset; non propterea sollicitari debeat vetus lectio. Nam quomodo universi compages ab ornatu Græcis κόσμος, Latinis *mundus* nominatur: ita videri possit Sol, quo nihil æther pulchrius habet, nomen suum accepisse, sive ab הוד, hod, *pulchritudo*: sive ab עדות, hedut, *ornamentum*: quod est II sive IV Reg. II, 12. Validè quidem vulgatam Macrobii lectionem firmat, quòd, ut superiùs monui, etiam Philo Byblius ex Sanchoniathone Adodum recenseat inter Phœnicum Deos. Deniq; & verum hujus Dei nomen cognoscimus ex Plinii libro XXXVII, cap. 1; ubi in Dalecampianâ legitur: *Adadunephros, ejusdem oculus* (al. & *ejusdem oculus*) *dicitur. Deus & hic colitur Syris.* Sed certissima est maximi Salmasii conjectura, è vestigiis veteris codicis sic emendantis: *Adadu nephros, ejusdem oculus, & digitus Dei. & hic colitur à Syris.* Vbi trium gemmarum nomina recenset. Sunt ea, Ἀδάδη νεφρὸς, Ἀδάδη ὀφθαλμὸς, Ἀδάδη δάκτυλος: ex quibus in veteri Parmensi solum prima memoratur: sed corrupte dicitur, *Adureneis*, pro *Adadu renes.* Tribus istis gemmis ab Adado nuncupatis, subdit, ut diximus: *Et hic* (puta Adadus) *colitur à Syris.* Respicit eò, quòd & capite præcedenti plures retulerat gemmas à Deo nomen sortitas. Talis (ut verba Plinii reservem) *Beli oculus è medio aureo fulgore lucens, & propter suam speciem sacratissimo Assyriorum Deo dicatus: Dionysias nigra, mista rubentibus maculis: Hammonis cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas aureo colore arietini cornus effigiē reddens: Veneris crines nigerrimi nitoris.*

CAPVT VII.

In Arabia Moabitarum, & Madianitarum Deus erat Baal-Peor, *sive* Beel-Phegor. *Hunc videri posse Plutonem: sed ea opinio improbata. Quid divinus psaltes* mortuorum sacrificia *appellet. Potiùs hoc numen esse Saturnum, Iovem, Apollinem: quæ tria etsi pugnare inter se videantur, facilè tamen conciliari. Hoc fine ostensum,* Baalphegor *esse Priapum, Priapum autem esse Solem. Eundem esse* Φάνητα, *&* Φαναῖον, *&* Ægyptiorum Ωρον. *Cur Priapum effinxerint cum sceptro, & mutone ingenti. Quâ mente ad Iovem, & Saturnum, reducatur: cur*

hortis

hortis sit præfectus : cur Iovis Σωτῆρος *filius dicatur : cur credatur gestare copiæ cornu. Phurnuti sive Cornuti locus emendatur. Vnde dictus* Priapus. Phegor *etiam in Scripturis simpliciter dici, qui aliàs* Baalphegor. Beth-Phegor *pro templo Phegorio. Aliter Latinis vocari* Mutinum Titinum : *cujus fascino inequitabant nupturæ. Phegori vel inde nomen esse, quia membris omnibus staret nudis, & apertis : vel quia propriè sit Sol ; cujus beneficio, omnia genita sunt in aperto : vel quia in monte Phegor imprimis coleretur. Opinio Rasi rejecta de cultu Beelphegor. Falsos videri, qui existimant, nomen* Beelphegor *non fuisse Moabitis in usu ; sed solùm Israëlitis, qui sic genuinum nomen per ludibrium mutarint. Vnde Philo Iudæus nomen* Phegor *conflatum putârit. In ejus sacris libidini indultum. Quod Priapus dicatur esse Bacchus, non repugnare antea dictis, quia nec Bacchus sit alius à Sole.*

NVnc pergo ad Arabiam ; in qua, tecto impositâ arâ, thus Soli adolebant quotidie, teste Strabone †. In eadem Moabitæ, & Madianitæ. Horum numen בַּעַל־פְּעוֹר, *Baal-Peor :* quod LXX Senioribus Βεελφεγὼρ : ut videre est Numer. XXV, 2, 3, 6, item Psal. CVI *, 28, & Oseæ IX, 10. Ad præsentem tamen locum, ubi de Solis cultu agitur, haut multum faciat hoc numen, si eo intelligitur Phœnicum Moth, hoc est, Pluto, sive Iupiter Stygius : ut aliquis existimârit ob verba illa è Psalmo memorato : *Et copulati sunt cum Baal-Phegor, & comederunt sacrificia mortuorum.* Nam mortuorum sacrificia, ex multorum opinione, ea sunt, quæ offeruntur Diis Manibus. Sic B. Augustinus in hunc locum : *Mortuis hominibus tanquam Diis sacrificarunt.* Itidem Cassiodorus, ac Remigius. Ac præivit Apollinaris in psalmorum paraphrasi :

† *extremo libro* 16.

* *ab* 105.

Οἱ δὲ Βεελφεγόροιο μιαινόμενοι τελεῖῃσι,
Νεκρείης ἐπάσαντο καταφθιμένων ἑκατόμβης.
Ipsi verò Beelphegoris polluti ceremoniis
Inferas gustarunt mortuorum victimas.

Sed enim nihil impedit, quo minùs apud vatem regium per *mortuorum sacrificia* capiamus illa, quæ fiunt Soli, & militiæ cæli. Sanè Chrysostomus cum trifariam exposuisset, quartam interpretationem subjungit. Latina sic sonant : *Quin etiam eos, qui Dii appellantur, si quis mortuos appellârit, is minimè aberrârit.* Et similiter Theodoretus in hunc locum. Nicolaus quoque Lyranus, *Sacrificia mortuorum*, interpretatur, *carnes animalium idolis immolatorum.* Hæc sententia eo probabilior est, quòd locus ille Psalmi expressus sit ex Numer. XXV, 2 : ubi simpliciter legas : *Nam invitaverunt populum ad sacrificia Deorum suorum.* Quod illic *sacrificia Deorum*, illud hic *sacrificia mortuorum.* Dii autem gentium idola : ut *mortuorum* idem sit ac *idolorum*, sive *falsorum Deorum. Mortui* igitur κατ' ἐξοχὴν pro *vita carentibus.*

tibus. Atque hoc illo etiam confirmatur, quòd in Scripturis verus Deus vocetur *Deus vivus:* ut sic idolis opponatur, quippe inanimis. Denique, qui cogitârit antiquitatem, tum temporis Mosaici, tum cultus Solaris; facile in animum inducet, supremum Moabitarum numen, de quo loquitur Moses, potiùs fuisse vim Solarem, quàm naturam terrenam; quæ à Cicerone etiam intelligitur per Plutonem. Quamobrem, judicio nostro, per *Baalphegor* planè intelligendus est Deus naturæ, magisque cælestis, ac maximè Solaris. Quæ tria probè conspirant, ut caussa sit nulla, cur, si signet Saturnum, qui universæ Deus est naturæ, non significet, vel cælum, sive Iovem; vel Apollinem, sive Solem. In quo deceptus etiam est eruditissimus Masius, cùm, commentario in Iosuam, negat esse Saturnũ, quia sit Priapus; quasi non is ad Solem reducatur, ut postea liquebit. Baal-Phegor esse Saturnum, scripsit Apollinaris Catenâ Græcorum Patrum in psalmos. Sic enim ille in Psalmi cv verba illa, *Et initiati sunt Baal-Phegor:* Εἴδωλον δὲ τὸ Βάαλ ἐν τόπῳ Φεγώρ. Ελλῆνες δὲ τ̃ Βάαλ Βῆλ ὀνομάζουσι, ὃν φασὶν εἶναι τ̃ Κρόνον. *Simulachrum est Baal in loco Phegor. Græci autem Baal appellant Belum, quem eundem esse ajunt ac Saturnum.* Et secuti hanc sententiam quoque Chrysostomus, & Theodoretus, uterque comment. in psalmum antea memoratum. *Baal-Phegor* esse Vranum sive Iovem, indicat *Baalis* nomen, quod Ζεὺς reddi solet: ut Phœnicum Βεελσάμην est Ζεὺς Ολύμπιος. Ac Iosepho Scaligero visum, *Baal-Phegor* non fuisse verum nomen; sed aliud, quod ad verbum sonaret Δία Βρονταῖον, *Iovem Tonantem:* quod postea expendemus. Denique per *Baal-Phegor* Solaris natura denotabitur; si idem sit Priapus; Priapus autem Sol fuerit: quorum utrumque veteres habet auctores. De priori ita B. Hieronymus lib. 11 in Osee cap. 1x: *Beelphegor idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare.* Hoc ipsum legas in Osee cap. 1v. Atque idem lib. 1 contra Iovinianum: *Phegor in lingua Hebræa Priapus appellatur.* Similiter Isidorus Orig. lib. v111, cap. x1. Quamquam ille animale potiùs numen, quàm naturale, videatur existimâsse. Sic enim scribit: *Beelphegor interpretatur simulacrum ignominiæ: idolum enim fuit Moab, cognomento Baal, super montem Fegor; quem Latini Priapum vocant, deum hortorum. Fuit enim de Lampsaco, civitate Hellesponti, de qua pulsus est: & propter virilis membri magnitudinem in numerum deorum suorum eum Græci transtulerunt, & in nomine sacraverunt hortorum: unde & dicitur præesse hortis, propter eorum fœcunditatem.* Ac præivit eâ parte Servius in illud 1v Georg.

Et custos furum, atque avium, cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Hic, inquit, *Priapus fuit de Lampsaco civitate Hellesponti: de qua pulsus propter*

pter virilis membri magnitudinem, post in numerum Deorum receptus, meruit numen esse hortorum. At parùm verisimile est, aliquem, quia esset æquo membrosior, propterea patriâ pelli. Quare ex Isidoro emendo, copulâ insertâ: *de qua pulsus, & propter virilis* &c. Porrò, siqua subsit historia, facilè in animum inducam, uti Tarquinii Româ sunt exacti ob vitiatam Lucretiam: ita quoque virum quempiam principem in exilium esse actum ob fædas libidines, quibus salacissimo Priapo visum fuit comparari. Sed enim non ejusmodi potuisset conferri Priapo, nisi antea hic pro Deo sic cultus fuisset. Priapum verò φυσικῶς esse Solem, multis adstruitur argumentis. Primum ex Orpheo sive Onomacriti hymnis, vel Initiis potius: ubi Πρωτόγονον * celebrat, & eum vocat — μέγαν ἀιθεί πλαγκτον, *magnum, in æthere errantem:* item — παμφαὲς ἔρνος, *ubique lucentem ramum:* ac mox de eodem subjungit: — κῶ κόσμον

Λαμπρὸν ἄγων φάος ἀγνὸν, ἀφ' ὗ σε Φάνητα κικλήσκω
Ἡ δὲ Πείππον ἄνακτα. — *Per mundum*
Emicantem ducens lucem, à qua te Phaneta voco,
Atque Priapum regem.

* primigenitus.

Postea & dicitur πολύσπορος, *semina habens diversa.* Quid manifestius ex istis, quàm Priapum esse lucem Solis primigeniam: quæ & Φάνης, quia nihil Sole φανὸν sive lucidum magis. Et sanè idem Φάνητα esse ac Solem, etiam apud Macrobium legas lib. 1 Saturn. cap. XVII, ubi & Φαναῖον propterea ait vocatum. Vide & eum cap. proximo. Quod verò appellat Orpheus πολύσπορον †, id lucem ex eo accipit, quod Πείππον Grammatici dictum ajunt, quasi προιέμενον τὸ σπέρμα, *emittentem semen.* Quod optimè convenit Soli, unde vis omnis seminatrix. Idem eo confirmatur, quod *Priapus* idem ac Ægyptiorum *Horus.* Is autem idem ac Sol. De toto istoc audiamus, sive Suidam, sive veterem illum, quem Suidas, more suo, exscripsit: Πρίαπος. τὸ ἄγαλμα τοῦ Πριάπου, τοῦ Ὥρου παρ' Αἰγυπτίοις κεκλημένου, ἀνθρωποειδὲς ποιοῦσιν, ἐν τῇ δεξιᾷ σκῆπτρον καθέχον· ὡς ἂν, παρ' αὐτὸ φανεῖσαν τὴν ξηρὰν, καὶ τὴν θάλασσαν. ἐν δὲ εὐωνύμῳ κρατοῦν τὸ ἀιδοῖον αὐτὸ ἐντεταμένον, διότι τὰ κεκρυμμένα ἐν τῇ γῇ σπέρματα, φανερὰ καθίστησι. Τὰ δὲ πτερὰ, τὴν ταχύτητα τῆς κινήσεως δηλοῖ. Τὸν δὲ κύκλον τοῦ δίσκου, τὴν σφαιρότητα. ταὐτὸν γὰρ τῷ ἡλίῳ δοξάζουσι. *Priapus. Simulachrum Priapi, Hori nomine Ægyptiis vocati, humanâ formâ fingunt, dextra sceptrum tenens, propterea quod ab eo tum siccum sive Tellus, tum Mare sit monstratum. Læva verò tenens veretrum suum intentum, propterea quod semina, quæ terrâ occultabantur, producat in apertum, ac manifesta reddat. Alæ verò celeritatem motus indicant. Orbis verò disci indicat rotunditatem. Eundem enim, ac Solem, esse arbitrantur.* Quo ex loco eâdem cognoscimus, cur Priapus, hoc est, Horus, sive Sol, manu unâ sceptrum, alterâ rubentem illum ac peda-

† multa habentem semina.

lem teneat fascinum. Nempe priori significatur Solis imperium ac potestas in orbem universum. Altero autem notatur vis Solis generativa; quæ quia sit longè maxima, eo commodissimè visa est denotari membri magnitudine. Nec aliâ de caussâ asinus Priapo mactabatur, quàm quia animal hoc ob magnitudinem ejus partis, qua mas esset, simillimus Deo isti videretur. Notum enim, quantum eâ parte valeant asinus, & equus. Vnde propheta Ezechiel XXIII, 20: *Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt, ut carnes asinorum: & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.* Quem locum sic enarrat B. Hieronymus: *Insanivit quondam in concubitu Ægyptiorum, quorum carnes sunt ad similitudinem asinorum: & tam largus seminum fluxus, sive verenda tam grandia, ut equorum superent deformitatem.* Nec aliud, quàm asininum veretrum, ac salacitatem ejus animantis, respexit Iuvenalis, cùm sat. IX ait:

— *Atque alium bipedem sibi quærit asellum.*

Vti & ad magnitudinem pudibilis hujus membri, ut Lampridius in Heliogabalo vocat, referendum, quòd Commodus Cæsar, eodem teste, *hominem pene prominente, ultra modum animalium,* Ονον * *appellabat, sibi charissimum; quem & sacerdotio Herculis Rustici præposuit.* Herculem Rusticum verò ad Solem referri, postea liquebit. Quia verò vis generativa sit ab cælo, qui est Iupiter; & ex consequenti sit ab rerum natura, sive anima mundi, quæ Saturni nomine intelligitur: eò alii Priapum vel Iovem, vel animam mundi, dixere. Fuit in hac sententia Phurnutus. Cum enim egisset de Pane, ac per eum docuisset intelligi universam rerum naturam, subjungit postea, Ισως δ' ἂν οὗτος καὶ ὁ Πρίαπος εἴη, καθ' ὃν προέισιν εἰς φῶς πάντα· *Forsitan & hic* (Pan) *fuerit Priapus, per quem omnia in lucem proveniunt.* Paullo pòst ait: Εμφαίνει γοῦν τὸ μέγεθος τῶν αἰδοίων, τὴν πλεονάζουσαν ἐν τῷ αἰδοίῳ σπερματικὴν δύναμιν· *Magnitudo verendorum significat abundantem in eo vim seminalem.* Addit &, propter vim hanc generativam, copiam fructuum in sinu gestare, & hortis ac vineis præfectum. Etiam, ut ibidem ait, τὸν Διὸς ἐντεῦθεν Σωτῆρος εἶναι λέγεται· *exinde Iovis Servatoris filius dicitur.* Vbi Iupiter est Cælum vel Sol: cujus proles sive effectum est fæcunditas terræ, quæ homines servat. Posteaque Priapus dicitur ὁ κόσμος, ἢ ὁ προεστὼς αὐτοῦ λόγος· *mundus, aut præses mundi Ratio atque anima.* Ac, ut ibidem additur, Τὸ Αμαλθείας κέρας οἰκεῖον αὐτῷ φρόνημά ἐστιν· quod interpres vertit: *Copiæ cornu propria ejus prudentia est.* Sed pro φρόνιμα, ut vulgo legitur, censeo rescribendum φόρημα: ut dicatur Cornu Amaltheæ esse Priapi gestamen. Nulli sanè melius convenerit gestare beatam pleno copiam cornu (ut Horatius † nuncupat) quam numini illi, cujus beneficio pullulant universa. Hujus virtutis seminatricis, ut dixi, symbolum erat grande illud membrum genitale.

* *Asinum.*

† *carmine seculari ad Deos.*

nitale. Hunc verò esse Baal-phegor, etiam etymon ostendit, si fidere nostræ licet conjecturæ : nempe ut posterior pars in *Priapus* sit אב ab, hoc est *pater* : uti eandem in *Sarapis* antea vidimus : prior autem sit פעור, Peor, sive Phegor : quomodo & ἁπλῶς dicitur pro Baal-Phegor : ut Deuter. XXXIV, 5, 6 : *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino : Et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor.* Ita vulgata : ubi Hebraicè, מול בֵּית פְּעוֹר, *contra Beth-Pehor* : hoc est, ex adverso domus Pehor. Similiter LXX : ἐγγὺς οἴκου Φογώρ · *prope domum Phogoris.* Vbi *Beth* sive *domus* valet ædem sive templum : ut *Beth-Baal* pro templo Baal, sive Beli Sidonii, I sive III Reg. XV, & alibi *Beth-Astaroth*, pro templo Astartes, ac pluria id genus. Itidem ἁπλῶς *Phegorem* legas Iosuæ XXII, 17 : *An parum nobis est cum iniquitate Peor?* Vti sonant Hebrææ. Ac similiter LXX : Μὴ μικρὸν ὑμῖν τὸ ἁμάρτημα Φογώρ ; At vulgatus interpres Latinus : *An parum vobis est, quod peccastis in Baalphegor?* Hoc ἔτυμον si placet, *Priapus* significet *Phegor-pater*; ut *Iupiter* est *Iovis pater*; *Marspiter* est *Mars pater*. Similiterque dixere, *Neptunus pater, Saturnus pater, Ianus pater, Diespater*, sive *Diespiter* : Agellio teste in V Atticarum Noctium cap. XII. Possis tamen & *fructus* sive *fructificationis patrem* interpretari : quia פְּרִי est *fructus*, à פָּרָה *crescere*, *fructificare*. Patris autem nomen Phegorio sive Priapo optimè conveniat, si Priapus, ut dicebamus, Sol est, generationis omnis fons ac principium. Sic igitur colligimus, Baal-Phegor, sive Priapum, nihil aliud esse, quàm seu naturæ, seu cæli, seu Solis vim generatricem, cælitus sese diffundentem per universum orbem, maximeque se exerentem, tum in plantis ; unde & in hortis simulachrum Priapi constitui solet : tum in animalibus, etiam hominibus ; unde nupturæ ad Mutinum Titinum (ædis ei, Festo teste, in Veliis ad murum Mustellinum : atque, ut B. Augustinus * nos docet, idem est ac Priapus) deduci solent, ut à numine generationis præside, post fædos quosdam ritus, vim & ipsæ generandi apiscerentur. Hinc Arnobius in IV : *Etiamne Mutunus, cujus immanibus pudendis, horrentique fascino, vestras inequitare matronas, & auspicabile ducitis, & optatis?* Lactantius lib. I, cap. XX : *Mutinus, in cujus sinu pudendo nubentes præsident, ut illarũ pudicitiam prior Deus delibasse videatur.* Mutunus verò sive Mutinus vocabatur, non à motu, ut Vives putavit ; sed quia membrum, quo viri sumus, Latini dicerent *mutonem*, & valentes eâ parte *mutoniatos*. Etymon valde convenit, si עור Pogor sit פגר *pagar*, quod est *apertum* ac *nudatum* esse : quæ opinio est Andreæ Masii in Iosuæ XIII, 20. Sanè, ut Rufinus ait lib. III in Hoseam : *Beel-Phegor figuram Priapi dixerunt tenere.* At figura Priapi hæc erat, vir nudus, qui, ut de fædo hoc numine loquitur scriptor Ithyphallicus,

— *pudore pulso* *Staret sub Iove coleis apertis.*

* *lib. 4 de Civit. Dei cap. 11.*

Ac in iisdem legas:

Natura est quoniam semper aperta mihi.

Et alia ejus generis, quæ adscribere piget. Et, credo, huc respexerunt, qui voci *Phegor* turpitudinem dicerent inesse; etsi, quæ illa turpitudo sit, non dicerent. Audiamus Origenem Numer. Homil. xx: *Beel-Phegor*, inquit, *idoli nomen est, quod apud Madianitas præcipuè à mulieribus colebatur. In hujus ergo idoli mysteriis consecratus est Israeli. Interpretationem numinis ipsius cùm requireremus attentiùs inter Hebræa nomina, hoc tantum invenimus scriptum, quod Beelphegor sit species turpitudinis. Noluit tamen declarare, quæ, vel qualis species, vel cujus esset turpitudinis; honestati, credo, consulens, uti ne auditum pollueret audientium. Igitur, cùm multæ sint turpitudinum species, una quædam ex pluribus turpitudinis species Beelphegor appellatur.* Ea turpitudo, quam noluit ille exponere, fuit ista, quòd nudo staret corpore *tento gravis fascino*: ut de eo loquitur idem, aliusve scriptor incertus, in memoratis variorum poetarum Collectaneis, ab fœdo hoc numine turpe Priapeiorum nomen sortitis. Nec tamen ἔτυμον adlatum controversiâ caret. Nam quid si *Phegor* deducamus ab eodem verbo פָּצַר, hoc est, *aperire*: sed spectari dicamus, non figuram signi, sive simulachri, quod erat vir detectus: sed vim signati, hoc est Solis, qui omnia terræ aut animantium visceribus latentia aperit ac patefacit? Quippe qui omnis generationis fons sit ac principium. Saltem illud extra controversiam ponimus, ob hanc Solis naturam fuisse ejusmodi simulachri figuram. Vt nihil impediat, quo minùs utramque rationem conjungamus. Quid si etiam statuamus, *Baal Phegor* dici à monte, in quo coleretur? Erat enim Baal-Phegor Moabitarum Deus. Ac mons Phegor sive Phogor est in regione Moabitarum. Vnde Numer. xxiii, 28, *Cumque duxisset* (Balac) *eum* (Balaam) *super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem.* At Balac ille rex fuit Moabitarũ: ut est Num. xxii, 4, 10. Scio, aliquos malle, montem nominari à *Baal-Phegor*, qui illic coleretur: sed magis placet, ut numen à monte appelletur, quasi *Baalem* sive *Iovem Phegorium* voces; uti *Iovem Capitolinum* dicimus, vel *Musas Heliconiades*. Estque in hac sententia quoque Theodoretus in psalmum cv, & Suidas in Βεελφεγώρ. Nihil non horum magis arridet, quàm opinio R. Salomon Iarchi, qui ad Num. xxv, 3, refert, *Phegor* quidem venire à *Pagar*, quod generatim significat *aperire*: sed restringendam hîc apertionem ad illam natium: ut nihil aliud sit פגר, quàm *egerere reliquias cibi.* Solere enim cultores ejus coram idolo conquinisci, ac fimum egerere, ut hoc excrementum Deo offerrent. Sed naris valde fuerit obesæ, qui existimet, usq; adeò communi sensu caruisse Moabitas, ut putarent, cum Dii alii ciborum deliciis, ac thuris suffitu, caperentur, hunc summum Deum suum fœdis ac fœtidis stercoribus

coli

coli voluisse. Nimis stultè de aliis opinatur, qui putat, hujusmodi se persuadere posse ludibria. Quare longè ducimus veriora, quæ antea adduximus. Quæ tamẽ & ipsa corruunt, si aliud huic numini nomen fuerit inter gentes, idque longè splendidius: scriptores autem sacri, cum dedignarentur illud tam honesto nomine nuncupare, in fædam illud appellationem immutarint. Sensit id pereruditus vir, Martinus Bucerus: qui in psal. cv ita commentatur: *Scriptura videtur* (Deos) *datâ operâ fœdioribus & contemtioribus nominibus appellâsse: ut* II *Reg. cap.* I *vocat Deum Acheron, Baal-zebub, id est magistrum vel dominum muscæ. Ita existimo, & dictum Baal* פעור *egestionis.* פער *enim Chaldaicè egerere dicitur, Hebraicè autem aperire.* Pleniusque de eodem Iosephus Scaliger, qui putat, Moabitas hoc numen vocâsse בעל־רעם, *baal-reem*, quod est, *Deus tonitrus*, sive *Iupiter Tonans*: inde autem Iudæos per ludibrium cudisse בעל־פעור, *baal-Phegor*, hoc est, *Deus apertionis*, puta *natium*, in emittendo flatu ventris: quo tonitrui nihil æquè ridiculè opponitur. Quali nominum immutatione gavisos fuisse Iudæos, non solùm ex *Beel-zebub*, sed etiam ex *Beth-aven*, liquet; ut antea diximus. Sed eò suspectior hæc sententia est, quia omnibus ab antiquis recedat. Præterea nunquam פער, pagar, notat πέρδειν *. Nec si, quod vir ille doctissimus putabat, *Baalphegor* dixissent pro *baal-reem*: ἁπλῶς etiam *Phegor* seu *Phogor*, vocaretur. At sæpius sic nominatur, ut vidimus. Quare non dubitandum, quin verum numinis vocabulum fuerit *Baal-Phegor*: ac vel à monte Phegor sic dicatur: vel à פָּעַר, hoc est, *aperire*; sive quia Sol, qui est *Baal-phegor* aperiat ac patefaciat semina rerum omnium; sive quia simulacrum Baalis Phegorii staret nudâ apertâque parte genitali; ut pluribus antea exposui. Vel sequamur Philonem Iudæum; juxta quẽ, libro περὶ τῆς μετονομαζομένων †, Βεελφεγὼρ ἑρμηνεύεται, ἀνωτέρω στόμα σέρματος, *Beelphegor exponitur superius os pellis.* Quicum convenit B. Hieronymus in Oseæ cap. IX: *Interpretatur*, inquit, *Beelphegor idolum tentiginis, habens in ore, id est, in summitate, pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet.* Nempe uterque existimat, *Pegor*, sive *Peor*, esse ex פי עור, *pi agor*. Vbi פי est *os, orificium, summitas*: ac עור est *pellis*, sive *tentigo*, sive *pellis distenta*. Vt *pi agor* valeat, *os* sive summitas pellis distentæ, seu tenti: ut Horatius appellat in lib. Epodon *:

Tenta, cubilia, tectaque rumpis.

Nempe, quæ de Priapo diximus, hic etiam locum habent; quia ut Græcis Priapus, ita Orientalibus Baalphegor, stabat erecto pene, oréque ejus membri nudo ac aperto, ad denotandum, quemadmodum in animantibus ab ea parte proflueret τὸ σπέρμα †, ita ab hoc numine in totam rerum naturam promanare vim omnem seminalem. Nec ambigendum, quin obscenæ isti figuræ convenerint sua etiam sacra. Nimirum uti, quia Bacchus est liquo-

* *pedere.*

† *de immutationes nominum.*

* *od.* 12.

† *semen.*

liquoris, ac præcipuè vitigeni præses, eò in sacris ejus vino se proluebant: inque Veneris sacris concubitu itidem indulserunt : ita sacris Baalphegor, qui generationi præerat, hoc agebatur, quod dies illa, & natura numinis, suadere videbatur. Itaque Num. xxv, 1, 2, 3, Israëlitæ ad Baal-Phegor sacrificia vocati, initiati esse huic numini, & fornicati cum filiabus Moab, dicuntur. Cujusmodi stupra etsi aliàs etiam evenirent; tum tamen majori fiebant licentiâ; quia ipsum iis numen capi ac delectari crederetur. Eadémque sacra putantur, quibus præerat Maacha, mater regis Asa : qui eam ab hoc removit officio, ac numinis illius simulachrum combussit; cineréque projecit in torrentem Cedron : ut est I sive III Reg. XV, 11, & II Paralip. XV, 16. Hac de re sic B. Hieronymus in Osee cap. IV : *Istiusmodo idololatria erat in Israel : colentibus maximè feminis Beelphegor ob obsceni magnitudinem : quem nos Priapum possumus appellare.* Ac paullo pòst, locum, ex Regum libris indicatum, ita περιφράζει : *Insuper & Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco ejus, quem consecraverat : subvertitque specum ejus, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.* Exinde subjungit ista de loco Osee : *Sciendum, quod in præsenti* קְדֵשׁוֹת *meretrices, ἱερεῖς, id est, sacerdotes Priapo mancipatas vocet.* Vt nulli dubium esse possit, quin Pater ille doctissimus putârit, in obsceni numinis sacris omnia fuisse obscena commissa.

Sed adversus ea, quæ diximus, ut ostenderemus, Baal-Phegor esse Priapum, ac utroque Solem denotari : aliquis obduxerit nobis Athenæum; qui Priapum ait esse nõ Apollinem, sed Bacchum. Sic enim scribit lib. I : Τιμᾶϑ δὲ καὶ Λαμψακηνοὶς ὁ Πρίαπος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διονύσῳ, ἐξ ἐπιθέτου καλούμενος ὕτως, ὡς Θρίαμβος, καὶ Διθύραμβος· *Lampsaceni Priapum venerantur : qui idem ac Bacchus, nempe epithetum ejus, haut secus ac Thriambus, & Dithyrambus.* Ideo Phallicum carmen alii Baccho; alii Dionyso adscripsere. Aristophanis scholiastes in Acharnenses : Ασματα λέγονϑ φαλλικὰ, τὰ ὅτι τῷ φαλλῷ ᾄδόμενα μέλη. ἔστι δὲ εἰς Διόνυσον, ἢ ἄλλοτε εἰς Πρίαπον· *Phallica dicuntur carmina, quæ canuntur in phallum : quod est in Bacchum, vel secundùm alios, Priapum.* Sic Scaliger jam olim emendavit; ubi perperam vulgo, ἢ εἰς ἄλλο καρπόν. Nempe non pugnant, qui Bacchum, quique Priapum dicerent, quia non Priapus modò, sed Bacchus quoque, idem est ac Sol : sed Priapum quando vocarent, universè spectabant generationem omnium rerum, maximéque plantarum, ac animantium : cùm verò Bacchum nominarent, particulatim attendebant maturationem liquoris in vitibus, sive uvarum, & vini productionem. Et sanè Διόνυσον eundem esse, ac Solem; statuunt etiam Diodorus Siculus, Vlpianus Rhetor, Macrobius, alii : ut inferiùs ex iis commonstrabimus.

CAPVT

CAPVT VIII.

Moabiticum etiam numen esse Chamos, *sive* Chemos : *unde nomen esse videatur : atque ab eo* Κῶμον *Græcorum nominatum, non* ἀπὸ τ῀ κώμαλος. Comi, & Priapi *discrimen.* Nebo *sive* Nabo *ex eo vocatum, quod oracula funderet. Apud* LXX *seniores videri* Δαγὼν *pro* Ναβὼν *vetusto errore legi. Parùm solidè probari ex Scripturis, numen fuisse Moabiticum.* Baithum, Dibon, Nabo, Meduba, *Moabitidis urbes. Quid impulerit B. Hieronymum, ut putaret,* Nebo *esse idem numen, ac* Chamos : *& quid in caussa sit, cur difficilius eâ parte summo huic viro assentiamus.* Vrotalt *Arabibus est idem ac Dionysius sive Sol. Arriani locus de duobus Arabum Diis excussus. Etymon vocabuli* Vrotalt. Dysares, *sive* Dusares *Arabum, quis sit, & unde nomen acceperit. Dacharenis coli. Vt* Baisampsa *etiam nomen sortita sit à cultu Solis.*

MOabitarum quoque numen erat כמוש, *Chemos*; sive, ut LXX vocant, Χαμώς. Ierem. cap. XLVIII (quod est de excidio Moabitarum) commate 7 : *Et ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes ejus & principes ejus simul.* Item comm. 13 : *Et confundetur Moab à Chamos; sicut confusa est domus Israel à Bethel, in qua habebat fiduciam.* Sententia est, Moabitas frustratum iri spe suâ, quam reposuerant in numine suo Chamos ‡ : quippe, non vate eo auxiliari, planè perituros. Hoc numen idem ac Baal-phegor ; qui quomodo ad Solem reducatur, satis exposuimus. B. Hieronymus in Ies. XV, 2, *In Nabo erat Chamos idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beelphegor.* Conflatum est כמוש ex כ servili, quod similitudinem notat ; & מוש, quod est *palpavit, contrectavit.* Philo lib. 11 Allegoriarum Legis : Χαμὼς ἑρμηνεύε῀ται, ὡς ψηφάλημα· ἴδιον δὲ τ῀ μὴ ὁρῶντος τὸ ἔργον τοῦτο· *Chamos exponitur, quasi palpatio : quod proprium est non videntis.* Vnde verisimile fit, numen hoc præfuisse contrectationi nocturnæ, & amatoriæ ac lascivæ compotationi, quæ eò viam parat. Sanè Κῶμος, quod à *Chamos*, (non à κόιμημα, sive κῶμα, ut putarunt) Græcis Deus fuit conviviorum, non modestorum ; sed ubi lascivia foret, ac protervia, conjuncta. Qualia plurimùm sunt amatorum, ac juvenum, multa qui petulanter ac nequiter agunt, ubi incaluerint vino. Indéque κωμάζειν, uti hinc Latinum *comessari*; non à *comedendo* ; cùm princeps syllaba sit porrecta. Notum autem hoc * Comici : *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Notum item illud poetæ Sulmonensis † : *Et Venus in vinis ignis in igne fuit.* Sic igitur à comessatione devenitur ad ψηφάλημα, sive palpationem illam, & contrectationem Veneream. Quibus etiam confirmatur B. Hieronymi sententia, existimantis, eundem esse *Chamos*, ac *Beelphegor.* Atque hoc illo etiam probari posse existimo,

‡ 1 *sive* 3 *Reg. cap.* 11, *comm.* 7, *& 2 sive 4 Reg. cap.* 23, *comm.* 13.

* *Eun. act.* IV, *Sc.* 5.

† *lib.* 2 *de Arte.*

quòd uterque idem sit ac Διόνυσος, sive *Liber*, vel *Bacchus*. Nam *Beelphegor* esse *Dionyson*, jam antea vidimus. At quis inficias ierit, sympoſiorum præsidem esse Διόνυσον? Atqui præfectus iis Comus. Quare Comus quoque Dionysus erit. Comus autem Chamos; ac Dionysus, Sol. Proinde Chamos etiam Dionysus sive Sol fuerit. Videor interim videre mihi aliquid inter *Chamos*, & *Beelphegor*, discriminis: tale fere, quale Græcis inter *Priapum*, & *Comum*. Vterque est Bacchus, hoc est, Sol. Sed in Priapo consideratur generatio omnis: in Como non omnis, sed vini. In illo propriè præcipuéque generatio hominis attenditur: in hoc potiùs compotatio, inque vino protervia, quæ sæpe ad hominis generationem munit viam.

Etiam à viris eruditis *Nebo*, sive *Nabo*, Moabiticum esse numen, atque idem ac *Chamos*, & *Baal-phegor*, putatur. Vbi tria in considerationem veniunt: utrùm Nebo sit numen, & an numen Moabitarũ, & an idem ac duo illa numina, vel nomina, quæ ad Solem reduci dicebamus. Numen esse, censet B. Hieronymus, in Esaiæ cap. XLVI, 1; ubi sic ille: *Nabo & ipsum idolum, quod interpretatur* PROPHETIA, & DIVINATIO: *quam post Euangelii prædicationem in toto orbe conticuisse significat.* Quibus ex verbis colligo, Nebonis oraculum consuli solere: atque hinc esse nominis ejus causſam. Verba verò prophetæ, ad quæ Hieronymus hoc annotavit, sunt ista: *Confractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulachra eorum bestiis, & jumentis.* Sed variant hic LXX, qui reddidere: Επεσε Βὴλ, σωετρίβη Δαγὼν, ἐγλύπτα τὰ γλυπτὰ αὐτῶν εἰς τὰ θηρία, & τὰ κτήνια. Vbi Δαγὼν etiam legit B. Hieronymus. Sic enim scribit ad eum locum: Δαγὼν, *qui tamen in Ebraico non habetur. Et est idolum Ascalonis, Gazæ, & reliquarum urbium Philistin.* Item Cyrillus hunc in locum, nec non Procopius. In Romanâ tamen Græcorum Bibliorum editione pro Δαγὼν est Ναβὼ, uti in Hebræo. Ac facilè mihi persuadeo, LXX Ναβὼ, vel Ναβὼν, scripsisse. Nam & Theodotio habet Ναβὼ, uti Symmachus Νεβύς. Quàm autem vicina Ναβὼν, & Δαγὼν! Et multò notius *Dagonis* numen: ut facile hîc potuerit librario error oboriri.

Alterum erat, sitne Nabo numen Moabiticum. Assyrium esse, satis est apertum ex loco Iesaiæ memorato. Vtrùm verò & Moabiticum sit, non æquè liquet. Moabiticum sensisse, dicuntur LXX: ut qui sic verterint Esa. XV, 2, Απολεῖται δὲ Νεβὼν, ἐφ' ὃ βωμὸς ὑμῶν. *Peribit & Nebon, ubi altare vestrum.* Sed enim potiùs per *Nebo* intelligo Moabitidis urbem, à filiis Ruben exstructam: ut est Num. XXXII, 38. Tum autem, quod de ara additur, non est in Hebræis: quæ sonant, uti est in vulgatâ. Ea sic habent: *Onus Moab: Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit: quia nocte vastatus est Murus Moab, conticuit. Ascendit domus, & Dibon, ad excelsa in planctum: super Nabo,*

Nabo, & super Medaba, Moab ululabit. At quantum abeunt ab his LXX! Nam Latinè sic reddas: *Verbum contra Moab. Nocte peribit Moabitis. Nocte enim vastabitur murus Moabitidis. Contristamini in vobis ipsis. Peribit enim & Nebon, ubi ara vestra. illuc adscenditis ad plorandum super Nabaton Moabitidis.* Videtur autem mihi clarissimus socer meus Fr. Iunius optimè Hebræorum mentem sic expressisse: *Ascendet Baiithum, & Dibonem, Bamothas* (sive in excelsa) *cum fletu: super Nebunte, & super Medeba, Moab ululabit.* Baithum oppidum Moabitidis sic dictum à templo idololatrico. Nam בית non *domus* modò, sed etiam *templum*. Dibon item civitas Moabitidis, in qua templum idololatriâ clarum. Hinc Hesychius: Δειβών, τόπος ἔνθα ἵδρυ ἱερὸν Μοαβίτων· *Deebon, locus ubi exstructum fanum Moabitarum.* Nebuntem sive Nebonem oppidum Rubenitæ itidem condiderant: ut est Numer. XXXII, 38. Ac meminit etiam Ierem. XLVIII, 1. Eodemque nomine montis Ararim cacumen, Deuter. XXXII, 40. Medebam, seu Medavam, præter Scripturas, & Iosephum, etiam Ptolemæus, & Stephanus, in Arabia constituunt: sed hic in Nabathæa; ille in Petræa; quod magis convenit prophetæ verbis.

Postremum erat, utrùm Nebo sive Nabo sit idem, ac Chamos. Nebo erat urbs Moabitidis; in qua numen colebatur ejusdem cum urbe nominis. At hoc numen aliter *Chamos* dicebatur; ut indicant verba illa B. Hieronymi superiùs adducta: *In Nabo erat Chamos idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beel-Phegor.* Quare ex Hieronymi mente *Nebo*, quando pro numine sumitur, idem sit, ac *Chamos*, & *Beel-phegor*. Video, quid impulerit doctissimum Patrem. Sic colligebat secum. Moabitis Chamum, & Beelphegor, cultos constat. At Nebo, cui numen ejusdem nominis, fanum habuit sui numinis. Numen igitur illud, *Nebo* dictum, idem sit ac Chamus, & Beelphegor. Meliùs procederet argumentum, si constaret, Moabitas omnes unum duntaxat, atque idem numen invocasse. At quid prohibet, quo minùs plura coluerint numina: sive una urbs plures haberet Deos, sive hæc quidem Moabitidos urbs hoc numen, alia verò aliud, veneraretur? Nos Nebo diversum esse à Chamo sic colligimus. Beelphegor est Priapus; Chamos est Comus; uterque Liber sive Bacchus, hoc est, Sol; uti vidimus. At Nebo alius à Sole. Nam ut diversum numen conjungitur cum Belo Iesa. XLVI, 1, ubi contrita ait simulachra & Bel, & Nabo. Vt Nabo fuerit Assyriis numen dignitate proximum Belo. At Bal sive Bel Sol erat: quemadmodum fusè antea ostensum. Nebo igitur potius sit Luna. Hæc enim duo numina præcipuo in pretio fuere Chaldæis, totique Orienti.

Venio ad *Vrotalt*. De quo sic Herodotus in Thalia, ubi Arabum religionem

gionem ac mores deſcribit : Διόνυσον δὲ θεὸν μοῦνον, καὶ τὴν Ουρανίην ἡγεόνται εἶναι · — Ουνομάζουσι δὲ τὴν μὲν Διόνυσον, Οὐροτάλτ · τὴν δὲ Ουρανίην, Αλιλάτ · *Solos pro Diis habent, Dionyſum, & Vraniam. — Ac Dionyſum quidem Vrotalt; Vraniam verò Alilat appellant.* Deque his duobus diis, ſimiliter Origenes in v contra Celſum * : Αράβιοι δὲ τὴν Οὐρανίαν, καὶ Διόνυσον, τούτους μόνους σέβοντες · *Arabes Vraniam tantùm, & Liberum colunt.* Aliter tamen de iſto Arrianus in VII †; ubi narrat, quomodo Alexander Magnus, quia cognoviſſet, duos ſolùm Deos ab Arabibus coli, Vranum ſive Cælum, & Dionyſum ſive Liberum, petierit, ut duobus illis tertius adderetur : quippe qui non inferiora Libero Patre geſſiſſet, ac præterea Arabibus conceſſiſſet ſuis vivendi legibus poteſtatem. Sed de Arabibus antiquis potior eſt mihi vetuſtiſſimi hiſtoricorum Herodoti, quàm juniorum, auctoritas. Nec propterea diffiteor, ab iis Liberum quoque, ob res ſtrenuè geſtas, divino eſſe honore affectum. Sed enim honos ille primitus heroicus ſolùm fuit; poſtea in divinum eſt converſus : neque tum Liber ſeorſum cultus à Sole; ſed cultu mixto Liberum in Sole, Solem in Libero, venerabantur. Nec probare poſſum, quod Libero Vranum addat Arrianus, præteritâ Vraniâ : quam Aſia, & Africa omnis, tantopere coluit. Nec Vranus eſt à Sole diverſus; quia is cæleſtium eſt ignium moderator; ut poſtea pleniùs explicabitur.

* *pag.261, edit. Auguſt.*

† *Verba Arriani adduximus libro ſuperiori cap.26.*

Sed unde dicitur Ουροτάλτ? Puto, notare *beneficium luminum.* Habemus Ieſaiæ XXVI, 20 : ubi eſt טַל אוֹרֹת, *tal oroth*, hoc eſt, *ros lucis*, ſive *ros luminum. Ros* verò κατὰ μεταφορὰν ſumitur pro divino quolibet beneficio cælitus nos quaſi irrorante. Ex *orot* igitur, & *tal*, ſit *orotal*, & *t* adjecto, *orotalt*, vel *ourotalt* : hoc eſt, *Deus*, vel *dator lucis* : quo nihil eſt Soli convenientius.

Nec alius à Διονύσῳ, ſive Sole, eſt Δυσάρης, ſive Δουσάρης, vel Δευσάρης. Quæ vox, ut ſuſpicor, conflata ex דוּץ, *duts*, & אֶרֶץ, *arets*. Quorum prius *gaudium*, alterum notat *terram*. Vt notet, *lætitiam terræ*, hoc eſt, mortalium. Nam Liber ſive Sol lætitiâ implet mortales, maturando fruges, & uvas : unde de vino ſic Maro I Æn.

Munera lætitiamque Dei.

Duſaren verò eſſe Arabum numen, indicat locus ille Tertulliani in Apologetico cap. XXIV : *Vnicuique etiam provinciæ, & civitati, ſuus Deus eſt : ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Diſares.* Vbi perperam in Aldinâ, *Diaſares.* Etiam apud Stephanum ſive Hermolaum Byzantium eſt : Δουσάρη, σκόπελος καὶ κορυφὴ ὑψηλοτάτη Αραβίας. εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ Δουσάρου. Θεὸς δὲ οὗτος παρὰ Αραψι, καὶ Δαχαρηνοῖς τιμώμενος. *Duſare, locus Arabiæ ſublimis. Sic verò à Duſaro vocatus. Is verò Deus ab Arabibus, & Dacharenis, cultus.* Dachareni autem Arabiæ

Felicis

Felicis populus, qui aliter Nabathæi : ut docent Stephanus in Δαχαρλωοὶ & Eustathius in Dionysii φειήγησιν. Vnde corrigendus Hesychii locus, ubi vulgò legitur : Δυσάρλω, τὸ Διόνυσον Μαζβαῖοι, ὡς φησὶν Ισίδωρος· *Dusaren, Liberum Mabatæi, ut ait Isidorus.* Vbi Ναβαταῖοι legendum, liquet. Primusque sic emendavit socer clarissimus Franciscus Iunius suis in Tertullianum * notis.

Etiam Arabiæ urbs est Baisampsa : ubi Solem cultum, nomen testatur ; quod *Solis domum* signat. Testis Stephanus in Vrb. descript. Βαίσαμψα, πόλις ἐν τῷ Αραβικῷ κόλπῳ φεὶ τὴ ἐρυθρὰν θάλασσαν, ὅ ἐστιν οἶκος ἡλίου· ὁ πολίτης, Βαικαμψηνός. *Bæsampsa, urbs in sinu Arabico ad mare Rubrum, ac significat Solis domum. Gentile ejus Bæcampsenus.* Hinc BAIKAMΨHNΩN, in nummo Trajani †. Est igitur compositum. Prior pars est Syriacum, & Arabicum, בַּיִת, pro quo & κατ' ἀποκοπὴν dicitur בַּ, *domus, templum.* Altera est Arabicum שָׁמֶשׁ, quod Hebræis שֶׁמֶשׁ, *sol.* Imò Arabes non modò Σάμυς, vel Σάμψον, sed & Σάμψα, extulerint ; si rectè Stephanus : Σάμψα, κώμη τῆς Αραβίας. τὸ ἐθνικὸν, Σαμψηνός. Σάμψα δὲ, φασὶ τοῖς Αραψὶν ὁ ἥλιος. *Sampsa, vicus Arabiæ. Gentile Sampsenus. Sampsa verò Arabibus Sol.*

* *Apologet. cap. 24.*

† *In thesauro Goltzii, cap. de opidis fluviisque.*

CAPVT IX.

Persis Sol Mithras, *& unde id vocabulum : atque ejus propaginem esse* Mithridates, *qui &* Mithradates. *Mithras non tam unus, quàm supremus Persarum Deus : medius autem inter Oromazem, & Arimanium ; unde* Μεσίτης *vocabatur. Idem* τριπλάσιος *dictus : quod veteres Dionysii interpretes originem ducere existimant ex luce triplicatâ eo die, quo in sciaterico Achazi umbra recessit : sed opinio hæc refellitur, veriorque ejus vocabuli ratio adfertur. De Amani sive Omani cultu apud Persas, & alios, qui hunc ab ea gente ritum accepissent. Non tam eum summum numen, quàm symbolum illius, videri : nempe ignem inextinguibilem. Ratio unde* Amanus *dicatur. Non esse ex eo nomen* Achæmeniis *vel* Achæmenidis, *quia Solem colerent ; sed ab* Achæmene, *unde orti : hunc tamen, boni ominis ergo, ab Sole, sive Igne, solari symbolo, nomen fuisse sortitum. Soli à Persis sacrificatum equum ; item ab gentibus aliis : & quæ ritus ejusce caussa.* Mithrax *vel* Mithridax *gemma, unde dicta. Manichæos à Persis hausisse, quòd Solem sic venerarentur, seu proprius ille, seu symbolicus fuerit cultus.*

AB Arabibus gradum jam capesso ad Persas : quibus itidem Sol pro Deo habebatur : quod veterum tam multis proditum video, ut Sozomenum hic *, & ejus notæ alios, adducere si velim, agere sæpius jam actum videar. Nomen verò Μίθρας. Hesychius : Μίθρας, ὁ ἥλιος ἐν Πέρσαις. Ac similiter quoq; Suidas in Μίθρα. Hinc in veteribus inscriptionibus ‡ :

* *lib. 2, cap. 8, & 9.*

‡ *apud Gruterum Inscript. pag. 34, num. 5. & 6.*

‡ *ibid. num.2.* DEO SOLI INVICTO MITHRÆ: vel ‡, SANCTO INVICTO MI-
* *ibid. num. 5.* THRÆ: vel, SOLI INVICTO MITHRÆ. In quibus & reperias *,
† *num.3.* OMNIPOTENTI DEO MITHRÆ: ac simpliciter †, INVICTO MI-
THRÆ. Nisi quod semel iterumque, MITHRE, merâ vocali exaratum.
Origo vocis est à Persis מֶתֶר Mether, quod & Mither: ac valet *magnus*,
unde comparativus מִתְרִי Mithri, vel מִתְרַ Mithra, hoc est, *μείζων* sive *major*:
ut idem sit ac *δυνάστης* sive *dominus*. Quod Scaligero monitum in VI de
‡ *cap. de hebdomadibus Danielis.* Emendatione temporum ‡: ubi inde conflatum censet Μιθραδάτης, quasi
מִתְרַ־רָתָא. Per A enim in veteri etiam Regis nummo in Thesauro Golt-
* *pag.154.* zii * legas: ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΠΟΝΤΟΥ. Sed Μιθριδάτης per I exaratum semper apud Strabonem,
Plutarchum, & Appianum. Vti & Iosephum lib.XI Antiq. cap.I. Nec
aliter unquam Latini; ut errent, qui, ob unius nummi auctoritatem, sem-
per substituunt, *Mithradates*; ut apud Tullium, Hirtium, Vellejum, Iusti-
num, cæteros. Atque ista dicta sint de nomine. Venio ad Solem ipsum:
qui vel unus, vel supremus saltem, Persis Deus fuit. Vnum dicit Herodo-
tus, eique equum oblatum. Verba sunt lib. I: Θεῶν δὲ μόνον ἥλιον σέβονται, καὶ
† *Solum è Diis colunt Solem, eique equos sacrificant.* θύουσι ἵππους †. Similiter Strabo in XI: Θεὸν δὲ (al. Θεῶν) ἥλιον μόνον ἡγοῦνται·
τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι ‡. Trogus sive Iustinus lib.I: *Solem unum Deum Persæ*
esse credunt, & equos eidem Deo sacratos ferunt. Supremum dicunt alii. Hesy-
‡ *Deum Solem duntaxat putant: huic vero sacrificant equo.* chius: Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός· *Mithras supremus Persarum Deus.* Et
profectò potior est hæc eruditi grammatici sententia; quàm illa Herodo-
ti, Strabonis, Trogi. Nam, ut postea videbimus, coluere etiam Lunam,
* *cap.5.* Venerem, atque elementa. Imò, ut monstratum nobis libro superiori *,
habuere etiam Oromazen, ut boni fontem, & Arimanium, ut principium
mali: quasi illum *Iovem*, hunc *Vejovem* dicas. Inter autem hæc duo nomina
quasi medium statuêre Solem, quem *Mithram* vocarunt. Plutarchus de
Isid. & Osir. Εκάλει τὴν μὲν Ωρομάζην, (seu Ωρομάσδην) τὴν δὲ Αρειμάνιον· μέ-
σον δὲ ἀμφοῖν, τὴν Μίθρην εἶναι.. διὸ καὶ Μίθρην Πέρσαι τὴν μεσίτην ὀνομάζουσιν. *Vo-*
cavit (Zoroastres) *illum quidem Oromazem, hunc verò Arimanium: medium*
verò amborum Mithram: eò & Persæ Mithram dicunt mediatorem.

Porrò Μίθρας hic dictus iisdem Τριπλάσιος sive *Triplex*: eóque cogno-
mine in memoriam ejus sacra celebrabantur. Vnde apud Dionysium, co-
gnomento vulgari Areopagitam, epistola VII ad Polycarpum legas: Τοῦ-
το τῶν Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ Μνημόσυνα τῶν Τριπλα-
σίου Μίθρου σημαίνουσιν· *Apud Persas sacerdotes famâ hoc fertur, ac præterea Magi*
memoriale sacrum Triplicis Mithræ perficiunt. Sed non ita facile est dicere,
cur Τριπλάσιος sit vocatus, & quid rei fuerit, in cujus memoriam sacra hæc
fierent. Duorum Dionysii interpretum Græcorum, Pachymerii, ac Ma-
ximi,

ximi, ea est sententia; Persas, viso in cælis grandi Solis miraculo, quod contigit temporis Ezechiæ Regis, & cognomen, & sacra hæc instituisse. Ac Τετπλασίυ nomen Mithræ sive Soli datum, quia dies penè fuerit triplicatus: quod adstruere conantur ex historia ipsa, quam legere est II sive IV Reg. cap. XX, & Iesa. XXXVIII. Hic refertur, ut Ezechias rex, letali morbo decumbens, cùm intellexisset ex Iesaia propheta, Deum, precibus suis exauditis, quindecim vitæ annos adjecisse, nec deventura esse Hierosolyma in Assyrii Regis potestatem; signum petierit, quò animus suus de promisso hujusmodi firmaretur. Tum optionem ei à propheta datam, malletne umbram lineis decem procedere, an retrocedere: illum posterius, ut naturæ repugnantius, elegisse: continuò autem decem lineis retro abiisse illam in sciatherico, quod fieri curârat pater ejus Achaz. Ex hac historia sic colligunt, horam jam diei decimam fuisse, cùm regredi inciperet Sol: decem igitur horis opus fuisse, priusquam ad ortum perveniret: horas totidem requisitas, priusquam rediret, unde abierat: residuas fuisse horas diei duas, undecimam, & duodecimam: ac proinde diem illam fuisse horarum duarum & triginta: eóque complexam esse lucem bidui, hoc est, bis duodecim horarum æquinoctialium: ac decem horas reliquas, quia solum duæ desiderentur horæ, quo minus integrum diem conficiant, κ) σωεκδοχλω haberi pro integro die. Diem igitur fuisse triplicatam: ac propter tam grande miraculum jure Μίθραν, qui Sol est, dici Τετπλάσιον sive Triplicem. Verùm ut speciosè ea dicantur, multa tamen sunt, quæ sententiam hanc reddant suspectam. Primùm, nec in Regum libris, nec in propheta Iesaia, legere est, Solem retrocessisse, sed umbram: potuit autem Deus, Sole cursum suum peragente, sic per se, vel angelorum ministerio, impeditis Solis radiis, lucem temperare, ut, eâ aliter, atque aliter, admissâ, non projiceretur umbra, nisi ubi prædixisset prophetes. Atque hanc sententiam amplexi sunt Burgensis, Vatablus, Montanus. Eique mirificè favet argumentum illud, quod si dies ista fuisset quasi tridui: majus fuisset miraculum, quam temporibus Iosuæ, cum bidui spatium pro die foret. Nam Iosuæ X, 13, est: *Stetit itaque in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei.* Atqui proximè subjungitur: *Non fuit antea, & postea, tam longa dies.* Præterea legati Babylonii, ut est Paralip. lib. II, cap. XXII, *interrogarunt de portento, quod acciderat super terram.* Vbi, quia *super terram* dicitur, longè verisimilius est, miraculum hoc non in cælo ab iis observatum, sed ex Iudæa ad eorum aures perveniisse. Nec enim intra Iudææ conscientiam potuit contineri tam grande miraculum, quod non rex solus è lectulo in paterno prospexerat horologio; sed tot alii simul in regis aula, & extra eam alii iis in locis, unde ad Achazi horologium pateret prospectus.

Hæc

Hæc si ita sunt, planè concidunt ista de triplicato illius diei spatio. Sed enim non levis apud omnes pios Sanctorum esse Patrum debet auctoritas. Atqui illi, etsi de spatio diei dissentiant, in eo tamen convenire videntur, Solem ipsum mutasse cursum suum. Sic enim è Græcis Theodoretus in illud psal. XXIX, *Audivi dominum, & misertus est mei.* Item Cyrillus, & Elias Cretensis in Nazianzenum. Imò Hippolytum idem sensisse, legas apud Glycam in secundo Annalium. E Latinis similiter Augustinus de mirabilibus Scripturæ lib. II, cap. XLVIII; item Hieronymus, Haymo, alii. De eo igitur ne pugnemus. Præsertim quando sic quoque nihil inde efficitur, quale voluerunt. Neque enim, si lineis decem sit umbra regressa, eò Soli decem fuerit horis opus in recedendo, ac alteris decem in remeando: quia fortasse lineæ illę, ut optime Tostato observatum, non horarum fuerint, sed semihorarum. Proinde non viginti horis dies illa longior fuerit solito, sed denis duntaxat. Imò quid si & quadrantes lineis fuerint signati? Sic quinque solùm horis excesserit. Verùm nec tantum opus largiri. Potuit & Sol decem esse lineis regressus, & dies tamen par spatio fuisse cæteris. Vt si, Dei jussu, Sol celerrimè ad ortum, atque à prima linea mox ad decimam reciprocârit. Quam infirmo igitur tibicine nituntur, qui cum Procopio * statuunt διπλασίαν ἡμέραν γεγονέναι, sive, ut apud B. Hieronymum legas, *penè duplicem factum diem:* cui & sententiæ, ut Vatablo monitum, favet R. Kimchi. Quid igitur de illis putabimus, qui etiam triplicatam lucem volunt? Quærat aliquis, si sacrum illud Persicum in memoriam Triplicis Mithræ non sit ab illustri illa die: unde igitur nomen hoc sortitum credamus. Dixero, facilius esse, quid sit falsum, videre, quàm verum perspicere. Fortasse Τεπλάσιον dictum ob tria illa in Deo eximia, sapientiam, ratione intellectus; bonitatem, ratione voluntatis; & potentiam, in exequendis omnibus. Sic etiam dici potuisse ab triplici Solis effectu; calore, lumine, & distinctione temporis. Vel ab triplici dierum mensura: quia alii pares, ut æquinoctiales, seu verni, seu auctumnales: alii breviores, ut præcipuè brumalis: alii longiores, uti tempore solstitii; prout veteres dixere, quod nunc laxiùs solstitii vocem accipientes, διαλελικῶς † vocant *solstitium æstivum.*

* Esa. 39.

† discernendi gratia.

Amanum quoque, & Anandratum, Persicos esse Deos, testis est Strabo in XI: ubi narrat, ut à Persis in Hircania templum sit conditum Deæ Anaitidos, καὶ τῶν συνθρόνων θεῶν, Ἀμανοῦ καὶ Ἀνανδράτου, Περσικῶν δαιμόνων, *eodem altari gaudentium Deorum Persicorum, Amani, & Anandrati.* Libro etiam XV narrat, ut in Cappadocia sit magna magorum multitudo, qui dicantur Πύραιθοι. Addit quoque, πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν Θεῶν ἱερά, *& multa Deorum Persicorum templa.* Subjungit mox, ut in πυραιθείοις sit ara, in qua servant

ſervant ignem perennem, eóque πύραιθοι quotidie ingreſſi, per horam quaſi, ante ignem carmen ſive ἐπῳδὰς ſuas concinant, idque verbenas manu tenentes, tiaris velati utrimque ſic dependentibus, ut vittæ maxillas & labia contegerent. Et iſta ait ex lege fieri in delubris τῆς Ἀναΐτιδος *, καὶ τοῦ Ὁμανοῦ. Vbi non dubito, quin idem ſit Ὁμανὸς, ac qui lib. XI erat Ἀμανὸς, ſive, ut eſt in MSSis, Ὠμανός. Sed in quæſtione eſt, quis naturæ Deus (nec enim Perſæ antiqui Deos animales coluerunt) intelligi debeat. Doctiſſimorum ea virorum opinio eſt, Solem ſignari. De quo faciliùs aſſentirem, niſi, in utroque Strabonis loco, conſtaret, Anaïtidi deæ deum Omanum ſive Amanum ſubjungi. Vnde colligo, cùm Anaitis ſit Venus ſeu Diana, Omanum propriè non ſignare Solem, qui Mithras Perſis vocatus, & pro ſummo habitus numine fuit: ſed duntaxat ejus ſymbolum, Ignem perennem: in quo Solem, tanquam divino ſymbolo, colebant. חום chom eſt *calor*: unde חמה chama, *Sol*, vel *Ignis*. A quo חמנים chamanim, quæ Græcis πυραιθεῖα. Hinc Levit. XXVI, 30, חמניכם Chamanicem; quod reddunt *ſimulachra veſtra*: malim *pyræa*, ſive *pyræthea veſtra*: hoc eſt, ſepta, in quibus ad ignem perennem concinitis carmen veſtrum. Scaligero viſum, ex חמה, appoſito א, etiam eſſe *Achaman*; indeque Perſas dici *Achæmenios*: cujus ſententiæ ei fundus eſt locus iſte Lutatii Placidi in lib. I Statianæ Thebaidos: *Nunc Achæmenii dicuntur, ubi Apollinem Solem dicunt; cujus & ſacrorum ritus inveniſſe dicuntur*. Quare, ſi Scaligerum audimus, Perſæ vocentur *Achæmenii*, quaſi Solis cultores, quia repererint Solis cultum. Id parùm mihi fit veriſimile. Potiùs habuero fidem Herodoto: qui auctor eſt libro I, & VII, veterum eſſe Perſarum familiam Paſargadarum: in hac fuiſſe Achæmenidarum cognationem: ex ea reges Perſicos originem ducere: ſic dictam ab antiquo Achæmene: quod nomen multi habuerint nobiles Perſæ: etiam pater Cambyſis, avus Cyri maternus. Ipſum verò *Achæmenis* nomen facilè mihi perſuadeo eſſe ab *Achaman*, ſive Sole, vel ejus cultu in ſymbolo. Principes enim viri in Oriente ſolent boni ominis ergo nomen habere ab eo, quod honore adficerent divino. Hujus rei hoc opere varia adducimus exempla. *Achæmenes* igitur ab *Achama* idem valet, quod à Phœbo *Phœbadius*, ab Apolline *Apollonius*, & *Apollinaris*, à Sole etiam *Solinus*, teſte Priſciano lib. II.

* *Anaitidis, & Omani.*

Soli à Perſis equum ſacrificari ſolere, præter Herodotum, & Trogum, quorum verba ſuperiùs vidimus, teſtis etiam Xenophon lib. VIII Κύρου παιδείας: imò & Ovidius I Faſt.

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Vbi & cauſſam ſacrificii illius addit. Ac ſimiliter ex Philoſtrati primo

de vita Apollonii vidimus, quia Sol candidus sit, eo album solere equum sacrificari. Massagetas itidem equum mactâsse Soli, ait Herodotus in primo : Armenios item, Xenophon in IV Ἀναβάσεως.

Mithræ etiam sacra erat gemma apud Persas, quæ Plinio *Solis gemma* vocatur : nempe quia Solis instar candida sit, & radios de se fundat. Eademque est, quæ à *Mithra*, hoc est, Sole, *Mitrax*, sive potius *Mithrax* vocatur. Plinius lib. XXXVII, cap. VII : *Mithrax à Persis accepta est, & Rubri maris montibus ; multicolor, contra Solem variè refulgens.* Sic etiam vetus Parmensis : atque editiones aliæ, nisi quod spiritus prætereatur. Apud Solinum tamen *Mithridax* legitur. Nec videtur aliter scripsisse, quando, qui eum exscripsit, Isidorus similiter legit ; ut indicant verba ista lib. XVI, cap. XII : *Mithridax Sole percussa coloribus micat variis. Gignitur in Perside.* Sic vetus etiam editio Ticinensis anni CIↃ CCCC LXXXIII ; & MSSi nostri, uno excepto, sed non multùm abeunte : quippe in quo sit *Mitridax*. Vt quin *Mitridax*, vel potius *Mithridax*, scripserit Solinus, minimè sit ambigendũ.

A Persis Manes, Manichæorum patriarcha, ut boni malique principium, sic etiam Solis, qui inter principium utrumque medius, cultum sine dubio, cum Perses fuerit, accepit. Manichæos verò Solem coluisse, testis nobis B. Augustinus lib. adversus epistolam Manichæi, quæ dicitur Fundamentum, cap. I. Atque idem penè initio libri contra Fortunatum ait, cum Manichæorum esset auditor (nam ex electis eorum nunquam fuit) observâsse, ut Solem versus facerent orationem. Et contra Faustum lib. XX, cap. V : *Ad Solis gyrum vestra oratio circumvolvitur.* Et cap. VIII : *Vestræ vanitati placuit, in Sole ponere virtutem Filii, & in luce sapientiam.* Sed qualis ille cultus Manichaicus fuerit, num divinus, an symbolicus, haut facilè dixerim. Interea in symbolicum magis inclino. Nec enim ex illis Augustini disputationibus cum Manichæis video aliquid, unde de altero statui certò possit.

CAPVT X.

Ægyptios coluisse Solem sub nomine Osiridos : cumque Sole cultum Mitsraim, primum è regibus Ægyptiis : atque inde esse, quòd Sol primus Ægyptiorum rex fuisse dicatur. Quàm variè olim soleant Osiridem interpretari. Conciliantur inter se sententiæ eorum, qui Osiridem Pana, vel Naturam, qui Iovem, sive Vranum, quique Titana, vel Phœbum, aut Solem dicerent. Quid Ægyptii notarint sceptro, oculoque eì impositio. Osiris idem est, ac Adonis, & Phrygius Attis : atque hoc etiam alternante in eorum sacris luctu, ac gaudio, comprobari. Etiam Sol Ægyptiis Orus : *cujus ἔτυμον adducitur ; uti &* Origenis. *Iupiter Heliopolì, tum*

tum Ægyptiâ, tum Assyriâ cultus, idem erat ac Sol Cœlumque. Vectatio ejus simulachri: uti & aliorum alibi Deorum. Quo continerentur, Tensæ *dictæ, item* Succoth *Hebræis, Græcis* ναοὶ & σκηναί.

PRætereo cæteras Asiæ gentes; de plerisque tamen, uti Massagetis, Phrygibus, aliis, aliâ inferiùs occasione dicturus. Nunc agam de Ægyptiis; unde juxta, ac à Phœnicibus, superstitio penè omnis in cæteras dimanavit gentes.

Ægyptiis Sol dicebatur *Osiris*; sed sic, ut Nilum etiam *Osiridos* nomine, imò & regem Mitsraim, complecterentur. Φυσικῶς enim Osiris est Sol, & Nilus: ἱστορικῶς Mitsraim, Chami filius, regni Ægyptiaci conditor; de quo diximus libro superiori cap. XXVII. Atque hinc lucem capiunt illa Diodori Siculi verba libro I Bibliothecæ *; quæ & legere est apud Eusebium lib. III Præparat. Euangelicæ cap. III: Πρῶτον μὲν Ηλιον βασιλεῦσαι φασὶ κατ' Αἴγυπτον, ὁμώνυμον ὄντα τῷ κατ' οὐρανὸν ἄστρῳ· *Solem primò imperâsse Ægyptiis, cognominem astro, quod in cælis.* Vbi per Solem intelligo, non aliquem, cui ab incunabulis fuerit Solis nomen: sed Mitzraim, Chami filium, qui uno eodemque cum Sole cultu colebatur. Nec tamen existimandum, Osiridis nomine solum intelligi Solem: quandoquidem appellatio hæc omni convenit Naturæ: tum cælesti, in qua Ægyptii præcipuè Solem spectarunt: tum inferiori, ubi Nilum magis attenderunt. Atque inde est, quod variè adeò Osiridem interpretarentur Theologi gentium, sive potiùs Mythologi. Quomodo Plutarcho Osiris est Pluto, Liber, Sarapis, Apis, Oceanus, Sol, Sirius. Nec abit ab eo Philo Byblius in Sanchoniathonis tralatione: cujus ista sunt verba apud Eusebium †: Τὸν δὲ Οσιριν, τὸν μὲν Σάραπιν, τὸν δὲ Διόνυσον, τὸν δὲ Πλούτωνα, τὸν δὲ Αμμωνα, τὸν δὲ Δία, ἑτέρους δὲ Πάνα νομίζειν· *Osirin his Sarapin, illis Liberum, nonnullis Plutona, aliquibus Plutonem, quibusdam Iovem, aliis verò Pana existimari.* Hæc quomodo concilientur, ex eo cognoscitur, quod antea dicebamus; primùm Solem ἁπλῶς, postea Solem cum Cælo, denique Solem cum Cælo, & Natura inferiori, divinum esse honorem sortitum. Primò igitur & imprimis Sol honoris hoc obtinuit. unde & veteres Osirin interpretantur Titana, sive Phœbum, vel Solem. Statius primo Thebaidos:

— *Seu te roseum Titana vocari*
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osirin
Frugiferum.

Vbi sic Lutatius Placidus: *Secundùm Ægyptios, qui Osirin Solem interpretantur: per quem proventum frugibus existimant posse contingere.* Atque hæc illo etiam firmantur, quòd Herodotus quoque tradit, eundem esse Osiri-

* *pag. 8, edit. H. Steph.*

† *lib. I Præpar. Euang. cap. I.*

dem Ægyptiis, qui Græcis Liber: quodque M. Antonius, ut est apud Dionem lib. v, se Ὀσιεν & Διόνυσον voluit nuncupari. Idem tam multa firmant, quæ communia haberent. Vterque Nysæ editus dicebatur. Vtrique sacra hedera, & laurus. Osiridem cum serpente videas expressum semper in tabula Isiaca à Laurentio Pignorio exposita. At Bassarides etiam serpentibus se cingebant; ut superiori libro * ostensum. Vtrique item comites chorus, ac Satyri. Accedit ad ista, quòd ut, præter alios, Diodorus in primo bibliothecæ tradit, Ὀσιεις id Ægyptiacè valeat, quod Græcè πολυόφθαλμος, *multoculus*: nempe quia non, uti nos, unum in locum; sed totus oculeus radios suos quaquaversum diffundat. Non disputo, quàm verũ hoc etymon sit; de quo magis placent, quæ adducebamus libro superiori cap. XXVII. Satis est, quod ista non alteri rectiùs conveniant, quàm Soli; unde poeta ‡:

Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷ, & πάντ' ἐπακούει.
Omnia qui latè Sol adspicit, omniáque audit.

Huc pertinet, quòd antiquitas Solem vocaret *Iovis oculum*. Nempe duo in Sole spectabant, quòd omnia videret, & summæ esset potentiæ: quorum utrumque Deo, ac regi, maximè convenit. Vnde & providentiam, ac potentiam regalem, signabant sceptro, & oculo ei superimposito. Sceptrum potentiæ indicium, oculus providentiæ argumentum: ut videre est Macrobii Saturn. lib. I, cap. XXI. Sic quoque Osiris idem, ac Adonis Alexandrinis fuit, teste Suida in Ἡραίσκος; item Amathusiis, ut docet Stephanus; imò & Bybliis, qui dubitabant, Osiridi, an Adonidi sacra facerent; ut est apud Lucianum de Dea Syria. Superiùs etiam Ausonii * versus de Libero adduximus:

Ogygia me Bacchum vocat.
Osirin Ægyptus putat.
Arabica gens Adoneum.

Imò nec alius ab Osiride, & Adonide, Attis Phrygius fuit: quod Martianus Capella refert in secundo de Nuptiis Philologiæ †: ubi eundem ait Solem, Serapin, Mithran, Ditem, Typhonem, Attinem, Ammonem, Adonẽ De Osiride quidem, Adonide, & Attine, clarè elucet, ex sacris tum Isidis, & Osiridis; tum Veneris Atergatidis, & Adonei; tum Berecynthiæ, & Attinis. In omnibus enim istis prius Dea Deum luget, ac mox lætatur. Quod Macrobius clarè exponit lib. I Saturn. cap. XXI. Ac de matre Deûm, & Attine, ipsum adi. Quæ cùm enarrâsset, ista de aliis subdit: *Idem sub diversis nominibus religionis effectus est apud Ægyptios, cum Isis Osirin luget. nec in occulto est, neque aliud esse Osirin, quàm Solem; nec Isin aliud esse, quam terram, naturamve rerum: eademque ratio, quæ circa Adonin & Attinem vertitur, in Ægyptia quoque religione luctum, & lætitiam, vicibus annuæ administrationis alternat.*

* *cap. 30, pag. 231, & seq.*

‡ *Odyss. λ, vers. 118, & Od. μ, vers. 323.*

* *epigr. in myobarbum.*

† *Carmine quod incipit*, Ignoti vis celsa.

ternat. Quamobrem sic censeo, eandem esse Phrygibus matrem Deûm, Ægyptiis Isidem, Assyriis & Phœnicibus Venerem; nempe terram, superius saltem hemisphærium: ac similiter eundem esse Phrygibus Attinem, Ægyptiis Osiridem, Assyriis, & Phœnicibus Adonidem; puta Solem: quo signa permeante auctumnalia, lux calorque decrescunt, usque dum ad brumam deventum; unde luctus: eodem per verna signa ad solstitium currente æstivum, cum luce crescit calor; unde gaudium. Sed pleniùs ista exponam, ubi in Lunari cultu ad Isidem erit deventum.

Nunc ad Orum accedo: qui & ipse Ægyptiis idem ac Apollo sive Sol fuit: uti testes sunt Diodorus Siculus lib. I, & Macrobius I Saturn. cap. XXI. Apud Orapollinem legas cap. XVII, ita dictum ἀπὸ τῆς ὡρῶν κρατεῖν, quia præsit horis, sive quatuor anni temporibus: unde Ianus, qui idem ac Sol, sic apud Ovidium in Fastis:

Præsideo foribus cæli cum mitibus Horis.

Sed contra censeo, Horis potiùs nomen esse ab Horo: quod propriè Sol; μελωνυμικῶς verò χρόνος, ut Erotianus exponit; sive ἐνιαυτὸς, ut Diodorus Siculus interpretatur lib. I, & Plutarchus lib. V Sympos. quæst. IV, item Hesychius. Sol vero Ωρος ab Hebræo חֹרֶם, id est, *Sol*; unde & Latinum *coruscare*. Vel potiùs cum Ο Σ in Ωρος solum sit vocis productio, erit Ωρος ab אוֹר *lux*. Est enim lux mundi præcipua. Ac quemadmodum ab Ηλιος, quo *Sol* denotatur, prænomen *Helius* venit; quod crebrum est in lapidibus antiquis: ita & Apollinare *Ori* nomen hominibus est attributum. Sanè *Orus* vetus quoque est nomen regis Ægyptii; imò apud Etymologum etiam Grammatici. Atque ut ἀπὸ τοῦ Διὸς proprium est nomen Διογένης, quasi *Iovigenam* dixeris: sic ἀπὸ τοῦ Ωρυ est Ωριγένης, quasi *Origenam* appelles, hoc est, Ore, sive Oro genitum. Non quidem ignoro, aliud visum fuisse optimo doctissimoque Andreæ Schotto, suis in Origenem † observationibus: ubi eum tradit, ita vocari, quasi ὀρειγένη *, hoc est, ἐν ὄρεσι γενόμενος: quomodo Ascetæ quidam Chrysostomo homil. XIII in epist. ad Ephesi οἱ ἐν τοῖς ὄρεσι † vocantur, & Laërtio Heraclitus Ephesius dicitur ἐν τοῖς ὄρεσι διαιτώμενος ‡. Sed præterquam quod prima in ὄρος sit correpta, in Ωριγένης, porrecta: ista nihil magnopere ad Origenem, Alexandriæ natum & educatum, ubi Or sive Orus pro numine, & ab eo hominibus quoque nomen id fuit: ut quin inde sit *Origenis* appellatio, minimè sit dubitandum.

† *lib. I, adversus Celsum.*
* *montigenam.*

De Sole Heliopoli ab Ægyptiis culto nomen urbis satis arguit. Nam Ηλίου πόλις, *Solis oppidum*: ut & Melæ, ac Plinio vocatur. Ac similiter Hebræis *Beth-semes*, quod idem notat. Vti Arabibus, Gulielmo Tyrio teste, *Bahalbeth*. Prius *domum* sive *templum* Solis; alterum *Domini domum* de-

† *in montibus degentes.*
‡ *vivens in montibus.*

ſignat : quod & alibi exponimus. Idem oſtendit ſymbolicus in ea Vrbe cultus bovis, nomine Mneuis. Macrobius lib. I Sat. cap. XXI : *Apud Heliopolim taurum Soli conſecratum, quem Neton cognominant, maximè colunt.* Vbi pro *Neton* reponendum *Mneuis* : ut ex iis liquet, quæ de Mneui dicebamus lib. I, cap. XXVII. Eademque in voce Plutarchus corruptus lib. de Iſide & Oſiride : ubi Μνυεῖν eſt pro Μνεῦιν ; ut monui ejuſdem libri cap. undetrigeſimo. Ex urbe hac in Aſſyriam tranſlatum ſimulachrum Διὸς Ηλιοπολίτου, regnante apud Ægyptios ſive Senemure, ſive Senepote, deferente illud Apia, legato Deleboris Aſſyriorum regis : ut Macrobius ibidem refert. Porro, ut ibidem ait, *Hunc eundem Deum Solemque eſſe, cùm ex ipſo ſacrorum ritu, tum ex habitu dignoſcitur. Simulachrum enim aureum ſpecie imberbi inſtat, dextrâ elevatâ cum flagro, in aurigæ modum : læuâ tenet fulmen, & ſpicas : quæ cuncta Iovis Soliſque conſociatam potentiam monſtrant.* Addit mox : *Vehitur ſimulachrum dei Heliopolitani ferculo : uti vehuntur in pompa ludorum Circenſium deorum ſimulachra.* Ludis hîc Macrobio memoratis Deorum imagines ferebantur ſacris thenſarum vehiculis : quem ritum graphicè deſcribit Dionyſius Halic. lib. VII. Multum etiam lucis dabit Ovid. lib. III Amor. eleg. II. Tangit quoque Faſt. IV :

Circus erit pompâ celeber, numeroque Deorum.

Vti & M. Tullius de Aruſp. Reſp. Varro in IV de L. L. Suetonius in Auguſt. cap. XVI, Feſtus in *Thenſa*, & tot alii. Non dubitandum verò, quin hunc morem, vel ab Aſiaticis acceperint, vel Ægyptiis. De Aſiaticis conjectura ex eo, quod apud Cappadoces, ut Strabo ait lib. IV, ξόανον τῶν Ομάνου πομπεύει, *ſimulachrum Omani defertur in pompa.* Omanus autem Perſicũ numen erat ; ut ſuperiùs diximus. De Ægyptiis, ac Æthiopibus, ſuſpicamur ex Euſtathio in Iliad. Δ * : Εν Διοσπόλει μέγιστόν ἐστι Διὸς ἱερὸν· ἀφ' οὗ λαβόντες Αἰθίοπες Διὸς ξόανον, καὶ ἄλλων δαιμόνων σὺν αὐτῷ, κατά τινα καιρὸν τεταγμένον περινοστοῦσι τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, καὶ πανηγυρίζουσι πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας, ἐπεὶ καὶ τοσοῦτοι παρ' αὐτοῖς θεοί. *Dioſpoli,* (civitate Ægyptiâ) *grande eſt Iovis delubrum : unde id Æthiopes accipientes ſimulachrum Iovis, & aliorum pariter Deorum, ſtatis ea temporibus per Libyam circumeunt, publicâque in celebritate magnificè duodecim diebus feriantur, quoniam totidem habeant Deos.* Vbi, ſi ex Romanis ſacris de Ægyptiis liceat judicare, intelligit XII Deos Conſentes, notiſſimis Ennii ‡ verſiculis comprehenſos. Deque iiſdem Ægyptiis, ac pariter Carthaginenſibus, ſic Servius in illud VI Æn.

Errantesque Deos, agitataque mœnia Trojæ :

Signa ξόανα dicit, id eſt ſimulachra brevia, quæ portabantur in lecticis : & ab ipſis mota infundebant vaticinationem : quod fuit apud Ægyptios, & Carthaginenſes. Sanè & *apud Antium promovebant ſimulachra Fortunarum ad danda reſponſa* : ut

* *pag. 128, edit. Rom.*

‡ *apud Appulejum de Deo Socratis, & Martianum Capellam de nuptiis Philologiæ lib. I.*

sa: ut Macrobius tradit, loco * antè memorato. Atque ex hiſce gentium ritibus lucem capit illud prophetæ Amos v, 26, & exinde in oratione protomartyris Stephani apud Euangeliſtam Lucam Act. VII, 43: Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ· *& portaſtis, ſive bajulaſtis tabernacul um Molochi.* Vnde liquet, LXX, quos B. Lucas ſequitur, legiſſe סכות ſuccot, vel סכת ſuccat. Hoc LXX vertêre σκηνὴν, *tabernaculum*: ac ſimiliter Symmachus: Aquila autem, eâdem mente, συσκιασμὸς, *umbraculum.* De quorum utroque teſtis nobis B. Hieronymus. Eò autem *tentorium*, vel *umbraculum*, dicebatur, quia ſimulacra Deorum continerentur vel tabulis, quæ propriè *tabernacula*; vel pellibus aut linteis tenſis, quæ propriè *tentoria*; unde & *tenſarum* nomen, non ἀπὸ τοῦ θείειν; quod ἔτυμον legas apud Aſconium in III Verr. nec à Papia ſolùm comprobatur; ſed Cæſare etiam Scaligero lib. I de R. Poet. cap. XXXII. Ac hujuſmodi quidem tenſæ, vel à bubus, aut equis, vel aſinis, trahebantur; unde in gloſſis vett. *tenſa* non ſolùm exponitur θρόνος, ſed etiam ἅρμα θεῶν: vel ab hominibus geſtabatur; quod indicat locus ex Amos, & Actis, antea adlatus. Portatiles hujuſmodi lecticas cum velis tentis habuiſſe delubri figuram, argumento etiam eſt, quòd Philo Byblius, Phœniciam deſcribens Theologiam †, dicat, Dei illius eximii, qui Phœnicibus Ἀγρὸς, Ἀγρούηρος, & Ἀγρότης vocabatur, ξόανον εἶναι μάλα σεβάσμιον, & ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν Φοινίκῃ· *ſimulachrum eſſe magnæ venerationis, & ædem à jugalibus* (ſeu bubus, ſeu equis) *ſolitam deferri in Phœnicia.* Nempe forma erat, qualis lecticæ ejus, quam vulgo *papilionem* ‡ dicimus; à figura tentorii è pellibus aut velis tenſi: quod & ipſum Plinio, Tertulliano, Vegetio, *papilio* vocatur, à forma inſecti prælargas alas ſuas expandentis. Gloſſ. vett. *Papilio*, σκήνωμα.

* *lib.* I *Sat. cap.* 23.

† *apud Euſebium in primo Præparationis Euangelica cap.* 10.

‡ *Gall.* le papillon.

CAPVT

CAPVT XI.

Assabinus *Æthiopum idem, ac Sol: & quo ritu illi cinnamomum soleat offerri. Ammon, unde* Ammoniæ *nomẽ, cujus & situs signatur, aliter* Iupiter, *vel* Deus Libycus, *dicebatur. Vnde* Ammoni *hoc nomen datum: unde item Sol* chama *dictus sit Hebræis: & unde uni è Noe filiis nomen impositum Chami.* Hama *quod numen veterum videatur Saxonum. Ægyptus non solùm à Chamo* Chemia, *sed etiam ab Ammone nominata* Ammonia: *quæ appellatio ad universam etiam Libyam extensa.* Ammon *cur Sol occidens crederetur. Templum etiam habuit in Meroë; etsi minùs frequentatum. Græcorum refellitur opinio de* Ammonis *etymo: uti & illa de cornibus Dei arietinis, cujus symboli vera ratio adfertur. Quid per* oraculum arietinum *olim intellexerint, & quæ nominis ejusce causſa.* Ammonis cornu *gemma eadem, quæ &* Garamantis, *vel* Carchedonius. *Pœnorum Saturnus idem, ac Molochus: & ut huic à Syris, ita illi à Pœnis, liberos immolatos.* Amilcam *Deum quidem Carthaginensium fuisse: sed falli, qui Saturnum, vel Apollinem crediderint, cùm fuerit dux Carthaginensis, virtutis ergo in Deos relatus. Vnde* Amilcas, Imilco, & Imilce, *nomen acceperint.*

ÆThiopibus quoque Sol cultus, nomine *Assabinus*: quem, quia summus illis foret Deus, *Iovem Æthiopicum* dixere Romani, ac Græci; nec incommodè, quia Orienti, & vicinis Africæ populis, Iupiter non Cælus sive Vranus duntaxat erat, sed Sol cum Cælo. Huic cinnamomum sive cinnamum sacrum. Quod quo ritu legerint, ac deportarint, docet nos Theophrastus his verbis: Διελόντες τρία μέρη, διακληροῦσι πρὸς τὸν ἥλιον· ᾧ ἂν λάχῃ ὁ ἥλιος, καταλείπουσιν· ἀπιόντες δ' εὐθὺς, ὁρᾶν φασι καιομένῳ ταύτῳ· *Toto in ternas partes diviso, ad Solem sortiuntur. Quod Soli sorte cesserit, id solum relinquere: atque abeuntes cernere, confestim illud sponte comburi.* Ita ille Historiæ Plantarum lib. IX, cap. V. Sed addit, Ἔτος μὲν ἐν τῷ ὄντι μῦθος· *Sed hæc planè fabula est.* Putarim ego potiùs, Sacerdotes dolo illusisse simpliciori-bus. Eâdem de re sic Plinius lib. XII, cap. XIX: *Metitur, non nisi permiserit Deus. Iovem hunc intelligunt aliqui. Assabinum illi vocant.* XLIV *boum, caprarumque, & arietum extis, impetratur venia cædendi. Non tamen aut ante ortum Solis, aut post occasum, licet. Sarmenta hastâ dividit sacerdos, Deoque partem ponit: reliquum mercator in nassas condit. Est & alia fama, cum Sole dividi, ternasque partes fieri; dein sorte cremia discerni; quodque Soli cesserit, relinqui, ac sponte conflagrare.* Item Solinus cap. XXXI: *Æthiopes legunt cinnamum. Verum legitur per sacerdotes, hostiis priùs cæsis: quæ cum litaverunt, observatur, ut messis nec ortum Solis anticipet, nec egrediatur occasum. Quisquis principatum tenet, sacerdotum acervos hastâ dividit, quæ sacrata est in hoc ministerium: atque ita portio manipulorum Soli dicatur: quæ si justè divisa est, sponte incenditur.* Ab

Ab Æthiopum gente venio ad Cyrenaicam : quâ appellatione, præter Pentapolin, etiam Marmaricam complector. Veterum enim plerique Cyrenaicam dixere, quicquid à Syrte magnâ foret usque ad Catabathmon Ægypti. In Cyrenaicæ parte ea, quæ *Marmarica*, vel etiam *Mareotis Libya* vocatur, est ἱερὰ τοῦ Θεοῦ χώρα, *sacra Dei regio* : ut vocat Diodorus Siculus lib. XVII. Est ea, quæ *Ammonia* dicitur, quam, præter Æthiopes, accolunt Nasamones, gens Syrtica, & Troglodytæ ; teste eodem Diodoro, ac Curtio in IV. Item Garamantes ; unde Lucanus in IX :

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent.

Et Claudianus in primo de laudibus Stiliconis :

Et velox Garamas, nec quamvis tristibus Ammon
Responsis alacrem potuit Nasamona morari.

Ammonia verò dicitur, quia incipit ab templo Ammonis. Et quoniâ hęc in Libya est, eò & *Ammon Libycus* vocatur à Nonno in XL Dionysiacôn :

Βῆλος ἐπ' Ευφρήταο, Λίβυς κεκλημένος Αμμων,
Απις ἔφυς Νειλῶος, Αραψ Κρόνος, Ασύριος Ζεύς.
Belus Euphrataeus, Libycus vocatus Ammon,
Apis es Niliacus, Arabs Saturnus, Assyrius Iupiter.

Etiam *Libycum Iovem*, vel *Deum*, dixere. Propertius lib. IV, el. I :

Hoc nęque arenosum Libyci Iovis explicat antrum.

Dionysius in Περιηγήσει :

Καὶ τέμενος Λιβυκοῖο Θεοῦ ψαμάθῳ ὕπο πολλῇ,
Delubrumque Dei Libyci multam inter arenam.

De Ammone hoc diximus lib. superiori cap. XXXII : sed illic consideravimus, quatenus est Cham, filius Noë : hic spectamus, quatenus est Sol ; in quo, & cum quo, Cham, cultu mixto, colebatur. Sive verò Ammonem consideres, ut Chamum, Noë filium ; sive ut Solem cum cælo ; optimè ei convenerit *Ammonis* nomen. Nam ab *Am* sive *Ham*, sic Deus hic dici potuit, quia ἰσοεικῶς ipsissimus Cham foret : & φυσικῶς sic potuit vocari à Sole, qui Hebræis חַמָּה, chama ; unde & suspicor *Hama*, veterum Saxonum numen, de quo Fabricius in Saxonia sua *, ipsum Solem fuisse. Quemadmodum, & inde חַמָּנִים, Chamanim, & Deus *Amanus* sive *Omanus* ; ut superiùs † diximus. Est verò חַמָּה chama à חם chom *calor* ; quia Sol fons sit caloris. Nec dubitandum, quin & filius ille Noë ab eadem voce Hebræâ *Chami* nomen acceperit. Quare *Cham* propriè *calidum* notet : sive sic à parentibus sit vocatus, quod jam in puero ignea quædam mens, & mirus animi fervor, reluceret : sive ita dictus à colore fusco : quando vox Hebræa non *calidum* modò, sed μελαγχολικῶς etiam *nigrum* signat, quia

* *pag. 61.*

† *cap. 9 hujusce libri.*

ſolari æſtu fuſci, vel nigri etiam, homines fiant : ſive etiam prophetico ſpiritu nomen hoc illi datum ſit, quia progenies ejus inhabitatura eſſet regiones meridionales, quibus Sol magis urit, & nigrorem hominibus adfert. Chami enim poſteris tum Ægyptus obtigit; tum ab oriente Arabia, ab occidente exterior Libya, à meridie Æthiopia. Ac ſuperiùs * quoque oſtendimus, Ægyptum à Chamo hoc *terram Cham*, & *Chamiam*, ſive *Chemiam*, appellatam. Quò pertinet etiam illud B. Hieronymi Tradit. Hebr. in Geneſin : *Ægyptus uſque hodie Ægyptiorum linguâ Ham dicitur.* Imò Libya tota ab eodem etiam nuncupata *Ammonia.* Stephanus Byzantius : Αμμωνία ἡ μεσόγειος Λιβύης. Ἡ αὕτη δὲ πᾶσα ἡ Λιβύη ὕτως ἐκαλεῖτο, ἀπὸ Αμμωνος. *Ammonia, regio in medio Libyæ : ac univerſa etiam Libya ſic vocabatur ab Ammone.* Atque idem in Λιβύη ait, hanc variis vocari nominibus, inque iis ab eo etiam reponitur Αμμωνίς. Vti & Ἑσπερία, & Ἑσπερία : quas duas appellationes ex eo eſſe cenſeo, quòd regio illa, ubi templum Iovis Ammonis, eſſet Chemiæ, ſive imperii quod ceſſit Chami poſteris, pars ἑσπάτη, *extima*, maximeque ἑσπερία, *occidentalis.* Vnde & factum id cenſeo, ut *Moloch* quidem, & *Belus*, qui in Oriente culti, ad Orientem Solem referrentur; *Ammon* verò, qui ad Occidentem, potiùs Sol occidens crederetur. Macrobius lib. 1 Saturn. cap. XXI : *Hammonem Deum Solem occidentem Libyes exiſtimant.* Præter hoc & alterum Ammonis templum fuit, idque in Meroë, Nili inſula. Plinius lib. VI, cap. XXIV : *Delubrum Hammonis & ibi religioſum.* Sanè & hoc religioſum, etſi minùs illo Libyæ. Ideo ait, *& ibi*; non autem, *eſt ibi* : ut bene Rhenano obſervatum. Verùm delubrum illud Latinis Græciſque ſic celebratum, non Meroës, ſed illud Ammoniæ ſive Marmaricæ fuit.

Græculi eò, quòd delubrum Ammonis in arenoſis Libyæ locis foret, & ſimulachrum numinis fingeretur cum cornibus arietinis, occaſionem arripuere varias texendi fabellas : præcipuè illam de ariete, qui Libero patri, cum exercitu in arenoſis Ammoniæ locis magnâ aquæ penuriâ laboranti, fontem monſtrârit, ubi poſtea conditum Ammonis fanum fuit : ac ab arena quidem, quæ Græcis ἄμμος, *Ammonem* dictum volunt; in honorem autẽ arietis, cum arietinis cornibus figurari. Vide hæc fuſiùs ex Hermippo referentem Hyginum in Poëtico Aſtronomico, ubi de Arietis ſigno agit : item Servium in illud IV Æn. *Hic Ammone ſatus* : quo loco & alias aliorũ opiniones adducit. Sed planè ridiculum eſt, velle *Ammonis* nomen petere à Græcis : cùm Ægyptii ipſi Ἀμὼν appellent, teſte etiam Herodoto. Cornua verò arietina, cum quibus etiam in veteri nummo conſpicitur, partim ſignificant potentiam Chami, & regni ejus, quod poſteri obtinuere : partim etiam ingentem denotant vim Solis. Quò & Macrobius † retulit :

Ideo

* *lib. I, cap. 27.*

† *lib. I Sat. cap. 21.*

Ideo & Ammonem, quem Deum Solem occidentem Libyes existimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal valet, sicut radiis Sol.

Quamquam autem verissimam esse censeam rationem symboli, quam adduxi: nec indigna tamen relatu videtur illa, quam apud Servium reperio in IV Æn. *Iovi*, inquit, *Ammoni templum cum simulacro cum cornibus arietinis constitutum: quod ideo fingitur, quia satis ejus sunt involuta responsa.* Nimirum, ex opinione gentilium, certa quidem erant oracula Ammonis: sed verbis tortis, flexisque, instar arietinorum Dei cornuum: de quibus sic Lucanus in IX Pharsaliæ: — *Sed tortis cornibus Ammon.*

Et Silius in IX Punicorum:

Ac patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Quod igitur de oraculo Delphico ait Pacuvius *:

Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet:

* *apud Nonium in* Autumare.

idem de Ammonio credebatur. At Delphicus Apollo dictus Λοξίας, à λοξὸς, hoc est, *obliquus*; partim quia Sol obliquo per XII signa cursu feratur: unde Maro I Georg.

Obliquus quà se signorum verteret ordo:

partim quia responsa itidem Apollinis obliquis fere, & flexiloquis dictis constarent: unde Seneca in Oedipo:

Ambage nexâ Delphico mos est Deo
Arcana tegere.

Oracula igitur Ammonia itidem erant certissima: sed quia de certis illis homines, ob ambiguitatem dictionis, forent incerti; eò *oracula arietina* dixere dicta ista, ubi liqueret universè, quid opus foret; particulatim non item, quia animus fluctuaret, utrùm eligi oporteret. Exemplo fuerit locus ille ab Agellio † adductus ex Plautinâ Freti comœdia:

† *lib. 3, cap. 3.*

— *Hoc illud est,*
Quod Arietini responsum magnis ludis dicitur:
Peribo, si non fecero; si faxo, vapulâro.

Quippe sermo est certissimus hominis incerti quid agat, dum hinc perire non vult, parteque ex altera plagas extimescit.

Vti verò à *Belo*, & *Adodo* numinibus, nomen variis datum gemmis; quemadmodum antea vidimus: ita etiam factum in *Ammone*. Plinius lib. XXXVII, cap. X: *Ammonis cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornus effigiem reddens, promittitur divina somnia repræsentare.* Est verò, quam *gemmam Garamantidem* vocat Silius lib. XV: uti & *lapidem Garamanticum* Plinius cap. VII ejusdem libri: quo loco & *Carchedonium* ait nominari *propter opulentiam Carthaginis magnæ*. *Garamantidem* autem vocarunt, quia Garamantes templo sint Ammonis vicini; ut ex Lucano antea, ac Silio, vidimus.

Nunc de Carthaginenſibus, ac Pœnorum aliis, videamus. Hos Solem coluiſſe, diximus antea * ex Servio in 1 Æn. Cultumque eum accepere à Phœnicibus, quorum erant coloni. Itaque ut Phœnices, ac Syri, Molocho ; ita & Pœni Saturno, qui idem ac *Moloch*, Sol nempe cum cælo & inferiori natura, victimas mactabant humanas. Ennius in Annal. †

Ille ſuos Divis mos ſacrificare puellos.

Etiam Peſcenius Feſtus in libris hiſtoriarum per Satiram, Lactantio ‡ teſte, retulit, *Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare : & cùm victi eſſent ab Agathocle, Rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe : itaque, ut diligentiùs piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolâſſe.* Similiter de Carthaginenſibus Plato in Minoe, Diodorus Siculus lib. xx, Trogus lib. xviii, Plutarchus de vindictæ divinæ tarditate, Porphyrius περὶ ἀποχῆς lib. ii : atque è noſtris, Tertullianus Apolog. cap. ix, & adverſus Gnoſticos cap. vii, Minucius in Octavio, Euſebius de præpar. Euang. lib. iv, cap. xvi, Auguſtinus lib. vii de Civit. Dei cap. xix, Cyrillus adverſus Iulianum lib. iv. Et ſanè penè ubique terrarum cultum ejuſcemodi viguiſſe, oſtendimus libro ſuperiori, cap. xxxv. Conſuetudinem eam, ut in Galliis, ita in Africa etiam, ſuſtulit Tiberius. Tertullianus in Apolog. cap. iv : *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam, uſque ad proconſulem Tiberii.* Vbi vulgo *proconſulatum.* Quomodo ſi ſcripſerit Tertullianus, fugerit eum ratio, cùm Tiberius nunquam fuerit Africæ proconſul ; imò nec in Africa pedem poſuiſſe videatur. Quod ignorare non potuit pereruditus ille Afer. Quare planè *proconſulem* repoſui, certiſſimam ſecutus Scaligeri emendationem in epiſt. ad Caſaubonum : ubi eam pluribus confirmat.

Doctiſſimorum etiam virorum ſententia eſt, per Amilcam, (quem à Carthaginenſibus cultum fuiſſe, teſtis eſt Athenagoras in Legatione ſua pro Chriſtianis) ipſum Solem intelligi oportere. Movet eos, quòd Saturnus Afrorum idem ſit ac Sol ; & ejuſce cultum acceperint ab Oriente, ubi is dictus *Moloch*, vel *Milcom* : at Punicum *Amilcas* ſit à Pœno ſive Syro *Moloch*, vel *Milcom* : ut ſignificatione hæc conveniant. Equidem *Amilcas* à *Milcom* eſſe, non diffiteor : à quo itidem *Imilco*, vocabulum ducis Punici apud Oroſium lib. iv, cap. vi ; & *Imilce*, heroinæ Punicæ nomen apud Silium in iii. Verùm ut *Imilco* ducis ſive regis nomen fuit, ita & *Amilcas*. Solent enim Pœni, Orientalium more, nomina à Diis ſuis imponere. Ita à *Bal*, qui eſt *Belus*, ſunt *Annibal*, & *Aſdrubal*. Amilcas igitur ſive Amilcar non naturale fuit numen, ſed animale duntaxat. Quod ſatis eſt apertum ex Herodoto in Polymnia : ubi refert, ut Amilcas eo tempore dux fuerit Carthaginenſium, quo Gelo imperabat Syracuſis : quâ item occaſione

* *libri hujus cap.* 4.

† *apud Nonium in* Puellus.

‡ *lib.* 1, *cap.* 21.

sione ac caussâ, post cladem à Gelone acceptam, in Deos meruerit referri. Verba ipsa Herodoti adduximus libro superiori cap. XXXII.

CAPVT XII.

Varia Græcorum, & Romanorum numina ad Solem referri. Apollinis *etymon, ac* Phœbi. *Veterum judicio, Apollinem esse Solem: neque id Datin Persam ignorâsse. Cur Iovis, & Latonæ filius dicatur, & quæ sit Latona, atque unde ei nomen. Cur Apollinem in Delo fingant natum. Sacra Apollinis in Delo quincto anno celebrata. Quamobrem Apollo fingatur intonsus: & cur cirros ei soleant offerre, simulac barba succrescceret; Dianæ item zonam, quando nuberent. Cur Apollo credatur medicinæ auctor, & Æsculapii parens. Cur Æsculapius à Iove crederetur fulmine percussus: cur Cyclopes dicantur ab Apolline occisi: cur Apollo relegatus in terras, & Thessali regis pecus pavisse, fingatur: cur divinationis præses existimatus: cur* Λοξίας *dictus. De Branchidarum, & Euangelidarum oraculo. Cur Apollo à Pane putetur divinationem didicisse. Cur præfectus poesi, & divinationi; item arti jaculandi. Cur dictus* ἑκάεργος. *Cujusmodi sacra Apollinis Ismenii, & Galaxii. Cur Apollini sacratæ laurus, & olea; cygnus, cicada, & corvus; item lupus. Atque ut animal hoc, & alia,* ἀπὸ τῆ λύκης *nomen acceperint.*

NVnc videamus, quàm verè de Græcis etiam, & Romanis, dicat Macrobius lib. I Sat. cap. XVII, *diversas virtutes Solis nomina Diis dedisse:* &, ut postea loquitur, *appellationes Deorum ad Solem certâ & arcanâ ratione referri.* Quod ibidem longâ disputatione ostendit. Aliqua excerpam; sed sic ut plura adjungam, majorique singula penè luce circumvestiam. Primùm loquar de Apolline, sive Phœbo. Quamquam Apollo videri possit non tam sol esse, quàm spiritus malus, sive principium omnis mali, quod invocabatur, ne noceret: ut pluribus exposui lib. I, cap. V. Hoc pacto Ἀπόλλων fuerit participium ab ὄλλω, sive ἀπόλλω, idemque ac ἀπολλύων, *perdens.* Vel si Solem significabat, non aliter ei conveniet, quàm quatenus pestilentiam immittit: ut videre est Il. A. Id locis imprimis facit, quæ violento Sole torrentur: ut apud Atlantes, Africæ populum: ubi teste Mela lib. I, cap. VII, *Solem exsecrantur, & dum oritur, & dum occidit, ut ipsis agrisque pestiferum.* Si malis, vocem ab Oriente esse, videri possit deductum ab אֹפֶל ophel, hoc est, *altus, excelsus.* Nisi malis ab אֹהֶל, apilion, *tentorium, umbraculum:* in quo numen gestabatur honoris ergo. Σκηνὴν * vocat B. Lucas †, ut superiùs ‡ vidimus. At Φοῖβος à purissimo splendore sic vocatus. Nam naturâ suâ adjectivum est. Hesychius: Φοῖβος, καθαρὸς, λαμπρὸς, ἁγνὸς, ἀμίαντος. Quod Varinus in Lexico firmat illo Tragici:

* *tabernaculum.*

† Act. 7, 43.

‡ cap. 10.

— Ηλίκε φοίβη φλογί.
— *Flammæ Solis ſplendidæ.*

Apollinem verò Solem eſſe, Plato etiam docet in Cratylo : ubi & ipſe de nomine diſſerit. Cicero ſimiliter lib. III de Nat. Deorum, *Solem Deum eſſe, Lunamque : quorum Apollinem Græci, alteram Dianam nuncupant.* Item Iulianus hymno in Apoll. Καὶ Απόλλων, ὁ ἥλιος, αὐτὸς· τοῦτο κοινὸν ὄνομα πᾶσι ὁ γνώριμον· *Apollo ipſe Sol; quod nomen eſt apud omnes commune & notum.* Sed quid multis opus teſtibus in re non Græcis modò, ac Romanis, notiſſimâ; ſed illis etiam, quos barbaros dixere? Ita, nec Datin Perſam illud ignorâſſe, argumento eſt, quòd cùm tot delubra Græcorum combureret, parci tamen iis voluit in Delo, ubi Apollo ac Diana imprimis colerentur. Vtcunque enim Perſæ non crederent, iſtic natos eſſe, ut Græci jactabant : (nullos enim, qui homines fuiſſent, in Deorum numerum recipiebant) Solem tamen, quem *Mithram* dixere, maximis coluere honoribus : eoque metuebat Datis, ne illata Apollini Delio injuria in Perſici Mithræ contumeliam redundaret.

Quare potiùs oſtendam, quàm ex eo, quòd Apollo idem fuerit ac Sol, facile ſit rationem reddere eorum, quæ veteres tradidere de Apollinis natalibus, formâ, inventis, ſacris, & plantis, vel animantibus ei dicatis.

Heſiodus in Theogonia, uti & in Metamorphoſi Ovidius, Apollinem, & Dianam, natos ajunt è Iove, & Latona. Vbi Iupiter eſt opifex mundi : Latona eſt materies univerſi, quæ Λήθω, ſive *Latona*, ἀπὸ τοῦ λήθειν *, juxta Platonem, dicta eſt, vel quoniam antequam lux foret, omnia in tenebris delituerint : vel quia, ut Platonici volunt, rudis illa indigeſtaque moles innumeris latuit ſeculis, uſque dum mundi ille architectus, omnibus in orbem redactis, ſingulis ſuum tribuit decus. In Delo etiam à Tullio natus traditur Apollo, quia Sol τῷ φωτὶ πάντα ποιεῖ δῆλα καὶ φανερὰ, *luce ſua omnia facit manifeſta ac conſpicua.* Eademque de cauſſa Diana etiam *Delia* dicta eſt. Sed Delii ſtudiosè appellationem eam pro ſe interpretabantur. Vnde tanto in honore ſacra *Delia*, quincto quoque anno in Delo celebrari ſolita : ut eſt apud Thucydidem libro III, & Pollucem lib. VIII, cap. IX, ſect. XXVI.

* *à latendo.*

Formâ Apollo fingitur juvenili; quippe ἀεὶ καλὸς, & ἀεὶ νέος, *ſemper pulcher, ſemper juvenis* : ut de eo canit Callimachus †. Fabula ex eo, quia Sol nullo vel tempore, vel labore, ſeneſcit. Χρυσοκόμης *auricomus* vocatur, ob radios aureos, quemadmodum &, ob aureum Solis colorem, arcus, pharetra, cæteráque ei aurea tribuuntur. Idem Homero ἀκερσεκόμης, ſicut *intonſus* Horatio ‡ dicitur; *comatus*, ſcriptori Ithyphallico. Eò autem ſpectarunt, quòd Soli radii ſint pro comis; ſemperque iis cingatur; haut aliter ac ca-

† *hymno in Apollinem.*

‡ *lib. 1, od. 21.*

ac capillis ephebi, qui cirrati, & intonsi. At simulac genas ac mentum lanugo vestire cœpisset, moris erat resecare capillos, Phœboque eos offerre. Quod Athenis observatum ; ut constat ex Plutarchi Theseo. Idémque Romæ ac in Italia obtinuit : unde Varro Cato, sive de liberis educandis * : *Itaque Ambraciæ primum capillum puerilen demtum, item cirros, ad Apollinem ponere solent.* Memineréque ejus ritus etiam Statius in III Silv. Martialis lib. I, epigr. XXXII, atque alii. Eo autem resectos Apollini κυροτρόφῳ dicabant, quòd similes huic numini esse desiissent : uti nubentes zonam sacrabant Dianæ, quia desinerent esse similes Dianæ semper-virginis.

* apud Nonium in Cirri.

Inter reperta Apollinis est medicina. Ovid. I Met.

Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Nimirum quia à Sole est plantarum generatio ; quæ & melius apricis succrescunt locis, quàm umbrosis, & humidis. Etiam pro sole soloque variant herbarum vires.

Quoniam autem Apollo medicinæ præses ; eo & parens dictus Æsculapii, viri in arte hac principis ; qui multos sanitati restituit, conclamatæ antea valetudinis creditos. Sed quia & ille tandem, fatali omnium lege, leti calcavit viam, occasio præbita est omnibus eum desiderantibus calumniandi Iovem, quasi merâ illum invidiâ sustulisset. Ergo finxere, eum ab Deo irato, fulmine percussum. Alteram etiam admiscuere fabulam. Apollinem ajebant succensuisse Iovi ob filium interemtum, ac propterea sagittis ejus confectos Cyclopas, qui Iovi fulmina fabricarent. Hoc ad rerum pertinet naturam. Sol enim fulmine absumit halitus terræ, qui cæteroquin pestilentiæ sæpe caussa forent. Quod inter bona fulminis esse, sciunt naturali scientiâ vel leviter tincti. Tum Iovem ajunt ita excanduisse, ut Apollinem cælo relegaret in terras : ubi is, inopiâ adactus, confugerit ad Thessaliæ regem Admetum, ejusque pecus paverit. Hoc ex historia petitum. Rex Arcas, cujus nomen honoris caussa silere maluit antiquitas, ob durius imperium regno suo exactus, confugerat ad Admetum Thessalum. Is, more regio, regis misertus, (& fortasse etiam sanguine vel aliter conjunctus erat) præfecit eum populo, ad amnem Amphrysum habitanti. Ergo pastor fuisse dictus, uti reges ποιμένας λαῶν † Homerus appellat. Maluere autem sub Apollinis nomine, quàm alio, occultare verum regis nomen, quia Apollo φυσικῶς pastorum princeps : unde & Νόμιος * dictus. Sol enim est, qui omnia animata alit, ac nutrit.

† pastores populorum.

* pastoralis.

Præterea Apollini tribuitur inventum divinationis : quod eo fit, quia sol gentibus supremus Deus, cui soli convenit futurorum prædictio : unde & ea *divinatio* vocatur. Sol quoque oculus est Iovis, ut videat omnia,

etiam

etiam obscura. Sol omnia illustrat,ut non alter Deorum justiùs crederetur,caligine mentibus pulsâ humanis,præstare, ut videant maximè occulta. Sol λοξίας,quia obliquo fertur circulo Zodiaci. Apollo & hoc nomine, & aliter etiam,λοξίας, quia oracula illius obliqua forent ac flexiloqua. Hoc liquet ex Apollinis Delphici responsis : cujus oraculum in Græcia facilè erat vetustissimum : ut quod ea habuerit jam à Cadmi Phœnicis appulsu. Nec putandum , aliter fuisse comparatum cum aliis Apollinis oraculis. Vti illo apud Milesios,omnium certissimo post Delphicum habito,quod Straboni & Pausaniæ tum *Branchidarum* dictum,idque à primo ejus præside Brancho,Smieri, sive,ut apud Lactantium, Statii * interpretem , legas , Simeri filio : tum etiam *Euangelidarum* , idque ab Euangelo , qui Brancho successerat. Vide,quæ Photius in Μυριοβίβλῳ † refert ex Cononis ad Archelaum Philopatorem narrationibus sect. XXXIII , & XLIV.

* 8 *Theb.* v.198.

† *cod.*186.

Dicitur Apollo hanc vaticinandi scientiam à Pane edoctus : ut est apud Apollodorum in primo bibliothecæ. Nempe per Pana intelligitur vel universitas naturæ, vel opifex universi.

Quia verò Apollo divinationis præses, eò & habitus est pater divinantium. Vti Thestoris illius, quo natus fuit Calchas Homericus.

Adhæc poesin & Musicen invenisse existimatus : unde ipse apud Nasonem 1 Metam. — *Per me concordant carmina nervis.* Eò autem spectarunt, quòd Sol, juxta Orphei * , ac Pythagoræ † etiam doctrinam, motus moderando sidereos credatur suavissimum edere concentum : unde Dorylaus * mundum vocabat *organum Dei* ; puta *Solis :* Varro ‡ item *Divûm lyram.* Vel respexere , quòd Sol caussa sit temperamenti, proque eo ingenium variet : cujus præcipua vis antiquissimis temporibus in Musicis reluxit. Nam sapientiam omnem carmine complectebantur; ut iidem essent philosophi, poetæ , & musici. Itaque & Apollo creditus Musis præesse : unde cognomen Μουσηγέτης. Idemque pater habitus eorum , qui excellerent arte Musicâ : uti Lini, à quo eruditi Thamyras, Orpheus, Hercules.

* *in Orphicis hymno in Apoll.*
† *Aristot. lib. 2 de cæl. cap.9.*
* *apud Censorin. cap.13.*
‡ Οἱος λέγει.

Denique & arcum , ac sagittas , dictus reperisse. Vnde Callimachus hymno in Apollinem : Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ὑπηρέφει, καὶ ἀοιδή·

Sunt tela atque arcus, sunt Phœbo carmina curæ.

Quod inde est,quia ἑκάεργος * ille,ut vocant poetæ,cælitus radios suos, velut spicula, jaculetur in terras.

* *procul operans.*

Sed nihil æquè Apollinem esse Solem comprobet, quàm sacra Apollinaria. Verùm ea pro locis ita variabant , ut illis velle insistere longioris fuerit moræ, quàm instituti hujus ratio ferat. Quare solùm dicam de sacris Apollinis Ismenii, & Galaxii : quorum sic ritum describit Proclus in Chestomathia † : Ξύλον ἐλάας καταστέφουσι δάφναις, ποικίλοις ἄνθεσι· καὶ ἐπ' ἄκρῳ

† *apud Photium.*

ἄκρῳ μὲν χαλκῆ ἐφαρμόζει σφαῖρα· ἐκ δὲ ταύτης, μικροτέρας ἐξαρτῶσι· κατὰ δὲ τὸ μέσον τοῦ ξύλου, στεφάνους ἐλάσσονας ἐπ' ἄκρῳ σφαίρας καθάπτουσι πορφυρᾶ στέμματα· τὰ δὲ τελευταῖα τοῦ ξύλου περιστέλλουσι κροκωτῷ. βούλεται δ' αὐτοῖς ἡ μὲν ἀνωτάτω σφαῖρα τὸν ἥλιον, ᾧ καὶ τὸν Ἀπόλλωνα ἀναφέρουσιν· ἡ δὲ ὑποκειμένη, τὴν Σελήνην· τὰ δὲ προσηρτημένα τῆς σφαίρας, ἄστρα τε καὶ ἀστέρας· τὰ δέ γε στέμματα τὸν ἐνιαύσιον δρόμον· καὶ γὰρ τξέ ποιοῦσιν αὐτά. *Lignum lauris coronant, variisque floribus exornant: cujus in apice ænea sphæra imposita: ex hac minores dependent. Medio verò ligno purpureæ coronæ adaptantur, minores quàm quæ summo fastigio impositæ. Imam verò ligni partem circumvestiunt crocotulâ. Significat autem ipsis suprema quidem sphæra Solem, quo Apollinem designant: huic verò subjecta, Lunam significat. Globuli verò appensi stellæ & astra sunt. Coronæ annuum cursum significant. Trecentas enim, & sexaginta quinque conficiunt.*

Iam videndum, ut ex Solari etiam natura peti oporteat, cur has illasve vel plantas, vel animantes, Apollini dicarint. Paucula excerpam; sed ex quibus judicium fieri possit de cæteris. Ordiar à lauro; qua Apollo frontem præcingere dicitur. Atque eandem gestabant Athenienses, septimo quoque lunæ die hymnum canentes Apollini: ut Proclus monet in illud Hesiodi Ἡμέραις, — Καὶ ἑβδόμην ἱερὸν ἦμαρ.

Apollini autem eo sacrata fuit, quia ut Deus hic semper-juvenis, ac propterea comatus semper: ita & arbor ea semper suas retineat frondes. Itaque sic laurum ipse compellat apud Nasonem 1 Met. fab. XIV:

Vtque meum intonsis caput est juvenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.

Altera etiam ratio accessit, quod & Sol, & laurus, igneæ sint naturæ. Quemadmodum & hederam ob eandem caussam dicarunt Libero; qui non alius est à Sole, ut postea dicetur. De calore autem tam lauri, quàm hederæ, ex eo collegerunt, quia lignorum si istorum unum alteri affricetur, excutiatur ignis. Quin vulgò ita persuasum fuit, sic laurum igni amicam esse, ut non sit fulmini obnoxia: quod Plinio quoque traditum lib. XV, cap. XXX. Sed de isto experientiâ ipsâ refellitur à Brodæo in Miscell. lib. III, cap. II, ac Ludovico Vairo in secundo de Fascino cap. XIV.

Sed vide, quàm fertilis sit error. Cum laurum Soli sacrassent, ac eundem Apollinem putarent; Apollinem verò crederent poesi, & divinationi, præesse: etiam eò stultitia illos protraxit, ut persuasum aliis vellent, laurum vatibus prodesse comestam; item, dormientium capiti suppositam, vera præstare insomnia. Quod ex Serapione Ascalonita, & aliis, Fulgentio traditum Mythologicôn primo.

Olea quoque Apollini sacra; ut indicat Theocritus in Hercule Leonicida. Nempe quia, caloris amans Solaris, non succrescat locis frigidis.

Ex animantibus Apollini, Deo Musico, sacer cygnus, ob cantum : unde & poetæ *cygni* dicuntur : ut Pindarus Horatio * *cygnus Dircæus* : notumque illud Maronis Eclogâ IX :

Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.

* *lib.* 4, *ed.* 2.

Cicada etiam eandem ob caussam dicata est huic Deo : ac poetæ etiam *cicadæ* vocati ; sed mali potiùs : ut ex Simonide alibi † ostendimus.

† *Orator. Instit. lib.* 4, *cap.* 6, *sect.* 12.

Eidem, ut divinationis præsidi, sacratus fuit corvus : quia pro imminente tempestate, vel serenâ, vel pluviâ, vocẽ variando divinare censetur.

Lupus quoque ei sacer, sive quia, Solis instar, ὀξυδερκὴς ‡, ut Arati ait scholiastes : sive quia post famem nocturnam diluculo exeat ad raptum : quam rationem adducit Macrobius in 1 Sat. Indeque & λύκος, à quo *lupus*, vocatur : nempe quia veteribus Græcis λύκη, *lux* : imò & *lux*, à λύκη : quemadmodum & ab eodem λευκὸς, *albus*, & ἀμφιλύκη, *diluculum*. Imò potissima ratio, cur Apollo Λύκιος diceretur, non ea fuit, quòd in Lycia coleretur, unde Maroni † *Lyciæ sortes* : sed quia lucis fons atque origo foret.

‡ *acutè cernens.*

† 4 Æn.

CAPVT XIII.

Quatuor planetas mares ad Solem reduci. Quod primum de Saturno, & Iove, ostensum : inde de Marte, cujus etymon adfertur ex fonte Hebræo. Silvanus Mars, θεὸς ὑλαῖος, *qui &* Pan. *Tres cujusque possessionis Silvani. Denique comprobatur, eundem Theologis Mercurium esse, ac Solem : eoque Mercurio Iulianum Desertorem nocte intempestâ supplicâsse.* Mercuriales viri. *Mercurius cur* Hodius, Enodius, & Hegemonius ; *cur item* Argicida *nominatus : & cur alarum ejus alba una, cærulea altera : ut item duplex sit Mercurius, Cælestis, & Terrestris ; ac Terrestri dicatum sit festum* χυτρῶν *: cumque eo conciliatum, quod aliis dicitur sacratum esse Baccho. Incautiùs fecisse scriptores Græcos ac Romanos, dum numina barbara reddunt nominibus Martis, ac Mercurii.*

SEd Apollinem esse Solem, tam est pervulgatum, ut dum hoc contendo, videri possim actum egisse, nisi eâdem alia miscuissem. Illud minùs calcatum, cùm quinque veteribus sint planetæ, ut postea dicetur : universos, Venere exceptâ, per quam nunc Luna, nunc Hesperus intelligitur, unum ad Solem reduci. Ac de Saturno quidem id jam ante * ex Servio, Damascio, & aliis, monstratum nobis. Macrobio † idem eo comprobatum, quòd Saturnus Græcis Κρόνος quasi χρόνος dicatur : temporum autem nexus Solis actu demonstetur.

* *lib.* 2, *cap.* 4.

† *lib.* 1 *Sat. cap.* 22.

Atque idem Macrobius ‡ etiam ex Homero, & Cornificio, Iovem esse Solem, ostendit. Vti etiam eo, quod Ζεὺς Ηλιοπολίτης non alius sit, quàm Sol, sive Solis cælique vis : sicut arguunt, tũ nomen *Heliopolios*, unde Assyrii

‡ *lib.* 1 *Sat. cap.* 23.

hoc

hoc numen acceperunt; tum sacrorum ritus, & simulachri habitus: de quibus cap. x vidimus. Etiam Philo Byblius ex Sanchuniathone Berytio apud Eusebium in primo Præpar. Euang. cap. VII, cum de Solis cultu apud Phœnices mentionem fecisset, ait: Τοῦτον θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμιν καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοινιξὶ, κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ελλησι· *Deum hunc unum esse cæli moderatorem putabant, eum vocantes Beelsamen, quod Phœnicum linguâ, dominum cæli, Græcâ autem Iovem notat.* Imò inferius ostendam, Saturnum, & Iovem, non Solem modò, sed cælum etiam, & universam rerum naturam, complecti: sed sic, ut cælum magis, quàm terras, inque cælis Solem magis, quàm sidera alia, designent.

Venio nunc ad Martem, quod vocabulum valde est anceps. Interdum capitur ἰσοεικῶς: quomodo Mars alius Assyrius, alius Græcanicus, alius Latinus. Assyrius est triplex: partim enim est Nimrodus, sive Belus; partim ejus filius Ninus; partim Thurras, qui Nino in imperio successit. Græcus Mosis sive Cecropis tempore, vel paullo post, claruit in Attica. Latinus est incertus ille Romuli parens. De cunctis hisce diximus libro superiori capite XVI.

Interdum verò Martis nomen sumitur φυσικῶς, idque bifariam. Mathematicis sic dicitur planeta inter Solem Iovemque medius, qui aliter πυρόεις, θοῦρος, vel θώρας. At gentium Theologis Mars est Sol: quem sic dictum conjecto, non quia maribus præsit, ut est apud Varronem *: non è *Mavors*, à magnis vortendis: non ex Ἄρης, M apposito: sed à מָרַר, marats: quod est *pollere*, sive *validum* ac *potentem esse*: nisi malis à מָהַרַס, mechares, ἀπολλύων, *perdens, destruens*: participio in Piel à הָרַס, *perdere, destruere*. Vtrumque convenit Soli. Nam quid illo potentius in rebus creatis? ab eo quoque vires ac potentia homini. Perdit idem homines bello, & pestilentiâ. Adde quòd fervore suo sanguinem concitat ad iram, ex quo bella. Atque ex his liquet, cur Martem sive Solem præfecerint bello. Itaque & bellicosæ gentes Arctöæ, cum Martem pro summo numine colerent, eique asinum mactarent; uti Cares canem, de quo antea dictum nobis †; non aliud videntur venerati, quàm Solem. Quemadmodum & Germani, quibus *præcipuus Deorum Mars*, ut Tencteri apud Tacitum ‡ ajunt, Solem animo complectebantur. Nam ridiculum est putare, majori eos loco habuisse, quem vulgò Martem dicimus, quàm Solem ipsum. Romani etiam rustici Solem videntur signâsse per Martem Silvanum: uti Cato vocat de R. R. cap. LXXXIII, *Marti*, inquit, *Silvano in silva interdius in capita singula boum votum facito. Silvanum* autem dixere, non quasi solis præesset silvis; sed quia vim suam exereret in universam elementorum ὕλαν sive materiem. Servius in illud VIII Æn. *Arvorum pecorisque Deo: Pu-*

* *in 4 de L. L.*

† *lib. superiori cap. 16.*

‡ *lib. 4 Annal.*

blica ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorum Deum esse Silvanum. Prudentiores tamen dicunt, eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est, deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fex omnium elementorum: id est, ignis sordidior, & aer: item aquæ & terræ sordidiora, unde cuncta procreantur; quàm ὕλλω, Latini materiam, appellaverunt. Silvanus igitur θεὸς ὑλαῖος, qui & *Pan.* De eo sic Macrobius lib. 1 Sat. cap. XXII: *Pan ipse, quem vocant Inuum, sub hoc habitu, quo cernitur, Solem se esse prudentioribus permittit intelligi. Hunc Deum Arcades colunt, appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non silvarum dominum, sed universæ substantiæ materialis dominatorem significari volentes: cujus materiæ vis universorum corporum, seu illa divina, seu terrena sint, componit essentiam.* Gloss. Philoxeni: *Silvanus*, Πὰν, θεὸς ὑλαῖος. Imò & Papias *Silvanum* eundem, ac *Pana*, facit. Itaque Silvano, sive Pani, omnia sua consecrabant. Vetus scriptor de finibus agrorum: *Nam omnis possessio tres Silvanos habet. unus dicitur Domesticus, possessioni consecratus: alter dicitur Agrestis, pastoribus consecratus: tertius dicitur Orientalis, cui est in confinio lucus positus, à quo inter duo pluresve fines oriuntur.* Vbi non dubium, quin *Silvanus Agrestis* sit Ἀγρεὺς ἢ Νόμιος Ἀπόλλων: quomodo & Aristæus Arcadibus vocabatur, ut cognoscere est ex scholiaste Pindari in Pythia. Atqui Νόμιος Ἀπόλλων Sol est, ut vidimus. Ex his omnibus sic colligimus, & Martem ἁπλῶς, & speciatim Martem Silvanum, imò & Pana, cùm Pan sit Silvanus, eundem esse ac Solem putandum.

Nunc dispiciendum de Mercurio. Sed hoc quoque nomen valde ambiguum est. Ἰσοεικῶς Mercurius est Arcas ille ex Maja Atlantide in Cyllene monte natus, amasius Palæstræ, quæ soror Plexippi & Eneti fuit, filia autem Chorici, regis Arcadiæ: si fidem habemus Servio in illud Maronis VIII Æn.

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllene gelido conceptum vertice fudit.
At Majam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cæli qui sidera tollit.

De hoc Mercurio, atque aliis, Mercurii nomine dignatis, vidimus libri superioris cap. XVI. Hic verò Mercurium spectamus, non quatenus ille ad defunctos pertinet; sed prout refertur ad rerum naturam. Quod aliter in Astrologia fit, aliter in Theologia. Astrologis sic dicitur planeta ille Lunæ proximus, qui aliter Στίλβων, ut Tullius * ait: *Cyllenius ignis* Maroni †, *communis stella* Appulejo * vocatur. In Theologia gentium Mercurius est Sol, sive virtus cælestis à Sole imprimis promanans; pro cujus dimenso, alius alio est sagaciori ingenio, magisque ad studia & doctrinas idoneo, atque adeò ad res etiam civiles velocius & concipiendas, & exsequendas. Hinc Ammianus lib. XVI: *Iulianus nocte dimidiatâ semper exsurgens,*

* l. 2 de Nat. Deor.
† 1 Georg.
* de Mundo.

gens, occultè Mercurio ſemper ſupplicabat : quem mundi velociorem ſenſum eſſe, motum mentium ſuſcitantem, Theologicæ prodidere doctrinæ. Quo verò ſucceſſu id Iulianum feciſſe putârit Ammianus, ſequentia oſtendunt : *Poſt quæ ad procudendum ingenium vertebatur : & incredibile, quo, quantoque ardore, rerum principalium notitiam indagans, & quaſi pabula quædam ad ſublimiora ſcandenti conquirens, per omnia philoſophiæ membra prudenter diſputando currebat.* Ac deinde ſubjungit, ut philoſophiæ etiam eloquentiam prorſam ac vorſam, & hiſtoriam omnem, Latinamque etiam linguam, adjunxerit. Nempe ad omnia hæc ſe vis Mercurii extendit : ut Theologis idem is ſit, ac Apollo Μουσαγέτης : qui non alius à ſole. Itaque licet Apollo præſit Muſarum ac poetarum choro : poetas tamen, ac Muſarum cultores, Horatius *Mercuriales viros* appellat lib. II, od. XVII :

Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextrâ levâſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum.

Ad Solem etiam refero Mercurium, viarum præſidem : unde dictus ὅδιος * ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, juxta Heſychium, & Stephanum : item ἐνόδιος †: pro quo in Aldinâ Phurnuti eſt εὐόδιος *: item ἡγεμόνιος ‡, quod apud eundem Phurnutum. Quippe de die vias monſtrat lux Solaris, quemadmodum noctu Lunaris : ut omne hoc de viarum præfecturis ad Solem Lunamque pertineat. Quod & Auguſtinus indicat in VII de Civit. Dei cap. XVI. Etiam eo, quòd Mercurius dicatur occidiſſe Argum, Iûs cuſtodem, eum Solem eſſe, non inſcitè à Macrobio comprobatur. Nam Argus, multis ornatus oculis, eſt cælum tot ſtellis diſtinctum. Io eſt terra ; diciturque eò converſa in vaccam, quia apud Ægyptios bos, propter agriculturam, terræ eſt ſymbolum. Argus autem ideo perhibetur Iûs cuſtos, quia, Sole abſente, ſidera pro mortalibus vigilare crederentur. Mercurius occidiſſe Argum narratur, quia Sol exortus ſuo lumine offuſcat lucem ſiderũ, ſic ut non cernantur à nobis. Idem eo docet Macrobius, quòd pinnarum, quas Ægyptii tribuunt Mercurio, una ſit alba claráque; altera autem cærulea : ac illâ ſignent tempus diurnum, cùm hemiſphærium noſtrum claro Solis lumine illuſtratur : alterâ indicent nocturnum tempus, cùm cærula cœli prata, terræ umbrâ involuta, luce carent Solari. Itaque & duplicem ſtatuêre Mercurium, unum Ὀλύμπιον, ſive Cæleſtem : Χθόνιον, ſive Terreſtrem alterum. Quorum hic animas deducere ad inferos credebatur : atque ex eo dictus πομπεὺς, ψυχοπομπὸς, Pythagoræ etiam ταμίας τῶν ψυχῶν †, teſte Laërtio : ac quia aurei ſunt radii ſolares, eo id facere dictus aureâ virgâ ; unde Homero * vocatus Χρυσόῤῥαπις ‡. Eſtque hic judicio quorundam,

* *Vialis, ſive viam monſtrans.*
† *in via ſe offerens.*
* *bonum faustumque iter præſtans.*
‡ *dux viæ.*

† *animarum quæſtor.*
* *Iliad. O.*
‡ *auream habens virgam.*

dam, ut inferiùs dicetur, habitus unus è quatuor Diis Cabiris. Interea idem numen Mercurius ſuperus, & inferus: ſed quatenus Sol has terras illuſtrat, Mercurius erat ſuperus: inferus, quatenus apud Antipodas moratur. Vnde de eo Horatius *:

* *lib.* 1, *od.* 10.

— Superis Deorum
Gratus, & imis.

Ac Claudianus quoque in primo de R. P.

Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis,
Et ſuperis numen: qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

Atque hinc etiam cognoſcimus, quo pacto Κύτρους, ſive ollare teſtum, quod Mercurio terreſtri dicatum eſſe, ex Theopompo ait Ariſtophanis ſcholiaſtes, ſibi ſacrum dicat Bacchus apud Ariſtophanem in Ranis, & ibidem ſcholiaſtes ‡. Nec enim meliùs hæc conciliaveris, quàm quòd non ſolùm per Διόνυσον ſive Bacchum, ut poſtea probabitur: ſed per Mercurium etiam, Sol intelligatur.

‡ *act.* 1, *ſc.* 5, *quæ incipit*, Βρεκεκεκὲξ.

Ex his eâdem licet cognoſcere, quid per Ερμῆν ſive *Mercurium* intelligi debeat, cùm ſic Græci Romanique reddunt *Thoth* Alexandrinorum, *Teuth* Ægyptiorum, *Teutatem* Gallorum, Wodan Germanorum. Vt quod ſuperiùs diximus de Marte, quem Tacitus † ſupremum vocat Germanorum Deum; idem ſtatui quoque debeat de Mercurio, quem Germanos maximè colere, idem Tacitus ‡ refert. Nam quis credat, vel Martis, vel Mercurii planetam, majori eos in veneratione habuiſſe, quàm Solem ipſum? Vtrobique igitur Sol intelligendus: quem quia diverſimodè Germaniæ gentes expreſſerunt: diverſis quoque Martis, ac Mercurii vocabulis reddiderunt Romani. Sed parum appoſitè; quia Latinè qui loquerentur, non Solem, ſed duos è quinque planetis, per Martem, & Mercurium, intelligerent: ea verò, quæ ab antiquiſſimis hominibus prodita eſſent de Martis ac Mercurii cultu, ad Solem reduci, pauxilli ſcirent; nempe non niſi homines eruditiſſimi, & qui arcana omnis Theologiæ penetraſſent. Quare ſatius fuerat retinere appellationes barbaras, qualis inter alias illa Wodan: de qua diximus lib. 1, cap. xxxvii. Vim autem vocum, ut cenſeo, rectiùs per *Iovis*, aut *Apollinis* nomina, expreſſiſſent.

† *lib.* 4 *Annal.*

‡ *lib. de moribus German.*

CAPVT XIV.

Liberum eſſe eundem, ac Solem. Cur nebride uſæ ſint Bacchæ in ſacrificiis Liberi. Cur cæſones Phœbo fuerint ſacri. Cur Spartæ in Hyacinthiis hederâ coronarentur. Speluncæ Bacchicæ in Parnaſſo. Sabazius Iupiter *idem ac* Liber: *re-*

ctèque

Neque etiam Sabadium *dici. Ritus immissi colubri aurei in sinum initiatorum Iovi Sabazio, indeque educti, & quæ ritus ejus causſa: & unde eum acceperint Græci: unde item* Σαβαζίῳ *nomen: de quo Eustathius, & Stephanus refelluntur. Plutarchus refutatus de* sabbathi *etymo. Et Osiridem, & Bacchum, non modò Solem esse, sed etiam Humorem, maximè illum vite natum. Cur veretrum in Bacchi sacris soleat circumferri. Bacchus duplex, cælestis, & subcælestis: ille sol, hic liquor: solem autem hîc signari, postquam occidit: & quàm variè Bacchus soleat figurari. Vnde* Iacchus *nomen acceperit. Variæ sententiæ proferendi nomen Dei tetragammaton. Quis* Ἰάω *sit. Vannus Iacchi quid symbolicè notârit. Triplex apud gentes ratio animæ expurgandæ. Vnde nomen Bacchi* λικνίτου, *& aliorum eò pertinentium. Vannì usus in Minervæ sacris.*

EXpedivi de Solis appellationibus, quæ etiam conveniunt stellis quatuor erraticis. Incipiam nunc de nominibus ejus, quæ etiam competunt hominibus cælo donatis. Quales Dionysus sive Liber, Hercules, Ianus. Ex his Liberum eundem esse, ac Solem, Diodorus Siculus in primo bibliothecæ ostendit illo Orphei, sive Onomacriti potiùs in Orphicis:

Τὴνεκά μιν καλέεσι Φάνητά τε, ἠδὲ Διόνυσον.
Inde Phaneta illum vocitarunt, ac Dionysum.

Item hoc Eumolpi in carminibus Bacchicis:

Ἀστροφανῆ Διόνυσον ἐν ἀιθέρι πυρωπόν.
Sidereum Dionysum igni radiante coruscum.

Atque addit idem Diodorus, eo νεβρίδα sive pellem hinnuleam, quæ varia est, Libero tribui, quia tanta est astrorum varietas. Nebride quidem, hoc est hinnuli aut cervi pelle, bacchas, sacrificii tempore, indui solere, vetus Statii interpres ad secundum Thebaidos annotavit. Aristoteles quoque in deperditis Theologumenis, Macrobio * teste, eundem Apollinem, ac Liberum, esse scripserat. Vlpianus item Rhetor ad orationem Demosthenis contra Midiam ait, Εἴπερ τὸν Διόνυσον, καὶ Ἀπόλλωνα, καὶ Ἥλιον, καλοῦσιν· *Quia Bacchum, & Apollinem, & Solem vocant.* Maronem quoque idem sensisse, ostendit illud in x:

Inde Lycam ferit, exemtum jam matre peremtâ,
Et tibi, Phœbe, sacrum.

* *lib. 1 Saturn. cap. 18.*

Vbi *Phœbum* pro *Libero* dixit. Nam Libero sacrabantur è matre exsecti; idque quia similis horum origo sit ortui Διονύσου sive Liberi; ut qui secto patris femore prodierit in lucem. Apud Macrobium quoque in primo Sat. cap. XVIII, multa alia legas, quæ idem confirment. Vt quòd Lacones in festo illo Apollinari, quod in Hyacinthi memoriam triduo solet celebrari, hederâ, Bacchico ritu, coronarentur: ac Æschilus quoque dicat,

dicat, Ο κισσεὺς Απόλλων *: ac Euripides ſic eundem affetur Deum: Δέσποτα φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιὰν Απόλλων, ἔυλυρε· *Domine laurûs amans, Bacche, Pæan Apollo, lyrâ canore.*

* *Hedera gaudens Apollo.*

Præterea illud à Macrobio affertur, quòd in Parnaſſo monte, qui Apollini ſacer eſt, & Delphicum ejus oraculum habet, etiam Bacchicæ ſint ſpeluncæ, alterniſque in eo annis Bacchanalia celebrentur. Quodque in Thracia quoque idem credatur Sol, & Liber; quem illi Σαβάζιον nuncupant. Meminit ejus Ariſtophanes initio Veſparum; uti & in Avibus, ac Lyſiſtrata: qui ſemper Σαβάζιον nuncupat. Mentio itidem ejus apud Diodorum Siculum lib. III, Lucianum in Deorum concilio, Harpocrationem in Σαβοὶ, Euſtathium in Dionyſii περιήγησιν. In veteri quoque inſcriptione † eſt: Q. NVNNIVS ALEXANDER DONVM DEDIT IOVI SABAZIO. Et ſimiliter in aliis duabus inſcriptionibus *. Pro eodem tamen & *Sabadius* reperio in veteribus noſtris membranis Appuleji VII Met. nec mutandum, quia, ut Plato ait in Cratylo, Ζ & Δ μεταστρέφουσι ‡. Vt ὄζω, *odor*, Μεζέντιος antiquè *Medentius*, teſte Priſciano, γαργαρίζειν, *gargaridiare* Varroni epiſt. ad Fuſium, βάζω, *vado*, & multa id genus alia. In ſacris Sabazii ſerpens immittebatur initiatis in ſinum. Quo de ritu ſic Arnobius lib. V: *Ipſa ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus Sebadius nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati, in quibus aureus coluber in ſinum demittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus.* Vbi *Sabazius* maluit Canterus. Sed rectum quoque eſſe *Sebadius*, vel *Sabadius*, liquet ex iis, quæ diximus. De eodem ritu ita Iulius Firmicus Maternus lib. de errore profanæ relig. *Sebazium colentes Iovem anguem, cum initiantur, per ſinus ducunt.* Serpens is ſymbolum erat Dei; ut in pleriſque aliis ſacris. Immiſſio in ſinum, eductioque à partibus inferioribus, denotabat rerum omnium generationem, ac productionem in lucem: quam Soli deberi, ſæpius diximus. Hoc *Sabazii* numen didicere Græci à Thracibus, Thraces ab Orpheo, Orpheus ab Ægyptiis, vel Syris. Nam peregrinum fuiſſe numen, indicavit Ariſtophanes in deperdita comœdia, & ex ea M. Tullius in ſecundo de Legg. *Novos verò Deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes, ſic Ariſtophanes, facetiſſimus poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii Dii, peregrini judicati, è civitate ejiciantur.* Eſt verò Σαβάζιος à צָבָא, *militia, exercitus*: unde II Sam. V, Pſal. XXIV, & LIX, יְהוָה צְבָאוֹת: uti & Rom. IX, 29, & Iac. V, 4, κύριος σαβαώθ *. Nempe cum numen noſtrum vocaretur *Deus Sabaoth*, hoc eſt, *exercituum*, eò quòd in cæleſtem ac terreſtrem omnem militiam, id eſt, in omnem creaturam, imperium ac potentiam ſuam exerceret: ſtultæ nationes ei creaturæ, quam pro ſummo numine haberent, puta Soli cæloque, hoc nomen tribuerunt. Quod Græci,

† *Inſcript. Grut. p. 22, n. 5.*
* *ibidem n. 4, & 6.*
‡ *Z & D convertuntur.*
* *Dominus Sabaoth.*

Græci ad veram cauſſam non penetrarunt, id factum inſcitiâ linguarum, rerumque Orientalium. Itaque Stephanus in Ethnicis, & Euſtathius in Περιήγησιν, perſuadere aliis conati, Σαβαζίῳ nomen dediſſe Σαβεῖς, gentem ſive Phrygiæ, ut ait Stephanus, ſive Thraciæ, ut vult Euſtathius: unde & Phrygiâ dialecto Σαβάζιον dici volunt. Equidem cenſeo nullam in Phrygia, vel Thracia, fuiſſe ejus nominis gentem. Sed nolim cum iis pedem ſtruere, qui utrobique (communia enim illis ſacra, quia Phryges Thracum coloni; ut ait Strabo in x) Σαβεῖς cenſent vocatos τὲς τελεμένες πρὸς Σαβαζίῳ, *initiatos Sabazio*: quod apud Harpocrationem legas: tum etiam ἀφιερωμένες ἁπλῶς τόπες, *locos ei conſecratos*. Meo autem judicio, tum homines, tum loci, à Sabazii cultu potius Σαβοὶ dicantur, quàm contrà. Credo in ſacris ejus numinis ſolitum eſſe *Sabaoth*, vel ſimile vocabulum, acclamari: indeque fuerit σαβάζειν pro ἐυάζειν, & σαβασμὸς pro ἐυασμός. At quod Plutarchus ariolatur, etiam *ſabbathum* à *Sabazio* dici, id nullo negotio pueri etiam Chriſtiani refellant: qui ſciunt, שַׁבָּת, ſive σάββαλον, ſignificare *quietem*, *ceſſationem*: ut σάββαλον Iudaicum, cum illo gentilium σαβασμῷ, nihil habeat commune.

Ex eo quoque eundem eſſe Διόνυσον ac Solem, elucet, quod, Diodoro etiam teſte, idem ſit Liber ac Oſiris; Oſiris autem, ut ſuperiùs dictum, Sol ſit. Imò, ut pleniùs poſtea explicabitur, non ſolùm Sol eſt, ſed etiam Nilus: quomodo Bacchus non modò eſt Sol, ſed etiam Humor. Itaque & magna erat convenientia inter ſacra Oſiridos, & Liberi: uti inter alia de phallo. Nam eum in Oſiridis ſacris adhibitum fuiſſe, oſtendimus alibi. Idem verò apud Græcos quoque in Liberalibus de pertica pendulus geſtabatur. Quem qui ferret, φαλλοφόρος dictus: pompa ipſa φαλλαγωγία *, vel ϖεριφαλλία †: chori canticum φαλλικὸν ᾆσμα *. Cæterum phallus iſte, ut Plutarchus ‡ docet, myſticè denotabat τὸ γόνιμον, καὶ τὸ σπερμαλικὸν, *genitalem ac ſeminalem vim*. Ea vis eſt à Sole: ſed, ut idem ait, δι' ὑγρότητος, *humoris interventu*. Itaque Bacchum ſi totum ſpectemus, pars ejus à cælo, nempe calor, qui ab Sole: pars eſt ſubcæleſtis, nimirum humor. Quibus duobus ad generationem opus. Hinc liquet, cur cæleſtis quidem Bacchus ſit Sol: ſubcæleſtis autem Aqua, ſive Liquor. In liquore autem principatum tenet vitigenus: ut nec ratio ſit obſcura, cur *Bacchum* poetæ dicant pro *vino*.

* *Theodoret.*
† *Heſych.*
* *Ariſtoph. Acharn.*
‡ *lib. de Iſide & Oſiride.*

Etſi verò contendimus, eundem eſſe Dionyſum ſive Liberum, ac Apollinem ſive Solem: agnoſcimus tamen cum Macrobio, diſcriminis aliquid in hiſce vocabulis eſſe obſervatum. Quippe Apollo dicebatur, quando eſſet in hemiſphærio diurno; Liber, cùm in nocturno foret: haut aliter, ac Luna, cùm ſupera terrarum luſtrat, Venus vocatur: Proſerpina autem,

ubi ad Antipodas concesserit. Quemadmodum & variè effingebantur: Apollo quidem fere unâ semper ratione: Liber autem nunc ad ephebi modum; nunc instar adolescentis, cui lanugo serperet circa maxillas; nunc in ἀκμῇ, planè barbatus; nunc facie, barbâque senili. *Quæ ætatum diversitates*, ut ibidem Macrobius tradit, *ad solem referuntur, ut parvulus videatur hiemali solstitio, qualem Ægyptii proferunt ex adyto die certâ; quod, tunc brevissimo die, veluti parvus & infans videatur. Exinde autem, procedentibus augmentis, æquinoctio vernali, similiter atque adolescentis adipiscitur vires, figurâque juvenis ornatur. Postea statuitur ejus ætas plenissimâ effigie barbæ, solstitio æstivo; quo tempore summum sui consequitur augmentum. Exinde, per diminutiones dierum veluti senescenti, quartâ formâ Deus figuratur.*

Quod verò de *Baccho*, ac *Libero*, diximus, idem de *Iaccho* judicandum. Ac proinde hac etiam appellatione tum sol, tum liquor, indicantur. Est verò *Iacchus* ab יה, *jah*, uno ex Dei nominibus; ex quo *Halelu-ja*, hoc est, *Laudate Dominum*. Nempe sanctũ hoc nomen *jah*, vel *jach*, gentiles resonare solent in sacris suis choreis. Quemadmodum & usurpâsse in iis videntur nomen tetragrammatum יהוה, sive id sonuit *Iave*, vel *Iahave*, ut Samaritani efferebant; unde & existimo esse, quòd Ιάβε pro eo sit apud Epiphanium hæresi XL, quæ est Archonticorum: sive pronunciarint *Ieheve*, ut Mercerus, ac Drusius, censent: sive *Iehova*, ut præferunt puncta Masoritica: de quo disputare non est hujus loci. Solùm dicam, non displicere eorum sententiam, qui exinde, quòd acclamarent יהוה, existimant factum illud Græcum, ἰὴ Βάκχε. Quomodo *Bacchus* sit ex posteriori parte vocabuli: nempe ex וה. Sanè notum est, Vau abire sæpe in B. Vnde *Varro* Græcis scribitur Βάῤῥων; *Virgilius*, Βιργίλιος. Sed si de Baccho displicet, saltem ex tetragrammato, vel ex *Iah*, est Ιάω: de quo sic Diod. Sic. lib. I: Παρὰ τοῖς Ιουδαίοις Μωσῆν ἱστοροῦσι τὴν Ιάω * ἐπικαλούμενον θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι· *Iudæi referunt, à Mose fingi, Deum, qui dicitur Iao, leges sibi tradidisse.* Vbi Ιάω sine dubio, vel pro nomine ponitur tetragrammato, vel idẽ est ac *Iah*, quod habemus Exod. XV, II, & in Psalmis crebro. Vtinam verò exstaret Labeonis liber, ex quo ista refert Macrobius lib. I Sat. cap. XVIII: *Consultus Apollo Clarius, quis Deorum habendus sit, qui vocatur* Ιάω, *ita effatus est:*

* *Citat quoque Iustinus in paræn. sed τὴν Ιάω ibi præteritur.*

Φράζεο τὴν πάντων ὑπατὸν θεὸν ἔμμεν Ιάω,
Χείματι μέν τ' Αἰδῆν, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἥλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ιάω.

Quæ ad verbum malo, quàm simili versu, transferre:

Dic, omnium supremum Deum esse Iao:
Hieme quidem Plutonem, at Iovem vere incipiente,
Et Solem æstate, auctumno autem mollem (aut festivum) *Iao.*

Sub-

Subjungit deinde Macrobius : *Hujus oraculi vim, numinis nominisque interpretationem, qua Liber pater, & Sol,* Ιάω *significatur, exsecutus est Cornelius Labeo in libro, cui titulus est,* DE ORACVLO APOLLINIS CLARII. Videmus autem ex istis, ut sacerdos Apollinaris fucum fecerit consultoribus, eos à vero Israelis Deo, naturæ auctore, abducendo ad naturam, Dei opificium : quasi Iudæi (quorum Deus Iao, ut agnoscit Diodorus) coluerint Solem.

Cùm verò ab solo Israelis Deo, qui *Iah* dictus, peccatorum sit omnium remissio : nihil mirandum, si gentiles, Israelitarum simiæ, sacris sui Iacchi, quod nomen ex Hebræo illo efformatum dicebamus, tribuerint expurgationem animæ ab omni criminis reatu. Hujus rei symbolum erat vannus : quæ mysticè denotabat, ut vanno repurgatur triticum ab aceribus ac retrimentis : ita Iacchi sacris mundari animam ab omni crimine anteacto. Ad hunc ritum respexit Maro ; cum in 1 Georg. ait,

— *Et mystica vannus Iacchi.*

Vbi sic Servius : *Mystica Iacchi ideo ait, quòd Liberi patris sacra ad purgationem animæ pertinebant : & sic homines ejus mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. Hinc est, quòd dicitur, Osiridis membra à Typhone dilaniata Isis cribro superposuisse. Nam idem est Liber pater ; in cujus mysteriis vannus est, quia, ut diximus, animas purgat ; unde Liber ab eo, quod liberet, dictus : quem Orpheus à gigantibus dicit esse discerptum. Nonnulli Liberum patrem* λικνήτην* *appellant. Vannus autem apud eos* λικνὸς † *nuncupatur : ubi de more positus esse dicitur, postquam est utero matris editus.* Bacchi λικνητῦ meminit & Plutarch. de Isid. & Osir. Indéque *vannifer*, λικνοφόρος, Demostheni oratione contra Ctesiphontem. Sic enim istic, non λιχνοφόρος, scribendum esse, colligo ex Harpocratione in Λικνοφόρος. Vbi & legas : Τὸ λίκνον πρὸς πᾶσαν τελετὴν καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστιν· *Vannus ad omnia initia, & sacrificia, commoda est.* Quid mirum de τελεταῖς sive initiis, cùm his ex eo nomen sit datum, quòd initium sint vitæ melioris, ac vitæ hujus finis & perfectio ? Quippe ea nequit esse, nisi animæ priùs purificentur : cujus rei ventilabrum erat symbolum, ut diximus. Nec mirum magis de sacrificiis, quæ fierent ad mentes expurgandas, ac sæpe urbem totam vel exercitum expiandum. Neque in solis Iacchi sacris vannum adhibitam, sed Minervæ etiam, indicat vetus poeta, cùm apud Plutarchum, tum & Clementem Alexandrinum Admonitione ad Gentes ‡ :

Βάτ' εἰς ὁδὸν δὴ, πᾶς ὁ χειρώναξ λεὼς,
Οἱ τὴν Διὸς γοργῶπιν ἐργάτιν θεὸν
Στατοῖσι λίκνοις προτρέπεσθε. —
Ite in viam omnis popule manu victum parans,

* *malim* λικνίτην, *ut est apud Varinum. Nisi placet* λικμητήν.
† *malim* λίκνον, *vel* λικμός.
‡ *pag. 35, principis sive Florentinæ editionis.*

Gnatam Iovis Gorgopin Ergatin Deam
Statuto adorans ventilabro. —

Triplex verò animæ erat expurgatio in gentilium ſacris; aëre una, altera aquâ, tertia igni. Ventilabrum ſive vannus Liberi ad aëra pertinet, uti & oſcilla. Audiamus teſtem Honoratum in VI Æn. *In omnibus ſacris tres ſunt iſtæ purgationes. Nam aut tedâ purgantur, & ſulphure; aut aquâ abluuntur; aut aëre ventilantur, quod erat in ſacris Liberi. Hoc enim eſt, quod dicit in* II *Georgic.* — *Tibique*
Oſcilla ex altâ ſuſpendunt mollia quercu.

Atque ad triplex hoc genus purgationis reſpexit Maro in VI magni operis: — *Aliæ panduntur inanes*
Suſpenſæ ad ventos; aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

CAPVT XV.

Priuſquam accedatur ad Phyſicum Theologorum Herculem, breviter ex priori libro colligitur, quàm varii Hercules fuerint: atque oſtenditur, gentiles Herculi ſuo tribuiſſe, non modò geſta Ioſuæ, de quo antea abunde: ſed (ut de Samſone taceam) etiam quædam ex hiſtoria Ionæ prophetæ: unde occaſio illis fabulæ de Hercule ſuo, à balæna aliquando devorato, ſed reſecante ejus ventrem, atque ita ſalvo ac ſoſpite emergente, abſumtis duntaxat pilis ob internum belluæ calorem. Ogmium Herculem, cujus figura refertur, ſymbolum fuiſſe viri diſerti: Prodicium Herculem fuiſſe ſignum ac characterem adoleſcentis in ætatis lubrico illo voluptatis illecebras poſthabentis arduæ virtutis calli. Hinc oſtenditur, Herculem eſſe Solem, tum Aſſyriis ac Medis, tum Ægyptiis, tum etiam theologis Græcis: de quibus id probatur ex Herculis etymo, ac genere. Item ex fabella de circulo lacteo: cujus candor ab Hercule luc vomente; hoc eſt, Solis lumine reflexo, juxta pleroſque veterum. Veram interim candoris cauſſam eſſe à congerie minutarum ſtellarum; uti olim Democrito viſum, hodieque tubo Batavo comprobatur. Cur XII *ſtatuerint Herculeos labores: & cur clavam ei pellemque leonis tribuerint. Per hydram Lernæam ab Hercule occiſam innui paludem ab Sole exſiccatam: perque mala Heſperidum ab Hercule ablata, indicari lucem ſtellarum Solari luce obſcuratam. Additur altera fabulæ enarratio; ſed petita ex hiſtoria, quam more ſuo poetæ corruperint, occaſione vocis ambiguæ, & oves, & mala ſignificantis. Etiam Herculem Romanum videri haut alium à Sole. Nomen ei* Recarano: *fortaſſe quaſi* regi Carano; *hoc eſt,* domino regi. Caranus, *& κοίρανος, unde ſint: & de Carano Heraclida, regni Macedonici conditore. Etiam eo oſtenſum, Herculem Romanum eſſe eundem ac Solem, quia & idem Varroni ſit ac Mars. Germanos priſcos Martem coluiſſe ſub effigie columnarum Herculis.*

A Li-

A Libero nunc ad Herculem me confero : quorum uterque rex Orientis fuisse dicitur; ut Iustinus ex Trogo ait lib. XLII. Verùm ille non ad rerum naturam, quam nunc spectamus, pertinet : sed ad gestorum historiam; de qua actum nobis libro superiori. Vnde cognoscere fuit, Occidenti etiam suos fuisse Hercules : Creticum, unum Idæorum dactylorũ, sive Curetum, vel Telchinum; de quo cap. XXVII : alterum Thebanum, sive Amphitryoniadem, quem expendebamus cap. XIII : tertium Romanum, nomine Caranum, vel Recaranum; de quo libri ejusce cap. XII. Imò an hic quoque non potiùs naturale fuerit numen, ac planè idem ac Sol, paullo pòst considerabimus. Præter istos, ut vidimus, alius fuit Hercules Ægyptius, nomine Gignon, vel Gigon : de quo dictum cap. XVII. Alius Phœnicius, nomine Melicartus, Desanaus, vel Diodas : de quo cap. XXII. Alius Ægyptiocananæus, Iosua noster : cujus gesta Herculi attribui, ostendimus cap. XXVI. Imò nec dubium, quin ex Samsone nostro, qui Thebano illi Herculi par vel suppar fuit, occasionem quoque rapuerint Phœnices, Ægyptii, ac Græci, tam multa de suo Hercule comminiscendi, ne heros suus ullâ parte illo populi Dei inferior videretur. Quemadmodum & penè extra controversiam omnem ponimus, fabulam de Hercule in balænæ ventre commorante, fuisse confictam ex prophetica Ionæ nostri historia. Quod quia antea nobis indictum, non abs re erit, si paucis exponam, priusquam ad physicum Theologorum Herculem accedam. Antiquissimus, qui hanc fabulam tangat, Lycophron est : qui sic penè initio Cassandræ :

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων·
Εμπνους δὲ δαιτρὸς ἡπάτων, φλοιδούμενος
Τινθῷ λέβητος ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις,
Σμήριγγας ἐστάλαξε κωδείας πέδῳ.
Trivesperi (sive trinoctii) leonis, quem aliquando maxillis
Tritonis deglutivit asperè dentatus canis :
Vivus autem dissector intestinorum ambustus,
Cavo lebetis in focis ignis expertibus
Capillos destillavit capitis solo.

Quem in locum sic Isacius Tzetzes : Τριέσπερον τὸν Ηρακλέα λέγω καλεῖν τὸν Λυκόφρονα, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι, ἃς ἑσπέρας καλεῖ διὰ τὸ ἀφότιστον καὶ σκοτεινὴν εἶναι τὴν γαστέρα τοῦ θηρίου· *Trinoctium ajo Herculem vocari à Lycophrone, quia in ceto tres transegerit dies : quas vesperas sive noctes appellat, quia lucis expers, & tenebricosus foret ceti venter.* Pleniùs B. Cyrillus in Ionæ cap. II : Ηρακλέα φασὶ τὸν Αλκμήνης καὶ Διὸς, καταποθῆναι ὑπὸ κήτους· ἐκδοθῆναι δὲ

πάλιν ἐκ τῆς ἐκφύτου θερμότητος, ἐψιλωμένης αὐτῷ τῆς κεφαλῆς, καὶ μόνης τριχὸς πεπονθότι τὴν ἀπόφασιν. μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας Λυκόφρων. *Herculem, ajunt, Alcmenæ & Iovis filium, deglutitum quidem à ceto, redditum tamen, ab insito ceti calore capite solum depilato. Meminit verò historiæ Lycophron.* Theophylactus quoque in eundem Ionæ locum : *Devoratur ergo à ceto Ionas, tresque dies ac totidem noctes in eo permanet vates : quæ res omnem excedere fidem audientibus videtur, maximè iis, qui ex Græcorum scholis, sapientéque doctrina, ad hanc historiam accedunt. Quos equidem non satis demirari possum, qui fiat, quod hæc non intelligant, cùm suis ipsorum alis capiantur. Apud ipsos enim nonnihil tale de Hercule narratur : nempe quod & ipse, à balæna devoratus, incolumis remanserit; nisi quod tantummodo depilatus redierit ; idque ob ingenitum, & internum belluæ calorem. Aut igitur nostra suscipiant, aut sua rejiciant.* Atque ex his eâdem liquet, non tres modò fuisse Hercules ; de quibus Diodorus in IV : nec sex duntaxat, quot recenset Cicero de Nat. Deor. & Arnobius in IV ; sed longè plures : imò Varro numerabat Hercules XLIII. Sed verisimile est, in iis aliquos fuisse symbolicos : qualis Ogmius, sive Hercules Celticus : quem Lucianus describit senem & calvastrum, ad modum seniorum nautarum marinorum, indutum pelle leoninâ, dextra ῥόπαλον sive clavam, sinistrâ gestantem arcum, pharetrâ de humeris dependente, catenis ex auro & electro per linguæ extremitatem insertis, & auribus multitudinis, sponte sectantis, alligatis. Atque hic eloquentiæ symbolum fuit : ut dictum lib. priori cap. XXXV. Nec profectò dubitandum, quin & Græcorum ille sæpe intelligi debeat symbolicè ; tanquam fictitium exemplum τῆς συνέσεως καὶ ἀλκῆς *. Per monstra enim, quæ domuit, signabant monstra vitiorum; uti luxuriam, avaritiam, inertiam, atque alia. Itaque & solum dixere ex Argonautis se continuisse in navi, nec exisse ad Hipsipylen, quia sapiens non vincitur libidinis illecebris. Notum etiam de Hercule adolescente : quem primus Prodicus Ceus finxit audisse Voluptatem, & Virtutem, disceptantes : eumque secuti Xenophon, Cicero, Philostratus. Verùm neque nunc sermo nobis de Hercule, quatenus ad gestorum pertinet historiam : neque de commenticio illo philosophorum, qui character est morum ac vitæ : sed de illo Theologorum Hercule, qui est Sol. Nam idem ille, ac Mars, qui Sol, ut vidimus. Macrobius lib. I Sat. cap. XII : *Chaldæi stellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant.* Quod de stella Martis dicit, id ad ipsum Solem se extendit. Quod Medorum etiam Persarumque indicat religio : ut quibus Dii fuerint *Belus, Sandes, Anaitis* : ac *Belus* quidem fuerit Cœlus sive Iupiter ; *Sandes* Hercules, sive Sol ; *Anaitis* Venus, hoc est, Hesperus, vel potiùs Luna. Atque hoc ita esse, ex Beroso, Athenocle, & Symmacho, antiquissimis Assyriarum & Medicarum rerum scriptoribus, tradidit Agathias lib. II.

* *prudentiæ & fortitudinis.*

De

De Ægyptiis idem dixero : quibus in Hieroglyphicis Hercules effingitur triceps ; leonis capite, in medio; à dextra, capite canis blandientis ; à lævâ, rapacis lupi. Hoc de Sole, temporis dimensore, interpretatur Macrobius lib. 1 Sat. cap. xx. Leonino capite tempus signatur præsens ; quia, ut nihil est leone ferventius, ita solum hoc tempus actu ferveat præsenti. Medio est loco, quoniam præsens interjectum est inter præteritum, ac futurum. Præteritum notatur capite lupi ; quo nihil rapacius. Futurum signatur capite canis; quod animal adulatione suâ figurat spem, quæ semper abblanditur.

Harum gentium exemplum sequuntur Græcorum theologi : quod & Græcanicum *Herculis* etymon firmat. Nam Ηρακλέης dictus, quasi Ηρας κλέος, *gloria ac decus Iunonis*, sive aeris : ut Macrobius quoque ἐτυμολογίζει lib. 1 Sat. cap. xx. Et cui plus aer debeat, quàm illuminanti ? Præterea Hercules est Iovis proles. At Iupiter est æther, in quo nihil majus & pulchrius Sole. Dicitur Hercules, cùm ubera Iunonis suxisset, tantum lactis ore suo rejeciſſe, ut inde candidus fieret, qui nunc γαλαξίας * dicitur. Nimirum eo spectarunt, quòd veterum aliqui putarent, candorem illius circuli, per Geminos, & Sagittarium deducti, esse ἀνάκλασιν τῆς ἡμετέρας ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιον, *adspectus nostri reflexionem ad Solem* ; teste Aristotele lib. 1 Meteorolog. cap. VIII : ubi opinionem hanc meritò quidem refellit ; sed, quod factum nolim, deteriorem substituit. Neque enim in aëre est is candor, sed in æthere; neque is continuus, sed interciſus; idque, ut Democritus rectè perspexit, ex congerie minutarum stellarum : quæ sententia tubo sive telescopio Batavo manifestè comprobatur. Hoc enim stellæ illæ minutæ & discretæ liquidò satis videntur. Aristotelis verò sententia, qui congeriem esse exhalationum in summa aëris regione arbitrabatur, abunde eo refellitur, quod cum pro tempore exhalationum quantitas ac situs variet, hîc tot seculis summa sit constantia. Præterea, ubicunque terrarum sis, nulla est adspectus diversitas, quam parallaxin dicunt. Quod satis observatum Argonautis nostris Batavis, nunc Europæ, nunc Africæ vel Asiæ extima petentibus; ut de utraque America taceam. Neque id planè nescivit Averroës, qui Aristotelem hic deserit, seque fatetur, & Cordubæ in Hispania, & Marochi in Africa, eodem planè galaxiæ loco, sidus Aquilæ conspexisse : quod minimè foret, locis tantopere diſſitis, si galaxias pendêret in suprema aeris regione ; quia parallaxi proderetur.

Sed ut in isto decepti sint veterum aliqui, quòd à lacte Herculis, hoc est, reflexione lucis solaris, candorem lactei esse circuli crederent ; sunt fabulæ aliæ, quibus solidius adstruatur, per Herculem intelligi Solem. Vti quòd, pro duodecim signis cælestibus, quæ quotannis Sol permeat, duodecim

* circulus lacteus.

decim ſtatuantur labores Herculis. Quod item inſignia ejus ſint ῥόπαλον ſive clava, & pellis leonina : ac pellis quidem ad ſignandam potentiam Solis, quando eſt in ſigno Leonis. Quò & clava pertinet, niſi inæqualitate ejus malis notari motum Solis inæqualem, dum obliquo Zodiaci baltheo fertur. Nempe verè Vettius apud Macrobium Sat. lib. 1, cap. XVII, *poetarum gregem, cùm de Diis fabulatur, ab adytis plerumque philoſophiæ ſemina mutuari.*

Quod & fabula de hydra Lernæa oſtendit. Hydræ enim nomine ſignificatur elementum id, in quo vivit, & unde nomen accepit : hoc eſt, ὕδωρ, ſive ὕδας, *aqua*. Lerna erat Argolidos palus, ubi egiſſe hydra dicitur Lernæa. Hydram hanc occidit Hercules : hoc eſt, paludem eam Sol exſiccavit. Sed neceſſaria quoque fuit opera Iolai ; qui vicinam dicitur ſilvam accendiſſe. Nempe ad exſiccationem loci hoc plurimùm conferebat. Eo Iolaus torres dicitur detuliſſe ad Herculem, ne cervicibus hydræ aduſtis pro capite uno ſuccreſcerent plura.

Etiam huc referendum, quod Hercules rapuiſſe fertur mala Heſperidum. Eo enim ſignatur, Solem exortum luce ſuâ præſtinguere lumen ſtellarum; quæ generali nomine per *Heſperidas* intelliguntur : quippe Veſperæ, & Noctis filiæ ; ut vel indicio eſt nomen ipſum, quod ἀπὸ τῆς ἑσπέρας *. Veſpera autem initium eſt noctis. Per hortum Heſperidum intelligitur cælum ſtellatum. Nam quod in hortis flores, id in cœlo ſtellæ : unde poetæ & *flores* pro *ſtellis*, & *ſtellas* pro *floribus* dicunt ; ut in quarto Inſtitutionum Oratoriarum oſtendimus. Μῆλα χρυσέα, *mala aurea*, ſunt ſtellæ. Mala, quia rotunda. Aurea, quia aurei coloris. Draco, qui cuſtodit, vel zodiacus eſt, vel horizon, vel, ſic ſi malis, draco inter arctos ambas flexuoſus decurrens ; ut Germanici cenſet interpres.

* *à veſpera.*

Sed hæc quidem ejus fabulæ eſt interpretatio φυσικὴ, ſive θεολογικὴ : quatenus nempe Hercules eſt Sol. Præter quam & altera eſt expoſitio ἱστορικὴ, quatenus hæc referuntur ad heroem Tyrium, vel Ægyptium, ſive is unus idemque fuerit : ſive Tyrius quidem in Hiſpania, in Africa alter bellum geſſerit. Huc refert Diodorus in quarto : ut qui per mala aurea intelligat oves præſtantiſſimas, quas, cuſtode earum Ladone interemto, Hercules abduxerit. Nempe fabula ſic orta ſit ex ambiguitate vocabuli μῆλα, quæ & *oves*, & *mala*, ſignificat : uti Varro docet lib. 1 de R. R. Verba ejus inferiùs apponam.

Fortaſſe autem nec alius, quàm Sol, fuerit Hercules Romanus, initio capitis nobis memoratus, ac imprimis libri ſuperioris cap. XII : ubi & dicebamus, ſcriptori ‡ quidē de origine gentis Romanæ, ſive is S. Aurelius Victor, ſeu alius, *Recaranum* vocari : at Verrio Flacco apud Servium dici

‡ *idque ex L. Caſſii Hemina Annal. lib. 1.*

Gara-

Garanum, vel *Caranum*. Vnde ſuſpicio mihi objecta, Herculem *Recaranum* nominatum, quaſi *Regem Caranum* dicas. *Caranus* verò ad verbum idem notet ac *Belus*. Nam uti *Belus*, בעל *dominus*; ut abunde antea vidimus: ſic & *Caranus*, idem ac κύριανος, *dominus*; idque, ut cenſeo, à קרא kara, *vocavit*: unde קרוא kari, *vocatus ad regnum, inclytus, celebris*. Vt קרואים keruim, *inclyti, magnates*; Num. I, 16, item II Sam. XV, 11, & Ezech. XXIII, 23. Vt verò *Belus*, & Solis, & Regis: ita *Caranus* quoque utriuſque fuerit nomen. Sed Belus, Aſſyrii regni conditor, Nimrodus: auctor verò imperii Macedonici, Caranus; teſte Diodoro, Livio, Iuſtino, Pauſania, Solino, Cedreno, cui corruptè eſt Κραναός. Atque idem docuit Pontius Paullinus lib. de regibus ex tribus Suetonii libris: unde inter alia verſum hunc adduxit Auſonius *:

Et Caranus, Pellæa dedit qui nomina regum.

* epiſt. 19, qua ad hunc Pontium Paullinum.

Ab Hercule originem ejus deducunt omnes: ſed ab eo facit decimumſextum Vellejus, undecimum Dexippus in iis, quæ ex Euſebio excerpſerat Syncellus. Sic enim ille: Οὗτος ὁ Κάρανος ἀπὸ μὲν Ηρακλέους ἐνδέκατος ἦν, ἀπὸ δὲ Τημένου, ὃς μετὰ τῶν ἄλλων Ηρακλειδῶν κατελθόντος εἰς Πελοπόννησον, ἕβδομος· *Hic Caranus ab Hercule erat undecimus; à Temeno, qui cum Heraclidarum aliis in Peloponneſum deſcendit, ſeptimus.* Seriem vide inibi † ex Theopompo, & aliis, expreſſam.

† *In Scaligeri Euſebio, ſive Græcis ex eo excerptis, pag.* 47.

Sed ab illo Macedonum Carano Heraclida redeo ad Caranum ſive Recaranum Romanum: quem *Gradivum* poetę malunt nominare. Hunc eundem eſſe ac Solem, etiam ex Varrone evincit Macrobius lib. III Sat. cap. XII: *Salios autem Herculi, ubertate doctrinæ altioris, adſignat Virgilius; quia is Deus & apud pontifices idem, qui & Mars, habetur. Et ſanè ita Menippea Varronis affirmat, quæ inſcribitur,* Αλλος ἢ τος Ηρακλῆς †: *in qua cum de Hercule multa loqueretur, eundem eſſe & Martem probavit.* At Mars idem ac Sol, ut ex eodem Macrobio vidimus. Germanis tamen veteribus alius Mars ab Hercule: ille naturale numen, idem ac Sol, eoque Deorum præcipuus: hic numen animale, primus virorum fortium: ut oſtendimus libri I, cap. XXXVII. Martem interim coluere ſub ſymbolo Herculeo. Witichindus Chronici Saxonici lib. I: *Secundum errorem paternum, ſacra ſua propriâ veneratione venerati, nimirum Martem, effigie columnarum imitantes Herculem.*

† *Alius hic Hercules.*

CAPVT XVI.

Nec Ianum Theologis esse alium à Sole monstratur : & unde dicatur, quando sic accipitur. Vnde etiam sit ἥλιος, repetitur. Vnde item Solis *sit appellatio, & aliorum quorundam etyma.* Iana *pro* Luna, *indeque* Dea Iana, *sive* Diana. *Aliter Ianum dici* patrem, *aliter Quirinum. Cur* biceps, & biformis, *nominetur. Cur & quadriceps sit effictus. Cur dictus sit* Consivius, Patulejus, Clusius, Claviger. *Cur cum sceptro, & clave, figuratus. Apollo* Θυραῖος. *Ianuarius cur Iano sacer. Cur aræ illi sacratæ duodecim. Vt manuum gestu repræsentârit numerum tot dierum, quot absolutus haberet annus.*

NVnc ad Ianum pergamus. Quod nomen si ab historia arcessimus, ex *Iavano* fuerit contractum : quam vocabuli ejusce rationem superiori attulimus libro cap. XVIII. Sin *Iani* appellatio primò non homini convênit, sed Soli : fuerit & ipsa ejusdem originis, ac *Iacchus* : nempe ab יה, *jah.* Sanè pleræque Solis appellationes habent divinitatis argumentum : etiam Græcum ἥλιος, & Latinum *Sol.* Nam (ut ex Servio * Isidorus † annotavit) Ηλιος est ex יה, אל. Quod unum ex Dei nominibus à potentia desumtum. Ab אל quoque, vel הל, est *Sol.* Nam Latini spiritum mutant in S ; sæpius quidem asperum ; ut ἕξ, *sex,* ἅλλομαι, *salio* : sed subinde etiam tenuem ; ut εἰ, *si* ; εἴρω, *sero,* pro *dico,* unde *dissero* ; ab εἰρμὸς, *sermo.* Pro H verò sæpe Ω posuere ; ut ψήχω, ψώχω, *stringo* ; Μαιῆτις, Ionicè Μαιῶτις, *Mæotis* ; Κέλης, *celox* ; ῥωμὸς, *pronus,* & similia. Ianum verò à nonnullis Solem creditum, ostendunt etiam illa Arnobii lib. III : *Incipiamus à Iano patre : quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solem etiam prodidere nonnulli.* Ibidem & Cæli filius creditus perhibetur. Quid convenientius, quàm ut Sol dicatur filius Cæli ? Sed gentiles ipsos potiùs advocemus. Quis ignorat, Apollinem esse Solem, Dianam esse Lunam ? At Nigidius Figulus, Romanorum post Varronem doctissimus, *pronunciavit, Apollinem esse Ianum* ; *Dianamque, Ianam* ; ut iisdem verbis Macrobius ait lib. I Saturn. cap. IX. Sanè Lunam esse dictam *Ianam,* indicat Varro in libris de R. R *. ubi legas ; *Iana crescens,* & *senescens.* Sed in editis corruptè est *Luna* ; uti observatum Scaligero. Et hinc *Diva Iana* ; quæ κ᾽ συγκοπὴν *Diana.* Vti in carmine Saliari apud Varronem de L. L †. *Divos Ianos* ‡, id est, Sol. Idem firmatur elegantissimis Septimii versiculis ; quos ex poeta hoc adducit temporibus ejus proximus Terentianus Maurus :

Iane pater, Iane tuens, dive biceps, biformis,
O cate rerum sator, ô principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,

Cui-

* *in* 1 *Æn. ut dictum libri hujusce cap* 4.
† *lib.* 14 *Orig. cap.* 3.
* *lib.* 1, *cap.* 37.
† *lib.* 6.
‡ *vel* Deivos Ianes : *de quo dictum nobis Oratoriarum Institutionum lib.* 4, *cap.* 1, *sect.* 7.

Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.
Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.

Primùm hic *pater* dicitur; quæ appellatio quàm latè pateat, indicant versus Lucilii * in primo Satyrarum; ubi in Deorum concilio sic Iupiter fatur:

Vt nemo sit nostrum, quin aut pater optimus divûm,
Vt Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Ianus, Quirinus pater, omnes dicamur ad unum.

* apud Lactantium lib. 4, cap. 3.

Ridet poeta, sive, ut censeo, apud eum Iupiter, quòd tam multis tribuatur nomen *patris*. Quod & Lactantius † facit. *Natura*, inquit, *non patitur, ut sint unius hominis plures patres. Ex uno enim procreatur. Vnus igitur colendus est; qui potest verè pater nominari.* Ac rectè Lactantius; qui huc contendit, ut doceat, *Deos multos colere, contra naturam esse, contraque pietatem.* Sed enim non adversus ista hic gentilibus sua qualis qualis defuisset cantio. Dicerent, nunc communi ratione *patris* nomen sumi; ut cùm *Quirinus* sic vocatur, conditor Romanorum: nunc singulari, quâ sic nominantur *Saturnus, Iupiter, Mars, Liber*; quos omnes ad Solem superiùs reduximus. Ianum igitur, qui & ipse est Sol, Deorum summus, meritò nuncupari *patrem*. Sic enim hoc loco Ianum spectari, argumento est, quod versu proximo nominetur, non dico *principium Romanæ gentis*; quod convenit Quirino: sed *principium Deorum*; quod est Deorum eximii, quem, inter nomina cætera, *Iovem* dixere.

† loco ante ad eram memorato.

Subjungit deinde Septimius, *Iane tuens*: quia Sol omnia videt; quippe oculus Iovis.

Hinc vocat *divum bicipitem*, & *biformem*, quia orientem respicit Sol, & occidentem: sive quoniam nunc nobis lucet, nunc illis, qui in orbe sunt adverso. Aliam è Varrone Servius rationem adfert: unus quia populus Romanus duobus sub regibus, Romulo Tatioque, fuerit signatus. Nam tum demum hujusmodi simulachrum constitutum, cum populi hi duo in unum coaluissent. Non repugno: sed hoc pertinet ad Ianum historicè acceptum. Alii putarunt, Ianum bifrontem esse symbolum regis: cujus est nôsse præterita, & inde prospicere futura. Rectè: sed hoc jam est Ianum ἀθικῶς spectare. Hic more Theologorum consideratur φυσικῶς. Quomodo non modò effingebatur biceps, sed etiam quadriceps: ut è quadrifronte Iani simulachro, Faleriâ, oppido Thusciæ, advecto, probat Servius in illud VII Æn. *Sunt geminæ belli portæ*: item Macrobius in I Saturn. cap. IX. Nec, ut Servius optimè colligit, duas, sed plures linguas, signat Martialis, cùm lib. VIII, epigr. II ait:

Et linguâ pariter locutus omni.

Quatuor autem frontes Iani ostendebant, eum quatuor mundi partes spectare; ut ibidem à Macrobio docetur.

Postea ait Septimius: *O cate rerum sator.* Omnia enim satione Solis habemus: unde & dictus *Ianus Consivius, à conserendo, id est, propagine generis humani; quæ Iano auctore conseritur*; ut Macrobius ait in primo Sat. cap. IX.

Mox sequitur apud Septimium de sacratis ei orbis ætherei liminibus, cardinibus, ac claustris. Quò pertinent cognomenta *Patulcii, Clusii, & Clavigeri.* Duæ enim sunt cæli portæ: orientali ingreditur Sol, & omnia patefacit; unde Iano *Patulcii* nomen: nec aliunde *pater matutinus* dicitur Horatio *: occidentali exit, diemq; claudit nobis, unde *Clusii* appellatio. Ad utramque pertinet *clavigeri* vocabulum. Nam ut virgam, sive sceptrum, tenebat manu unâ, ad imperium suum per orbem indicandum: ita manu alterâ gestabat clavẽ, quia portas cæli aperit, & claudit: quomodo eâdem quoque clavi, & fores aperimus eâ in serã immissâ, reducentes ferreum illum pessulum, qui januam posti jungit: & easdẽ claudimus, adducendo eodem per immissam clavem pessulo. Atque hæc omnia ad Solem pertinere, etiam eò firmatur, quòd & Apollo Græcis dicatur Θυραῖος. Vti Romanis quoq; januę Iano dicantur: imò & à Iano *januas* vocari, quia his præsit, Ovidius ‡ putabat. Nec ædium modò, sed aliarum etiam rerũ initia, sacrarunt Iano: unde & mensem principem ab eo dixere *Ianuarium*; quia tum divus Ianus, hoc est, Apollo, sive Sol, ad nos revertitur, dierumque quasi prima efficit incrementa. Varro etiam tradidit, XII aras esse positas Iano in unaquaque regione: sed duas potissimùm cultas, unam in foro boario, alteram ad arcum Fabianum. Istis XII aris videntur signâsse XII menses. Luculentum etiam argumentum præbet Plinius lib. XXXIV, cap. VII: ubi ait; *Præterea Ianus geminus à Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum sexaginta quinque dierum notâ, per significationem annui temporis, & ævi se Deum indicaret.* Idem traditum est à Macrobio lib. I Sat. cap. IX, & Suida in Ιανυάριος. Verba autem eorum sic capi debent, non quasi hunc dierum numerum manui haberet impressum: sed quia ad numerorum indicia digiti vel aperti essent, vel variè complicati, flexique. Quam computandi rationẽ sæpius tangunt veteres: paullo fusiùs verò expressit B. Hieronymus adversus Iovinianum: at accuratissimè omnium Beda de Computo: quẽ hac parte juniores sequuntur, plerique etiam exscribunt. Vide Lilium Gyraldum Annotationum dialogismo II, Colvium in Appuleji apolog. II, Savaronem in Sidonii lib. IX epist. IX, Wouwerium Polymathiæ cap. VII. Ex his omnibus colligitur Ianum esse Apollinem, sive Solem: ut non multùm aberrarint, qui eum, à quo *Ianiculum* dictum, Apollinis filium fuisse putarunt: ut tradit Sextus Aurelius de Origine gentis Romanæ.

* *lib. 2, sat. 6.*

‡ *I Fast.*

CAPVT

CAPVT XVII.

Belenus *quoque idem, ac Sol, putandus. Aquilejensium is Deus fuit tutelaris: item Aremoricorum, & Noricorum. Ab eo plantæ est nomen, quæ Hispanis* Velenno, *Vngaris* Belend. Belenus *unde dictus. Vnde* vepres, vestis: *item* βαλλὼ, à *quo* βαλλωαῖος, *& quid duobus illis significetur.* Abellio *idem videtur ac Sol, ac fortasse ex eo nomen* Apollinis *fluxit. Nec alium* Belatucadrum *videri, quam* Belenum. *Denique ostensum, ubique gentium hujus sideris cultum obtinuisse: etiam procul à veteri Romanorum imperio: ut apud Massagetas, equum Soli mactantes: Indos, quibus credebatur Sol frigusculum adferre diebus* XXXV, *ut sacra sua melius possent celebrare: Haaulitas, ubi, in divinitatis Solaris argumentum, globi erant exstructi, qui, Sole exoriente, sic irradiabantur, ut ardere viderentur: item Germanos, & Sarmatas: imò apud Americanos etiam cultum hunc repertum: qui & Soli victimas mactarent humanas.*

POst Romanos pauca de gentium aliis subjiciam. Ac primùm de Beleno dicam, quia extra Italiam quidem, sed etiam ab Aquilegiensibus, qui intra eam, cultus fuit. Hoc nos docet Iulius Capitolinus: ex quo etiam Belenum non alium esse, quàm Apollinem, sive Solem, cognoscimus. Verba ejus sunt ista in Maximinis: *Cum igitur frustra obsideret Aquilejam Maximinus, legatos in eandem urbem misit. quibus populus penè consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens, etiam Deum Belenum per Aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum. Vnde etiam postea Maximini milites jactâsse dicuntur, Apollinem contra se pugnâsse: nec illam Maximi, aut Senatus, sed Deorum fuisse victoriam.* Quod *Belenum* dicit *Apollinem*, idem apud Herodianum lib. VIII legas: ubi historiam eandem tractat. Sed is Βέλιν vocat, non Βέλενον· Βέλιν δὲ καλοῦσι τοῦτον, σέβουσι δὲ ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. *Belin autem vocant, ac magna cum religione colunt, Apollinem interpretantes.* Ibidem oraculum Beleni seu Belis appellat θεοῦ ἐπιχωρίου, *patrii numinis.* Vt Aquilejensibus fuisse Deum tutelarem, satis appareat. Atque idem evincunt Aquilejæ tot inscriptiones repertæ. Vti illa in ara oblonga: APOLLINI BELENO AVG. IN HONOREM C. PETTI. Et alia: APOLLINI BELENO C. AQVILEIENS. FELIX. Alias item quinque, quæ Aquilejæ visantur, refert Gruterus Inscript. vett. pag. XXXVI. Nec Cisalpinæ is solùm, sed Transalpinæ etiam Galliæ cultus fuit. Vnde Ausonius in professoribus Burdigalensibus Carm. X:

Nec reticebo senem
Nomine Phœbicium,
Qui Beleni ædituus

Stirpe ſatus Druidûm
Gentis Aremoricæ
Burdigalæ cathedram
Nati operâ obtinuit.

Idem Carm. IV: *Tu Bajocaſſis, ſtirpe Druidarum, ſatus,*
Si fama non fallit fidem,
Beleni ſacratum ducis è templo genus:
Et inde vobis nomina.
Tibi, Patéræ. Sic miniſtros nuncupant
Apollinares myſtici.

Imò Noricis quoque venerationi fuit. Tertullianus in Apologet. cap. XXIV: *Vnicuique provinciæ, & civitati, ſuus Deus eſt: ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Dyſares, ut Norici Belenus.* Quo de loco diximus libro ſuperiori cap. XXXVIII. Niſi pro *Noricis* hîc legendum *Aremoricis:* quibus cultum eſſe Belenum, vidimus ex Auſonii verſiculis de Phœbicio jam adductis. Ab Apolline Beleno, herba ea, quæ Græcis ὑοσκύαμος, ut Latinis *Apollinaris*, ita Hiſpanis *Velenno*, imò & Vngaris *Belend*, quaſi *Belenium*, dicitur. Sed unde ipſi *Beleno* nomen ſit, parum liquet. Num cum Pithœo dicemus, eſſe à βέλος, *ſagitta:* propter radios Solares, unde Apollo ἑκηβόλος * & ἑκαεργέλετης. An à βέλα, quod Heſychius ait Laconibus eſſe ἥλιος, & αὐγή †. Sed hoc potiùs eſt ex ἕλη, Doricè η in α abeunte, & *b* præmiſſo, Æolum more; ut ῥῶπες, βρῶπες, *vepres:* quod imprimis fit loco ſpiritus aſperi; ut ἑσπέρα, βεσπέρα, *veſpera*; ἑσθὴς, βεσθὴς, *veſtis*; imò & pro tenui, ut Pamphylii, βαβέλιος, pro ἀέλιος, ſive ἠέλιος, teſte Heraclide apud Euſtathium *. An potiùs Βέλενος à בעל, ex quo βέελ, unde βεελσάμιν, ut ſuprà dictum? Sanè id impenſius placet, cùm omnis penè ſuperſtitio ſit ab Oriente. A βέελ igitur eſt βέλις, quod apud Herodianum. Etiam βέλιν dixiſſe poſſint, ut ἀκλὶς, ἀκτὶν; σελφὶς, σελφὶν; Σαλαμὶς, Σαλαμὶν, & ſimilia. A βέλιν, alterâ terminatione additâ, *Belinus*, & *Belenus*. Vtrâque enim vocali in veteribus inſcriptionibus legas. Atque hæc eo quoque firmantur, quòd alia itidem ab eâdem Orientis voce originem trahant. Siquidem à בעל, *baal*, & *bal*, quod & *beel*, ac *bel*, ac *dominum*, vel *regem* ſignificat, eſt ſimiliter βαλιὼ, & βαλλιὼ: quod idem notat. Æſchylus Perſis ‡:

* *eminus jaculans.*
† *ſol, & ſplendor, ſive lux.*
* *In Odyſſ. κ, pag. 1654, edit. Rom.*
‡ *pag. 156. edit. H. Steph.*

Βαλιὼ ἀρχαῖος βαλιὼ
Ἰθι, ἵκω, ἐλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμ- Βον ὄχθω, κροκόβαπτον.
Rex antique, rex
Ades, accede, veni ad ſummum verti- cem tumuli, croco tinctum.

Vbi ſic ſcholiaſtes: Βαλιὼ ὁ βασιλεὺς λέγεται. Εὐφορίων δέ φησι, Θυεῖον εἶναι τὸ διάλεκτον. ὅθεν καὶ βαλιωαῖον ὄρος, ὅ ἐστι βασιλικόν. *Balen, dicitur Rex. Euphorion*

phorion verò ait, Thuriorum esse dialectum. Vnde & Balenæus mons, hoc est, regius. Eustathius idem monet in Hom. Il. Γ *, & Odyss. Τ †: utrobique autem provocat ad Plutarchum de fluminibus. Sed apud hunc nunc, non βαλναῖον, ut Eustathius olim legit; sed βαλλωαῖον editum est ‡. Nec damnare ausim, cùm apud Hesychium reperiam: Βαλλίω, βασιλεύς, φρυγιστί. *Ballen, rex, Phrygibus.* Fortasse tamen βαλίω scripserat Hesychius.

* *Rom. edit. pag. 381.*
† *edit. ejusd. p. 1854.*
‡ *cap. de Sagari.*

Eò quoque inclinat animus, ut *Abellionem* non alium, quàm Solem, nec aliunde, quàm à *Belo*, dictum putẽ. Inscriptio vetus * in Convenis Novempoluniæ: DEO ABELLIONI MINICIA IVSTA V.S. L.M †. Item: ABELLIONI DEO TAVRINVS BONE CONI. SEVSIM. Item: ABELLIONI CISONTEM CISSONBONNIS FIL. V. S. L. M. Firmat opinionem meam, quod & Pamphylii, ac Cretes, sic dixere. Hesychius: Αβελίω, ἡλιακόν. Παμφύλιοι †. Idem: Αβέλιον, ἥλιον, Κρῆτες *. Et fortasse *Apollo* ex Cretico Αβέλιος. Nam veteres Romani pro *Apollo* dixere *Apello*; ut pro *homo, hemo*; pro *bonus, benus*, ac similia.

* *Inscript. Gruter. pag. 37, n. 5, 6, 7.*
† *Hoc est, votum solvit libens merito.*
† *Abeliam, Solarem, Pamphylii.*
* *Abelion, Solem, Cretes.*

Nec video, cur non, cum clarissimo Seldeno ‡, eundem censeam, atque ab eadem quoque origine *Belatucadrum* arcessam. Meminit vetus lapis * Wardaliæ in Cumbris, in ædibus nobilis viri, Th. Dykes: DEO SANCTO BELATVCADRO AVRELIVS DIATOVA ARA† EX VOTO POSVIT L.L. M.M *. Alius item: BELATVCADRO IVL. CIVILIS OPT. V. S. L. M. Item tertius, in Gruteriana Inscriptionum collectione præteritus, atque ab eruditissimo Cambdeno earum editoribus transmissus: DEO BELATVCADRO LIB. VOTVM FECIT IOLVS.

‡ *de Dis Syris.*
* *Grut. inscript. p. 87, num. 1.*
† ARA *lineola superposita, hoc est*, aram.
* *hoc est, lubentissime, meritissimo.*

Sed longæ fuerit operæ, si omnes velim gentes referre, quæ, sub nominibus diversis, Solem pro summo habuerint numine. Nam orbe propemodum universo consuetudo hæc fuit: idque jam ab antiquissimis idololatrici cultus temporibus: unde est, quòd gentes etiam illæ, quibus commerciorum minus cum aliis fuit, eoque veteris forent erroris retinentiores, vel solum colerent Solem. Vt Massagetæ; sive illi in Margiana, ubi eos collocat Ptolemæus; sive ultra Araxem, quo loco eos ponit Herodotus extremo lib. 1: qui sic de iis scribit; Θεῶν μόνον ἥλιον σέβονται· *Ex Diis unum Solem venerantur.* Atque addit deinde, equum, ut antea dictum ‡, ei sacrificasse, quia Deo celerrimo celerrima victima conveniret.

‡ *cap. 9.*

Ab Indis etiam Solem, sed unà cum Luna, cultum fuisse, prodidit Ctesias in Indicorum opere: ubi, Photio * teste, egit, περὶ τοῦ ἱεροῦ χωρίου τοῦ ἐν τῇ ἀοικήτῳ, ὃ ἐπ' ὀνόματι τιμῶσιν ἡλίου καὶ σελήνης· ἐν ᾧ ἀφ' ἑκαπέντε ἡμερῶν ὁπὸ τοῦ ὄρους ὁ Σαρδὼς τὶς παραγίνεται· καὶ ὅτι λέ ἡμέρας ὁ ἥλιος φύχει ἐκεῖσε τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἀφ' ὅλῳ ἑορτὴν, ἵνα μὴ ἄφλεκτοι αὐτῷ τελέσωσι, καὶ ὑποτρέψωσιν· *de loco sacro, qui est in tractu inhabitabilis regionis,*

* *cod. 72.*

quem

quem sub nomine Solis & Lunæ venerantur : ad quem, à monte Sardonis, quindecim est dierum iter. Vt Sol ibi singulis annis, per dies triginta quinque, aliquid refrigerationis illis concedat propter id festum, ut ne dum ipsum celebrant, & dum revertuntur, torreantur.

Idem statuendum de incolis Haaulam, quæ nunc Zeilam, Ptolemæo Taprobana, nisi ea Sumatra potiùs. De hac gente ita Benjaminus Tudelensis in Itinerario suo, Ben. Aria Montano interprete : *Inde septem dierum itinere in Haaulam deveni, quod initium est regni Solem pro Deo colentium, gentis videlicet ex filiis Chus astrorum contemplatricis.* Et post alia : *Colitur autem ab his Sol aris frequentibus, & magnis extra urbem per omnia loca ad dimidium miliare exstructis. Summo itaque mane communiter excurritur, aditurque Sol ; cui in cunctis aris simulachra sunt sacrata ad similitudinem orbis Solaris magicis artibus constructam. exoriente autem Sole orbes illi incendi videntur, magnoque strepitu sonant. Habent autem singuli singulas acerras in manibus, tam feminæ, quàm viri, omnesque pariter thura Soli adolent.*

Gentes etiam Germanicas, ac Sarmaticas, Solem maximè veneratas, donec Christo nomen darent : satis cognoscere est ex annalibus illorum populorum, & iis, qui reliquere nobis vitas Sanctorum, à quibus gentes hæ primùm conversæ fuerunt. Imò extremæ etiam Septentrionis nationes, admodum tenui nunc quoque Christi notitiâ imbutæ, simulac æstivo tempore Sol conspici cœpit, adorant eum, gratiasque agunt, quod pro semestris spatii & tenebris, & frigore, lucem caloremque apportet : ut Olaus Magnus refert rerum Gothicarum lib. III, cap. II. De Solis etiam cultu apud Tartaros, vel potius Tataros, varii testantur. Atque idem dixero de gentibus Americanis : uti insulis Canibalicis, quarum incolas non alios colere Deos, quàm Solem, Lunam, Cœlumque, in opere, quod, inter alias Navigationes, illam Christophori Columbi exhibet, legas cap. LXXXVIII, & XCII *. Item de Cerabarois † populis prope Hiebram, & Beraguam ‡ : quos orientem Solem venerari, tradit Petrus Martyr Mediolan. Oceaneæ decadis tertiæ lib. quarto. Item de Peruanis, qui post Viracocham, hoc est, Creatorem universi, imprimis Solem coluerunt : uti tertium honoris divini gradum Guaca sive Tonitrus obtinebat. Tantus verò is honos Solis fuit, ut in metropoli Cusco etiam infantes ei mactarent. Quod Acostæ traditum Indicorum lib. V, cap. IV. Habes & de sacrificiis, quæ sideri huic faciunt Peruani, apud Ioannem Lerium Navigationis in Brasiliam cap. XVI.

* *sive edit. Paris. an.* 1532, *pag.* 81, & 84.
† *al. Caravaro.*
‡ *al. Veragua.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

Cauſſæ adferuntur, cur Lunæ divinos tribuerint honores. Vbi primò locus ipſe in conſiderationem venit; quippe ſublimis, ac cæleſtis. Eâque occaſione expoſitum, quantum Luna diſtet à terris, cùm minimùm; quantum item, cum plurimùm diſſidet. Hinc ſpectatur magnitudo, quæ terreſtris globi fere eſt quadrageſima. Exinde color candidus: & quia candoris decus imminuant maculæ Lunares, de cauſſis ejus diſquiſitum. Pythagoreos putaſſe, Lunam eſſe terram noſtræ ſimilem; ſed ubi & arbores, & animalia, multò ſint noſtris majora. Opinio veterum, ex Lunæ orbe decidiſſe Nemeæum leonem, & Marathonium taurum. Figuram Lunæ, ſi eam extra φάσεων differentiam, ac proinde qualis reapſe eſt, ſpectemus, globoſam eſſe: ac ſemper plus dimidiâ parte irradiari. Non omnino tamen rotundam eſſe; ſed aſperam & inæqualem, & quæ ratio ejus ſit figuræ. De diverſis φάσεων cauſſis: & cur in coitu non videatur. Nunquam minus à Sole perfundi lumine, quàm in plenilunio.

POſt multa adeò de ſidere Solis, tempus eſt accedere ad Lunam: de qua audiamus magnificè diſſerentem magnum naturæ myſten, C. Plinium, in ſecundo Hiſtoriæ Naturalis cap. IX: *Omnium admirationem vincit noviſſimum ſidus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium ab natura repertum, Lunæ. Multiformi hæc ambage torſit ingenia contemplantium, & proximum ignorari maximè ſidus indignantium, creſcens ſemper, aut ſeneſcens. Et modò curvata in cornua, modò æquâ portione diviſa, modò ſinuata in orbem; maculoſa, eademque ſubitò prænitens; immenſa orbe pleno, ac repente nulla; aliàs pernox, aliàs ſera, & parte diei ſolis lucem adjuvans; deficiens, & in defectu tamen conſpicua; quæ menſis exitu latet, cùm laborare non creditur. Iam verò humilis, & excelſa; & ne id quidem uno modo; ſed aliàs admota cælo, aliàs contigua montibus; nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros dejecta: quæ ſingula in ea deprehendit hominum primus Endymion; & ob id amore ejus captus famâ traditur.*

Ex his magnam partem videre eſt, quæ gentiles impulerint, ut Lunam pro numine haberent. Sed ut idem magis diluceat, aliquanto hæc omnia pleniùs diducemus. Ac præcipuè movit nationes, quòd in cœlis ipſis conſpicerent ſidus præ cæteris tenebras diſcutiens nocturnas; idque tam grande, tam pulcrum, tam varium, tam velox, & idoneum ad temporum menſuram, tam efficax denique in omnia Lunæ ſubjecta. Sed hæc nimium jejunè ſic dicantur. Diſtinctè igitur videamus de ſingulis horum, quæ paucis adeo complectebar. Ac primùm de ſitu Lunæ, qui cæleſtis: hinc de dominio noctis, ſive illuminatione nocturna: tertio loco de magnitudine, quâ proximè ad Solem viſa accedere: quarto de

pulchritudine, ubi & colorem attendimus, & figuram : exinde de varia lunæ phasi : tum de celeritate ejus, nec non summo illius usu in temporum distinctione : denique de vi & efficacia ejus in animata pariter ac inanima.

Loco, quia is cæleſtis, primum dedimus locum. Cælum enim palatium Deorum credebatur. Et tamen locus lunæ est citimus terris. Quantum autem ab his absit, ne inter veteres quidem convênit satis, nedum juniores. Neque, qui Lunam retulere in Deos, accuratè distantiam illam attenderunt. Quamobrem suffecerit, illud, & similia, hoc loco attingere. Secundùm Ptolemæum à terræ centro, cùm maximè abest, distantia fuerit semidiametrorum terræ LXIV ; cum minima, XXXIII. Quid istius sit, non possumus certò statuere, nisi sedulò caveamus, ne refractiones, vel parallaxes, nos fallant. Vbi enim ad gradus octo Luna adscenderit, parallaxis ejus, cùm minimùm, est minutorum 56′, 44″ : atque ubi plurimùm, minut. 65′, 36″. In parallaxi illa minori à Braheo est deprehensum, minimam Lunæ distantiam esse LII terræ semidiametrorum : hoc est, milliarium astronomicorum 178698 : quot resultant, si milliare quodque per 52 multiplicaveris. Summam verò si parallaxin attenderis, Luna, cùm est remotissima, absit à telluris centro semidiametris terræ LXI : ut propemodum IX semidiametris vel propior, vel remotior, conspiciatur.

Ad sublimem hunc situm accessit grandis utilitas ex illuminatione nocturna. Vnde Plinius, ut antea vidimus, ait, *in tenebrarum remedium ab natura repertam.* Et Appulejus similiter lib. de Deo Socratis, cùm Solem dixisset *diei opificem*; subdit mox, *Lunam Solis æmulam, noctis decus.* Hinc etiam *Noctilucæ* nomen apud Varronem in IV de L. L.

Præterea magnum in magnitudine, qua videbatur, instar fuit. Vnde & Mosi statuitur alterum è duobus magnis luminaribus : neque id duntaxat, ut arbitror, quia majus præberet lumen, ut citima terris : sed etiam, quoniam, eâdem de caussâ, proximæ post Solem magnitudinis videretur. Quemadmodum & Horatius propterea ait lib. I, od. XII :

— Velut inter ignes
Luna minores.

Et lib. epod. od. XII :

Nox erat, & cælo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera.

* *Carm. secularis.*

Atque eidē iccirco dicitur *, — *Siderum regina bicornis.* Et tamen nihil illa, non ad Solem modò, sed ne ad terram quidem. Sole quippe minor est quinquies millies ac sexcenties : terrâ autē minor, juxta accuratiores, propemodum quadragies. Dioptræ enim beneficio cognoscitur, Lunæ diame-

diametrum diametro terræ contineri ter cum duabus quinctis : ut illius diameter ad hujus se habeat, quemadmodum v ad xvii, seu fere uti unum ad tria cum duabus tertiis : eoque Lunam ad terram esse, ut v ad cxcvi. At in hoc numero cxcvi habes quinarium tricies novies & aliquanto amplius. Proinde magnitudo Lunæ fere æquet partem terrestris globi quadragesimam.

Præterea sidus hoc commendabatur eximiâ pulchritudine : quæ tum è colore relucebat, tum figura. Color ejus candidus : quòd sereno cœlo videmus. At pallor pluviæ index, vel rubor ventorum præsagus, foris proveniunt : de cujusmodi prognosticis sive ex colore, sive figura, Aratus in Phænomenis, Maro i Georg. ac potissimum Plinius lib. xviii, cap. xxxv. Maculæ tamen Lunares, quæ præcipuè in plenilunio apparent, non tam ab externa videntur caussa; etsi Plinius * putârit, esse notas terreni humoris ab Luna attracti : quam ab interna; nempe ex eo, quòd partium Lunæ aliæ aliis sint densiores, eóque Solaris luminis minus percipiant. Nisi placet Plutarchi opinio, libro de facie Lunæ; ubi arbitratur, densum ejus esse corpus, ex aqua & continentibus globum constituens. Quam opinionem variis it argumentis firmatum Keplerus in Astronomiæ parte Optica cap. vi, num. ix.

* *lib. 2, cap. 9.*

Profecta autem opinio hæc à Pythagoreis : de quibus sic Plutarchus lib. ii de placitis philos. cap. xxx : Οἱ Πυθαγόρειοι γεώδη ταύτην, καθάπερ πλοῦ παρ' ἡμῖν γῆν, μείζοσι ζώοις & φυτοῖς τοῖς καλλίοσιν. εἶναι γὰρ πεντεκαιδεπλάσιονα τὰ ἐπ' αὐτῆς ζῶα τῇ δυνάμει, μηδὲν ἀφεδρωματικὸν ἀποκείνοντα· & τὴν ἡμέραν τοσαύτην τῷ μήκει· *Pythagorei* (volunt Lunam) *terrestrem videri, quoniam, sicut nostra tellus, circumhabitetur, majoraque obtineat animalia, & plantas pulciores. Animalia enim deciesquinquies nostrorum magnitudinem habere, neque ulla ciborum retrimenta excernere. ac parilem esse dierum rationem, quod ad longitudinem.* Anaxagoras itidem, & Democritus, montes ac convalles in ea statuerunt. Hinc poetæ quædam finxerunt animalia, quæ vulgarem modum excederent, è Luna decidisse : uti Nemeæum leonem, quem Hercules confecit. Eoque respicit Iuno apud Senecã in Hercule Furente Act. i † :

† *vers. 83.*

Sublimis alias Luna concipiat feras.

Quem locum ex Achillis Statii in Aratum commentariis illustrat Politianus in Miscellaneis cap. xvii. Ac similiter fabulati sunt de tauro Marathonio ab Hercule domito. Hinc Claudianus, vel alius potius, Claudiano antiquior, in poematio, quod Laus Herculis inscribitur :

— Taurus medio nam sidere Lunæ
Progenitus Dictæa Iovis possederat arva.

Figurâ etiam Lunæ quid pulchrius ? Quæ profectò non scapham re-

fert, uti Heraclitus *, & Anaximander †, putarunt: sed neque cylindrum, quæ aliorum opinio fuit: verùm rotunda est, ac globosa: neque id tantummodo, quando est plena; sed etiam, ubi vel gibbosa, vel dimidiata, vel corniculata, vel intermenstrua. Nunquam enim non dimidia Lunæ sphæra lumen Solis recipit: imò, si accuratè loquamur, plus semper dimidiâ Lunæ parte irradiatur; quia sphæra major semper majorem minoris sphæræ partem illustrat: ut notum est ex canone superiùs etiam adducto.

* *Plutarchus lib. 1 de placitis philosoph. cap. 27, & 28.*
† *Idem ibi.*

Nec si rotunda sit, eò æqualiter talem esse existimandum. Nam telescopia Batava clarè docent, nunc esse eminentiorem, nunc depressiorem: quod aliqui arripiunt pro sententia Xenocratis, existimantis esse terram multarum urbium, montiumque; ut est apud Cicer. lib. IV Acad. Quæst. Sed alia est asperitatis hujus ac inæqualitatis caussa. Nempe ut sic majus in terras lumen demittat. Alioqui ex luminari non ita magno lumen nimis dispergeretur: uti videmus in speculis omnino sphæricis minorem nobis Solem, quam à speculorum aliis, repræsentari.

Magnam præterea Lunæ admirationem peperit apud gentes diversa ejus φάσις †: cujus diversitatis caussa serò est deprehensa à Græcis ipsis. Nimirum licet plus dimidio ejus semper illustretur, nihilominus *in coitu* (ut Plinii utar verbis) *non cernitur, quoniam haustum omnem lucis adversa illò regerat, unde acceperit.* Quemadmodum verò in novilunio cælum versus refundit lumen; ita illud in plenilunio versus nos fertur: ac temporibus cæteris, etsi æquè illuminetur, magis tamen minusve cernitur, pro suo situ ac distantia à Sole: pro qua lumen illud vel cælum, vel terras versus, magis minusve refert. De hoc optimus & doctissimus Paullus Merula * verba ista se adferre ait ex Macrobio in Somnium Scipionis: *Luna dispensationibus septenariis luminis sui vires sempiternâ lege variando disponit. Primis septẽ diebus dimidiata semiorbem ostendit, vocaturque dimidia. Quartis fit coitus Lunæ cum Sole, quod interlunium nominatur. Est enim tempus inter deficientem, & nascentem Lunam, hoc est tricesimus dies, in quo Luna non lucet. Nam cùm Soli conjuncta sit, ita obscuratur, ut minimè possit videri: sed eodem momento renascens, paullatim ab eò recedendo videtur.* Sed profectò, quanti juventutis interest fontes ipsos adire, parebit Macrobium ipsum consulenti operis ejus lib. I, cap. VI.

‡ *apparitio.*

* *Cosmographiæ partu 1, lib. 2, cap. 27.*

Coitus sive novilunii symbolum, seu nota, est ☌: corniculatæ ✶, quia ab hexagono provenit adspectu: dimidiatæ □, quia à Sole quarta Zodiaci parte distet: gibbosæ △, quia triente absit: plenæ ☍. Vitellionem vide lib. IV, prop. LXV, & seqq. Quod verò prima facie valde παράδοξον videatur; nunquam minùs illuminatur Luna, quàm plena si fuerit: quippe tum opposita Soli, sæpius etiam in auge constituta. Atqui abunde constat ex Opticis, quo sphæra illuminata longiori intervallo abest ab illuminante, eo minùs quoque lucis percipere.

CAPVT

CAPVT XIX.

De bono Lunæ, velocitate suâ spacium menstruum describentis. Mensis alius Solaris, qui vel cælestis, vel civilis; alius Lunaris, qui vel periodicus, vel synodicus, Græcis usitatus, vel τ φάσεως, apud Muhammedanos obtinens, sed sic, ut paullum τ φάσεως exsuperet modum. Quis Lunaris annus, & quanto hunc exsuperet Solaris, & cur anno unoquoque tardiora sint novilunia ac plenilunia diebus XI. *Ενεακαιδεκαετηρὶς Metonis, quæ &* numerus aureus. *Calippica periodus. Vis Lunaris in sublunaria. Ros* Lunæ filia *cur dicatur. Quamobrem mare horâ unâ tardiùs die quoque exundet. Efficacia Lunæ in condendis granis, & arboribus cædendis. Cur à cœpe abstineant sacerdotes Ægyptii. Vis ejusdem in ovis, conchis, oculis ælurorum. Cur Luna prosit parturientibus. Cur obsit iis, qui Lunæ expositi capiant somnum. Cur nutrices non denudent infantes in lumine Lunari. Cur epilepticis Lunæ noceant incrementa. Quomodo Euangelistis idem lunaticus, & dæmoniacus. Luna cur Aristoteli* Sol alter, *sed* minor, *dicatur.*

IAm quantum admirationis, atque honoris, conciliâsse Lunæ putabimus tantam ejus velocitatem, tam grande item emolumentum, quod ex motu ejus sumeretur menstrui temporis mensura? Quamvis enim & mensis sit Solaris; cùm civilis, qui variat; tum cælestis, qui transitu Solis de signo in signum definitur: non dubium tamen, quin multò antè, ob brevem illam, &, in diversa adeò φάσει *, tam evidentem Lunæ periodum, priùs veteres illo tempora sua fuerint dimensi. Interim & Lunaris ille variat, quia vel mensuramus reditu ad idem Zodiaci punctum, unde discesserat; vel ad Solem, unde profectus erat, regressu. Prius appellatur περίπαλος vel περίοδος τ Σελήνης: posterius autem συνόδος σελήνης: Latinis *jugum Lunæ*, ut Ciceroni † etiam dicitur, unde Græci inchoant νεομηνίαν *. De periodico mense ita Varro apud Agellium lib. III, cap. IX: *Duodetrigesimo Luna, ex quo vestigio profecta est, eodem redit.* Accuratè loquendo, signifer orbem lustrat *vicenis diebus septeniisque, & tertiâ diei parte*; ut est apud Plinium lib. II, cap. IX. Sive, ut alii, diebus XXVII, hor. VII, scrup. fere XL. Synodicus mensis ad hoc spatium superaddit biduum, & paullo amplius: nempe quantum requirit, ut Solem assequatur; qui jam ab eo loco, ubi ante mensem reliquerat Lunam, duodecimam cæli partem progressus fuit. Hinc Plato in Timæo: Μεὶς δὲ, ἐπειδὰν Σελήνη περιελθοῦσα τ ἑαυτῆς κύκλον ἥλιον ὑπερβαλλάθοι. *Mensis verò efficitur, cùm Luna, circuli suo completo curriculo, solem etiam fuerit assecutus.* Ac similiter Alcinous de dogmate Platonis: Καὶ Σελήνην μὲν μηνὸς μέτρον ποιεῖ, ἐκπεριελθοῦσα τ ἑαυτῆς κύκλον, & καταλαβοῦσα τ ἥλιον ἐν τοσούτῳ. *Ac Luna quidem mensis mensuram conficit, ubi emensa est suum*

* *apparitione sive conspectu.*

† *lib. 2 de Divinat.*

* *novilunium novumque mensem.*

eſt ſuum circulum, Solemque in eo complexa. Eſt verò hic menſis dierum XXIX, hor. XII, ſcrupul. XLIV. Hoſce duos menſes confudit Appulejus de dogmate Platonis, & alicubi etiam Lactantius, multique alii. Præter hoſce & menſis ſtatuitur ἡ φάσεως ſive *illuminationis*: qui incipit à prima apparitione Lunæ ad novam. Sed hæc menſura eſt incerta, quia nunc Luna quarto à coitu die apparet, nunc tertio, quandoque & primo: ut tum dicatur ἔνη καὶ νέα, *vetus, novaque*: quam Lynceus, propterea celebratus proverbio, primus dicitur reperiſſe. Arabes tamen, & Agareni, hoc non attendunt, ſemperque menſem inchoant à die tertia: nempe ἀπὸ τῆ μιμοειδοῦς σχήματος, eoque plurimùm φάσεως excedunt modum.

Ex duodecim menſibus ſynodicis confit annus Lunaris: qui propterea eſt dierum CCCLIV. At Sol non conficit circulum ſuum, niſi diebus CCCLXV, & quadrante: ſive, exactè loquendo, V horis, XLIX ſcrupulis: ut undecim ſcrupula defiant, quo minus integer ſit quadrans. Nam horam LX ſcrupulis conſtare, cuivis conſtat. Lunaris igitur annus XI diebus, & quaſi quadrante, brevior eſt Solari. Eoque novilunia, & plenilunia, quotannis XI diebus tardiùs recurrunt, quam anno, qui proximè præceſſerat: uſque dum exactis XIX annis eadem redeat Lunæ ratio. Hoc *Lunæ cyclum* dixere, vel *enneadecaëterida*: quam reperit Meton. *Numerus* etiam *aureus* vocatur, quia in faſtis, ob inſignem ſui uſum, auro ſignaretur. Eſtque XIX annis Iulianis minor duntaxat horâ I, 27′, 32″ circiter. Sed propter hoc ipſum diſcrimen, ſeculo poſt Metonem, Calippus, cyclum Metonicum quadruplicans, orbem inſtituit annorum LXXVI. Quæ ἑβδομηκονταέτηρὶς nuncupatur. Sed ne ſic quidem vitium omne abeſſe, animadvertit Hippparchus. Verùm hæc accuratiùs exponere non eſt hujus loci. Sufficit, quod ex iis, quæ commemoravimus, cernere ſit, Solis Lunæque curſu, annuum, ac menſtruum ſpatium definiri: unde Geneſ. 1, 14, legimus, luminaria hæc in cœlo conſtituta, *ut dividant diem à nocte, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.* Cujuſmodi temporum diſtinctione, etiam tollitur inter homines negotiorum confuſio.

Præter illuminationem nocturnam, temporumque menſuram, aliis etiam in rebus ſe virtus exerit Lunaris: idque & inanimis, & plantis, & mutis animantibus, & hominibus ipſis. Primi generis exemplum eſt, quod in plenilunio plurimum ſit roris: unde & Alcman * lyricus, facit ῥόδον ἀέρος θυγατέρα καὶ Σελήνης, *rorem, filiam aeris & Lunæ.* Item ab Luna eſt æſtus marinus: de quo curatè Cæſar Scaliger adverſus Cardanum Exercitat. LII. Quod verò æſtus marinus unâ horâ tardiùs redeat quotidie, id hanc cauſſam habet: quòd dum Sol motu fertur diurno, qui horarum eſt XXIV, ipſa motu proprio, qui priori eſt contrarius, gradus conficiat XIII, eoque

terram

* *apud Plutarchum ſympoſ. lib. 3, quæſt. ult.*

terram totam non circumeat, nisi horis XXV. Est enim diurnus Lunæ motus graduum XIII, 3′, 54″ : uti horarius 32′, 40″.

Par ratio in plantis, & fructibus. Eoque plurimum refert, quando seratur. Vnde Plinius lib. XVIII, cap. XXXII : *Humidis locis interlunio serito, & circa interlunium quatriduo.* Item, quando arbores plantentur, vel succidantur, aut quando grana condantur. Vnde idem : *Arborum radices plenâ Lunâ operito.* Atque, ut ibidem est, *omnia quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius, decrescente Luna, quàm crescente, fiunt.* Plutarchus etiam Sympos. lib. III, quæst. ult. Τῶν ξύλων τὰ τεμνόμενα ταῖς πανσελήνοις ἀποβάλλουσιν οἱ τέκτονες, ὡς ἁπαλὰ καὶ μυδῶντα ταχέως διὰ ὑγρότητα· *ligna in plenilunio cæsa abjiciunt fabri, ut tenera, & facile flaccescentia propter humorem.* Addit continuò : Τὰς πυρὰς οἱ γεωργοῦντες σπεύδουσι φθίνοντος μᾶλλον ἐν τῷ ἄλῳ σιταίρειν, *coloni properant præcipiti & adulto mense triticum in area converrere.* Nempe ut siccius sic reddatur, ac trituræ aptius. Sanè, ut ibidem ait, grana, vigente Lunâ in aream illata, ob humiditatem ac mollitiem maximè in tritura rumpuntur. At olerum solum cepe crescit, Lunâ decrescente : quo iccirco abstinent sacerdotes Ægyptii : ut est apud Plutarchum lib. de Iside & Osiride.

Adhæc in mutis animantibus ejus vis compâret : eoque Plinius, loco ante memorato, *Ova Lunâ novâ supponito.* Item : *Verres, juvencos, arietes, hædos, decrescente Lunâ castrato.* Augescunt etiam cancrorum, concharum, ostrearumque corpora, glisccente Lunâ. Manilius lib. II Astronom.

Sic submersa fretis, concharum & carcere clausa,
Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

De eodem Plinius lib. IX, cap. VII, & XXXI, item Agellius lib. XX Noct. Att. cap. VIII, ubi hos Lucilii versus adducit :

Luna alit ostrea, & implet echinos, muribus fibras,
Et pecui addit. —

Vbi idem de ælurorum oculis legas, parque ratio in animantium medullis.

Denique & in homines se exerit Luna. Nam, cùm orbe fulget dimidio, ad partum conducit, quia laxando humores dolorem parientibus mitiget. Quod Plutarchus * sic extulit : Λέγεται δὲ καὶ πρὸς εὐτοκίαν συνεργεῖν, ὅταν ᾖ διχόμηνος, ἀνιέσα τῇ ὑγρῶν μαλθακωτέρας παρέχειν τὰς ὠδῖνας. Atque addit, hinc eam Λοχείαν, & Ειλείθυιαν, nuncupari. Ibidem refert, qui in lumine Lunari somnum ceperint, eos, quando expergiscuntur ac surgunt, esse torpidos, ac quasi attonitos, quia ἡ ὑγρότης ὑπὸ τῆς Σελήνης διαχεομένη βαρύνει τὰ σώματα· *humor à Luna diffusus aggravat corpora.* Etiam commemorat, ut nutrices caveant, ne commissos sibi infantes ostendant Lunæ, quia sic corpuscula eorum πλήρη ὑγρότητος ὄντα, καθάπερ τὰ χλωρὰ τῶν ξύλων, πᾶσαι καὶ

* *Sympos. lib. 3, quæst. 10.*

καὶ διαῤῥήπτει· *humoris plena, viridium instar lignorum, convelluntur, & pervertuntur.*

Epilepticis quoque, crescente Lunâ, pejus est. Vnde & σεληνιακοὶ, ac *Lunatici*, dicuntur. Vett. gloss. *Lunaticus*, Σεληνιακός. Id fit, simulac crescere Luna incipit. Vnde apud Matth. IV,24, ubi Græcè est σεληνιαζομένους, interpres Arabs *, si Latinè exponamus, vertit, *ruentes in principiis lunationum*, hoc est, mensium. Vti & cap. XVII,15, ubi σεληνιάζεται, idem Arabs reddit, *vexatur valde in principiis lunationum.* Maximè verò plenilunio infestantur: unde in glossis Isidori, *Lunatica, quod fit plenilunio.* Nec obscura est ratio, quia tum plenius cerebrum est humoribus: unde & tunc idonei magis, qui à dæmone vexentur. Talis epilepticus ille, qui Matthæo XVII, 14, *lunaticus* dicitur: Lucæ autem IX, 39, *dæmoniacus* vocatur: uti Marci IX,17,25, *surdus*, & *mutus*. Hanc rē sic expressit Iuvencus lib. III:

* *in editione Romana anni 1619.*

Nam cursus Lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet.

Pleniusque Rusticus Elpidius lib. V †:

† *vers.* 243.

Repserat in miserum rabies horrenda furoris
Dæmonis afflatu, propriâ qui peste nocivus
Allidit captas fædo discrimine mentes,
Menstrua deciduos cum Luna recolligit ignes.

Alioqui & Lunaticos esse, minimè à dæmone obsessos, liquet ex Iul. Firmico lib. IV Mathes. *Si Luna*, inquit, *malè fuerit collocata, aut spasticos, aut caducos facit.*

Atque hæc ostendunt, Lunæ etiam nocendi vim inesse. Sed, ut Sulmonensis * ille ait,

* *lib.* 2 *Trist.*

Nil prodest, quod non lædere possit idem.

Quin ex isto potius nationes vim ejus divinam colligebant: ut quæ & sui cultoribus benefacere, & negligentes sui posset ulcisci. Tanto igitur magis metuebant ejus irā, ne offensa, aut elementis, aut satis, aut animantibus, aut familiæ, damnum daret. Cæterum amabant illam, proximoque post Solem cultu prosequebantur, (ut verbis utar Aristotelis lib. IV de Generat. Animal. cap. ult.) διὰ τὴν πρὸς τὸν ἥλιον κοινωνίαν, καὶ τὴν μεταλαμψιν τοῦ φωτός· γίνεται γὰρ ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων. *propter Solis societatem, receptumque lucis: est enim quasi alter Sol minor.* Quæ satis apposite à philosopho dicuntur. Sive enim lumen spectes, tenebras discutit nocturnas: sed sic, ut nimio ne lumine impediat animantibus quietem ac somnum. Sive attendas calorem: hoc etiam & sata, & res alias, impertit; non tantopere quidem ac Sol, quomodo res æstu continuò exurerentur; tantum interea, ut nocturno res frigore suam non deperdant vim; sed sata, & animantia, salutari

lutari repleantur humore ad incrementum sui, & rerum novarum generationem.

CAPVT XX.

Deliquium Lunare cur καθαίρεσιν dixerint. Stulta priscorum opinio, carmine magico Lunam cælo detrahi, ac tum eam despumando vim mirandam herbis indere. Eodem deliquio portendi scelera, & mortes: sed æris tinnitu succurri Lunæ. Quæ commenta evanuere paullatim, repertâ verâ eclipseon caussâ. Solem etiam integrum à Luna obscurari: perperam tamen tradi, id in conceptu Romuli contigisse. Controversia vetus, luceatne Luna luce suâ, an alienâ: prius Berosum, & Chaldæos putasse. Appulejo, Ennioque lux. An Thales correxerit sententiam Berosi, ut scriptum Keplero. Berosi opinionem everti eo, quòd similis semper situs sit macularum Lunarium. Pythagoreorum judicio, Lunam Solari lumine lucere. Cur, quæ vulgo Phœbi soror, ab aliis filia ejus dicatur. Quibus argumentis adstrui videatur, sic Lunam nothâ splendere luce, ut interim aliquam habeat propriam; sed exilem. Nullam tamen ei nativam tribui posse, si, terræ nostræ instar, montes habeat & valles: quæ Pythagoreorum fuit opinio: juxta quos & Luna à Terra, & Terra à Luna, Solari lumine perfundatur. Secundùm Stoicos, Lunam esse præditam vitâ, sensu, intellectu.

PRæter ista diutissimè etiam suspensas tenuere hominum mentes deliquia cælestia, *res in tota contemplatione naturæ maximè mira, & ostento similis*; ut Plinius ait lib. II, cap. X. Eorum aliud Solare, quod κατ' ἔξοχὴν ἔκλειψιν vocitabant: Lunare aliud, quod καθάιρεσιν dicere maluerunt. Cur verò Lunare sic nominarint, optimè expositi vetus Apollonii interpres in lib. IV: Διαλαμβάνουσι δ' ἔνιοι τῶν τῆς Σελήνης ἔκλειψιν ὑπὸ φαρμακίδων γίνεσθαι· διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ καθαιρέσεις ἐκάλουν τὰς ἐκλείψεις· *Opinantur aliqui, deliquium Lunæ fieri à veneficis: ac propterea antiqui deliquia hæc dixere dejectiones sive depressiones.* Vbi eo respicit, quòd cùm hujus deliquii necdum cognita esset ratio, vulgo ita persuasum fuerit, magorum potestate lunam cælo deduci: uti notum ex Virgilio *, Horatio †, Tibullo ‡, Nasone *, Seneca †, Lucano ‡, Iuvenale *, Martiale †, Nemesiano ‡, Claudiano *, aliis. Sic verò magicis detractam carminibus credebant eò adigi, ut despumaret in herbas; atque vires ita in eas effunderet, quo postea magi efficaciùs iis uterentur. Lucanus lib. VI:

Et patitur cantu tantos depressa labores,
Donec supposita propior despumet in herbas.

Ac tangit quoque Appulejus lib. I Met. Scelera etiam, & mortes, defectibus siderum indicari, opinio erat, Stesichori quoque, & Pindari, teste

* *Ecl.* 8.
† *Epod. ed.* 5.
‡ *lib.* 1, *el.* 2, & 8.
* *Met.* 8, & 14, & *epist. Hipsipyles.*
† *Medea, act.* 4,
‡ *lib.* 6.
* *sat.* 6.
† *lib.* 12, *ep.* 57.
‡ *Ecl.* 4.
* *lib.* 2 *in Rufinum.*

Plinio lib. 11, cap. xi. Atque addit, *eo pavore, ignarum causſæ Niciam, Athenienſium imperatorem, veritum claſſem educere, eorum opes adflixiſſe.* Quam rem plenius in vita ejus Plutarchus exponit. Hinc etiam, ne Luna carmina magica exaudiret, *crepitu diſſono auxiliabantur*; ut ibidem ait Plinius. Atque idem Livius docet lib. xxvi : *Campanorum imbellem multitudinem cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ ſilenti nocte fieri ſolet, clamorem edidiſſe.* Ac ſimiliter plerique omnes poetarum, quos antea adduximus. Verùm eam de Lunæ laboribus opinionem refellit vetus, ſed incertus poeta ‡, apud Turnebum Adverſ. lib. xix, cap. iii : & poematis veterum à Pithœo editis. Vbi inter alia :

‡ *Varronis Atacini, ut Petro Daniele viſum : juxta alios Fulgentii, cujus nomen ex conjectura præmiſſum in epigrammatis veterum editionis Pithœanæ.*

Dicam, cur feſſo liveſcat circulus ore,
Purpureumque jubar nivei cur tabeat oris.
Non illam, ut populi credunt, nigrantibus antris
Infernas ululans mulier prædura ſub umbras
Detrahit altivago è ſpeculo.

Et quæ porrò ſequuntur : quæ apud Turnebum ipſum legi malo. Nempe nunc nulli non conſtat, cauſſam Lunaris deliquii eſſe ab terra inter Solem poſita, Lunamque in alterutro nodorum conſtitutam ; quorum unus, qui ad Boreum latus, Ptolemæo dicitur ἀναβιβάζων * ; alter Meridionalis, eidem καταβιβάζων † : vulgo ille vocatur *caput*, hic *cauda Draconis*, ob ſimilem interſectionis figuram. Quo autem Sol terræ propior eſt, eo majorem terra umbram projicit. Quod ſi amplius, quàm xv grad. 12′ abſit Luna à nodis memoratis, lumẽ ejus non poterit ab umbra terræ impediri.

* *adſcendens.*

† *deſcendens.*

Præterea videbant, Lunæ interjectu Solem obſcurari ; quandoque etiam totum : ut variis adſtruitur teſtibus apud Plinium lib. ii, cap. xii : ac ab Albategnio etiam, & Vitellione, comprobatur. Herodotus itidem lib. ii memorat eclipſin tantam, ut deſubito dies in noctem verteretur. Quod etiam contigiſſe in Romuli conceptu, Dionyſius prodidit lib. ii. Ac meminit quoque deliquii illius Plutarchus * ; qui, ex ſententia Tarrutii Mathematici, à Terentio Varrone rogati, ut Romuli, & Vrbis geneſin, juxta Aſtrologiam ἀποτελεσματικὴν † perſcriberet, conceptum muli, atque eclipſin eam, incidiſſe ajebat in diem xxiii menſis, quem *Choiac* Ægyptii dixere : ac Nicolaus Mullerius ‡ referebat in annum Periodi Iulianæ 3942, Iun. xxiv : Buntingus autem ad an. mundi 3199, ſive periodi Iul. 3944, Maji v. Sed jam Mathematicorum aliis deprehenſum, non fuiſſe ullam eo tempore eclipſin Romæ : nedum grandem adeo, ac ait Dionyſius. Quare fefellit, falſuſque Tarrutius. Verùm, utcunque ille deceptus, alias ejuſmodi apud alios legas. Inter cæteros, in vita Ludovici Pii anno Chr. IↃ ccc xl, v Maji : item an. IↃ ccc lxxviii, Oct. xxix : quando tanta erat eclipſis, ut omnes apparuerint ſtellæ. Atque hæc de

* *in Romulo.*

† *judiciariam.*

‡ *in Examine Temporum, quod Tabulis Friſicis additur.*

ſideris

sideris utriusque deliquiis; quæ, cum naturales nescirentur causſæ, mirâ homines superstitione impleverunt.

His igitur causſis ignotis, communis quoque erat opinio, suis Lunam ignibus lucere: quod sine dubio majus ei decus conciliavit. Sed postea de isto gravis est scrupulus injectus: idque partim ex illis, quæ de varia Lunæ φάσει † superiùs adduximus; partim istis, quæ proximè de cælestibus attulimus deliquiis. Itaque tum controversia fuit exorta, quæ diu ingenia torsit humana; utrùm (Arnobii * verba sunt) *alieno ex lumine, an propriis luceat fulgoribus Luna.* Quarum opinionum utramque etiam complexus est Lucretius in quincto:

† *apparitione sive conspectu.*

* *lib. 2 adversus gentes.*

Lunáque sive notho fertur loca lumine lustrans,
Sive suam proprio jactat de corpore lucem.

De propriis ignibus statuit Anaximander, & Xenophanes; & multò post eos Berosus Babylonius: uti de Anaximandro, & Berosо, testis est Plutarchus in primo de placitis philosophorum cap. XXVIII, & XXIX; de tribus autem istis, Stobæus in Eclogis Physicis †. Sed & de Berosо idem prodidit Cleomedes in secundo; fusiusque Vitruvius lib. IX, cap. IV; quem operæ est adire. Summa eò redit: Globum Lunæ dimidiâ sui parte igneum esse; exque ejus conversione fieri, ut varia adeò sit Lunæ φάσις ‡. Hinc Lucretius ibidem:

† *pag. 59.*

‡ *apparitio.*

Est etiam quoque uti proprio cum lumine possit
Volvier, & varias splendoris sumere formas.

Et post aliqua:

*Versarique potest, globus ut si * forte pilai*
Dimidia ex parti candenti lumine tinctus;
Versandoque globum variantes edere formas.
Denique eam partem, quæcunque est ignibus aucta,
Ad speciem vertit nobis oculosque patentes.
Inde minutatim retro contorquet, & aufert
Dimidiam partem glomeraminis atque pilai:
Ut Babylonica, Chaldæûm doctrina refutans,
Astrologorum artes contra convincere tendit.

* *al.* sit: *quod malebat Ianus Dusa fil. in Catullum notis. Sed nihil mutandum, quia* ut §, *valet*, haut aliter ac si sit.

Vbi propter Berosum Babylonium Babyloniis hanc tribuit opinionem. Atque idem facit Appulejus de Deo Socratis: qui utramque opinionem his memorat verbis: *Seu corniculata, seu dividua, seu pertumida, seu plena sit; variâ ignium face, quanto longiùs facessat à Sole, tanto longiùs collustrata, pari incremento itineris & luminis, mensem suis auctibus, ac paribus dispendiis, extimans; seu illa proprio & ‡ perpeti candore, ut Chaldæi * arbitrantur, parte luminis compos, parte alterâ cassa fulgoris, pro circumversione oris discoloris, multivaga, pollens, speciem sui variat:*

‡ *perperam vulgati* seu *pro* &, *quod & alibi monitum: & sane nihil apertius.*

* *Babylonios cape: non Chaldæos, quatenus Babyloniis opponuntur; ut à Lucretio factum versibus proximè adlatis.*

variat: seu tota, proprii candoris expers, alienæ lucis indiga, denso corpore; seu levi, ceu quodam speculo radiis Solis obstiti, & adversi, usurpat, &, ut verbis utar Lucretii,

— notham jactat de corpore lucem.

Apposui locum, prout censeo legi oportere. Ac quod pro *obstitit*, literulâ unâ recisâ, *obstiti* reposui, in eo certissimam Scaligeri * sum emendationem secutus. Sed non assentio, quod idem interpretetur *obliqui*: Solemque sic dici arbitretur, quia obliquo feratur circulo signiferi. Potiùs, si *obstitus* hîc valet *obliquus*, eò Appulejus respexerit, quòd Luna, à Sole recedens, obliquo ejus lumine percussa, magis & magis luceat nobis; usque dum ex adverso constituta, orbem totum complêrit. Non potuerit sic, ubi de caussa agitur luminis Lunaris, meliùs recurri, quam ad Solem tum obliquum, tum adversum. Sed puto, pro *obliquo* potiùs dici *obstipum*: ut in illo Lucretii lib. IV:

* *in Ætnam.*

Omnia mendosè fieri, atque obstipa, necesse est.

Quamquam & hic Festus *obstita* legisse videatur: sed invitis optimis membranis nostris; ac vetustis quoque editionibus, in his Veronensi †: ubi semper est *obstipa*: quod idem ac *curva*, & κ' μεταφορὰν, *vitiosa*. At *obstitum* est, quod obstat, sive obsistit; hoc est, quod opponitur, atque ex adverso est. Itaque *obstitum*, & *adversum*, junxerit Appulejus, ut posterius sit prioris, vocis minus obviæ, ἐξηγητικόν. Ac censeo Appulejo, cum hoc scriberet, ob oculos fuisse locum Ennii; qui nunc quidem corruptè sic legitur ex schedis Festi, quæ Pomponii Læti fuerunt:

† *an.* 1486.

Amplius ex augure obstipulumve solis.

Vnde Paullus Merula * faciebat:

* *in Enn. lib. 7 Ann.*

Amplius exangere obstipo lumine solis.

Ac ad Regulum referebat, Solari lumine à Karthaginensibus excruciatum. Sed enim censeo potius, Ennium esse locutum de Luna capiente lumen ex sole, præsertim adverso. Eoque veram esse lectionem:

Amplius exaugere obstito lumine Solis.

‡ *apud Festum in* Obstitus.

Etiam hæc firmantur originatione, quòd Cincius ‡ νυμφολήπτους dici *obstitos* putârit, quia obstiterint Deo, viderintque quod conspicere sit nefas. Imò & Cloatio, ac Ælio Stiloni *, *obstita loca*, de cælo tacta. Vt apud Tullium in II de Legg. *Iidemque fulgura, & obstita curanto.* Vbi *locus obstitus* idem ac *bidental*, quia bidente expiaretur. Hæc pluribus sum persecutus propter eos, qui pro *obstitum* ubique *obstipum* legere jubent; nec vel Appulejum, vel Ennium, satis ceperunt. Redeo nunc ad Berosum; qui Lunam, ut dixi, putabat nativo igne lucere; sed quia dimidia solum ignea sit, circumvolutione sui variè comparêre. Hanc ejus sententiam ait Keplerus, Παραλειπομένων in Vitellionem cap. VI, à Thalete Milesio redditam esse

* *Ibid.*

melio-

meliorem : ut qui viderit, eam nullâ sui parte lucere ex se ipsa ; sed semper sui dimidio, vel ultra, illustrari à Sole. Quod nisi meliùs interpreteris, quàm dictum à Keplero videtur, temporum rationi planè repugnat. Nam quomodo Thales correxerit opinionem Berosi, cum hic illo ducentis amplius annis fuerit posterior? Thales enim, ut in Chronicis retulit Apollodorus, & exinde Diogenes, expeditioni interfuit Crœsi adversus Cyrum : atque anno primo Olympiadis XXXIV, annos jam natus XCV, vitâ excessit. Berosus verò desito jam Persarum regno, quod annis durârat CCXXX, claruit in Syria, temporibus iis, quibus Syro-Macedonum imperium tenuit Seleuci Nicatoris filius, ac nepos : uti locuples testis Tatianus, atque exinde Eusebius in X Præparat. Euangelicæ *. At recta interea est Thalétis sententia ; cùm non eædem semper luceant partes Lunæ : ut maculæ lunares ostendunt, quæ eundem semper situm obtinent, ac successivè illuminantur à Sole. Vt hinc satis evertatur illa globi Lunaris circumvolutio. Quemadmodum & in altero aberratum à Beroso, quòd nativâ eam luce crederet lucere. Planè enim aut nullâ, aut perexiguâ est luce prædita : ut vel omne, vel prope omne lumen à Sole mutuetur, ac deinde reflectat in terras. Quæ sententia fuit Pythagoreorum, & Stoicorum ; ut ex Diogene Laertio constat. De Thalete similiter Plutarchus lib. II de placitis philos. cap. XXVII, & ex eo Eusebius de Præparat. Euangel. lib. XV, cap. XXIX. Cicero in Somnio Scipionis : *Ex quibus erat ea minima, quæ ultima cælo, citima terris, luce lucebat alienâ.* Catullus Carm. XXXV :

Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Seneca Medea, Choro act. I :

Cùm Phœbe solitum, lumine non suo
Orbem circuitis cornibus alligat.

Ac propterea Æschylus, & Euripides, Lunam Solis filiam dixerunt : cujus rei & Theo meminit, commentariis in Aratum. Atque eò respexit Ioannes Geometra hymno in B. Virginem II :

Χαῖρε παναιγλήεντος ἀφ' υἱος, οἵα Σελήνη
Πατρὸς ἀπ' ἠελίου, φέγγος ἐφελκομένη.
Salve, quæ illustri à nato, ceu Luna parente
A Phœbo, lumen suscipis æthereum.

Prout reddidit Fred. Morellus, qui primus Græcè excudit scriptorem hunc satis recentem ; utcunque ex vetustissimo codice Græco bibliothecæ regiæ Mediceæ erutus dicatur ab editore †.

Hæc verò de alieno Lunæ lumine opinio eo adstrui videtur, quòd si ea pro-

* *pag.* 289, *edit. Rob. Steph.*

† *dedicatione ad Gregorium* XIV *Pont. M. in edit. Morelli prima, quæ anno prodiit* 1591.

proprium, vel multum proprii luminis haberet; non terrâ interpositâ ob privationem solaris luminis tenebresceret, sed clariùs reluceret; uti stellæ noctu magis splendent. Nunc contrà fit, ut pars ea, quæ terræ umbrâ tegitur, minus, quàm antè, cernatur.

Neque id solùm colligunt ex Lunari deliquio, sed etiam Solari; quia totam tum Lunæ faciem conspiciamus. Imò extra etiam deliquium; quoniam in Luna & corniculatâ, & dimidiâ, & quacunque φάσει *, totam Lunaris rotunditatis faciem cernere sit. Quare sic potiùs statuendum videtur, habere quidem Lunam aliquid lucis nativæ ac propriæ; sed debile illud, & vix nostros ad visus pertingens. Ita etiam Theo in IV Ptolemæi, & Cleomedes lib. II Cyclicæ Theoriæ.

* apparitione sive conspectu.

Sed in contraria est sententia Vitellio; qui uti à Beroso longissimè abit, ita nec illud Cleomedi, ac Theoni, largitur, quòd dicebamus de minuta luce; unde sit sanguineum illud, quod in defectu Lunæ cernitur. Hanc luculam qui negant, arbitrantur, lumen id, quod in eclipsi utraque, vel aliàs in parte tenebricosiore, conspicimus, aliquid habere luminis sive à sideribus, quæ circumstant Solem; sive à radiis Solis in aëre refractis, inque medium umbræ pertingentibus. Atque in hanc sententiam pedibus eunt omnes illi, qui cum Thalete ajunt, Lunam esse γεώδη, *naturæ terreæ*: cum Pythagora, κάτοπτροειδὲς σῶμα, *speculi naturam referens corpus*: quod de utroque illorum in Physicis Stobæi eclogis † legas. Horum igitur judicio, densum & opacum Lunæ corpus ejusdem est naturæ ac terra nostra: lux verò ejus provenit à terra magnam vim luminis à Sole accepti sursum vibrante. Vt secundùm eos terra lumen hoc mutuetur à Sole: nec luna à sole duntaxat lumen accipiat; sed terra etiam Solari lumine perfusa in lunam hoc refundat; eoque mutuò se illustrent luna, & tellus. Cujus rei argumentum capiunt ex splendidissimo lumine, quod, in altissimis montibus constituti, è terræ & aquæ globo sursum refundi conspexerunt.

† pag. 59.

Atque hæc, pro argumento quidem, quod nunc sub manibus habemus, abunde docent multiplicem Lunæ utilitatem, naturamque stupendam: quam neque, post tot secula exacta, satis nunc capimus; ut ostendunt ea, quæ hodieque sub ancipiti hærent, etiam inter Mathematicorum eximios. Quare minùs mirandum, si, post divinos Soli honores attributos, etiam in consortium eorum Lunam reciperent. Non diffitendum quidem, magnis fuisse tenebris obseptos, qui pro Dea haberent globum lucentem, intellectus, imò sensus, atque adeò etiam vitæ expertem. Sed enim tam mirabiles effectus neque illi putabant rei rationis experti convenire. Quid mirum de vulgo, quando & princeps Stoicorum idem sensit? Id postea planius fiet: nunc contentus ero illis Stobæi in Eclogis physicis *: Ζήνων τὸν σελήνην

* pag. 59, edit. Plantin.

σελήνλιν ἔφησεν ἄστρον νοερὸν & φρόνιμον, πύρινον δὲ πυρὸς τεχνικοῦ. *Zeno Lunam ajebat ſtellam eſſe intelligentem, ac prudentem, igneam ex igne artificioſo.*

CAPVT XXI.

Primordia religionis gentilis in Oriente : ubi duo naturæ principia conſiderabant. Poſterius fuiſſe paſſivum, quo Luna præcipuè refertur. Hoc Vraniæ *ſive* Cæleſtis *nomine notari : & ut cultus ejus paullatim ſit propagatus. Phœnicibus, ac Syris, dici* Aſtarten : *& cur inſigne ejus caput fuerit bubulum. Aſtarten à veterum multis Venerem ſtatui : nec eo tamen Veneris ſive Luciferi ſidus, ſed Lunam intelligi : uti de Syro hoc numine Syrus Lucianus optimus eſt teſtis. Quod ab eo Floridus Sabinus receſſit ; id temere factum eſſe, oſtenditur ex Plutarcho, Appiano, Horatio, aliis. Cur aliqui Melchiſedechum Herculis, & Aſtartes filium, dixerint. Hebræis Aſtarten eſſe* Aſtaroth. *Vnde ea dicta.* Baltis *ſive* Beltis *eadem ac* Aſtarte, *& unde hoc nominis.* Dione *quæ ſit, vel Ieremiæ* regina cœli. *Quæ* Salambo, *& origo vocabuli.*

NVnc videamus, ut pro variis gentibus varia fuerint nomina, quæ ad unum Lunæ numen reducerentur : in Oriente imprimis ; unde omnis gentium religio, ut diximus, deducta. Hîc priuſquam ſic excreviſſet ἡ πολυθεότης *, nunc duo coluere numina, quæ in oculos incurrerent, Solem, Lunamque : nunc unum quidem numen, vim Naturæ occultam ; ſed in quo tamen diſtinctè conſiderarent principium agendi, & patiendi : ut ſic quoque ad duos deveniretur Deos. Imò agendi quidem principio, tum naturam univerſè, quatenus activa eſt, tum ſpeciatîm naturam cæli, ac ſpecialiùs Solem, complectebantur : quæ tria *Beli* ſive domini, & *Molochi* ſive regis nomine vocitabant. Sub patiendi autem principio comprehendebant Naturam, quatenus principium eſt paſſivum, inque ea Lunam, ac præterea aëra ſive Iunonem : quæ, ſic ſociata, *Baaltidem*, ſive *Beltim*, hoc eſt, dominam ; item *Reginam cæli*, nominabant. Cœli domino tribuerunt calorem nativum, tanquam viro : cæli reginæ adſcripſere humorem, tanquam feminæ : nimirum quia duobus illis rerum conſtaret generatio.

* *Deorum multitudo.*

Ab loco, & vi cæleſti, Orientales, uti & Afri, nomen huic numini dedere Οὐρανίας, ſive *Cæleſtis* ; non quaſi Græcâ, aut Romanâ voce uſi ſint Aſiæ, vel Libyæ gentes : ſed quia Latio, & Grajo ſermone ſic appellatio illa redderetur. Itaque & nomen *Cæleſtis* Deæ legas in veteri nummo Iuliæ Soemiæ : quæ mater erat Heliogabali, natione Syra ; ut mirum non ſit, ſi numen hoc ab ea fuerit cultum. Primi verò omnium hanc venerati ſunt Aſſyrii : ab his accepere Phœnices, & Cyprii ; ab illis Græci, & Afri. De

Afris

Afris postea dicam. De cæteris ita Pausanias in Atticis : Πλησίον δὲ, ἱερόν ἐστιν Αφροδίτης Οὐρανίας. πρώτοις δὲ ἀνθρώπων Ασσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν Οὐρανίαν· μετὰ δὲ Ασσυρίους, Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ασκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ. Παρὰ δὲ Φοινίκων, Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν. Αθηναίοις δὲ κατεστήσατο Αιγεὺς, αὐτῷ τε οὐκ εἶναι παῖδας νομίζων (οὐ γάρ πω τότε ἦσαν) καὶ τοῦ ἀδελφαῖς γενέσθαι τὴν συμφορὰν ἐκ μηνίματος τῆς Οὐρανίας. τὸ δὲ ἐφ' ἡμῶν ἔτι ἄγαλμα, λίθου Παρίου, καὶ ἔργον Φειδίου· δῆμος δέ ἐστιν Αθηναίοις Αθμονέων. οἱ Πορφυρίωνα ἔτι πρότερον Ακταίου βασιλεύσαντα τῆς Οὐρανίας φασὶ τὸ παρὰ σφίσιν ἱερὸν ἱδρύσασθαι. *Non longè abest Cælestis Veneris delubrum : quam primi omnium Assyrii coluere : à quibus Paphii in Cypro acceptum sacrorum ritum, cum Phœnicibus, qui in Palæstina Ascalonem urbem incolunt ; Phœnices cum Cytheriis communicarunt. Athenis verò eam religionem induxit Ægeus, cùm Veneris ira, & sibi prolem non obtigisse, & sororibus calamitatem immissam, putaret. Quod ætate nostra extat deæ signum ex Pario lapide, Phidiæ opus fuit. Sed Athmonensium apud Athenienses populus est : qui multò ante Actæum regnasse Porphyriona refert ; ab eoque, quod apud ipsos est, Cælestis Veneris templum dedicatum.*

Vt omnis hæc superstitio liqueat magis ; distinctè agam, primùm de gentibus Orientis, quæ Vraniam sive Lunam coluerint : hinc de Ægyptiis, & Afris, dicam : tum de Græcis, & Romanis : postremò de Celtis, & Scythis, paucula adjungam.

In Oriente initium faciam à Phœnicibus, ac Syris : quibus Luna dicta est *Astarte*. Hujus etiam rei antiquissimo ex scriptore Sanchuniathone indicia habemus apud Eusebium in primo Euangelicæ Præparationis. Vbi Astarte Cœli filia vocatur : quod sine dubio nulli meliùs convenit, quàm Lunæ. Atque ibidem legas : Η δὲ Αστάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου· *Astarte capiti suo, tanquam regni insigne, tauri caput imposuit.* At Lunæ nota est caput bubulum, ut ejus cornibus Luna curvata in cornua repræsentetur : sicut apud Ægyptios Isis cornibus noscebatur ; per quam itidem Luna intelligitur. De hac Herodotus in Euterpe : Ισιος ἄγαλμα, ἐὸν γυναικήϊον, βούκερών ἐστι, κατάπερ Ελληνες τὴν Ιοῦν γράφουσι· *Isidis simulacrum muliebre est, bubulis præditum cornibus, sicut Græci describunt Io.* Sed de Iside pluribus suo loco dicemus. De Astarte autem sic ibidem ex Sanchuniathone Philo Byblius, ex Philone Eusebius : Τὴν δὲ Αστάρτην Φοίνικες τὴν Αφροδίτην εἶναι λέγουσι. *Astarten verò Phœnices Venerem esse prædicant.* Est & in glossis optimis MSSis, quas ineditas habeo : Αστάρτη, Αφροδίτη. Procopius itidem Gazæus in lib. I Reg. cap. VII, cùm dixisset, ubi LXX habent, τὰ ἄλση Αστάρωθ, *lucos Astaroth*, Aquilam vertere, τῆς Αστάρτης ἀγάλματα, *Astartæ statuas* : subjungit, Οὕτω δὲ καλοῦσι τὴν Αφροδίτην ἐκ τοῦ ἀστέρος παρονομάσαντες· *Sic verò vocant Venerem, à sidere ei nomine dato.* Ac similiter inter-

interpretatur, cùm alibi*, tum in III Reg. cap. XVI : ubi addit, à Sidoniis cultam, lucosque ei plantatos. Hæc optimè conveniunt Græcorum, & Latinorum Dianæ, *silvarum potenti*; ut vocat Horatius in carm. Seculari. Quare hinc etiam Astarten esse Dianam sive Lunam, elucet. Huic enim luci erant sacri; ut postea commonstrabitur. Etiam est apud Suidam: Ἀστάρτη ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη· *Astarte, quæ Græcis dicitur Venus.* Addit deinde, Αὐτῆς γὰρ εἶναι τὸν ἑωσφόρον μυθολογοῦσιν· *Luciferum enim esse Veneris sidus, ajunt fabularum interpretes.* Et Procopius similiter in I Reg. cap. VII : item Michaël Glycas in secundâ Annalium parte. Sed Græcis quidem Venus est Lucifer, sive Hesperus: Orienti autem Venus potius est Luna; ut & Astarte eadem sit ac Luna. De quo cui in Syro hoc numine potius habeamus fidem, quàm Syro doctissimo, Samosatensi dico Luciano? Ejus hæc sunt verba libro de Dea Syria: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἱρὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα· τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι· ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι, Ἀστάρτης ἐστί· Ἀστάρτην δ' ἔγωγε δοκέω σελήνην εἶμεναι· *Est autem & aliud templum in Phœnicia: quod Sidonii habent. atque, ut ipsi dicunt, est Astartes. Astarten autem ego puto Lunam esse.* Franciscus tamen Floridus lib. II Subsicivarum Lect. cap. VII, errare censet Lucianum, usque adeo ut (verbis ejus utar) *Deorum hominumque contemtor omnibus ipse se contemnendum exhibeat.* Ante omnia ait Floridus non Lunæ, sed Veneri, convenire illa Plauti Mercatore †:

Diva Astarte, hominum Deorumque vis, vita, salus: rursus eadē quæ est
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, sidera,
Iovis quæcunque templa colimus, ejus ducuntur nutu, illi obtemperant.

Pluraque in hanc mentem. Sed profectò, Camerario, & aliis, jamdiu monitum, scenam illam, & sequentem, non Plauti esse, sed suppositicias. Atque ut aliter esset, non ex Latinis, sed Oriente, de Orientis numinibus judicandum. Orienti autem & Venus, & Iuno, est sidus illud, quod in humorem omnem imperium exercet: id verò esse Lunam, satis ex iis cognoscere fuit, quæ fuse adeò de vi & efficacia Lunæ superiùs dicebamus. Vt facile sit conciliare sententias adeò dispares de Dea Hieropolitana, quas complexus est Plutarchus in M. Crasso: Τίνες δὲ πρῶτον ἄιτιόν σημεῖον λαμβάνουσι τῆς θεοῦ ταύτης, ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρεχομένην αἰτίαν καὶ φύσιν νομίζουσι· *Primùm verò omen ei offertur ab hac Dea, quam Venerem aliqui, Iunonem alii, alii autem deam initia & semina omnibus ex humido præbentem existimant.* Quæ & Appianus habet libro de bellis Parthicis *; idque, more suo, verbis planè iisdem: ut propter hæc, & tam multa hujusmodi, exscriptor potius, quàm scriptor videatur; iisque calculum adjiciam lubens; qui alienorum esse laborum fucum arbitrantur. Quod si Dea illa, ut Plutarchus indicio est, humidis & gene-

* *in lib. 4 Reg. cap. 23.*

† *Act. 4, sc. 5.*

* *pag. 137. edit. Henr. Steph.*

rationi præest; sanè optimè illi conveniant Horatii ista in Carmine seculari, quod in Apollinem & Dianam, hoc est, Solem, Lunamque, conscripsit:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Vbi videmus, ut ad Dianam sive Lunam referatur, tũ Ilithya, partus præses; tum Iuno Lucina, quam parturientes invocant; tum etiam Genitalis Dea, sive generationis antistita; quæ ipsissima est Venus. Et profecto Iunonem Orienti etiam non aliam esse, quàm Lucinam; arguit hoc Psyches apud Appulejum in VI Met. ubi sic, inter alia, Deam hanc compellat: *Magni Iovis germana, & conjuga; sive tu Sami, sive celsæ Carthaginis beatas sedes frequentas; quam cunctus Oriens Zygiam veneratur; & omnis Occidens Lucinam appellat: sis meis extremis casibus Iuno Sospita: soles prægnantibus ultro subvenire.* Zygia autem videtur *Iuno pronuba*. Hesychius simpliciter, Ζυγία, ἡ Ηρη *.

* *Zygia, Iuno.*

Astartes, præter eos, quos diximus, meminit M. Tullius in III de Natura Deorum. Verba mox occasione Beltidis adducam. Ex Græcis item Artemidorus lib. I Oneirocrit. cap. IX: Ιχθύας πάντες ἐσθίουσι, πλὴν Σύρων τινῶν τῶν τὴν Ἀστάρτην σεβομένων· *Pisces edunt omnes, præter illos Syrorum, qui Astarten colunt.* Celebrat pariter Achilles Tatius in ipso ingressu operis de amoribus Clitophontis, & Leucippes: ubi Astarten Sidoniorum numen facit. E Iudæis similiter Iosephus lib. I contra Apionem: è nostris, Tertullianus in Apolog. cap. XXIV. Verba ejus, occasione Dysaris Arabici, & Beleni Norici, apposuimus antea. Item Epiphanius hæresi XXXV, sive aliis LV: ubi legas, quosdam Melchisedeci patrem statuere Heraclam, matrem autem Astarten, sive Asteriam. Puto eos, qui hoc commenti fuerunt, illud voluisse, Melchisedeco patrem fuisse Solem, matrem Lunam, vel Terram. Nam ὁ Ηρακλῆς, Sol; ἡ Ἀστάρτη Luna, aut Tellus. Horum omnes filii sumus, viri summates, infimates, medioximi. Vitalis enim calor nobis est à Sole, cæloque: materies autem à terræ & aquæ globo: in quem Lunæ, maximeque in humorem, imperium est. Quod igitur omnium est hominum commune, hoc particulatim tribuerunt Melchisedeco; neutiquam id facturi, nisi parentes ejus nescirentur. Præterea Astarten nominant Augustinus in librum Iudicum, & Ioannes Xiphilinus † sermone εἰς τὸν τοῦ σταυροῦ προσκύνησιν: quam ex bibliotheca Bavarica primus edidit Gretserus ‡.

† *pag.* 351.

‡ *Tom.* 2 *de Cruce Christi.*

Hebræis Ἀστάρτη est *Astaroth*: ut II sive IV Reg. XXIII, 13. Vbi Salomo ædem dicitur ædificâsse Astaroth, Sidoniorum idolo: LXX habent Ἀστάρτη.

Ἀσάρτη. Ac similiter I sive III Reg. XXXI, 10, templum Astaroth vocatur à LXX Ἀσαρλεῖον: quod Schol. exponunt, ἱερὸν τῆς Ἀσάρτης. Sed Iud. X, 6, etiam LXX habent Ἀσαρώθ, uti & Latina vulgata.

Ait Suidas, Ἀσάρτῳ habere ἀπὸ τοῦ ἄστρου ἐπωνυμίαν *. Quod non ita capiendum, quasi vox sit originis Græcæ: sed quia & in Orientis linguis simili, vel non multùm absimili ratione, sidus nuncupetur: unde & posterior pars Persicæ vocis *Zoroaster*, vel *Zoroastris*. Siquidem id Græcè signat ἀστροθύτην, ut, Laërtio teste, prodidit Dinon in Historiarum quinctodecimo. Eoque ab Oriente etiam potiùs esse censeo ἀστὴρ, unde ἄστρον, quàm vel ab ἄνω, *splendeo*; vel quia in cælo ἱστήκειν †. Neque tamen nescio R. David Kimchi nomen *Astartes*, sive potiùs *Astaroth*, ex eo arcessere, quod figurâ ovis coleretur: eámque etiam opinionem sequi Marinum Brixianum. Hoc, credo, ex eo collegerunt, quòd Hebræis עַשְׁתָּרוֹת, *Astaroth*, τὰ μῆλα sive *greges* significet. Faciliùs huic etymo crederem, si, de hujusmodi figura Astartes, veterum aliquem laudarent auctorem. Nunc cum altum de eo apud illos silentium sit: non paullo sit verisimilius, eam vel totam piscis, vel partim hominis, partim piscis figuram habuisse: quemadmodum postea in symbolica dicetur gentium Theologia.

* *ab astro appellationem.*

† *figatur, stabilemque habeat sedem.*

Etiam Phœnicum Baaltis, sive Beltis, eadem est ac Dione, sive Venus, vel Luna. Vel, si diversa est, fuerit Lucifer. Diversas facere videtur Sanchuniathon, sive ex eo Philo Byblius apud Eusebium in primo de præparatione Euangelica. Vbi memoratur, Astarten, & Baaltidem, esse sorores; ac illam esse Venerem, hanc Dionen. Vtraque ibidem dicitur nupsisse Saturno: sed Astarte quidem, præter septem Titanidas sive Dianas, etiam mares peperisse narratur, Cupidinem Amoremque: ex Dione autem prognatæ solæ perhibentur puellæ. Verùm aliter de isto Græci, ac Romani. Quippe Orpheo in Argonauticis dicitur Διωναία Ἀφροδίτη *: & Maronis est III Æn. *Sacra Dionææ matri.* Vbi Venerem intelligi, convenit: quã à matre Dione sic dici, ait Servius. Ac similiter in illud IX Ecl.

* *Venus Dionæa.*

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum:

Longè, inquit, *repetitum est à matre Veneris Dione.* At longè repetitum non sit, si Dione est Venus: inde autem Cæsar dicatur *Dionæus*, quia genus duceret ab Ænea, Anchisæ ac Veneris filio. Et profectò pro hac sententia est, quòd nulli meliùs conveniat nomen *Baaltis*, quàm Iunoni sive Lunæ. Nam ut Iupiter, hoc est, Sol cum æthere, est *Baal*; ita *Baaltis* Iuno, hoc est, Luna cum aëre. Sic enim ex Sanchoniathone Philo Byblius: Καὶ ὅτι τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ οὔσῃ· *Ac deinde Saturnus Byblum urbem Baaltidi, quæ etiam Dione dicta, dono dedit.* Ac similiter *Beltis* nominata. Nempe ut Saturnus, sive Iupiter, sive Apollo, בַּעַל, unde

Βῆλος : sic Rhea, sive Iuno, sive Diana, בְּלָה, unde Βῆλτις. Sic vocavit Megasthenes, & exinde Abydenus in rebus Assyriacis; velut minutæ ejus reliquiæ ostendunt. *Baaltis* igitur, sive *Beltis*, vocitata, quasi *dominam* dixeris: quomodo & *reginam cæli*, si B. Hieronymi interpretationem sequimur, appellat propheta Ieremias cap. VII, 18, & cap. XLIV, 17, 18, 19, 25. Eo autem impensiùs hæc placet opinio, quia Hebraicè sit מַלְכָּה, *Malchah*: quod muliebre. Scio, & Solem Hebræis eodem genere nuncupari חמה, *semes*. Vnde & R. David Kimchi, imò & Chaldæus Paraphrastes, intelligere hic malunt Molochum, hoc est, Saturnum, sive Iovem, hoc est, Solem ipsum. Sed mihi sententia hæc eo minùs probatur, quia propheta loquatur de gentium idololatria: his autem, in ipso Oriente, Sol non Dea, sed Deus haberetur: ut dubium non sit, quin Sidoniis Baal, & Astaroth, distincta fuerint numina; atque illo Solem, hoc Lunam, denotarint.

Habuit Astarte, sive Beltis, & aliud nomen apud Syros. Nam Astarte non alia est à Græcorum Venere Adonidem amante. Quod & Cicero indicat lib. III de Natura Deorum: *Quarta Venus Syria Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur: quam Adonidi nupsisse traditum est.* At ea ob planctum, quo in sacris ejus mors Adonidos deplorabatur, temporibus Alexandri M. vel deinceps, etiam *Salambo* dicta est à Syris, & Babyloniis. Ælius Lampridius in vita Antonini Heliogabali: *Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit.* Hesychius: Σαλαμβὼ, ἡ Ἀφροδίτη, παρὰ Βαβυλωνίοις. SALAMBO, *Venus, Babyloniis.* Non tamen Syra hæc appellatio, vel Babylonia; sed à Syromacedonibus imposita: cùm σαλάμβη, & Σαλαμβὼ ejusdem sint originis; nempe à σάλος, quemadmodum docet Etymologicum magnum, sive vetus auctor, quem etymologus exscripsit: Σαλάμβας τὰς θυείδας, τὰς ἀεὶ ἐν σάλῳ οὔσας. Καὶ Σαλαμβὼ, ἡ δαίμων παρὰ τὸ ἀεὶ περιφέρεσθαι, καὶ ἐν σάλῳ εἶναι, ἢ ὅτι περέρχεται ἡ θρηνοῦσα τὸν Ἄδωνιν· καὶ σαλαΐζειν Ἀνακρέων ὅτι τὸ θρηνεῖν. σαλεύει γὰρ καὶ ταράττει τὴν διάνοιαν ἡ τοιαύτη ὀδύνη τοῦ θρήνου. SALAMBAS *dicunt fenestras, quia sint in perpetuo motu, (qui Græcis* SALOS) *Et* SALAMBO, *Dea, quia cogitationes semper huc illuc circumagat, & curarum æstu (qui* SALOS *dicitur) fluctuet, & cum lamentis circumeat Adonidem. Vt &* SALAIZEIN *Anacreon dixit pro lamentari. Agitat enim ac perturbat mentem talis in luctu ac planctu dolor.*

Etiam Dea Syria, sive Iuno Assyria, quæ Hierapoli erat, ad Lunam refertur: uti & Atergatis sive Derceto, φυσικῶς* considerata. Sed utraque Dea uno nomine, & Lunæ, & Terræ numen complectebatur. Qua de re dicam pluribus, ubi deventum erit ad Terræ cultum.

* *quatenus ad rerum naturam pertinet.*

CAPVT

CAPVT XXII.

Vraniam Venerem Assyriis, ac Babyloniis, vocatam Μύλιττα, *ac unde ea appellatio esse videatur.* Succoth Benoth. *De Veneris etymo; uti & de* Siccæ Veneriæ *nomine.* Nabo *potiùs Luna, quàm Sol. Principum vocabula ab hoc numine imposita. Anitin sive Anaïtidem aliis Dianam esse, aliis Venerem: & quomodo hæc concilientur.* Anæa *eadem, ac* Anaitis. *Sacæa Anaïtidi sacra. Festo hoc domini servos quisque procurabant, ut Romæ Saturnalibus. Eodem Sacæorum festo apud Persas solere uni ex vinctis, morti adjudicatis, permitti, ut nullo non voluptatis genere animum expleret: qui mox, festo exacto, virgis prius cæsus, suspenderetur. Verisimilior ratio Sacæorum, quàm veteres attulerint. Cur Babel* Sesach *dicatur.* Sesech *quis. Anaitis etiam culta à Parthis.*

VEnio ad Babylonios, atque Assyrios: quibus Vrania Venus, quam Lunam esse diximus, *Mylitta* vocabatur. Hoc docet nos Herodotus lib. 1; ubi in Babyloniorum institutis inter alia reponit, quòd puellæ ejus gentis in fano Veneris consideant tempora corollis religatæ, usque dum advenarū quispiam pecuniam injecerit sinui, quò cum iis à fano abductis rem habeat. Eum, qui pecuniam immitteret in sinum, his verbis uti ait: Επικαλέω σοι τὴν θεὸν Μύλιττα. *Invoco tibi Deam Mylittam.* Ac continuò subjungit: Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Αφροδίτην Ασσύριοι. *Venerem enim vocant Assyrii Mylittam.* Assyriorum autem nomine Chaldæos eum sive Babylonios comprehendere, liquet exinde, quòd & antea profiteatur, se agere de Babyloniis; &, ubi hoc ipsum, quod proximè retuli, narravit, subjiciat hæc verba: Νόμοι μὲν δὴ τοῖσι Βαβυλωνίοισι ἔτοι καὶ ἐχέτωσαν. *Hujusmodi sunt Babyloniorum leges atque instituta.* Ritum istum Assyriorum sive Babyloniorum etiam Strabo commemorat in sextodecimo. Est & alter Herodoti locus de Assyriorum Mylitta: quem inferiùs adducam, quando de Persarum Mithra loquar. Est verò Μύλιττα, ut arbitror, à מוֹלֶדֶת, hoc est, *nativitas, progenies, genitura.* Habes Genes. XLVIII, 6, & Ezech. XVI, 3.

Porro ab ritu eo, quòd Babylone in templo Veneris Vraniæ sic virgines operirentur suos amatores; evênit, ut templum hoc dicerent סכות בנות succoth benoth; hoc est, *tabernacula filiarum.* Itaque cùm Salmanassar, abductis è Samaria Israelitis, novos in eorum locum colonos è variis misisset gentibus, variéque Deos colentibus, quarum singulæ patriis insisterent ritibus; Babylonii coloni fecerunt *Succoth Benoth*; ut legere est II sive IV Reg. XVII, 30. Quem ad locum sic Eucherius Lugdunensis episc.* *Melius, ni fallor, faceret interpres, si* SOCHOT *Latine in* TABERNACVLA *verteret, & nomen idoli* BENOTH *absolutè poneret.* Facilè autem adsentio

* *cap. 26, sive p. 188, edit. Froben.*

v. cl. Ioanni Seldeno, à *Benoth Venus* deducenti. Nam B atque V, item T, & S, promiscuè solent usurpari : quod in Originum libris plurimis comprobamus exemplis. Et à *Sucoth*, vel *Sicoth Benoth*, (utroque enim modo dixere) nomen est *Siccæ Veneriæ*, Carthaginensium coloniæ : cui sine dubio id nomen Pœni, Phœnicum exemplo, qui Assyrios ac Babylonios imitati, à *Sicoth Benoth* imposuere. Nam à Veneris fano huic urbi nomen fuisse, vel fidem fecerit illud Valerii Maximi lib. II, cap. VI : *Siccæ est fanum Veneris, in quod se matronæ conferebant, atque inde, procidentes ad quæstum, dotes corporis injuriâ contrahebant, honesta nimirum tam inhonesto vinculo conjugia junctura.* Pluribusque hoc ipsum firmat idem Seldenus erudito syntagmate de Diis Syris *. Etiam Chaldæis, ac Babyloniis, colebatur Nabo seu Nebo : ut constat ex illo Iesaiæ XLVI, 1, *Confractus est Bel, contritus est Nabo : facta sunt simulachra eorum bestiis, & jumentis.* Vbi videmus, duo suprema Babyloniorum numina conjungi. At ea fuisse Solem, & Lunam, historia omnis testatur. Iam verò Belum esse Solem, luculentè antea ostensum. Supereſt igitur, ut per *Nebo* intelligatur Luna. Quod si est, incommodè vulgata habet tralatio ; *Contritus est Nabo* ; cùm *contrita* fuerit dicendum. Quod sicui de neutro satis liqueat, vertere cum Leone Iudæ liceat : *Concidit Bel, corruit Nebo.* Sive, ut transfert Pagninus, *Curvavit se Bel, incurvavit se Nebo.* Plura de adlato Iesaiæ loco, & Nebone diximus, cùm de cultu Solis ageremus. Nam B. Hieronymus putabat, Nabo esse idem numen ac Chamos, & Baal-phegor : at hæc ad Solem reducuntur. Quæ superiùs † abunde expendimus. Hoc loco sufficerit rem eam attigisse, quatenus Nabo potius Lunæ, quàm Solis sidus, videtur. Porrò ut aliæ numinum appellationes, ita hoc quoque, in virorum principum nominibus invenitur. Nam à *Nabo* seu *Nebo* sunt *Nabuchodonosor*, *Nabonassarus*, *Nabuzaradan*, aliaque.

* *syntagm. 2, cap. 7.*

† *cap. 8, libri hujus 2.*

Itidem Persis magna in veneratione erat Vrania sive Luna. Variè autem iis appellabatur. Nullum interim usitatius nomen, quàm *Anitis*, sive *Anaitidis*. Sed dissident homines eruditissimi, sitne Dianæ, an Veneris. Prius mavult Hermolaus Barbarus in Plinii lib. XXXIII, cap. IV, ubi *Anaitidos numen* dicitur *gentibus sacratissimum*. Estque pro Hermolao Plutarchus in Artaxerxe : ubi narrat, ut Artaxerxes Mnemon Aspasiam pellicem fecerit sacerdotem τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνεῖτιν καλοῦσιν· *Dianæ in Ecbatanis cultæ, quam Anitim vocant.* Firmat etiam hanc opinionem ratio, quam adjungit, ὅπως ἁγνὴ διάγῃ τὸν ὑπόλοιπον βίον· *quo reliquam vitam munde ac sine Venere transigeret.* Quod admodum conveniens illi, quæ futura esset Dianæ virginis sacerdos. Præterea Pausanias in Laconicis ait, Λυδοῖς εἶναι Ἀρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος· *Lydis esse Dianæ Anaitidos fanum.* At Strabo sæpius

pius quidem hujus Anaitidos meminit; nuſpiam tamen *Dianam* vocat: imò ea dicit, unde Gyraldus in Deorum hiſtoria * colligat, Venerem potius eſſe, ut de virginibus apud Aciliſenenſes in templo Anaitidos Deæ dicatis, hoc fine, ut ſeſe proſtituerent. Ipſum audiamus Strabonem extremo libro XI: Απαντα τὰ τῶν Περσῶν ἱερὰ, καὶ Μήδοι, καὶ Αρμένιοι, τετιμήκασι· τὰ δὲ τῆς Αναΐτιδος, διαφερόντως Αρμενιοι· ἔν τε ἄλλοις ἱδρυσάμενοι τόποις, καὶ δὴ καὶ ἐν τῇ Ακιλισηνῇ· ἀνατιθέασι δ' ἐνταῦθα δούλους, καὶ δούλας· καὶ τοῦτο μὲν οὐ θαυμαστὸν· ἀλλὰ καὶ θυγατέρας οἱ ἐπιφανέστατοι τῶν ἔθνους ἀνιεροῦσι παρθένους, αἷς νόμος ἐστὶ, καταπορνευθείσαις πολὺν χρόνον παρὰ τῇ θεῷ μετὰ ταῦτα δίδοσθαι πρὸς γάμον· οὐκ ἀπαξιοῦντος τῇ τοιαύτῃ συνοικεῖν οὐδενός. τοιοῦτον δέ τι καὶ Ηρόδοτος λέγει τὸ περὶ τὰς Λυδάς· *Omnia Perſarum ſacra, & Medi, & Armenii, religiosè colunt; præ cæteris verò Anaitidem Armenii; cui & alibi templa poſuerunt, & in Aciliſena. Ibi ſervos ſervaſque ei conſecrant; quod ſanè mirum non eſt. Sed & illuſtriſſimi ejus nationis filias ſuas virgines ei dedicant: ac lex eſt, ut longo tempore apud Deam conſtupratæ, deinde nuptui dentur; nemine talis mulieris conjugium dedignante. Tale quid etiam Herodotus de Lydis mulieribus ſcribit.* Præterea Agathias lib. II, clarè ait Αναΐτιδα eſſe Αφροδίτην †, atque ita perhibere Beroſum, Athenoclem, & Symmachum, antiquiſſimos Aſſyriarum ac Medicarum rerum ſcriptores. Mihi facilè hæc conciliari videntur. Exiſtimo enim, eandem eſſe & Dianam, & Venerem; puta Lunam: ſed Dianam dici, quatenus illuminat terras, nec luminis ejus vis ulterius expenditur: Venerem autem, quatenus efficax eſt ad conceptum, generationem, partumque. Ex Horatii carmine ſeculari utrumque elucet. Ad Dianam pertinet, quod dicitur *Lucidum cæli decus*. Ad Venerem illa:

Diva producas ſubolem, patrumque
Proſperes decreta, ſuper jugandis
Feminis, proliſque novæ feraci
Lege maritâ.

Item quòd ibidem Dea hæc vocatur *Genitalis*, non ſolum, quia fœtum conceptum in utero maturat, & producit in lucem: ſed etiam quoniam ad conceptum juvat. Hoc enim verè eſt eſſe γενεθλίαν θεὰν *. Vnde Plato in quincto de Rep. ait γενεθλίους θεοὺς ‡ ἐς παίδων σπορὰν· *ad liberorum ſationem.* Parque vis in mutis animantibus ac plantis. Quamobrem nihil mirandum, ſi eadem Dea ſtatueretur Diana, ac Venus: ac pro diverſa Lunæ vi locis diverſis diverſimode vocaretur, ac coleretur. Anaitis hæc valde etiam culta in Zelitica, regione Armeniæ, ſic dicta ab urbe Zela; quam (ut Strabo ait in XII) παλαιὸν οἱ βασιλεῖς οὐχ ὡς πόλιν, ἀλλ' ὡς ἱερὸν διώκουν τῶν Περσικῶν θεῶν· *reges gubernabant, non ut urbem, ſed ut Perſicorum Deorum templum.* Atque addit, omnia fuiſſe in ſacerdotis poteſtate. Videtur

* *ſyntagm.* 13.

† *Venerem.*

* *Deam genitalem.*

‡ *Deos genitales.*

detur & ejuſdem Deæ τὸ τῆς Ἀναίας ἱερὸν *, Straboni memoratum in ſexto-decimo. In Anaitidos honorem celebrata olim Σάκαια †: nec Anaitidos ſolùm, ſed & Amani ſive Omani, & Anandrati: qui & ipſi Perſici fuere Dii, ac σύμβωμοι * quidem, ut ait Strabo in undecimo. Cæterùm feſtum hoc non in Perſia modò, ſed Babylonia etiam, obtinebat. Eo per quinos dies mancipia imperabant dominis; unuſque ſervorum, veſte amictus regiæ ſimili, univerſis præerat ædibus; ut Beroſus tradidit apud Athenæum in decimoquarto: ubi & ſervum iſtum ait vocatum ζωγάνλω: nempe quia Chaldæis סגן Segan, *præfectus*. Fuerit igitur hoc feſtum non abſimile Romanorum Saturnalibus: quibus itidem ſervi, veſte herili induti, menſis adſidebant, dominis miniſtrantibus. Quod ab eodem Athenæo proditum, & Attio in Annalibus apud Macrobium in primo Saturnalium cap. VII, item L. Seneca epiſt. XLVII. Magis etiam mirandum, quod de iiſdem Sacæis prodit Dio Chryſoſtomus orat. IV de Regno: Οὐκ ἐννενόηϰας τὴν τῆς Σακκῶν ἑορτὴν, ἣν Πέρσαι ἄγουσι; λαβόντες, τῶν δεσμοτῶν ἕνα, τῶν θανάτῳ, καθίζουσι εἰς τὸν θρόνον τοῦ βασιλέως, ϰαὶ τὰ ἑξῆς διδόασιν ἀπὸ τῆς αὐτῆς, ϰαὶ τρυφᾶν, ϰὴ τὰ παλλακαῖς χρῆσθαι ἡμέρας ἐκείνας τοῦ βασιλέως, ϰαὶ οὐδεὶς οὐδὲν ϰωλύει ποιεῖν ὧν βέλεται· μὴ δὲ ταῦτα ἀποδύσαντες, ϰαὶ μαστιγώσαντες, ἐκρέμασεν· *An Saccorum feſtum ignoras, quod celebrant Perſæ? Vinctorum aliquem, ac ducendorum ad ſupplicium, collocant in regis thronum, regiumque illi dant veſtitum, eumque permittunt deliciari, ac molliter vivere, regiiſque per eos dies uti concubinis: nec eum impedit quiſquam, quo minus agat, quod animo lubet: poſtea autem exutum, & flagellatum, ſuſpendunt.* Sed unde Sacæis ſit nomen, non adeò eſt apertum. Strabo in undecimo refert ex quorundam ſententia, Cyrum, à Sacarum gente prœlio victum, recepiſſe ſe in caſtra: hîc pauliſper moratum, ut ſe Perſæ cibo vinoque reficerent: exinde fugam ſimulâſſe, plenis omni rerum copiâ relictis tentoriis: eo cognito, Sacas irruiſſe in caſtra: Cyrum, ubi alii vino ſomnoque obruti jacerent; alii, nudi etiam, tripudiarent, ac baccharentur; in caſtra irrumpentem, deleviſſe prope univerſos. Hinc Cyrum inſtituiſſe, ut ubicunque eſſet templũ Anaitidos, in memoriam hujus victoriæ, quæ viſa obtigiſſe divinitus, diem noctemque biberetur, Scythico habitu; jociſque ac laſcivia à viris, ac mulieribus, certaretur. Idem paucis exſcripſit Euſtathius in Dionyſii Περιήγησιν †. Sed utrique non levia videntur objici poſſe. Quippe ex Athenæi XIII conſtat, Beroſum de hoc feſto egiſſe in primo Babyloniorum; ubi non Perſicas res, ſed Babylonias tractabat. Ibidem etiam refert, Cteſiam de hoc feſto loqui in quincto Perſicorum. Atqui Cteſias, qui XXIII Perſicorum libros condidit, primis ſex libris egit de iis, quæ Perſarum antecedunt imperium: ac ſeptimo demum res Cyri auſpicatus. Teſtis Photius in μυριοβίβλῳ cod. LXXII. Vbi cùm Perſicorum

* *Anaã templum.* † *Sacaa.*

* *Iiſdem aris culti.*

† *verſ. 750.*

ſicorum nobis concinnet epitomen, de Sacæis tamen tacet. Nempe quia de iis egiſſet Cteſias, priuſquam ad Perſica accederet. Quare videntur Babylonii Sacæa celebrâſſe, priuſquam in Perſarum venirent poteſtatem. Vnde ſuſpicari aliquis poſſit, aliunde eſſe hoc nomen: & fortaſſe venire à numine Babyloniorum *Seſach*: unde *Sach* fecerint, uti ex Beel *Bel*, ex Atergatis *Derceto*, & ſimilibus ſimilia. Quia verò Seſach præeſſet Babyloni, eo, credo, pro ipſa Babylone capiebatur: fere ut dicitur *cæſus Hannibal* pro exercitu cui præeſſet, aut *Vcalegon* ardere, quia domus ejus ardeat: ut in Oratoriis diximus. Hinc Ieremias XXV, 26, *Rex Seſak bibet poſt eos*. Vbi per *Seſak* Babylona intelligunt Chaldæus paraphraſtes, Hieronymus, Theodoretus, ac poſteriores, Lyrano excepto. Nihil etiam apertius illo Ierem. LI, 41, *Quomodo capta eſt Seſak!* Sed cur ſic Babylona appellet Propheta, diſquiritur. B. Hieronymus, Rabbinos ſecutus, cenſet id fieri per Atbaſch, ſive literarum oppoſitarum commutationem. Scilicet quia pro ב bis ponitur oppoſita ejus ש; quarum ב ex undecim primis ſecunda ab initio eſt: uti ש ſecunda à fine. Quia item pro ל ſumitur oppoſita ejus כ: quarum ל eſt prima ex ultimis poſterioribus; ſicut כ eſt ultima ex undenis prioribus. Addit B. Hieronymus, Ieremiam ad tectum hoc ſermonis ac ſcripturæ genus recurriſſe, ne adverſus ſe exacerbaret Babylonios, qui Hieroſolyma obſiderent. Sed rectè ei objicit Lyranus, apertè Babylonis interitum ſæpius à prophetis prædici: etiam à Ieremia ipſo cap. L, & LI. Quanto igitur veriſimilius, quod dicebamus, κ) μείωνυμίαν Deum tutelarem ſumi pro Vrbe, quam tutaretur. Vt ſi Bel dicatur cecidiſſe pro civitate Beli. Itidem quæri poſſit, quod numen ſit *Seſach*. Sanè valde ei affine *Seches*: de quo Heſychius: Σεχὲς, ☿ Ερμῆ ἀστὴρ, Βαβυλώνιοι *. Atque in *Seſach*, & *Seches*, eaſdem habes radicales; ſed poſteriores, ut ſæpe fit, trajectas. Verùm opinioni huic haut leviter obſtare illud videtur, quod non Mercurio, qui ad Solem reducitur, Sacæorum feſtum dicaretur; ſed Anaitidi, quæ Diana eſt, ac Venus. Nihil hic veriſimilius occurrit, quàm vel Heſychium minùs idoneos ſecutum eſſe ſcriptores: vel potiùs, Babyloniis etiam Mercurium referri ad Lunam; uti Ægyptiis, qui Herculi in Sole, Mercurio in Luna, ſedem ſtatuerunt: cujus rei cauſſam afferemus, ubi ad Ægyptios erit deventum.

* *Seches, Mercurii ſtella, Babylonii.*

Sed hæc ſi non ſatis probentur, haut aliud ſupereſt, quàm ut credamus Straboni, Σάκαια eſſe inſtituta in memoriam victoriæ de Sacis reportatæ. Interim propter Beroſi, & Cteſiæ auctoritatem, referamus hanc victoriam, non ad Cyrum, utcunque Perſarum juniores lubentes in honorem ſuæ gentis vetera omnia, quorum neſcirent originem, regni ſui conditori adſignarent; ſed ad Babylonios, & Armenios; qui Sacis proximi cum hac

gente multò ante natum Cyrum bellum gesserunt. Quare non à Persis Babylonii, & Armenii; sed à Babyloniis Persæ, acceperint hoc festum. Et sanè nisi Sacæa essent dicta à Sacis, Scythico populo, non Babylonii, ac Persæ hoc festum Scythicâ veste, quod Strabo testatur, celebrassent: nec doctissimus grammaticus Hesychius, Σάκαια, Σκυθικὴ ἑορτὴ * interpretaretur.

* *Sacæa, Scythicum festum.*

A Persis, vel Babyloniis, Anaitidos numen etiam ad Medos, ac Parthos, dimanavit. Isidorus Characenus in Parthiæ periegesi: Εἶτα Ἀποβάταναι †, μητροπόλις Μηδίας, & θησαυροφυλάκιον, καὶ ἱερὸν, ὅπερ * Ἀναΐτιδος † ἀεὶ θύουσιν. *Inde Apobatana* (Ecbatana) *metropolis Mediæ, & thesaurorum custodia, & templum; ubi Anaitidi semper sacrificant.*

‡ *Stephan.* Ἀξάταναι : *vulgo* Ἐκβάτανα.
* *leg.* ὅπερ.
† *leg.* Ἀναΐτιδι.

Eadem verò Persis videtur *Zaretis*. Hesychius: Ζαρῆτις, Ἄρτεμις, Πέρσαι †. Imò iidem etiam *Mithram* dixere; si audimus Herodotum in primo; ubi Venerem ab Assyriis *Mulitta*, ab Arabibus *Alitta*, à Persis *Mithram*, ait vocitari. Verba ejus cap. prox. apponam. Sed meritò ab Herodoto hac parte recessere posteriores; qui, de Persarum religione accuratiùs edocti, Mithram non Lunam, sed Solem esse, docuerunt. Abunde de hoc diximus cap. IX.

‡ *Zaretis, Diana, Persa.*

CAPVT XXIII.

Arabibus Lunam esse cultam sub nomine Alilat, *vel* Alitta; *& unde hæc veniant, conjectatum. Etiam Arabum numen esse* Ciun: *hoc Saturnum credi: sed Lunam potiùs esse, ratioque ejus nominis adlata. Vnde esse videatur, quòd pro* Cion, *vel* Ceon, *ut in Hebræo est,* LXX *habeant* Rephan, *ac super eo B. Lucas defensus.*

ARabibus etiam culta est Luna, nomine, ut Græci quidem interpretabantur, Οὐρανία, hoc est, *Cælestis*. Nam, ut ex Herodoti Thaliâ superiùs diximus, Arabes duos duntaxat Deos coluere, Dionysum sive Solem, & Vraniam sive Lunam. Quorum ille Οὐροτάλτ vocabatur, hic Αλιλάτ. De etymo prioris antea diximus. Posteriùs videtur esse ab לַיְלָה, lailah, hoc est, *nox*, ob dominium noctis. A qua origine etiam Iesaiæ XXXIV, 14, לִילִית, lilith; quasi dixerim avem nocturnam, vel nocturnum spiritum, aut noctis Deum Deamve. A quo *Lilith* fortasse est & *Ilithya*: de quo postea. Nisi magis placet, *Alilat* esse ab אֱלָהּ אֱלָהָא, elah elaha: hoc est, *numen numinum*. Quæ clarissimi soceri mei Francisci Iunii *, quantum ejus sententiâ perspicere valeo, conjectura erat. Cæterùm numen hoc non solùm Αλιλάτ, sed etiam Αλιτ&, dixere. De priori legas in primo Herodoti. Verba ejus adduximus cap. VIII. De altero autem tradit in tertio. Locum appo-

* *notis in Tertulliano Apolog. cap. 24.*

apponam integrum; quia & alia contineat, de quibus superiùs diximus. Sic igitur ille de Persis refert: Θύουσι δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ πυρὶ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοισι. τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν. ὑπεμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν· οὔνομα τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων. καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι μὲν Ἀφροδίτην Μύλιττα· Ἀράβιοι δὲ, Ἀλιττά· Πέρσαι δὲ, Μίτρην· *Sacra faciunt Soli, ac Lunæ, & Terræ, Igni, Aquæ, ac Ventis. Hisque sacra faciunt jam ab initio. Postea didicerunt sacrificare etiam Vraniæ, & ab Assyriis edocti, & Arabibus. Vocant autem Assyrii Venerem Mylittam; Arabes, Alittam; Persæ, Mithram.* Cæterum tam affinia sunt nomina *Alilat*, & *Alitta*: ut optimo jure suspicio possit oboriri, Herodotum alterutro esse loco corruptum, ac utrobique similiter esse rescribendum. Quod si *Alitta* malis, altera oriatur suspicio, an non Arabum *Alitta* sit ex Babylonio *Mylitta*; vel contra: quandoquidem multa sunt exempla, ubi litera, vel syllaba, initio addatur, vel recidatur; etiam in Deorum nominibus: ut *Vulcanus* ex *Tubalcainus*; *Derceto* ex *Atergatis*, & similibus.

Ciun item Arabicum erat numen. Meminit ejus Amos propheta v, 26. Vbi vulgata quidem sic habet: *Et portâstis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.* Sed ubi vulgata *imaginem* habet, Hebraicè est כִּיּוּן, Chiun: eamque vocem retinuit Chaldæus paraphrastes: item Aquila, & Symmachus. *Chiun* autem exponunt *Saturnum*, præeunte Aben-Esra: qui auctor est, linguâ Ismaeliticâ, ac Persicâ, quem Hebræi *Sabathi*, hoc est, Saturnum, vocant, nuncupari כיוון, Chivvan. Sed non si Saturnus *Chivvan*, eò & *Chiun* erit Saturnus. Præterea Molochi mentio antecessit, cui proximè subditur Chiun. At Moloch est Saturnus. Chiun igitur aliud numen erit à Saturno: hoc est, Sole: nempe, ut antea diximus, de Bel, & Nabo; ita hic erit de Moloch, & Chiun. Bel, & Moloch, sunt Saturnus sive Sol. Proinde Nabo, & Chiun, ut loco subduntur, ita dignitate consequentur. Vtroque igitur Luna significabitur. Quod si masculo in numine persistendum: non Saturni stella erit, sed Hesperi, sive Luciferi: cui in cultu semper potior, quàm Saturni stellæ, honos fuit. Et sanè ut *Ciun* Lunam, vel Hesperum credam, proprietate etiam vocis compellor. Theodotio enim, teste Hieronymo, vertit ἀμαύρωσιν, hoc est, *obscuritatem*. Theophylactus quoque in Act. VII, 43, ubi pro *Chiun* est *Rempham*, de quo mox dicam, exponit σκοτισμὸν, ἤτοι τύφλωσιν· *obtenebrationem, sive excæcationem.* Quod deinceps sic enarrat, οὐχ ὡς ἐνηργηκότος τοῦ ἄστρου τὴν τύφλωσιν· ἀλλ' ὅτι σκότισμὰ πρόκειται αὐτοῖς τὸ εἰς αὐτὸ γέγονε σέβας· *non quasi astrum caussa sit, cur quasi cœci nihil cernamus: sed quoniam tenebræ nocturnæ ex parte sint caussa cultus, qui sideri exhibetur.* Simpliciissimè dixeris, Lunam sic vocari, non quasi ipsa sit ἀμαύρωσις,

* obſcuratio.
‡ obtenebratio.

ρωσις *, vel σκοτισμὸς ‡ : ſed quia ſidus ſit ὁ ἀμαυρώσεως, hoc eſt, tenebrarum, ſive noctis; nempe ratione ἀρχῆς, ſive *dominii*, quod tum tenet : unde Gen. 1, 16, legere eſt : *Fecit Deus duo luminaria magna : luminare majus in dominium diei, & luminare minus ad dominium noctis.* Quod ſi *Ciun* placet *Heſperon* interpretari ; dicendum, ſic vocari, quia ei poſt Lunam proximus ſit honor : unde & *Nocturnus* κατ' ἐξοχὴν appellatur. Sed malim multò, intelligere Lunam ; tum quia Lunæ is honos magis convenit ; tum maximè, quia Arabes non alios agnoſcant Deos, quàm Dionyſum, hoc eſt, Solem, & Vraniam, hoc eſt, Lunam : quemadmodum ex Herodoto mox planum faciam. Cur verò LXX in Amos, & eos ſecutus B. Lucas in Actis, pro *Ciun* habeant *Remphan*, non adeò eſt apertum. Mihi maximè placet, LXX in codices incidiſſe, ubi pro eſſet כיון, eſſet ריון. Facilè enim fieri potuit, ut in כ, vel vetuſtate, vel aliter, baſis literæ ejus non comparêret : eóque ר crederetur : atque hinc vitium in complura diffunderetur exemplaria : quique Græcè ſolum ſcirent, pro *Cion, Ceon, Cean*, vel *Cevan*, dicere adſueſcerent ῥεφὰν, ut legêre Syrus, & Arabs, & B. Iuſtinus, ac in codd. quibuſdam invenitur : ubi aliqui variatâ ſolùm vocali ῥαφὰν : alii ῥεφὰ, vel ῥεμφὰν, vel ῥακρὰν, vel ῥαμφὰν, vel ῥομφὰν, vel ῥομφᾶ, quod apud Origenem. Nullus igitur error commiſſus, vel à B. Stephano, qui apud Hebræos ſine dubio Hebraicè extulit, ut eſt apud Amos : vel à B. Luca, qui in Stephani ſermone *Ciun*, vel *Civan*, vel *Cevan*, ſic Græcè vertit, ut ab Helleniſtis vulgò id numen appellaretur. Quàm multa enim vocabula paullatim per imperitiam populi, vel aliâ de cauſſâ, corrumpuntur ; quæ qui efferat cum populo, nihil peccet ; cùm loquendum ſit cum vulgo, ſapiendum cum paucis. Valent enim verba, ut nummi. Semper etiam illud interpreti jus fuit, pro priſca appellatione reponere novam, & notiorem.

CAPVT XXIV.

Lunam coluere Ægyptii ſub nomine Iſidos : quæ hinc Pharia *dicta. Vetus gloſſarium aliter, quàm ab aliis, emendatum. Quid* Iſis, *ſecundùm Ægyptios, notârit. Cur ea cum cornibus fingeretur. Eandem cum Oſiride generationem omnem cauſſare. Vt Sol, tum Oſiris, tum Typho, & Seth, puta pro diverſa operatione, habitus ſit : atque ut Luna itidem tum Oſiridis, tum Iſidos, vocabulo cenſeretur. Cur in Sole quidem Hercules, in Luna verò Mercurius collocaretur. Oſiridis fabula partim ad Lunarem curſum accommodata, partim ad Nili fluxum. Convenientia Ægyptiaci vocabuli* Muth *cum linguis aliis. Nec Iſidem ſolum* Μὼθ *dici, ſed etiam* Ἀθὼρ, & Μεθυὲρ : *& conjectatum, cur ſic vocaretur. Afris etiam, præter Solem, Luna colebatur. Lunam Græcis, cum Syriacè neſcirent,* Ἀστροάρχην *vocatam,*

tam, cum rectum sit Ἀστάρτη. *Hanc Græcis* Οὐρανίαν, Cælestem *dici Latinis. Quo pacto Luna &* Diana, *&* Venus, *sit dicta; etsi Dianâ nihil castius, Venere nihil lascivius putaretur.*

NVnc Ægyptiorum superstitionem circa Lunam spectabimus: quibus ea Isis nuncupatur: ut Diodorus, & Plutarchus, sunt auctores. Hinc *Pharia* dicebatur, à Pharo insula Ægypti ex adverso Alexandriæ. Itaque in veteri inscriptione * legas: ΕΙCΙΔΙ ΦΑΡΙΑ. Imò & ἁπλῶς *Phariam* videntur nominâsse. Glossarium Benedicti abbatis Floriacensis: *Isis*, Φαρία. Etiam V. CL. præceptor quondam meus, Bonaventura Vulcanius ‡, testatur, se in codice membranaceo MSo, è bibliotheca Abbatiæ Gandavensis S. Bavonis, reperisse exaratum: *Furia, Isis.* Sed putat legendum, Τίσις. Puto ego scripsisse, *Faria, Isis.* Barthius * tamen retinet *Furia*: atque ait, Isidem dictam Furiam, quia furorem hominibus immitteret. Ac in glossario etiam Benedicti legit: *Furiæ*, Ερινύες, Ισις, Φαρία. Sed rectum est, *Furiæ*, Ερινύες. *Isis*, Φαρία. Nam *Isidem* pro *Furia* nemo veterum dixit.

* *Collectionis Gruterianæ pag. 84. num. 1.*

‡ *initio notarum in glossarium Benedicti.*

* *Advers. lib. 47, cap. 17.*

Quanto in precio olim habita sit Isis, præter veteres scriptores, ostendunt inscriptiones variæ: in quibus nunc *domina* ‡, vel *regina* *; nunc *fructifera* †, nunc *pelagia* ‡, nunc *invicta* *, *victrix* †, & *triumphalis* ‡, vocatur. Est & ubi *myrionyma* * dicitur, quasi infinitis prædita nominibus. Nempe propter innumeras prope appellationes, quibus in mysteriis suis invocaretur: ut ἐν τῷ τελεταῖς sive *Indigitamentis* fieri solet. Sed planè censeo, nominum istorum multa spectâsse Isidem, non quatenus Luna sola; sed simul Aer, & Tellus; imò universa rerum Natura, per eam intelligeretur. Tam præclarè cum senserint nationes de Iside sua; operæ erit, si paullò curatiùs de ea dicamus. Non omnia tamen nunc adferam: quia postea iterum de ea erit dicendi occasio: præsertim ubi de numinibus agam, quibus Natura sive Vniversitas notaretur.

‡ *p. 83, n. 2.*
* *p. 82, n. 12, & 13.*
† *p. 82, n. 10.*
‡ *p. 312, n. 5.*
* *p. 1065, n. 11.*
† *p. 83, n. 2.*
‡ *p. 82, n. 10.*
* *p. 82, n. 2.*

Nomen si attendas, ait Diodorus in primo bibliothecæ, Ισιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιὰν· *Isidem, si transferas* ex lingua Ægyptia, *signare antiquam.* Atque addit, tale nomen habere ἀπὸ τῆς ἀιδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως· *ab æterna & antiqua generatione.* Præterea refert, cum cornibus fingi, tum quoniam crescens sit corniculata; tum quia bos sacer sit Lunæ. Sed posterius exigui est momenti. Nam bos Lunæ erat sacer, quia animal esset cornutum, instar Lunæ corniculatæ: ac propterea etiam Lunæ dicatum. Vnde Herodotus in Euterpe: Τὰς θηλέας τῶν βοῶν οὔ σφι ἔξεστι θύειν· ἀλλὰ ἱραί εἰσι τῆς Ισιος. τὸ γὰρ τῆς Ισιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον, βούκερών ἐστι, κατάπερ Ελληνες τὴν Ιοῦν γράφουσι. *Boves feminas eis immolare non licet. Nam Isidis simulachrum muliebre est,*

bre eſt, bubulis præditum cornibus; ſicut Græci Io deſcribunt. Ovid. lib. IX Metamorph. fab. XIII:

* *al.* ſuorum.

Inachis ante torum, pompâ comitata ſacrorum *;
Aut ſtetit, aut viſa eſt: inerant lunaria fronti
Cornua, cùm ſpicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus: cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis, &c.

† *Subditur Nazianzeni in Iulianum Invectivis in editione Saviliana.*

Vide & Nonnum † in Collect. Hiſtor. cap. XXVII. Quia verò Sol, & Luna, plurimùm ad rerum generationem conferunt: hinc de Oſiride, & Iſide, ſic Diodorus poſt ea, quæ antea adduximus: Φύσιν συμβάλλεσθαι πλείστον εἰς τὴν τῶν ἁπάντων ζωογονίαν τῆς θεῶν τούτων, ἧς μὲν πυρώδης καὶ πνεύματος, τὴν δὲ, ὑγροῦ καὶ ξηροῦ, κοινὴν δ' ἀμφοτέρας ἀέρος, καὶ διὰ τούτων πάντα γίνεσθαι, καὶ τρέφεσθαι· *Horum Deorum naturam plurimùm conferre ad omnium generationem: quorum alter ignis & ſpiritus, altera humidi & ſicci, uterque verò communem habeat aëris poteſtatem: perque hos omnia gigni, & ali.*

Nec Sol, Lunaque, duntaxat ſignantur Oſiridos, & Iſidos, nominibus: ſed etiam Typhonis vocabulo. Quod à ſacerdotibus Ægyptiis traditum ſibi fatetur Plutarchus: ſed cum opiniones ἐναντιοφανεῖς* conciliare neutiquam poſſet: de Typhone longè aliud ſibi perſuaſit. Necui igitur hîc aqua poſthac hæreat: liquidum iſthoc reddam negotium. Sed pauca cogar, ex ipſo imprimis Plutarcho, admiſcere de Oſiride, ſive Sole; quia, abſque iis, illa ad Iſidem, & Typhonem, pertinentia, haut ſatis intelligantur.

* *qua contraria videantur.*

‡ *effectiva.*

Cùm duo olim ſtatuerentur principia rerum ποιητικὰ‡; unum boni omnis, alterum omnis mali: Ægyptii in Sole ipſo utrumque ſpectarunt. Ac à bono quidem principio eſſe dixerunt vim beneficam; quâ Lunam illuminat, ac vitalem animantibus inſinuat calorem. A malo autem principio eſſe crediderunt vim maleficam; quando ſuo ſtirpes ardore exſiccat, animantibus etiam peſtilitatem, & exitium, nimio inducit æſtu. Quatenus igitur eſſet beneficus, *Oſiridem* vocarunt: at quatenus idem foret maleficus, nominarunt eum *Typhona*; ac *Seth* etiam, ob violentiam. Vtrumque ſtatuerunt eſſe maſculum numen; quia ambo ſint generationis, & corruptionis, cauſſa principalis.

Luna itidem bifariam ab iis conſideratur: primùm quatenus lumen accipit à Sole, quomodo femineæ eſt virtutis, & *Iſis* dicitur: deinde quatenus lumen per aera in terras, & aquas, diffundit, ad ſtirpium, & animantium generationem: quo pacto jam viri partes ſuſtinet, & *Oſiridis* quoque obtinet nomen.

Quia verò Solis lumen exſiccat, eò aquâ maris, (quæ & ipſa ob ſalſuginem

ginem exsiccandi vim habet, ut postea pleniùs dicam) pasci eum, magisque incendi arbitrabantur. Lunam autem, cujus lumen est genitabile, ajebant è fontibus ac lacubus dulcem mollemque educere humorem, quo alatur.

In Sole item, ob violentiam ejus, Herculis sedem statuerunt; quia is robore magis, quam consilio, polleret. At Mercurium ajebant sedem suam habere in Luna; quia ut Luna suaviter omnia calefacit, & humectat; ita Eloquentia non vi militari atque armatâ cogat, sed oratione sapienti, ac delenificâ, suaviter persuadeat.

Ad Lunam etiam referendum, quod Osiridem dicerent die XVII interire. Nam à plenilunio, quod tum maximè apparet, mox decrescit. Eundem, seu vixisse, seu, ut alii loqui malunt, annos regnâsse ajunt undetriginta. Cur verò hoc, nisi quia diebus totidem suum Luna absolvat circulum? Præterea arcam, qua mortuus conderetur Osiris, formâ apparabatur Lunari. Quam rationem credamus aliam, quàm quia Luna, ubi appropinquat Soli, falcatur, atque occulitur? Illud etiam consideratione non indignum, quod Osiris perhibetur in partes discerptus XIV. An hoc aliunde, in tanto reliquorum consensu, esse credamus, quam quia totidem sint dies à plenilunio ad novilunium; quibus sic decrescit Luna, quasi pars ejus quotidie decerperetur? Princeps dies, quo Luna se nostris offerret obtutibus, nomen accepit *boni imperfecti:* proximum dixere *Omphin*, quod beneficum sonat.

Censent quoque Nili incrementa quodammodo convenire illuminationibus Lunæ. Nam apud Elephantinam maximum incrementum esse dierum XXIX: quot diebus constat periodus Lunaris. Apud Memphin justum incrementum esse cubitorum XIV: quod tempori plenilunii respondet. Apud Mendetem, & Xoin, incrementum esse minimum: nempe cubitorum duntaxat VI: quot diebus Lunæ orbis fit dimidiatus. Apis etiam creditur Lunæ viva esse imago: quia ut in Lunæ corpore candido partes umbrosæ velut maculæ, conspiciuntur: ita & in Api partes aliæ essent atræ, aliæ albæ. Inque novilunio mensis Phamenoth, quod veris initium est, celebrant festum, quia tum Orisidem ajunt in Lunam ingredi. Exinde vis Osiridis est in Luna: estque hoc connubium Osiridis, & Isidos, quæ conjux Osiridis. Sed Osiris quidem mas totus: Isis utrumque sexum habet: femininum quidem, quatenus à Sole illuminatur, & quasi gravida fit: virilem verò, quatenus postea lumen per aëra diffundit, & terris atque aquis procreatricem vim indit. Vnde etiam liquet, cur Ægyptii Lunam dicant terræ matrem. Et Ægyptiis quidem propterea Μὼθ dicebatur, quod, Plutarcho testante, iis *matrem* notat. Vnde colligas, &

Græcum

Græcum μήτηρ, & Latinum *mater*, & Germanicum *muther*, vel *muder*, ab communi esse origine, cum Ægyptii quoque *muth* dixerint, ubi sola desideratur terminatio. Etsi & altero nomine hoc Isidi nomen conveniret. Nempe quatenus Isis non Lunam solùm signat, sed etiam Terram; ut postea dicam. Terra autem omnium nostri mater,& materies; quæ ipsa vox à *matris* vocabulo derivatur. Addit quoque Plutarchus, Isidi nomen esse Ἀθὺρ,& hoc signare *domum Ori mundanam.* Vnde clarè elucet, *Ath* valere idem Ægyptiis,ac *Beth* Hebræis,quo *domus* notatur : *Yr* autem significare *Or*, sive *Orus*. Nam quod Græcis Ωρος, hoc Ægyptiis Ωρ : ut superiùs diximus. Mox subjungit Plutarchus, etiam nominari Μεθυὲρ : quod Plutarchus interpretatur *plenitudinem* & *caussam*. Nec repugno. Ea tamen est similitudo inter *Athyr*,& *Methyer*, ut, cùm ambo Isidem notent, etiam ab eâdem origine videantur descendere. Sic utrobique posterior compositi pars sit *Vr*, sive *Or* ; quo *Orus*, sive Sol significatur : prior autem sit *Ath*, sive *Meth* : quibus *domus* denotabitur. Nec conjectura de Athyr,auctoritate est levi subnixa ; quandoquidem Plutarchus clarè ait,sese hoc,ut pleraque eo libello, tradere sacerdotum Ægyptiorum fide. Et hæc de Iside nunc. Cætera, ut promisi, postea exsequar.

Pergo ad Afros, quibus itidem venerationi fuerunt Sol Lunaque : imò nec alios, præter eos, agnovere. Herodotus lib. IV : Θύουσι δὲ ἡλίῳ καὶ σελλήνῃ μούνοισι· τούτοισι μὲν πάντες Λίβυες θύουσιν· *Tantummodo Soli, & Lunæ, sacrificant, & quidem Afri universi.* De Sole superiùs vidimus. De Luna testis Herodianus lib. V : ubi Carthaginenses ait Οὐρανίας sive Cœlestis numen à Didone Phœnissa accepisse : & Lunam credi, vocarique aliter Ἀστροάρχλω. Sic Græculi corrupere vocem Ἀστάρτης, quæ ex *Astaroth* ; faciendo inde Ἀστροάρχλω, q. d. siderum rectricem, sive cæli reginam. Vt verò Græci Οὐρανίαν, sic Latini reddidere *Cælestem*. Tertullianus in Apologetico : *Vnicuique etiam provinciæ & civitati suus Deus est ; ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Dysares, ut Norici Belenus, ut Africæ Cælestis.* Capitolinus in Pertinace : *Deinde proconsul Africæ factus est. In quo proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur vaticinationibus earum, quæ de templo Cælestis emergunt.* Idem in vita Macrini : *Vates Cælestis apud Carthaginem Deo repleta solebat vera canere.* Trebellius Pollio in XXX tyrannis : *Afri quoque,auctore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano,duce limitis Libyci,Celsum imperatorem appellaverunt, peplo deæ Cælestis ornatum.* Philastrius Brixiensis in catal. hæres.* *Alia hæresis in Iudæis,quæ Reginam,quam & Fortunam cæli nuncupant; quam & Cælestem vocant in Africa.* Ambrosius epistolâ contra Relationem Symmachi : *Vnde Phrygii vates, & semper Romanis invisa non æquè Carthaginis numina, quam Cælestem Afri, Mitram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diver-*

* cap. 15.

diversitate nominis, non pro numinis varietate. Apud Salvianum quoque in octavo de Gubernatione Dei reperit Pithœus † in optimo & vetustissimo codice: *Cælestem illam, Afrorum dæmonem.* Vbi in aliis *illum* legitur. Quod plerique eo defendunt, quia & *Cælestius Salinensis* hoc Africanum numen nominetur Vlpiano in Tit. XII Regular. Vnde colligunt, ut *Lunum*, & *Lunam*, dixere Carreni, teste Spartiano in Caracallo: ita & *Cælestem* Afris Dei Deæque nomen fuisse. *Deæ Cælestis* meminit item Ammianus lib. XXII; ubi refert, ut Asclepiades philosophus circumferre ejus soleat figuram ex argento: nempe quod sic Deam magis sibi propitiam fore arbitraretur: ut alii, si Alexandri M. figuram (nam & hunc esse in Diis habitum, superiori libro diximus) gestitarent; in cunctis, quæ agerent, se ab eo adjutum iri, sperabant; teste Trebellio in XXX tyrannis. Cæterum nec aliam, quam hanc Deam, per *Cælestem Virginem* intelligit, vel Tertullianus in Apologetico; ubi eam *pluviarum pollicitatricem* vocat, quia pallens Luna pluviæ est præsagium: vel Augustinus lib. II de Civit. Dei cap. IV; ubi illam cum Berecynthia, Deorum matre, conjungit. Nec, quod dicebamus, Vraniam sive Cælestem esse eandem, ac Venerem, & Iunonem, obstiterit illi, quod *virginem* dixere. Nam & Diana semper-virgo; quæ tamen & Iuno Lucina, ac Ilithya, & γενεθλία θεὰ, sive Genitalis; ut superiùs ostensum.

† *Adverſ. Subſ. lib. 1, cap. 4.*

CAPVT XXV.

Romanis, ac Græcis, Ἄρτεμιν *sive Dianam esse eandem, ac Lunam. Cur nonnulli existiment,* τὸ ἀρτεμὲς *Græcum Divæ huic nomen dedisse.* Iana *eadem, ac Luna; indeque* Dianæ *nomen.* Covum *pro* cœlo, *ex* chaos: *& an ex eo Iuno dicatur* covella. *Quæ* Iana novella, *&* trigesima sabbatha. *Altera adfertur ratio, cur ex Latona nati dicantur Apollo, & Diana. Quàm latè* filii, filiæque *nomina patuerint apud Orientales. Diana cognomento* Lucifera. *Apollo* Ἀγιεὺς, *& Diana* Ἐνοδία: *ac ratio utriusque nominis allata. Cur Diana silvis, ac venationi præfecta: cur* ἰοχέαιρα *dicta: & cur canes ei dicati: cur agriculturæ præses: unde Thargelia ei sacra: cur Ephesi cum multis mammis fingeretur. Dispar de Timæi dicto judicium Ciceronis, & Plutarchi; illo concinnum, hoc frigidum existimante. Diversa natura solaris ac lunaris caloris.* Ἄρτεμις λυσίζωνος. *A Latinis, eas, quæ nubunt, dici* zonam solvere: *à Græcis autem istas, quæ pariunt. Quò respexerint, cùm Dianam, quæ partum nescit, quippe virgo, partui præfecerunt. Cur Iuno dicta quotannis, lavando se in Canatho, in virginem commutari. Puellæ* ἀρτεύοντες *Dianæ Brauroniæ. Vtrùm à Cretensibus Eubuli filia, an Luna, quicum ea colebatur, priùs dicta sit* Βεῖλόμαρτις, *ac* Ἄρτεμις: *& alterum Artemidis etymon.*

HActenus ista : deinceps orationem ad Græcos referam, & Romanos. Incipiam autem à Diana ; quam eandem, ac Lunam, putari, etiam Tullius ait in II de Natura Deorum. Hinc eam *astrorum decus* vocat Maro *. Græcis dicitur Ἄρτεμις : etiam in Actis Apostolicis XIX,28, 34 : ubi vocatur ; Μεγάλη ἡ Ἀρτεμις Ἐφεσίων †. Quomodo eam gentiles dixere ob multiplicem Lunæ vim ac potestatem. Ac similiter fortasse est apud Dionysium Afrum in Periegesi :

Παῤῥαλίλω Ἔφεσον, μεγάλης πόλιν λοχεαίρης *
Maritimam Ephesum, magnæ urbem Dianæ.

Nisi μεγάλλω * hîc legendum : de quo Petr. Faber Semestr. lib. III, cap. III. Vnde Ἄρτεμις nomen traxerit, variè conjectant. Non absurdè illi, quibus sic dici placet ἀφὰ τὸ ἀρτεμὲς, hoc est, *integrum, sanum* : quam nominis caussam adducunt Plato in Cratylo, Strabo in XIV, Artemidorus lib. II, cap. XXXV, §. III, Phurnutus. Nempe vel quia Diva hæc censeretur non imminutæ, sed integræ virginitatis : vel quoniam nos sanos præstaret, & incolumes. Sed alteram præterea nominis caussam ex Macrobio inferiùs adducam.

Latinum verò *Diana* conflatum est ex *Diva Iana* : vel, si ad vivum reseces, eâdem mente sit ex *Dea Iana* : unde tum κὴ συγκοπὴ *Diana*, priori correptâ : tum κὴ πρᾶσιν, ut integriùs sit *Deiana*, eâdem porrectâ. At *Diviana*, quod apud Varronem, planè est ex *Diva Iana*. Vtrobique, ut *Ianus*, Sol; ita *Iana*, Luna : quemadmodum diximus libri hujusce cap. XVI. Nunc ipsa Varronis verba apponam è lib. I, cap. XXXVII : *Nunquam rure audisti, octavo janam lunam, & crescentem, & contrà senescentem, & quæ crescente lunâ fieri oporteret : & tamen quædam melius fieri post octavam janam lunam, quàm ante?* Ita editiones, & utraque Stephanica, & aliæ, quas vidi. Sed non dubium, quin *Luna* ex glossemate irrepserit : ut Scaligero monitum lib. II de Emendatione Temporum cap. de veteri anno Romanorum ‡. Ac facilè eidem assentio, sic legenti apud Varronem in V de L. L. *Primi dies mensium nominati Kalendæ, ab eo, quòd his diebus kalentur ejus mensis Nonæ à Pontificibus, quintanæne, an septimanæ, sint futuræ, in Capitolio in curia Kalabra, sic dictæ : Quinque kalo Iana novella : Septem kalo Iana novella.* Vbi in vett. libris est *Iuno covella* : quod interpretantur, *Iuno cælestis* : nempe quia prisci, Festo teste, pro *cœlum* dixere *cohum* * ; à χάος, quo veteres Græci aëra signarunt ; sive omne id, quod inter sidera terrasque est interjectum. Vt à *cælum* est *cælicum* : sic à *covo* sit *covicum*; inde *coviculum*, & *covicellum*; ac κὴ συγκοπὴ, *covellum*. Malim tamen *novella* : uti & *Iana*, quàm *Iuno*. Vtcunque enim sit eadem ; tamen, pro diversa virtute, *Iana*, vel *Iuno*, Romanis dicebatur. Tum *Iana*, sive *Diva Iana*, sive *Diviana*, vel *Dea Iana*, sive *Diana*, vocabatur ; quando

* Æn. 9, vers. 406.

† Magna Diana Ephesiorum.

* Magnam.

‡ pag. 167, edit. Raphelengiana.

* sive, Æolum more, inserto digamma, covum.

quando vis illuminatrix in consideratione præcipuè veniret : *Iuno* autem nuncupata est, cùm spectaretur vis calefactrix, sive generatrix. Itaque venatores Romani, nocturni luminis ergo, non Iunonem invocabant, sed Dianam : & parientium vox erat, non quidem *Diana*, sed † *Iuno Lucina fer opem ; serva me obsecro.* Atque hæc planiora fient ex iis, quæ deinceps, priùs de Diana, postea de Iunone dicentur. Porrò, in verbis Varronis, antea memoratis, *Iana novella*, idem sit, ac νεομηνία * : ut *Iana vetus novella* fuerit, quæ Soloni dicebatur ἔνη καὶ νέα † : puta dies ea, quæ Lunam haberet veterem, novamque. *Trigesima sabbatha* vocat Horatius lib. 1, Sat. IX :

† *Terent. Andr. act. 3, sc. 1 : ubi Donatum vide.*

* *noviluniam.*

† *vetus ac nova.*

— *Hodie trigesima sabbatha. Vin tu*
Curtis Iudæis oppedere ? — *Trigesima sabbatha, quæ neomenias habent.*

Vide & interpretem, sub nomine Acronis.

Diana hæc cum fratre Apolline, qui Sol est, ex Latona nati dicuntur. Cujus caussam, Platonicos secutus, ex materiæ æternitate petebamus cap. XII. Ac planè id verisimilius. Nec absurdè tamen per Latonam etiam tenebras intelligamus : quia ex tenebris lux : ubi verissimum quidem est, præverbium *ex* privationem significare ; ut ex indocto fit doctus : sed in θεολογίᾳ μυθικῇ † sæpius *ex* notat solùm τῷ ἀκολούθῳ * . Nempe laxè admodum antiqui in θεογονίᾳ † suâ hoc accepere, cùm aliquem alicujus filium, vel filiam, dicerent. Factum hoc exemplo Orientalium. Nam legas Ies. XIV, 13 : *Quomodo decidisti è cælo Lucifer, fili diluculi !* Et similiter *sagittæ* dicuntur *filiæ pharetræ* † ; *insulæ* vocantur iis *filiæ maris* * . Latonæ verò opponitur Delia : quia ante Solem, Lunamque, vel, juxta Scripturas, ante lucem primæ diei, omnia latuerint ; at creatâ jam luce, omnia sint reddita δῆλα, sive *manifesta*. Hoc Scholastici sic efferrent : duos hîc spectari terminos, à quo, & ad quem : illum esse tenebras ; unde dicta sit Ἀυτὼ ; juxta Platonem in Cratylo : hunc esse lucem, omnia manifestantem ; unde insula Δῆλος nomen acceperit.

† *theologia gentium fabulari.*

* *consequentiam.*

† *generatione Deorum.*

† *Lamentat. Ier. 3, 13.*

* *Ies. 23, 10.*

Vti verò Luna à lucendo dicitur *Lucina* : sic & Dianæ est *Luciferæ* datum cognomen. Habes apud Tullium in II de Nat. Deorum : cujus verba inferiùs ponam. Item in veteri nummo Faustinæ Augustæ, & altero Iuliæ Piæ Fel. Aug. & tertio Imp. Gordiani ; in quibus est imago muliebris, utrâque manu facem ferens : inscriptio autem est in omnibus : DIANA LVCIFERA. Vti & in quodam Iuliæ Piæ est, LVNA LVCIFERA.

Lucis hujus beneficium est, quòd uti Apollo die, ita ipsa noctu ostendat vias. Itaque, ut Apollo propterea Ἀγυιεὺς dictus : ita Diana Ἐνοδία : ut de utroque auctor est Phurnutus. Hinc quoque Callimachus hymno in Dianam :

— Καὶ μὴν Ἀγυιαῖς
Ἔσῃ, ἐλιμένεσσιν ἐπίσκοπος. —

— *Eriſque*
Et præfecta viis, & portubus.

* *In* Iuvenalia. Feſtus ſive Paullus * : *Diana viarum putabatur Dea.* Particulatim verò utilis habita eſt omnibus, per montes ſylvaſque iter facientibus. Vnde Maroni lib. IX, — *nemorum Latonia cuſtos.* Et XI,

— *Nemorum cultrix Latonia virgo.*

Item Horatio Carmine Seculari, nunc *ſilvarum potens* dicitur : nunc

Montium cuſtos, nemorumque, virgo.

Atque ob hanc potiſſimùm cauſſam Diana venationi præeſt. Nempe non modò, quia ut Luna radios ejaculetur in terram ; ita venatores tela emittant in feras : ſed præcipuè, quia venatores noctu Lunari indigeant lumine. Hinc, ut poſtea videbimus, Minucius in Octavio eam *venatricem* dicit *altè ſuccinctam :* puta qualis in venando Venus à Marone deſcribitur I Æn. Ac apud Patrenſes etiam Dea Laphria venatricis habitu colebatur : curruſque virginis ſacerdotis in annuo Deæ feſto trahebatur à cervis : victimæ autem erant apri, cervi, capreæ, luporum, & urſorum catuli : ut apud Pauſaniam eſt in Achaicis. Poetis etiam eò dicta ἰοχέαιρα, ut Homero hymno in Apollinem, ac Pindaro Pyth. od. II. Id eſt, ἰοῖς χαίρουσα † : ut Euſtath. interpretatur. Item vocatur κυνηγέτις, *venatrix*; θηροκτόνος, *fericida*; ἐλαφηβόλος, *cervicida*; ὀρεσίφοιτος, *montivaga*; ut monitum Phurnuto. Qui & obſervat, canes, quia iis venatio fit, (unde & ars κυνηγετικὴ * dicta) Dianæ ſacros eſſe.

† *ſagittis gaudens.*

* *venatio, proprieque ea quæ canibus fit.*

Præter hoc verò, quòd Diana, hoc eſt, Luna, terras illuminat ; eadem calore generationem promovet : unde eſt, quòd, uti Apollinem, hoc eſt, Solem, ita etiam Dianam dixerint præeſſe agriculturæ. Itaque Thargelium feſtum, juxta Etymologum, ab omnibus terræ fructibus ſic nuncupatum, non Apollini modò, ſed etiam Dianæ ſacrum fuit. Suidas : Θαργήλια †, ἑορτὴ Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀρτέμιδος. Eandem ob cauſſam Diana Epheſia cum multis mammis fingebatur, tanquam alma mater uberibus ſuis nutriens genus humanum. Vnde B. Hieronymus in epiſt. ad Epheſ. *Erat Epheſi templum Dianæ, & ejuſdem in ipſo Multimammia, id eſt, multarum mammarum effigies; qua cultores ejus decepti, putabant eam omnium viventium nutricem.* Meminit & ante eum Minucius Felix in Octavio : *Diana interim eſt altè ſuccincta venatrix, & Epheſia mammis multis, & uberibus multis exſtructa.* Etiam in antiquis numiſmatis DIANA POLYMAMMA reperias. Hanc eſſe Lunam, ex eo quoque intelligas, quod apud Trebellium Pollionem pro *Dianæ Epheſiæ templo,* in vett. libris, *Lunæ Epheſiæ* legas.

† *Thargelia, feſtum Apollinis, & Dianæ.*

Nec eorum modò fertilitati præerat, quibus homines nutriuntur : ſed etiam hominum ipſorum. Vnde & partui eſt præfecta, dictáque Λοχεία, quaſi

quasi partus arbitra. Hoc sic exponit Tullius in II de Natura Deorum: *Adhibetur ad partus, quòd ii maturescunt, aut septem nonnunquam, aut plerumque novem Lunæ cursibus: qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur: concinnéque ut multa, Timæus: qui, cùm in historia dixisset, quâ nocte natus Alexander esset, eâdem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse; adjunxit, minimè id esse mirandum, quod Diana, cùm in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* Sed de eo, quod scitè hoc à Timæo dictum Cicero arbitratur; longè profectò aliter Plutarchus: cui id frigidè dictum videtur. Nec id mirabitur, qui sciat, quàm gravissimus is scriptor religiose, præ gentilium multis, senserit de Diis. Vt qui minimè probet, quòd natura rerum pro Deo colatur, ac Dii μετωνυμικῶς corporum naturalium nominibus vocentur. Quod hominibus maximorum fuisse errorum caussam, existimat: ut videre est libro de Iside, & Osiride. Præterea quòd Tullius, cur partubus Dianam præfecerint, caussam à novem mensium gestatione arcessit, hoc ut aliquid est, ita non totum exhaurit: magisque eò respexisse videntur, quod Luna humidum sit sidus; eoque, laxando parturientium meatus, partum acceleret, & faciliorem reddat. Quam rationem ex Plutarchi Symposiacis adduximus cap. XIX. Quippe, ut Plinius ait lib. I Hist. Nat. cap. CI, *ferunt Lunæ femineum ac molle sidus, atque nocturnum solvere humorem, & trahere, non auferre.* E contrario scilicet ac Sol facit; de quo ibidem cap. C dixerat; *Solis ardore siccari liquorem: & hoc masculum sidus esse, torrens cuncta, sorbensque.* Vtrumque calidum sidus: sed ἧττον * τοῦ ἡλίου θερμὴ ἡ σελήνη: de quo Artemidorum † in re aperta quid attinet allegare? Lunaris igitur calor est idoneus movere, & prolicere humorem, non absumere: intensior est Solaris, qui è corporibus eum educit, & rarefaciendo in aëra convertit.

* *minus calida Sole Luna.*
† *lib. 2, cap. 38.*

Atque ex his etiam cognoscere est, cur ἡ Ἄρτεμις * sit dicta Λυσιζώνη ‡. Parientes enim apud Græcos zonam solvere dicuntur. Apollonius Rhodius lib. I Argonauticôn *:

* *Diana.*
‡ *cingulum solvens.*
* *vers. 287.*

— ᾧ ἐπὶ μούνῳ
Μίτρην πρῶτον ἔλυσα, καὶ ὕστατον. —
— *Quem propter solum*
Zonam primò solvi, postremóque. —

Vbi sic vetus scholiastes: Λύουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι. ὅθεν καὶ Λυσιζώνης Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις· *Zonam enim solvunt, quæ primùm pariunt, eamque Dianæ consecrant: unde & Athenis templum erat Dianæ zonam solventis.* At Romanis *zonam solvere* dicebantur, quæ nuberent: quomodo de Atalanta locutus est Catullus carm. II. Atque idem ad Hymenæum epigr. LXII ait:

— Tibi virgines
Zonulâ soluiint sinus.

Nec liquidius quicquam tertio ejus loco carm. LXVIII ad Ianuam. Vel illo Varronis γεροντιδιδασκάλῳ * : *Novos maritus tacitulus † taxim uxoris solvebat cingillum.* Vbi *cingillum* pro *cingulum* reposui, fide membranarum nostrarum : in quibus & hoc loco, & in præviâ vocis interpretatione, sic liquidò est exaratum. Etiam ritus hujus meminit Ovid. epistolâ Phyllidos ad Demophoontem. Atque è nostris Arnobius lib. III. Augustini quoque est lib. IV de Civit. Dei cap. XI : *Ipse in Iugatino Deo conjuges jungat, ut zona virgini solvatur.* Et lib. VI, cap. IX : *Si adest Virginensis Dea, ut zona virgini solvatur.* Hoc quoque discriminis erat inter Græcos, & Romanos : quòd hi nubentium solutioni præficerent Iunonem Cinxiam; de qua postea dicam : at juxta illos, quæ peperere, cingulum consecrarent Dianæ Cingulum solventi. Interea, si rerum naturam in se spectes, est idem numen & Iuno Cinxia, & Diana Cingulum solvens : sed prout diversimode considerabatur Diva, ita vel hoc, vel illo nomine vocabatur.

* *apud Nonium in* Cingulum.
† *al.* taciturnus. *MSus noster* taciturus. *Sed perperam.*

Fatemur interim, quandoque etiam Græcis solutionem cinguli ad nubentes pertinere. Vt apud Homerum Οδυσσ. α * :

* *vers.* 244.

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν·
Solvit autem virginalem zonam, somnumque superfudit.

Vbi συνουσιασμὸν ‡ signari, & Etymologus ait in Ζώνη. De Spartanis sic item Plutarchus in vita Lycurgi : Ο δὲ νυμφίος οὐ μεθύων, οὐδὲ θρυπτόμενος, ἀλλὰ νήφων, ὥσπερ ἀεὶ δεδειπνηκὼς ἐν τοῖς φειδιτίοις, παρεισελθὼν ἔλυε τὴν ζώνην, καὶ μετήνεγκεν ἀράμενος ἐπὶ τὴν κλίνην· *Sponsus non vino gravis, nec deliciis fractus, sed sobrius, ut semper in Phiditiis cœnatus, clam ingressus sponsæ zonam solvebat, & eam tollens in lectum transferebat.*

‡ *congressum.*

At altera quoque oritur difficultas. Notum, ut Diana sit immunis à partus labore : quippe semper-virgo : unde ipsa apud Callimachum ita Iovem compellat :

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν·
Des mihi, virginitas ut sit, pater, omnibus ævis.

Quomodo igitur (ut Platonis utar verbis in Theæteto) Αρτεμις, ἄλοχος οὖσα, τὴν λοχείαν εἴληχε; *Diana, à pariendo libera, partus procurandi sortita est provinciam?* Non leviter hoc torsit nonnullos : sed nodum sic exsolvi posse arbitror. Luna cùm aliter, tum præcipuè bifariam spectatur : ratione luminis, quo terras illustrat, & caloris modici, quo generationem & partum juvat. Posterioris intuitu partui præfecerunt : quia sic est mater alma, multis uberibus nutriens universos. Ratione autem alterius est & virgo, & virginitatis exemplum. Nimirum, quia vel æthereo corpore, vel Lunari

nari luce, nihil est purius sub Sole: eò judicarint, ut loquitur Phurnutus*, ἄχραντον, καὶ ἁγνὴν εἶναι ὁμοίως τῷ ἡλίῳ, *esse intactam, castamque instar Solis.* Si sic videatur, addam & rationem alteram, ab venatoribus petitam; quibus noctu est opus luce Lunari. Nam qui venando supra modum indulgent, Veneri parùm sunt apti, quia vehementi exercitio corpus fiat exsuccum, nec Veneri idoneum. Exemplo sit Hippolytus, Dianæ venatricis cultor, à Venere autem aversus.

* cap. de Diana.

Sed hoc longiùs aliquis arcessitum dixerit. Tertium igitur accedat. Creditum est ab Argivis, post XII periodos Lunares, quot constituebant annum civilem, Iunonem, quæ eadem ac Diana, ut postea liquebit, denuo virginem fieri: quod in sacris Iunoniis docebantur. Quod inde tractum, quia cum Sole novo nova numerandarum lunationum (ut vocant) ratio iniretur. Ajebant igitur sacerdotes, qui, ob festos dies, Lunaris & Solaris periodi rationem imprimis habuere, eo spatio exacto, Lunam se lavare in Canatho, atque ita, quam semel puellæ ereptam nec à Deo reddi posse virginitatem ajebat B. Hieronymus, eam reddi quotannis Iunoni suæ. De eo sic Pausanias in Corinthiacis: Ἐνταῦθα τὴν Ἥραν φασὶν Ἀργεῖοι κατὰ ἔτος λουμένην παρθένον γίνεσθαι· *In eo Canathi fonte, ajunt Argivi, Iunonem, ubi quotannis laverit, virginem fieri.* Subjungit deinde: Οὗτος μὲν δὴ σφίσιν ἐκ τελετῆς, ἣν ἄγουσι τῇ Ἥρᾳ, λόγος τῶν ἀπορρήτων ἐστίν. *Atque hic sermo iis promanavit ab sacris, quæ nefas referre.* Sacra ea sine dubio eò spectarunt, quò dixi: nempe quòd incipiente novo anno civili, uti Sol novus, ita nova mensium ineatur ratio: atque ita Luna, sive Iuno, quasi recens nata, denuo censeatur virgo, quam Dianam dicimus.

Quia autem Diana virgo; eò & virgunculæ non minores quinquennibus, nec majores decennibus, crocotulâ indutæ, sacra faciebant Dianæ Brauroniæ, vel Munichiæ. Hoc ἀρκτεύειν dixere. Nam ἄρκτος, *virgo.* Sic Aristophanes usus in Lysistrata. Olim περὶ τοῦ ἀρκτεύειν καὶ δεκατεύειν liber extitit Didymi Grammatici.

Nec sola ubique, seu simplici veneratione, Diana colebatur: sed, apud Cretenses, cultu miscello iisdem gaudebant altaribus, & Diana sive Luna, & Cretensis quædam virgo, Eubuli filia, venatoriorum cassium repertrix: ut diximus lib. I, cap. XVII. Virgo ista tum Ἄρτεμις vocatur, tum Βριτόμαρτις. Sed quæritur, quia in cultu hoc mixto nomina solent confundi, utra harum appellatio propria fuerit numinis naturalis, sive Lunæ: utra item animalis, sive filiæ Eubuli. Refugiendum in talibus ad conjecturas: quas, qui volet, somnia appellet. Censeo potiùs, puellæ Cressæ proprium fuisse nomen Βριτόμαρτις: ut quod *dulcem virginem* notet; quemadmodum ex Solino antea vidimus. Satis hæc conveniens erat appellatio, quam parentes

rentes filiabus inderent. Alterum autem primò convenerit Lunæ si Ἀρτεμιν dixerint, quasi ἀερτόμω, quia aera secet: quod satis est verisimile: & à Macrobio traditur lib. 1 Saturn. cap. xv.

CAPVT XXVI.

Per Iunonem *quoque Lunam intelligi: &, cur hoc ei nomen datum, aliter, quàm à veteribus, conjectatum. Vnde* Ηρης *appellatio; & fusiùs de etymo* Lucinæ. *Cur Iuno matrimoniis præfecta, unde ei* τελείας *nomen, sive* pronubæ. *Ritus sponsi sponsæque in sacrificando fel abjectantium post altare. Cur hastâ comeretur capillus sponsæ.* Cinxiæ, & Vnxiæ, *unde nomen: item* Domiducæ, & Manturnæ. *Cur pavo ei sacer. Etiam* Ilithyan *esse eandem, ac Iunonem, sive Lunam: quæ &* Lucifera, *teste Tullio. Falli, qui Latina omnia arcessunt à Græcis.* Ἀρτεμις ἡ Λυσίζωνος. *Frater sororque Dianæ, Mars, & Ilithya. Ilithyæ Græcum etymon: & obiter de* Venilia, *ac* Salacia; Liduna, & Malina. Ilithyæ *vocabulum potiùs ex Oriente arcessendum.* Ilithya *pro* partu. Iuno Fluonia *eadem, ac* Dea Mena, *Iunonis licet privigna: utcunque opinionem hanc culpet B. Augustinus.* Levana *quæ, & etymon ejus non ab Latio, sed Hebræis, peti oportere.*

* *Varro de* L. L. *& Serv. 1 Æn.*

ITidem ad Lunam Iuno refertur: quàm à juvando Grammatici * sic dictam volunt: nihilo sanè verisimilius, quàm cùm *Iovis* nomen inde arcessunt. Censeo ego, ejusdem esse originis ac *Ianus*: de cujus etymo antea dictum. Priscis ita Romanis planè idem fuerint *Iana*, ac *Iuno*. Sed O in feminis Græcanica est terminatio: ut *Dido, Sappho, Calypso*. A verò non minùs Romana, quàm Græca. A autem in V abire, indicant, *calamus, culmus; calco, culcita;* ἄμβων, *umbo;* ἴβαλὸς, *vitulus;* κραιπάλη, *crapula;* ἀλωπὴξ, *vulpes*, aliaque multa. Similiter igitur, *Iano, Iuno*. Græcis est Ηρη. Sed hoc κῦ μελάθεσιν est ἀὴρ. Quare si originem spectemus, Græcis Ηρη elementum est aëris: ac respondet τῷ Διὶ, hoc est Iovi, sive ætheri. Latinis *Iuno* propriè Luna: quæ itidem respondet Iano, sive Soli. Sed cùm ut loco, sic dignitate, summi statuerentur Dii, aliis quidem Æther, & Aer; aliis Sol, & Luna: nihil mirum, si Romanis, populo conventicio, & ex multis coalito, sæpius pro uno nomine haberentur Æther, & Sol, qui in Æthere primas tenet: Aer, & Luna, quæ ut aëri proxima, ita in eo immutando vim habet eximiam. Quare Ηρη quidem est Luna; sed quatenus est aëris præses, atque unà cum eo attenditur. Quomodo consideratur, quando apud

† 1 *Æn.*

Maronem † ait ipsa:

His ego nigrantem commistâ grandine nimbum,
Desuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.

Iunonem verò esse Lunam, cognoscimus ex eo, quòd *Lucina*, & *Lucetia*, vocetur.

vocetur. Nec ignoro, *Lucinam* aliquibus dictam videri, quia ædis ejus foret in luco; vel quia nascentes in lucem producat: quorum illud apud Plinium *; hoc apud Capellam; utrumque apud Ovidium †, legere est. Verùm aliquanto meliùs à *luce*, vel *luceo*, quia noctu luceat, derivat Isidorus *, & multò antè Servius in IV Æn. ante utrumque autem Cicero in II de Nat. Deor. *Luna à lucendo nominata. Eadem enim Lucina. Itaque ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam: sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* De Diana, Lunaque Luciferâ, superiùs † dictum. Nec tamen à lucendo *Lunam*, quasi *Lucinam*, dictam arbitror. Nam longè est verisimilius, in rebus iis, quas à pueris omnes norunt, vetera Orientis nomina antiquitus retenta; utcunque tempore, quod omnia mutat, & variarum gentium in unum confluxu, paullatim ea variarentur. Quocirca Luna potiùs sit à לוּן lon, *pernoctavit*, & μεταληπτικῶς, *quievit*: quia ut Sol diurno labori, ita hæc nocturnæ præsit quieti.

* *lib.* 16, *cap.* 44.
† 2 *Fast.*
* *lib.* 8 *Orig. cap.* 11.
† *cap.* 25.

Etiam Iunonem esse Lunam, ex eo cognoscitur, quòd Kalendas ei consecrarunt. Nempe eò spectabant, quòd Luna menstruo cursum spatio absolvat. Quò igitur mensis totus feliciter procederet, statutum fuit, ut Kalendis omnibus Iunoni sacrificaretur porcâ, vel agnâ; ut Macrobius ait lib. I Sat. cap. XV. Ea sacra obibat regina, hoc est, sacrificuli uxor: quæ *regina* est dicta, ut maritus *rex*: idque quia sub Regibus Romanis Rex ipse sacra hæc faceret: iis ejectis, ne nomen minùs augustum sonaret in sacris, sacrificulo ea attributa est appellatio: sed subjectus ipse Pontifici, ne *Regis* nomen officere videretur libertati. Auctores Livius in secundo ab V. C. & Dionysius in quincto Antiquitat.

Quod si Iuno eadem, ac Diana, puta Luna: nihil mirum, si, ut Diana, sic Iuno, generationi, & eò pertinentibus, præfuerit. Matrimoniorum hinc præses: unde jugalia ei vincula curæ esse, ait Maro in IV; toris, sacrisque maritis præesse, Ovidius epistolâ Phyllidos ad Demophoontem, & Medeæ ad Iasonem. Hinc cognomen *pronubæ*, ac apud Græcos, Polluce * teste, τελείας: nempe quia τέλος ὁ γάμος ‡; ut est apud Suidam, & Eustathium in Il. B, & M. Sacrum etiam ante nuptias προτέλεια. Nam Iunoni τῇ τελείᾳ seu *pronubæ* (perperam *adultam* vertunt nonnulli) sacrificabant sponsi sponsæque: sed felle demto, ac post altare abjecto: quo significarent, à matrimonio debere abesse bilem atque iracundiam: quam certissimam rationem Plutarchus in Connubialibus adducit præceptis. Ob eandem caussam dicta Γαμηλία Ηρη *: item *Iuga*, & *Iugatina*, quia marem feminamque jungat: Græcis Ζυγία, ut est apud Halicarnassensem †. Imò cunctus Oriens Zygiam hanc veneratur: ut ait Appulejus in VI Met.

* *lib.* 3, *c.* 3, *§.* 4.
‡ Telos *dicuntur nuptiæ.*
* *Nuptialis Iuno.*
† *Dissertatione de scribenda oratione Nuptiali.*

Ad Pronubæ hujus seu Iugatinæ cultum pertinebat, quòd sponsæ coma

haſtâ celibari comeretur. Iuno enim cum haſta fingebatur: unde & *Curitis* dicta putatur. Nam *curis* haſta veteribus *. Significabatur igitur, Iunone propitiâ, generatum iri prolem, haſtâ fortiter uſuram adverſus hoſtes. Ita Plutarchus in Romulo, & Αἰτίοις, ſive Quæſtionibus Romanis. Moremque eum reſpexit Ovid. 11 Faſt.

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Item Arnobius lib. 11, *Nubentium crimen celibari haſta mulcetis.*

* *Ovid. 1 Faſt. & Feſtus in* Curis.

Eadem dicta *Iuno Cinxia*; quia ſponſus cingulum ſponſæ ſolveret: quod nodo vinctum erat Herculaneo, boni ominis cauſſâ; quò jungerentur prole felici, inſtar Herculis, qui LXX liberorum parens; ut eſt apud Feſtum Pompejum. Itidem *Iuno Vnxia*, quia nova nupta, domum mariti ingreſſura, poſtes inungeret axungiâ, oleo, aut adipe lupino: ut traditum Plinio, Servio, & Capellæ. Nec aliò, quam ad Iunonem, matrimonii præſidem, referenda eſt *Domiduca*, ita dicta, cum ſponſa duceretur domum: vel *Manturna*, cui vota fiebant, ut ne recederet uxor à marito, ſed cum eo perpetim maneret.

A matrimonio venio ad partum, ac prolem; quæ conjugii ſpes: unde etiam nuptas ἄπαιδας † dixere *matronas*, quia ſpe illâ nupſerint, ut fierent matres *. Partui autem, ut Dianam, ſic Iunonem præfuiſſe, videre ex Comicis ‡ licet, ubi *Iuno Lucina* invocatur; Tullio etiam, cujus locum antea adduximus; illo item Catulliano, carm. in nuptias Iuliæ & Manlii:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

† *liberis carentes.*
* *Agell. lib. 18, cap. 9.*
‡ *Plaut. Aulul. Terent. Andr. & alibi.*

Hinc *Natalis Iuno* apud Tibullum *; quæ Græcis Εἰλείθυια. Nec Iuno ſolùm fœcunditati præerat humanæ; ſed etiam tum pecudum, & armentorum; tum eorum, quæ terris ſuccreſcunt. Omnia enim hæc magnam partem Lunæ beneficium ſunt. Atque inde eſt, quòd Iuno divitiarum Dea haberetur. Terræ enim, & animantium fœcunditas opes ac divitias adfert. Sed qui divites ſunt ac potentes, fere ſunt typho inflati, ac ambitioſi: qua de re fusè ſatis dictum nobis in Inſtitutionibus Oratoriis †. Eſtque ea ratio, cur Iunoni ſacrarint pavonem, animal ſuperbum.

* *lib. 4, el. 6.*
† *lib. 2, cap. 14, ſect. 9.*

Atque hæc de Iunone; quæ, ob multiplicem poteſtatem, *Magna* cùm Ovidio dicitur in Faſtis; tum Maroni etiam, à quo & *Maxima* nuncupatur. *Regina* item dicta; quo cognomento templum habuit in XIII Regione; teſte P. Victore. Sed ea appellatio, ſi Romanorum religionem conſideremus, nõ aëri minus, quàm Lunæ, convenit; ut poſtea videbimus.

Ad Lunam etiam pertinet Ilithyia: quippe quæ eadem ſit ac Diana, & Iuno. Ac de Iunone clarè ait Dionyſius Halic. lib. IV Antiq. Εἰλήθυιαν Ρωμαῖοι

Ρωμαῖοι καλοῦσιν Ηραν Φωσφόρον· *Ilithyiam Romani vocant Iunonem Luciferam.* Vbi videmus, non ἁπλῶς dici Iunonem, ſed addi *Luciferam*: quia Iuno nunc Luna eſt; nunc Aer, vel etiam Terra. Hic Lunam ſignari, arguit cognomen. Nam eadem *Diana Lucifera*, & *Iuno Lucifera*: nempe Iuno Lucina, ſive Luna; ut ex Tullii ſecundo de Nat. Deorum antea vidimus. Nec de nihilo eſt, quòd Dionyſius non dicat, Ilithyiam omnibus eſſe Iunonem; ſed Romanis. Quippe apud Romanos, quæ utero laborarent, non tam Dianam invocabant, quàm Iunonem Lucinam. Itaque nunquam legas apud eos, *Diana Ilithyia*; quod tamen haut inſolens Græcis. Ita Orpheus in Hymnis:

Αρτεμις Ειλείθυια, ἁ ἠ σεμνὴ Προθύραια.
Diana Ilithuia, & caſta eadem Prothuræa.

Interim idem eſſe numen videmus Horatio in carmine ſeculari; ubi eadem Diva nunc dicitur *Silvarum potens Diana, lucidum cæli decus*: nunc *Ritè maturos aperire partus Lenis Ilithyia*: nunc *Lucina genitalis, ſiderum regina bicornis Luna.* Clareque idem Plutarchus ait lib. III Sympoſ. probl. I: ubi cum dixiſſet, Lunam ad pariendi facilitatem conferre, ſubjungit: Οθεν οἶμαι καὶ τὴν Αρτεμιν Λοχείαν, καὶ Ειλείθυιαν, ὃν ἔξεστιν ἑτέραν ἢ τὴν Σελήνην, ὠνομάσθαι· *Vnde cenſeo, etiam Dianam Lochiam, ſive partus præſidem, & Ilithyiam; ut quæ non alia ſit à Luna, eſſe nominatam.* Itaque ut Αρτεμις dicitur λυσιζώνη, quemadmodum ex Apollonio, & ſcholiaſte ejus, ſupra vidimus: ita & epitheto hoc ornatur Ilithyia. Theocritus in Encomio Ptolemæi:

Ενθα γὰρ Ειλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον
Αντιγόνας θυγάτηρ βεβαρυμένα ὠδῖνεσσιν·
Hic enim Ilithyiam inclamavit cinguli ſolutricem
Antigonæ filia, graviter affecta partus doloribus.

Sed obſtare his videtur, quòd Pauſanias in Atticis Ilithyiam dicat filiam Iunonis. Idem refert, quomodo ab Hyperboreis venerit in Delum, ut Latonæ adeſſet parienti. Addit, & à Cretenſibus putari filiam Iunonis, in Cnoſſia regione natam. Quam hæc differunt ab eo, ut ſit Diana; quæ Latonæ filia, inque Delo nata perhibetur. Pauſaniæ tamen præivit Pindarus initio Carm. VII Nemeorum:

Ειλείθυια πάρεδρος Μοιρᾶν βαθυφρόνων,
Παῖ μεγαλοθενέος ἄκουσον
Ηρας, γλυκύτερα τέκνων. ἄνευ σέθεν
Οὐ φάος, ἃ μέλαιναν δρακέντες εὐφρόναν
Τεὰν ἀδελφεὰν, ἐλάχομέν
Αγλαόγυον ἥβαν·
Ilithyia, quæ adſides Parcis, profundas cogitationes habentibus,

Filia multipotentis audi
Iunonis, genetrix liberorum. Sine te
Non lucem, non nigram intuiti noctem,
Tuam sororem, sortiti sumus
Pulchrimembrem pubertatem.

Imò & Hesiodus similiter in Theogonia : ubi de Iunone inquit ;

Η δ' Ηβλω, & Αρηα, κ) Ειλείθυιαν ἔτικλεν.
Illâ sunt Hebe, Mars, Ilithyaque, nati.

Favet quoque Homerus Il.π : ubi multas facit Ilithyias, easque μογοστόκους vocat, q. d. circa partum laborantes, sive partus dolorem levantes : atque addit, Ηρας θυγατέρας, *filias Iunonis.* Verùm qui Ilithyiam dicunt Dianam, sive Lunam, non pugnant cum illis, qui Iunonis faciunt filiam ; sive Luna hic per Iunonem intelligatur, sive aer. Siquidem Luna non agit in parientes ἀμέσως * : sed in aera, qui moderato calore relaxat corporis meatus, quod parturientibus conducit. Aliis igitur Luna ipsa partus dolores levat : aliis verò hoc præstat Lunæ filia, sive effectus lunaris ; qui est remissio, sive relaxatio humorum, per quam partum reddi faciliorem dicebamus.

* immediate.

Numen nomenque Ilithyiæ accepere Romani à Græcis : ut videre est ex scriptoribus Græcis, quos adduximus. Propterea vir summus Conjectaneis in Varronem Ειλήθυιαν dictam censet ἀπὸ τὸ ἐλθεῖν †. Nempe uti Grammatici *Venerem* à *veniendo* dictam putarunt. Atque idem *Ilithyia* ait ad verbum sonare *Venilia* : quæ tamen, ut fatetur, aliud notat ; nempe, uti ex Varrone in glossis Isidori refertur, exæstuationem maris versus litus, sive maris accessum quotidianum : uti *Salacia* est ea, quæ salum versus fit ; hoc est, quotidianus maris recessus ; qui posterioribus *Liduna*, ut Salacia *Malina*. De *Venilia* non repugno : sed *Ilithyiæ* etymon ex Oriente petendum. Est enim ab ילד ieled, hoc est, *partus, proles, puer*, vel *puella*. Vti hoc ab ילד, quod tum de viris dicitur, & notat *genuit* : tum de mulieribus, & significat *peperit*. Itaque & Græci *Ilithyiam* pro partu ipso dixere : ut Oppianus Αλιευτικῶν Α † : ubi non mulieribus modò, sed etiam piscium sexui femineo, partus ait esse difficiles :

‡ à veniendo.

† vers. 485.

— Οὐδ' ἄρα μοῦνον ὀπιχθονίῃσι γυναιξὶν
Αλγεα, πάντῃ δ' εἰσὶν ἐπαχθέες Ειλείθυιαι.
— *Neque solùm mulieribus in terra degentibus*
Dolores, sed ubique difficiles sunt partus.

Etiam inter cognomenta Iunonis est *Fluonia*, quæ sanguini præerat menstruali. Festus : *Fluoniam Iunonem mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.* Hanc Lunam esse, indicat καθαμλωίων, sive

ſive menſtruorum appellatio. Imò Diva hæc non alia videtur, quàm *Mena* : quæ ſine dubio eſt Μήνη ſive Luna. Hoc enim ſidus in humores imperium habet. Meminit Auguſtinus lib. IV de Civ. cap. XI, ac pluribus lib. VII, cap. II : *Dea Mena menſtruis fluoribus præeſt, quamvis Iovis filia, tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menſtruorum in libro Selectorum Deorum ipſi Iunoni idem auctor* (Varro) *adſignat, quæ in Diis Selectis etiam regina eſt : & hic tanquam Iuno Lucina cum eadem Mena, privigna ſua, eidem cruori præſidet.* Culpat B. Auguſtinus in Varrone inconſtantiam, quòd Menam ſive Fluoniam nunc dicat eſſe Iunonem, quæ regina eſt, Iovis ſoror, & conjux : nunc eandem dicat Iovis filiam, Iunonis privignam. Sed poſſunt iſta conciliari ex Theologia gentium naturali, ſi cogitemus, diverſimode Iunonis nomen accipi. Nam quando per eam ſola intelligitur Luna, quomodo uſitatius *Diana* vocatur, eſt ea Iovis, hoc eſt Cæli filia : quippe ſidera omnia, in quibus Sol, & Luna, principatum tenent, cenſentur partes corporis ætherei, quod per Iovem intelligitur : ut Sol Lunaque ejus velut proles habeantur. At cum Iuno dicitur Iovis ſoror, & conjux ; omnino, uti per *Iovem*, Cœlum : ita per *Iunonem* aer, vel terra intelligitur : aut per *Iovem* quidem Sol cum Cælo : per *Iunonem* autem Luna cum aëre, & quandoque etiam cum terra ipſa deſignatur. Atqui Sol agit in Lunam, æther in aera & terram ; ſuntque hæ diverſæ ejuſdem naturæ partes : ut nihil prohibeat, quo minus inter ea κατὰ μεταφοράν ſororium eſſe connubium dicatur.

Nec *Levana* eſſe alia, quàm Ilithyia, vel Iuno Lucina videtur. Hebræis quidem לְבָנָה eſt *Luna*. Parturientium nempe Dea fuerit : à qua opinione non multum abeunt, qui naſcentium faciunt Deam. Eò impulit illos, quòd *Levana* ad *levandi* vocem accederet. Quare ita dictam putarunt, quod præeſſet recens natis, quando de terra levarentur : ut eſt apud B. Auguſtinum lib. IV de Civit. Dei cap. XI.

CAPVT XXVII.

Cererem etiam esse Lunam, sed cum hac frugiferam vim Terræ comprehendi. Rheæ quoque nomine utramque signari. Etiam Suadam eo referri, & quam ejus rei caussam existimemus. Idemque de Bellona ostensum. Cur Hercules Iunonis filius perhibeatur. Venus Εγχειος *Cypriorum. Quàm variè spectetur Venus: & ut ad Lunam quoque referatur. Festum* ὑβριστικῶν. *Latiùs patêre Veneris numen, quàm Iunonis. Pellicis pœna, ex lege Numæ.* Veneris *nomen temporibus Numæ ignotum Latio, & ejus rei ratio.* Socrus *pro* socer. *Vnde dicta* Αφροδίτη, *secundùm Aristotelem: & cur fingatur orta è prolibus Cœli in mare conjectis. Venus* Ποντία, Λιμενία, Επιποντία, Πελαγία. *Cur Isidem Ægyptii dixerint navigio vehi. Lunam ut generationis, sic corruptionis esse caussam: eoque funeribus præfectam nomine* Veneris Libitinæ; *sive Græcis,* Αφροδίτης Επιτυμβίας. *Ritus triplex nummum deferendi, aliquo nascente, togam adsumente virilem aut moriente. Ita è Libitinariis constitisse numerum defunctorum. Libitinam eandem videri, ac Proserpinam.*

CEres quoque eadem, ac Luna; sed non simpliciter. Nam Lunæ numen est merum: Cereris mixtum; quia non in Luna consistitur, sed inferior natura comprehenditur. Quippe Ceres est natura humanæ productrix alimoniæ, ac frugum imprimis. Vis ea frugifera est ab Luna in Terra: ut minimùm duplex numen concurrat; Lunæ, à quo vis ea diffunditur; & Terræ, quo eadem recipitur. Pari nempe ratione, ac totam rerum naturam, quatenus almæ matris nomine signatur, Isidis appellatione denotabant, ac præcipuè Lunam, Terramque. Hinc apud Appulejũ in XI, eadem diva dicitur, tum *Regina cæli*, quod non alteri, quàm Lunæ, tribuere possumus; tum *Ceres alma, frugum parens originalis.* Sed hæc pleniùs postea explicabimus. Nunc contentus ero illustri loco Servii in illud I Georg.

— Vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres.

Stoici dicunt, non esse nisi unum deum, & unam eandem esse potestatem; quæ, pro ratione officiorum nostrorum, variis nominibus appellatur. Vnde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant. Item Lunam, eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Iunonem, eandem Proserpinam dicunt: secundùm quos, pro Sole, & Luna, Liberum, & Cererem invocavit.*

* *Ita Servius P. Danielis. In vet. cod. post* unam *additur* Deam.

Rheæ quoque, sive Opis, seu matris Deûm, mixtum est numen: ut Lunam, Telluremque comprehendat. Quod indicat ille locus Ovidii de Ponto lib. I, Eleg. I:

Ante

Ante DEVM MATREM *cornu tibicen adunco*
Cùm canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?
Scimus ab imperio fieri nil tale DIANÆ.
Vnde tamen vivat vaticinator habet.

Nempe Phrygum, & Epheſiorum, unum erat numen; utcunque nomine differrent; illud Rhea, hoc Diana diceretur; ac Græci per illud potiùs intelligerent Tellurem, per hoc Lunam.

Quid quod etiam Pitho, ſive Suada, ad Lunam reducitur? Vnde inter cognomenta Dianæ fuit. Pauſanias in Corinthiacis: Εςι δὲ τὸ τῆς Αρτέμιδος ἱερὸν, ἐπίκλησιν Πειθοῦς· Υπερμνήςρα δὲ τοῦτο ἀνέθηκε, νικήσασα τῇ δίκῃ τὸν πατέρα, ἣν τοῦ Λυγκέως ἕνεκα ἔφυγε· *Eſt ibi templum Dianæ cognomine Suadæ. Et hoc exſtruxit Hypermneſtra, cum patrem viciſſet in judicio, rea ab eo acta, quia Lynceo pepercisſet.* Cauſſam cogitanti in mentem venit, Hypermneſtram fuiſſe Ægyptiam: quippe filiam Danai, qui in Ægypto regnavit, cumque quinquaginta filiabus Argos profugit. Secuta igitur fuit religionem patriam. Ægyptii enim, quemadmodum ſuperiùs * dictum, uti Herculem, hoc eſt, Violentiam, in fervido ac maſculo Solis ſidere; ita Mercurium, hoc eſt, Facundiam, in molli & muliebri ſidere Lunæ collocabant. * cap. 24.

Sed novum ecce ſcrupulum. Adverſari enim commento huic noſtro videtur; quod ad Lunam etiam referatur Ενυὼ, ſive Bellona. Siquidem Appulejus in XI Met. eandem facit Dianam, Iunonem, Venerem, & Bellonam. Sed neque hîc deerat gentibus, quod prætexerent. Poterant enim dicere, bellum eſſe ab ira: hanc eſſe animi impotentiam: illi minimùm æquè obnoxias eſſe feminas, ac mares: bellicam igitur poteſtatem convenienter ſtatui partim Dei maris, partim feminæ: præfectum proinde bello non ſolùm Αρὴν, ſive Martem, ſed etiam Ενυὼ, ſive Bellonam. At Mars ad Solem reducitur; ut antea oſtendimus. Quare Ενυὼ ſive Bellona ad Lunam pertinebit. Et ſanè aer, in quem ingens eſt Lunæ vis, valde animos immutat, nunc timorem, nunc fiduciam afferendo. Vnde Orpheus in Argonauticis:

Δεῖμα δ' ἐνὶ φρένα θῆκε θεὰ λευκώλενος Ηρη·
Terrorem incuſſit menti pulcherrima Iuno.

Et quò, niſi ad Lunæ vires, reſpexere, cùm Iunoni filiũ tribuunt Martem? Quò pertinet illud Heſiodi †, ſuperiori etiam capite adductum nobis: † in Theogonia.

Η δ' Ηβὴν, δὲ Αρηα, καὶ Ειλήθυιαν ἔτικτεν.
Illâ ſunt Hebe, Mars, Ilithyaque, nati.

Veriſimilius ſaltem hoc, quàm quòd Tzetzæ viſum, eo Iunonis filium dici, quia bella ſoleant pro locis ſuſcipi ſalubribus. Eodem pertinet, quòd Iuno, quia haſtigera, *Curitis* diceretur; uti antea dictum. Valdeque

que verisimile est, similiter effictam Cypriis. Nam & ipsa Εγχειος vocata: unde autem, nisi quia Græcis *hasta* sit ἔγχος, ἐγχεία, vel ἐγχείη. De Venere firmat Hesychius: Εγχειος, Αφροδίτη, Κύπριοι· *Enchios, Venus, Cypriis.*

Quid mirum autem, quando & Venus est Luna? Sanè Græci, Romanique, non pauca de Venere retinuere ex Orientis theologia, unde eluceat, primitus eandem fuisse ac Lunæ sidus. Nec tamen semper hæc per Venerem intelligitur. Bifariam enim Venus consideratur; ut corpus est, & ut accidens. Priori modo vel corpus est æthereum, vel sublunare. Æthereum vel Luna intelligitur, vel Lucifer sive Hesperus. Sublunare autem est Tellus. Accidens, quod Veneris nomine signatur, vel qualitas est, puta vis, sive facultas generandi: vel actio, puta generatio ipsa; uti mistura maris, & feminæ. Quæ ostendunt, non uno nobis loco de Venere esse dicendum. Nunc de ea agemus, quatenus est Luna; prout spectarunt Athenienses, ac Lacedæmonii. De Atheniensibus auctor nobis Macrobius Saturnal. lib. III, cap. VIII: *Philochorus quoque in Atthide eandem* (Venerem) *affirmat esse Lunam: & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili.* Loquitur de festo ὑβριστικῶν *: ut liquet ex iis, quæ hoc de festo Plutarchus refert libro de Virtut. Mul. & Poliænus lib. VIII. De Lacedæmoniis itidem testem habemus Pausaniam in Laconicis: Ξόανον δὲ ἀρχαῖον καλοῦσιν Αφροδίτης Ηρας· ὀπὶ δὲ θυγατρὶ γαμουμένῃ νενομίκασι τὰς μητέρας τῇ θεῷ θύειν. *Operis antiqui signum ligneum Veneris Iunonis appellant. Cui pro filiarum nuptiis sacra facere matres est sollemne.* Vbi Veneris, ac Iunonis appellationes conjungi videmus: quia etsi & Venus, & Iuno, Luna sit, eoque generationi utraque præsit: laxiùs tamen Veneris pateat nomen, quàm Iunonis. Nam illam extendêre ad quosvis concubitus: hanc solùm præfecerunt conjugũ misturæ. Hinc Ovidius epistolâ Hypsipyles:

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Iuno
Adfuit. —

Itaque non Venus, sed Iuno, infesta erat pellicibus. Vnde lex Numæ †: *Pellex ædem Iunonis ne tagito* *: *si taget, Iunoni agnam feminam crinibus demissis cædito.* Imò Numæ temporibus Veneris nomen necdum notum erat Romæ. Vnde (ut Cincius tradidit eo libro, quem de Fastis reliquit) *ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cælestium, laus celebrata.* Testis Macrobius lib. I Sat. cap. XII: atque addit: *Cincio etiam Varro consentit, affirmans, nomen Veneris, ne sub Regibus quidem, apud Romanos, vel Latinum, vel Græcum, fuisse.* Hujus rei rationem adscripsero prudentiæ regis Numæ: qui nullum agnosceret concubitus numen, nisi legitimi, cui Iuno præesset. Nam, ut constat ex Dionysii Antiquitatum lib. II, Romulus, & Numa, haut admisere Græcorum fabulas de commerciis immortalium cum

* *petulantium.*

† *apud Festum in* Pellex, *& Iulium Paullum ex Granii Flacci libro de jure Papiriano, De Verbor. Signif. cap.* 144. *Ravardum sis adi lib. de Auctoritate Prudentum cap.* 1.

* *sic legendum pro* Tangito: *& mox* Taget, *pro* Tanget. *Vide Festum in* Tagit.

cum mortalibus, quibus homines ad fœdam possent libidinem concitari. Postea tamen eam recepere Romani; sed alieno exemplo. Nam nomen non esse Romanum, terminatio ipsa in VS indicio est. Scio, & *socrus* esse muliebre: sed hoc olim primitus quoque virile erat: unde Attius Atreo *:

— *Simul & præmia*
Pisæa † *arrepta à socru possedit suo.*

* apud Prisc. lib. 6.

† Sic versus dirigendus: pro quo vulgo Pisæa præmia.

Censeo autem, *Veneris* nomen esse ab Hethruscis: eos accepisse ab Oriente; venireque, non quidem à יח *Chen*, quo quandoque *gratia formæ* ac *venustas* denotatur; sed ex eo, quòd Assyriis tabernacula, in quibus Veneri virgines dicarentur, nomen haberent *sucoth benoth*, A *benot* enim *Benos*, seu *Venos* fuerit; uti superiùs ‡ diximus.

‡ cap. 22.

Græcis hæc diva vocatur Αφροδίτη, sive Αφρογένεια. Sed nomen id non convenit Lunæ, vel vi generatrici, quatenus hæc Lunæ inest: sed potiùs naturæ inferiori, ut cælitus obtinenti vim generandi. Græcæ enim illæ appellationes ex eo sunt, quia semen sit ἀφρώδες *: quam rationem adfert Aristoteles in secundo de Generatione animalium cap. secundo. Vnde fabula de testiculis Cæli abscissis, inque mare projectis, ac natâ inde Venere, quæ ex eo dicta sit ἀλιγενὴς, sive *Saligena*. Hæc Lunæ non competunt: quam marino quidem vapore pasci, uti & sidera alia, veteres ‡ crediderunt: at nemo è spuma maris natam putavit. Venus igitur istic est vis generatrix inferioris naturæ: per testiculos Cæli signatur, virtutem eam cælitus provenire: per mare notatur natura humida, & instar maris spumosa. Sed nihil impedit, quo minus Lunam ipsam intelligamus, quando Venus dicitur Πόντια sive *marina*: quod cognomen ejus apud Phurnutum, & Pausaniam in Corinthiacis: ubi & Λιμενία vocatur, quasi *Portunam* dixeris. Similéque Επιποντία apud Hesychium, & Phavorinum; ac Πελαγία, sive *Marina* †, apud Artemidorum lib. 11, cap. xxxv *. Hanc Artemidorus bonam ait gubernatoribus, & navigantibus. Nempe propter imperium, quod Luna habet in mare: de quo satis diximus cap. XIX. Πελαγία igitur dicta sit Venus, uti Isis: quæ sine dubio Luna, ut ostendimus cap. XXIV. Imò Ægyptii, Plutarcho ‡ teste, finxere Isidem navigio vehi: credo ob humidam Lunæ naturã: vel potiùs, quia luna corniculata navigium refert. Eoque & videtur Isis signari per numẽ Thebæum, cui Sesostris navem cedrinam ac inauratam cubitorum CCLXXX dedicavit: ut est apud Diodorum in primo. Valde etiam hæc firmantur eo, quod Appulejus in XI eandem facit Dictynnam, Dianam, Iunonem, Paphiam Venerem, & Isidem reginã.

* spumosum.

‡ Plin. lib. 2, cap. 9. Theon apud Plutarch. Rutil. lib. 1 Itiner. Servius in 1 Æneid. &c. unde Oceanum, ac Tethyn, nutrices suas vocat Iliad. ξ.

† ut Horatius nominat od. 26, lib. 2, & 2, lib. 4.

* sect. de Venere.

‡ lib. de Iside & Osir.

Porrò non Luna solùm generationis caussa est; sed etiam corruptionis. Quippe unius compositi substantialis productio semper est conjuncta cum alterius vel totius, vel ex parte saltem, corruptione: ac vicissim unius

compositæ substantiæ corruptio semper habet adnexam alterius vel generationem, vel aggenerationem. Vtcunque igitur natura per se generationem intendat; quia tamen eadem corruptioni est subjecta, nonnisi intercedente corruptione consequi potest generationem. Qua mente verissimum est, unius generationem esse alterius corruptionem: uti est apud Aristotelem lib. III φυσικῆς ἀκροάσεως cap. VIII, text. LXXIII, & lib. I de Generat. & Corrupt. cap. III, text. XVII, & XX, item lib. XII Metaph. cap. II, text. VII. Vnde liquet, Venerem tum principio vitæ præfuisse, tum fini. Sed cum prius consideraretur, dicebatur *Diana*, vel *Iuno Lucina*, vel *Alma Venus*, & similibus modis. Quatenus autem præfecta erat morti, & mortualibus, uti curæ sepulcrali, vocitata est *Venus* ἐπιτυμβία, vel *Libitina Venus*, aut simpliciter *Libitina*. Quærit itaque Plutarchus in Caussis: Διὰ τὶ τὰ πρὸς τὰς ταφὰς πιφράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει τῆ Λιβιτίνης; νομίζοντες Ἀφροδίτην εἶναι τὴν Λιβιτίνην. *Quare, quæ ad sepulchra pertinent, divendunt in æde Libitinæ, Libitinam nihil aliud existimantes, quàm Venerem?* Postea inter alia subdit: Καὶ ἐν Δελφοῖς Ἀφροδίτης ἐπιτυμβίας ἀγαλμάτιόν ἐστι, πρὸς ὃ τὰς καλουμένας ἐπὶ τὰς χοὰς ἀνακαλοῦνται· *Nam & Delphis est Veneris Epitymbiæ imaguncula: ad quam, dum libant, manes evocant defunctorum.* Refert Dionysius Halicarnass. lib. IV, ex instituto Servii Tullii, nascente aliquo, nummum inferri solere in ærarium Iunonis Lucinæ: quopiam item virilem togam assumente, nummum fuisse delatum in Iuventutis: moriente autem aliquo, nummum à propinquis illatum εἰς τὸ Ἀφροδίτης θησαυρὸν ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ὃν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην· *in ærarium Veneris in luco situm, quam Libitinam appellant.* Postea tamen consuetudo illa inferendi nummi desiisse videtur: nec enim ullus ejus scriptor meminit: sed mortuorum numerus cognoscebatur ex Libitinariis, hoc est, iis, qui curandis funeribus præessent. Vnde Suetonius in Nerone cap. XCIII: *Pestilentia unius autumni, qua triginta funerum milia in rationem Libitinæ venerunt.* Plura de hoc hominum genere si voles, adi eruditissimum Kirchmannum lib. I de Funeribus Romanis cap. IX.

Cæterùm jam olim dubitatum, utrùm hæc Libitina rectiùs statueretur Venus, an Proserpina. Quod ita esse, docet nos Plutarchus in Numa: ubi narrat, ut rex hic docuerit etiam colere Deos inferos, ἐξαιρέτως δὲ τὸν προσαγορευομένην Λιβιτίναν, ἐπίσκοπον τῆς περὶ τὰς ἐνήσεις ὁσίων θεὸν ἔθεν. εἴτε Περσεφόνην, εἴτε μᾶλλον, ὡς οἱ λογιώτατοι Ρωμαίων ὑπολαμβάνουσιν, Ἀφροδίτην· ἃ κακῶς εἰς μίαν δύναμιν θεᾶς τὰ περὶ τὰς ἐνήσεις καὶ τὰς τελετὰς ἀνάπτοντες. *præcipuè illam nomine Libitinam, Deam præsidem eorum, quæ defunctis justa fiunt; sive ea Proserpina est; sive, ut Romanorum eruditissimi arbitrantur, Venus sit; haut malè uni numinis virtuti, ea quæ ad ortum, & finem pertinent, adscribentes.*

Verum

Verum opiniones istæ doctissimorum virorum de Libitina, utcumque diversæ etiam Plutarcho visæ sint, probè tamen conveniunt: quia Venus Libitina eadem est ac Proserpina, & Hecate: quod ut liqueat, deinceps de Proserpina, ac Hecate, dicemus.

CAPVT XXVIII.

Proserpinæ nomen unde. Eadem Φερέφατλα, & Χειρογονία, *ac hujusce ratio nominis. Per eam intelligi Lunam, sed inferis lucentem.* Περσεφόνης ἔτυμον. *Æschylus, sed è poetis primus, Dianam, non Latonæ, sed Cereris filiam, dixit: ut Diana ei eadem, ac Proserpina, videatur. Quo pacto & Ceres, & Proserpina, ad Lunam referantur, & cur Manibus præfectæ. Animæ corpori nubentis antistes Luna; corpore excedentis, Proserpina. Cur animis, & Lunæ, ac Cereris ministris,* Apum *sit nomen datum, & Proserpinæ nomen* Melitodis. *Rejecta Theocriti scholiastæ opinio, existimantis* Melitodem, & Coran, *per ἀντίφρασιν sic vocari. Cur Proserpina dicatur* Libera, *vel* Cora; *Bacchus item* Liber. *Quo respexerint, qui cùm eadem sit Proserpina, ac Diana, Dianam tamen Latonæ, Proserpinam autem alii Stygis filiam dixerint, alii Cereris.*

VIdimus antea ‡ de Proserpina, quatenus ad historiam pertinet. Nam Aidoneus, rex Molossorum, ut uxorem suam dixit Δήμητρα, sive Cererem; sic filiam Περσεφόνην, seu Proserpinam; canem item Κέρβερον vocavit: quemadmodum est apud Plutarchum in Theseo. Nunc de eadem agimus, non quatenus ad historiam pertinet, sed ad naturam. Propriè enim Proserpina numen est naturale, factumque vocabulum ex Græco Περσεφόνη, ἢ μελάθεσιν *: ut Tullii est opinio in secundo de Nat. Deorum: verisimilior sanè, quàm illa Varronis in IV de L. L. ubi Lunam à *proserpendo* dici ait *Proserpinam, quod, ut serpens modò in dextram partem, modò in sinistram, latè vagetur.*

‡ *lib. I, cap. 19.*

* *per literarum trajectionem.*

Aliter Græcis dicta est Φερέφατλα: unde sacrum apud Cyzicenos Φερεφάτλια: de quibus Plutarchus in Lucullo, & Appianus in bellis Mithridaticis.

Vocata quoque Χειρογονία. Hesychius: Χειρογονία, ἡ Περσεφόνη. Quasi novè dixerim, *Manugenuam.* De caussa nominis, silent, quos vidi. Sed censeo inde esse, quod Proserpina sive Diana, vel Iuno, sit partus præses; ac obstetrix, quæ Afranio *adsestrix*, adsideat genibus parturientis, manus iis admovens, quibus parata sit fœtum excipere.

Cùm autem partui præsideat Diana, atque ea sit Luna; planè censeo, Χειρογονίαν, sive Proserpinam, esse Lunam. Deque Proserpina idem indicat Varro lib. IV de L. L. *Hinc* (Lunam) *Epicharmus Ennî Proserpinam*

quoque appellat, quod solet esse sub terris. Significat, Lunam esse Proserpinam; sed tum propriè, cùm Luna sub nostro est hemisphærio. Servius in III Æn. cum narrâsset, ut Latona pepererit priùs Dianam, postea Apollinem; de priori subjungit: *Hæc namque est Diana, Iuno, Proserpina.* Ac pluribus idem in initium Georg. Verba superiùs, de Cerere agentes, adduximus. Mart. Capella lib. II de Nupt. Philol. *Hæc omnis aëris à luna diffusio sub Plutonis potestate consistit: qui etiam Sumanus dicitur, quasi summus manium. Hic Luna, quæ huic aëri propior est, Proserpina memoratur.* Vbi abit ab iis, quibus placet, Lunam, quando est apud Antipodas, *Proserpinam* vocari. Interim *Proserpinam* eandem esse, ac *Lunam*, agnoscit. Vti & Fulgentius Μυθολογικῶν lib. II: *Ideo voluerunt, Lunam etiam ipsam apud inferos Proserpinam dici, seu quòd nocte luceat, sed quòd humilior currat, & terris præsit.*

Hoc, ut alia fere, hausere Latini à Græcis. Nam similiter Onomacritus in hymnis, sive Initiis potiùs, sub Orphei nomine editis: ubi primùm quidem sic Proserpinam compellat:

Περσεφόνη, θυγάτερ μεγάλου Διὸς, ἔλθε μάκαιρα.
Proserpina, filia magni Iovis, veni beata.

Postea verò his verbis affatur, quæ liquidò Lunam esse designant:

Ὡρῶν συμπλέκτειρα, φαεσφόρε, ἀγλαόμορφε,
Ευφεγγὲς, κερόεσσα.
Temporum contextrix, lucifera, excellens formâ,
Bene lucens, cornuta.

Ibidem sic compellat:

Πλούτωνος πολύτιμε δάμαρ, κεδνὴ, βιοδῶτι·
Plutonis honoranda uxor, inclyta, vitæ datrix.

Vbi cur βιοδῶτιν appellet, liquet: ac quia, ut vidimus, Luna & generat, & corrumpit; subdit postea Onomacritus:

Ζωὴ καὶ θάνατος μούνη θνητοῖς πολυμόχθοις
Φερσεφόνεια. φέρεις γὰρ ἀεὶ, καὶ πάντα φονεύεις.
Vita, & mors sola, mortalibus multi laboris,
Proserpina. fers enim semper, & omnia occidis.

* vastare.
† occidere.

Ac videtur hic ad nomen Divæ allusisse. Nam πέρθειν * idem ac φονεύειν †. Dicta autem Περσεφόνη, sive Περσεφόνεια, διὰ τὸ πάντα πέρθειν τῷ φόνῳ· *quia omnia vastet cæde.*

Apud Herodotum quoque in Euterpe legas, Apollinem Ægyptiis esse Orum, Cererem esse Isidem, Dianam verò Bubastin. Subjicit deinde: Ἐκ τούτου δὲ τῶν λόγου, καὶ οὐδενὸς ἄλλου, Αἰσχυλος ὁ Ευφορίωνος ἥρπασε τὸ ἐγὼ φράσω, μοῦνος δὲ ποιητέων τῶν προγενομένων. ἐποίησε γὰρ Αρτεμιν εἶναι θυγατέρα Δήμητρος, τὴν δὲ νῆσον, διὰ τοῦτο γενέσθαι πλωτήν. *Atque hinc, non aliunde, arripuit, quod dicam,*

Æschy-

Æschylus, Euphorionis filius, solus poetarum superioris ætatis. Statuit enim, Dianam esse Cereris filiam, ac propterea insulam esse natantem redditam. Si verbis solùm, non sententiâ totâ, abit à Græcis suis Æschylus: hinc Dianam esse eandem, ac Proserpinam, consequitur: quia ait, Dianam Æschylo esse filiam Cereris. Ejus enim filiam esse Proserpinam, satis convenit inter Græcos.

Sed quod Proserpina dicitur Cereris filia, non eodem modo intelligitur. Ceres enim nunc supera intelligitur Luna, quæ nos illuminat: nunc infera, quæ lucet antipodibus vel Manibus. Si Ceres est Luna supera; filia ejus erit Proserpina, quia ex Luna supera fiat infera. Nam etiam cùm particula *ex* solam notat consequentiam, id quod ex aliquo fit, subinde ejus proles Theologis gentium dicitur: ut ex Hesiodi Θεογονίας multis elucet locis. Sin Ceres est Luna infera, hoc est ea, quæ sub pedibus nostris lumen præbet Stygi; Proserpina ejus filia fuerit lumen Lunare, illustrans illos, qui terras incolunt pedibus nostris adversas. Seu hoc, seu illo modo, acceperis; & Ceres, & Proserpina, ad Lunam reducentur. Sed posteriori ratione meliùs videmus, quo pacto tam Ceres, quàm Proserpina, inferæ habeantur Deæ, maniumque præstites, hoc est, animarum; non ἁπλῶς quidem (nam priusquam se corpori insinuarunt, Luna iis præfecta) sed demum, ubi corporibus excesserint. Nempe bifariam animas spectabant: quatenus cælitus immittuntur corporibus; quod Lunæ beneficium habebatur, quia generationi præest: & quatenus corporibus solutæ ad inferos concedunt; quopacto Lunæ inferæ, hoc est, Cereri, & filiæ Proserpinæ, in eas potestas credita est. Animæ verò plerisque gentium Theologis dictæ μέλισσαι, sive *apes*, ob dulcedinem vitæ: ac propterea Luna quoque *apis* vocata, quia animas immitteret: quippe, ut dixi, generationis antistita: imò & Cereris, hoc est, Lunæ inferæ, manium præsidis, ministræ, quæ non aliæ, quàm Manes, itidem sunt *apes* vocatæ: & Proserpina quoque, quæ vel ipsa Ceres, Luna infera, vel ejus effectus, vis inferas illuminans plagas, *Mellea* similiter dicebatur: nempe quia apiculis illis, hoc est, Manibus, præesset. Hæc parùm vulgo sunt cognita. Vt igitur pleniùs gentium opinio innotescat, non abs re erit firmare illa Porphyrii verbis è libro de Nympharum antro; ubi sic scribit: Πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεῖα ταῖς ὑδριάσι νύμφαις· καὶ ἔτι γε μᾶλλον νύμφαις τῶν ψυχαῖς, ἃς ἰδίως μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν, ἡδονῆς οὔσας ἐργαστικάς. ὅθεν καὶ ὁ Σοφοκλῆς οὐκ ἀνοικείως τῶν ψυχῶν ἔφη,

Βομβεῖ δὲ νεκρῶν σμῆνος, ἔρχεται τ' ἄλλῃ*.

Καὶ τὰς Δήμητρος ἱερείας, ὡς τῆς Χθονίας θεᾶς μύστιδας, μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν· αὐτήν τε τὴν κόρην μελιτώδη. σελήνην τε οὖσαν γενέσεως προστατίδα, μέλισσαν ἐκάλουν. *Fontes verò, & flumina, Nymphis aquaticis propria sunt, ac multò magis*

* *Puto, scribendum,* ἄλλῃ τ' ἔρχεται: *ne* σκάζων *fiat. Nisi verba hæc tollenda; quæ & in tralatione sua præteriisse video Gesnerum.*

*nymphis animis, quas propriè veteres Apes dixere; quia voluptatem pariant. Vnde & Sophocles non impropriè de animis dixit, Mortuorum examen edit bombum, atque aliò venit. Imò & Cereris sacerdotes, velut inferæ * Deæ antistitas, Apes dixere veteres, & filiam ejus Proserpinam, Melleam. Lunam verò, generationis præsidem, Apem nuncuparunt.* Pluraque inibi in hanc mentem.

* *Sic χθονίας vocabulum sumi videtur: ut Pluto, & alii χθόνιοι, hoc est, καταχθόνιοι, vel ὑποχθόνιοι.*

Quod verò Porphyrius ait Proserpinam dictam Μελετώδη, *Melleam*: id factum videmus à Theocrito, Idyllio xv, quod inscribitur *Adonia celebrantes*:

Μὴ φυῇ, Μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν κάρτερος εἴη·
Fortior haut nobis nascatur, Mellea, quisquam.

Vbi sic scholiastes: ἀντὶ τοῦ, Μηδεὶς γένοιτο, ὦ Περσεφόνη, ἄλλος ἡμῶν κύριος· μελιτώδη δὲ τὴν Περσεφόνην φησὶ κατ' ἀντίφρασιν, ὡς καὶ Κόρην· διὰ τὸ τὰς ἑταίρας αὐτῆς, καὶ τῆς Δήμητρος, μέλισσας λέγεσθαι· *Pro illo, Nequis oriatur, ô Proserpina, alius nostri dominus.* MELLEAM *verò vocat Proserpinam per antiphrasin, ut &* CORENN: *propterea quod ejus amicæ, & Cereris,* APES *dicantur.* Sed Antiphrasis ineptum est Grammaticorum commentum, nec aliud quàm inscitiæ asylum: de quo in Institut. Orat. † satis diximus. Vera autem ratio, cur Μελιτώδης, hoc est, *Mellea* vel *Mellita* vocetur, ea est, quam attulimus è Porphyrio: ac firmantur hæc eo, quod scholiastes ipse Theocriti agnoscat, amicas Proserpinæ, ac Cereris, dici μελίττας, sive *Apes*. Nam illæ amicæ, vel ministræ utriusque divæ, haut aliæ sunt, quàm defunctorum animæ. Nec Proserpina κατ' ἀντίφρασιν Κόρη, quia nupta Plutoni: sed propriè, quia filia Cereris. Nam id hoc loco Κόρη, θυγάτηρ *: ut κόρος, παῖς, υἱός ‡. Ac similiter Bacchus, Latinis *Liber*; Proserpina, *Libera*: unde Minucius Felix in Octavio: *Ceres, facibus accensis, & serpente circumdata, subreptam Liberam anxia & sollicita vestigat.* Arnobius lib. v: *Parit mensem post decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens, modò Liberam, modò Proserpinam nominavit.* Ac, ut gentiles ipsos adducam: Livii est lib. III: *Familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret.* Et Taciti lib. II Annal. *Libero, Liberæque, & Cereri, juxta Circum Max.* Vbi videmus, cum matre jungi liberos: qui quia liberi ejus, eo Liberi, Liberæque nomine nuncupati. Vide, quæ diximus libri primi de Analogia cap. XLII. Luna igitur, cum inferos illuminat, *Libera* est; ut Sol, quando inferis lucet, *Liber* vocatur: quemadmodum ex Macrobio dixi cap. XIV. At quomodo Libera, hoc est Luna infera, quæ & Proserpina, soror est Solis inferi, si ambo sint liberi, hoc est, filius filiaque Cereris, sive Lunæ? Quo pacto enim Sol seu inferus, seu superus, Lunæ proles dici queat? Huic sic occurrimus, *Liberum* nunc dici Solem inferum, sive Antipodum; quo pacto Liber Cereris, hoc est, Lunæ filius dici nequit: nunc vocari sic vim Lunarem terrâ receptam, qua vinum procreatur; eoque intuitu Liberum Cereris seu

† *lib. 4, cap. 13, sect. 11.*

* *Kore*, filia.
‡ *Koros*, puer, filius.

Lunæ

Lunæ filium, Liberæ seu Proserpinæ, hoc est, virtutis frugiferæ, quæ à Luna est in Tellure, sororem nuncupari. Atque huc spectarunt, qui primi ista tradidere: sed libera poetarum gens miscuit nobis, pro gentibus variis, variè conceptas, traditasque opiniones.

Sed aliud etiam adversus ea, quæ diximus, objectant viri eruditi; non posse eandem esse Proserpinam, ac Dianam; quia hæc filia sit Iovis ex Latona; illa Iovis ex Cerere; ut Hesiodus ait in Theogonia; vel ex Styge, ut Apollodoro traditum in primo bibliothecæ. Sed validum hoc foret, si propriè *filii*, vel *filiæ* nomen caperetur. Nunc sumitur translatè: de quo vocis ejus usu diximus cap. xxv. Hinc est, quòd pro diversa consideratione diversa est originatio. Diana, hoc est, Lunæ superius hemisphærium illuminantis, mater est Latona, hoc est, chaos, sive prima omnium materies: quæ cur Latona sit vocata, superiùs * exposuimus. Proserpina autem, quæ Luna est inferius hemisphærium illustrans, genita dicitur ex Styge; quia Styx est apud inferos; ubi Proserpina, Stygis illuminatrix, dominium est adepta: unde Onomacrito vocatur ‡,

— ὑπὸχθονίων βασίλεια·

— *sub terris degentium regina.*

At quibus Proserpina est Cereris filia, hi nomine Proserpinæ intelligunt semina segetis; quæ à Cerere sunt, hoc est, è segete: vel capiunt per eam, frumentum ipsum; quod à Cerere, hoc est, Luna: quemadmodum accuratiùs in sublunaribus Diis exponam. Vbi etiam ostendam, per Proserpinam sæpius signari Terram; non universam tamen, sed inferius hemisphærium.

Postremò addam, quid censendum sit de versibus istis in veteri † editione Hygini, Astronomici lib. IV *, cap. de Luna.

Denique cùm Luna est, sublustri splendet amictu.
Cùm succincta jacit calamos †, Latonia virgo est.
Cùm subnixa sedet solio, Plutonia conjux.

Vbi videmus, clarè firmari, quod à Servio scribitur, Divam eandem in cælis Lunam, in terris Dianam dici, apud inferos Proserpinam.

Sed merito versus eos rejecit editio Morelliana: sunt enim Prudentii lib. I adversus Symmachum: qui annis amplius trecentis Hygino hoc recentior est: modò Hyginus is Cæsaris Augusti libertus fuit; prout etiam Turnebus nuncupat Adversariorum lib. XVI, cap. I. Et sanè ita libri vett. Ab Germanici etiam Cæsaris Arateorum interprete ‡ adducuntur duo priores versus: quod indicio est, commentarii ejus auctorem, quem Cæsium *, vel Calpurnium Bassum † nuncupant, Prudentio esse recentiorem: nisi à sciolo versus eos additos cum nonnullis ‡ malis.

* *cap.* 12.

‡ *hymno in Proserpinam.*

† *Veneta Melchioris Sessa, anni* 1512.
* *Sed in Morelliana editione nulla est librorum distinctio.*
† *Aldina anni* 1496; *item Morelliana*, jacet calamis; *sed perperam. Nam* calami *pro sagittis: ut Nasoni* 8 *Met.* Impositis calamis patulos sinuaverat arcus. *Quod convenit Dianæ venatrici.*
‡ *cap. de Luna.*
* *Lilius lib.* 3 *hist. de Diis.*
† *Fulvius Ursinus in* 1 *Georg.*
‡ *Delrio in Senecæ Medeam vers.* 787.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Hecaten, si ἰςοεικῶς quidem spectes, esse filiam Persei Argivi; unde ei Perseidos *nomen: at si consideres φυσικῶς, filiam esse Noctis, vel Tartari; atque ejus figmenti ratio allata. Hecates etymon geminum.* Opis, Loxo, & Hecaërga, *ad Lunam reductæ. Mos Deliarum virginum, quæ nupturæ capillos resectos Opidi, & Hecaërgæ, consecrabant. Consuetudo Atticarum* ἐν προελεύσεσι *canistra gestantium. Quo pacto Hecate filia dicatur Latonæ. Hecate* Φωσφόρος *sive* Lucifera. *Cur dicta* Τελοδῖτις, *sive* Trivia: *& cur in triviis ululârint matronæ certis diebus. Servius correctus. Quamobrem Luna triformis, & triceps, dicatur fingaturque. Indicium ex cornibus Lunæ, utrùm crescat, an decrescat. Hecates nomen quandoque laxiùs patère, quàm Proserpinæ; ut hæc mortis; illa insuper nativitatis, & vitæ omnis, præses intelligatur. Cur mullus Græcis* τρίγλη *dicatur. Cur idem sacer sit Dianæ, seu Hecatæ, triplex ex vett. ratio adfertur: quartáque iis superadditur ex eo, quod conducat virginitatis amantibus, qualis Diana. Cerberus cur aliis centenis, vel quinquagenis, aliis verò ternis solùm capitibus fingatur. Cerberus Platonicis symbolum mali Dei, seu Dæmonis, potestatem in tria elementa exerentis. Gentiles in describendis Deorum potestatibus ternario gaudere.*

DE Hecate deinceps videamus: quæ & ipsa nunc historicè spectatur, nunc physicè. Priori modo Persei regis filia fuit; quæ, patre interemto, Æetæ patruo nupsit; atque Medeam illi peperit, & Circen; femina animi planè virilis, venationi, medicinæ, ac veneficiis addictissima; quemadmodum traditum Dionysio Milesio in Argonauticis, & exinde veteri scholiastæ Apollonii in III Argonaut. * ubi, ut ab Ovidio ‡ quoque, & Seneca *, *Perseis* vocatur à Perseo: ex quo natam esse, Hesiodo, Apollodoro, & Diodoro, præeuntibus, dicebamus.

* *vers.* 200.
‡ 7 *Metam.*
* *Medea v.* 814.

Posteriori verò modo Hecate est Luna: quæ quia nocturnum est sidus, eò Hecate Noctis filia dicitur Bacchylidi, apud Apollonii scholiasten in III. Facilè autem adsentio Fulvio Vrsino sic apud eum reponenti:

Ἑκάτα δᾳδοφόρε νυκτὸς
Μελανοκόλπε θύγατερ *
Hecate tædigera Noctis
Nigrum sinum habentis filia.

Vbi vulgò δᾳδοφόρε †, & μεγαλοκόλπε *. Nec, si rem spectes, abit à Bacchylide Orpheus in Argonauticis; cui eam Tartarus dicitur procreâsse. Tartara enim tenebricosa; unde *nigra* dicuntur Maroni in sexto magni operis. Hesiodo Δηὼ, quæ eadem ac Ceres, traditur eam peperisse. Nempe, ut Proserpina, Cereris filia dicitur: cujus rationem attulimus ‡. Convenit

† *tædifera.*
* *magnum habentis sinum.*
‡ *cap. sup.*

venit etiam Hecates etymon iis, quæ diximus. Nam, si Servium †, & Fulgentium *, audimus, vocabulum *Hecates* est ab ἑκαλὸν ‡: quia innumeras habeat vires; uti etiam Hesiodus in Theogonia narrat: ubi magnopere eam celebrat: credo, quia, Pausania teste, summo in honore apud Bœotos foret: Ascra autem vicus esset Bœotiæ; ubi si non natus, saltem educatus esset Hesiodus. Eamque rationem etiam adducit Hesiodi scholiastes.

† *in 4 Æn.*

* *lib. 1 Mythol. 5 de Proserp.*

‡ *centum.*

Aliis tamen placet, nomen Hecates esse ab ἑκὰς *: ut sic dicatur, quia in longè dissita operetur. Secundùm eos, non minùs potuerit Ἑκαέργη nominari, quàm Apollo ἑκάεργος, quasi ὁ τὰ ἑκαδεν ἐργαζόμενος, hoc est, *vim suam in longè dissita exercens*: ut est apud Heraclidem Ponticum †. Et sanè Ἑκαέργη, utcunque virgo dicatur Hyperborea, non aliam primò fuisse, quàm Dianam sive Lunam, aliterque Λοξὼ vocitatam; innuit etiam Callimachi scholiastes in hymnum Dianæ *; ubi sic scribit: Οὖπις, ὄνομα θέλον Ἀρτέμιδος· ἢ παρὰ τὸ ὀπίζειν τὰς τικτούσας· ἢ παρὰ τὴν ὀρέψασαν αὐτὴν Οὖπιν· ἢ ἀπὸ τὰς Ὑπερβορέους κόρας, Οὖπιν, Ἑκαέργην, Λοξώ· ἃς ἐτίμησεν Ἀπόλλων, καὶ Ἄρτεμις· καὶ ἀπὸ μιᾶς μὲν Οὖπις ἡ Ἄρτεμις· Λοξίας δὲ, καὶ Ἑκάεργος, ἐπὶ τῶν λοιπῶν ὁ Ἀπόλλων· *Opis epitheton est Dianæ: sive quia curam habeat parturientium: sive quòd Opis eam educârit: sive propter virgines Hyperboreas, Opin, Hecaërgen, & Loxonem; quas honorarunt Apollo, ac Diana: ac ab unâ quidem Diana assumsit nomen Opidis: ab aliis autem Apollo vocatus Loxias, & Hecaergos.* Mallem dixisset, ut Triviæ sive Dianæ custos dicta *Opis*; imò ipsa etiam Diana sic est cognominata; quod apertè ait Servius in XI: ut item à Loxone Apollo nuncupatus est *Loxias*: ita ab Hecaërga, & Dianam *Hecaergam*, & Apollinem vocatum *Hecaërgum*. Sed de *Hecaërga* præteriit, quia vix ea pro Hecate obineret appellatio: at contrà *Hecaërgi* pro Apolline nomen poetis esset frequens. Sic igitur colligo, *Hecaërgen*, & *Hecaten*, non solum origine vocum convenire; sed eandem planè Divam esse. Quod ipsum aliter etiam adstruimus. Siquidem Deliæ virgines, quando nupturæ essent, dicabant comam desectam Opidi, & Hecaërgæ; ut est apud Pausaniam in Atticis; imò & Herodotum in Melpomene. Nam apud eum pro Ἀργὼ, Ἑκαέργη legi debere, observatum jamdiu doctissimo Leopardo lib. x Emendat. cap. XXIV. At cui convenientiùs, quàm Dianæ, virginitatis præsidi, valedicturi virginitati suæ, hunc honorem habitum iissent? Et sanè similiter Athenis, pridie nuptiarum (Προλέλεια dixere) virgines in honorem Dianæ, ad Deam placandam, canistra ferebant: quod pluribus exponit Theocriti scholiastes in Idyll. XI. Quare non dubitandum, quin Opis, Hecaërga, & Loxo, sint nomina diversa uni eidemque Hecatæ, sive Dianæ, impositа pro diverso effectu: ac *Opis* sit

† *p. 10, sive 97.*

* *vers. 204.*

dicta, à cura puerperii: *Hecaërga*, quod è longinquo operetur: *Loxo*, ἀπὸ τοῦ λοξῶς πορεύεσθαι· *quod obliquè per cælum moveatur*: quemadmodum & eâdem de causſâ Apollo Λοξίας nominatus; ut alibi diximus. Sed, appellationibus hiſce miſſis, Hecatæ inſiſtamus: quam Lunam eſſe, etiam ex eo cognoſcimus, quòd Athenis novilunio quoque opulenti, in honorem Hecates, cœnam in triviis apponerent, quam mox abriperent pauperes. Auctor Ariſtophanes in Pluto *. Atque hinc *Hecates cœna*; niſi *Hecales* dicenda; de quo non eſt hujus loci diſputare. Etiam Orpheo Hecate dicitur

* act. 2. ſc. 5.

Λητῦς ἐυπλοκάμοιο κόρη —

Filia formoſæ Latonæ —:

ut eſt apud Proclum in Platonis Cratylum. At Diana, quæ eadem Hecate, filia eſt Latonæ. Scholiaſtes etiam Theocriti in Idyllion ſecundum ‡ ſic ſcribit: Τῇ Δήμητρι μιχθεὶς ὁ Ζεὺς, τεκνοῖ Ἑκάτλω διαφέρουσαν ἰσχύϊ καὶ μεγέθει. ἣν ὑπὸ γλῶ πεμφθῆναι ὑπὸ τ πατρὸς, πρὸς Περσεφόνης ἀναζήτησιν· καὶ νῦν Ἄρτεμις καλεῖται, ἡ Φύλαξ, καὶ Δαδοῦχος, καὶ Φωσφόρος, ἡ Χθονία. *Cereri mixtus Iupiter, Hecaten genuit, robore & magnitudine præſtantem: quam ſub terras pater miſit, ad inquirendam Perſephonen: & nunc ea vocatur Artemis ſive Diana, & Phylax ſive Cuſtos, & Daduchos ſive Tædifera, & Phoſphorus ſive Lucifera, & Chthonia ſive Infera.* Etiam Euripidæ eſt in Helena:

‡ verſ. 12.

Ὦ Φώσφορ' Ἑκάτη, πέμπε φάσματ' εὐμενῆ.

Luciſera ô Hecate, da benigna phaſmata.

Quippe, ut eſt in gloſſis Philoxeni: *Lucifera*, Ἑκάτη. Sed Latinos etiam audiamus. Appuleji eſt lib. XI: *Sive tu Ceres, ſeu Phœbi ſoror, ſeu nocturnis ululatibus horrenda Proſerpina triformi facie larvales impetus comprimens.* Et mox: *Cujus numen unicum, multiformi ſpecie, nomine multijugo, orbis moderatur; Attici Minervam, Eleuſinii Cererem, alii Hecaten.* Atque idem docet Servius non uno loco: alii item, quorum nonnullos deinceps adducam. Illuſtris de Hecate eſt locus Chariclidæ apud Athenæum in VII: Δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε, τρίγλαις κηλευμένη· *Domina Hecate, Trivia, triformis, triplici facie, quæ mulceris triglis.* Vbi tria conſideranda, quòd dicatur Τριοδῖτις: quòd τρίμορφος καὶ τριπρόσωπος vocetur: quódque addatur, mulceri triglis. Nomen Τριοδῖτις ex τρίοδος † eſſe, ſatis eſt apertum: nempe uti eadem *Trivia* à *triviis*. Cauſſa nominis eſt, quia τὴν Ἑκάτλω ἐν τ τριόδοις ἐτίμων τοπαλαιὸν, ὅθεν τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην, καὶ Ἀρτέμιδα, καὶ Ἑκάτλω καλεῖσθαι· *Hecaten antiquitus coluere in triviis; propterea quod eandem, & Lunam, & Dianam, & Hecaten, vocarent:* ut ait Ariſtophanis Scholiaſtes in Plutum *. Etiam templa Triviæ in triviis ſtatui ſolere, teſtis Servius in IV Æn. Verba inferiùs apponam. Firmat & Varro lib. VI de L. L. *Diana eſt ab eo dicta Trivia, quòd in trivio ponitur fere in oppidis Græcis.* Hinc ululatus ille in triviis, honori

† trivium.

* Act. 2. ſc. 5, ſive Ald. edit. pag. notatâ T. 2. b.

honori Hecates. Servius in Ecl. III : *Consuetudo fuerat, ut per trivia & quadrivia ululârent, & flebile quiddam in honorem Dianæ canerent rustici, ad reddendam Cereris imitationem, quæ raptam Proserpinam in triviis requirebat. Novimus autem eandem esse Proserpinam, quàm Dianam.* Addere poterat, & *Hecaten.* Nam continuò subjungit : *Sic in Æneide* * : *Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes.* Quem in Maronis locum sic idem Servius commentatur : *Proserpinam raptam à Dite patre cùm Ceres cum incensis faculis per orbem terrarum requireret, per trivia eam, vel quadrivia, vocabat clamoribus. Vnde permansit in ejus sacris, ut certis diebus per compita à matronis exerceatur ululatus : sicut in Isidis sacris, ubi est imitatio inventi Osiridis : quem dilaniatum à Tisiphone ejus fratre uxor Isis per totum orbem requisisse narratur. Iuvenalis : Plangentis populi currit derisor Anubis.* Sed in verbis allatis pro *Tisiphone* planè reponendum *Typhone :* is enim Isidos frater fuit ; ut diximus lib. I, cap. XXVII. Hecate igitur τριοδῖτις, quia in triviis coleretur : unde & τριόδων ἐπόπτης † dicitur Phurnuto.

* 4 Æn.

† *triviorum præses.*

Altera etiam ratio est, cur Τριοδῖτις, vel *Trivia,* dicatur. Quam ipsam Varro adfert post eam, quam ex VI de L. L. antea adduximus. Nam cum dixisset, *Triviam* vocitatam, quia in triviis poneretur : subdit continuò, *vel quòd Luna dicitur esse, quæ in cælo tribus viis movetur; in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem.* Est & tertia, quia non modò in cælis, sed etiam terris, & sub terris, hoc est, apud inferos, exerat potestatem : sed nomine, ut Servius ait, diverso ; quemadmodum vidimus.

Sequitur inde apud Chariclidam Τρίμορφος *. Quomodo & Horatio lib. III, od. XXII vocatur, *Diva triformis.* Addit Chariclides τριπρόσωπος †, ut Orpheo in Argonauticis appellatur τριστοκέφαλος * : ac Maronis est IV Æn. *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.*

* *triformis.*

† *triplici facie,*

* *triceps.*

Pertinet huc etiam, quòd Appulejo, verbis antea productis, nominetur *Proserpina trinâ facie.* Est & Minucii in Octavio : *Trivia trinis capitibus, & multis manibus horrifica.* Cur triformis ac triceps fingeretur, hanc rationem adducit Cleomedes lib. II de Mundo † : Οἱ παλαιοὶ τρία εἶναι φασὶ τὰ τῆς σελήνης σχήματα ἔφασαν, τὸ μηνοειδὲς, τὸ δίχοτομον, τὸ πεπληρωμένον· ὅθεν καὶ τριπρόσωπον τὴν Ἀρτεμιν ποιεῖν ἔθος ἐστιν· *Veteres dixere, tres esse figuras Lunæ ; in cornua curvatam, dimidiatam, ac plenam. Vnde & consuetudo est, trinâ facie Dianam effingere.* Aliam quoque caussam legas apud Servium in proximè allatum Maronis locum : puta quia facies lunæ sit triplex : una crescentis ☾, cùm cornibus, & cavitate, ortum respicit : altera decrescentis ☽, cùm cornibus monstrat occasum : alia plenæ ○. Tertiam opinionem idem adducit in IV Æn. *Nonnulli,* inquit, *eandem Lucinam, Dianam, Hecaten appellant, ideo quia uni Deæ tres adsignant potestates ; nascendi, valendi, moriendi : &*

† *cap. de Luna propinquitate ad Terram.*

quidem naſcendi Lucinam Deam eſſe dicunt, valendi Dianam, moriendi Hecaten: ob quam triplicem poteſtatem, triformem eam, triplicemque finxerunt: cujus in triviis templa ideo ſtruxerunt. Atque hinc aliqui tres Parcas ſtatui judicarunt; unam ortus, alteram vitæ, tertiam mortis præſidem: quod infrà accuratè explicabitur. Dixeris, ſimplicem Hecatæ poteſtatem tribui; nempe moriendi: illam naſcendi addici Lunæ; alteram valendi, Dianæ. Sed cùm moriendi poteſtatem Servius adſignat Hecatæ, ea, quæ propriè dicta eſt Proſerpina, intelligitur. At propriè Hecates nomen tria illa comprehendit: unde Servius in VI Æn. *Hecate*, inquit, *trium poteſtatum numen eſt. Ipſa eſt enim Luna, Diana, Proſerpina. Sed ſolam Proſerpinam dicere non potuit propter lucos, qui Dianæ ſunt. Item Dianam, quia ait, lucis præfecit Avernis. Vnde elegit nomen, in quo utrumque conſtabat.* Idem eopſe libro in illud,

Voce vocans Hecaten, cœloque ereboque potentem:

Hoc, inquit, *eſt, quod ait,* HECATEN, *ut plenum numen oſtenderet.* Hecate igitur numen plenarium; Proſerpina, partiale: hæc morti duntaxat; illa ortui, vitæ, & morti præfecta.

Poſtremùm in allatis Chariclidæ verbis Hecate dicitur τρίγλαις κηλεύεσθαι. Id Latinè fuerit, *mullis mulceri.* Τρίγλη verò ex eo dici videtur, quia ter pariat quotannis: ut apud Ariſtotelem legere eſt, lib. V Hiſtoriæ Animalium cap. IX*: unde idem promit Athenæus in ſeptimo. Ac proditum hoc ipſum Oppiano Αλιευτ. A†:

Τρίγλαις δὲ τριγόνοισιν ἐπώνυμοι εἰσὶ γονῆσι·
A triplici triglæ capiunt ſua nomina partu.

Cur verò triglæ ſeu mulli Hecatæ ſacrentur, ne olim quidem convênit. Apollodorus de Diis factum id ait διὰ τὸν ὀνόματος οἰκειότητα· *ob nominis convenientiam:* nempe inter τρίγλη, & τριοδῖτις ſive *Trivia.* Melanthius, libro de Myſteriis Eleuſiniis, & triglam, & mænida, ei immolari ait, quoniam & Hecate maris habeat poteſtatem: quod negare non poſſumus, ſi eadem eſt ac Luna. Sed Hegeſander Delphus eò in ſacris Dianæ mullum ait offerri, quia Diana ſit venatrix, ac venator item ſit mullus: quippe qui leporem marinum, piſcem venenatum ac letalem, ſtrenuè perſequatur, ac voret. Mirum autem, Athenæum, cui iſta debemus, non addidiſſe, eo triglam Hecatæ ſive Dianæ videri ſacram, quia Diana ſit cuſtos virginitatis; cui inimica eſt Venus: at mullus item rebus Veneris adverſetur. Quod nos docet Athenæus ipſe in VII; ubi ſic ſcribit: Ἐὰν ἐνυποπνιγῇ τρίγλη ζῶσα ἐν οἴνῳ, καὶ τοῦτο ἀνὴρ πίῃ, ἀφροδισιάζειν ἀδυνήσει, ὡς Τερψικλῆς ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ Αφροδισίων· κἂν γυνὴ δὲ πίῃ τὸ αὐτὸ οἶνος, ἀκυΐσκει· *Si mullus fuerit ſuffocatus in vino, & hinc biberit vir, ſit impotens ad Venerem; ut refert Terpſicles libro de Venereis. Sin mulier ex eo biberit, non concipiet.* De mullo ſatis.

Quem-

* *ſive juxta Cæſarii Scalig. diſtinct. cap.* II, *ſect* 68.
† *verſ.* 590.

Quemadmodum verò Hecate est triceps: ita & ejus, ac Plutonis canis, Cerberus: quem iccirco Sophocles in Trachiniis vocat Ἅιδου τρίκρανον σκύλακα *: ac de eodem Tibullus lib. III:

* Plutonis canem tricipitem.

Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput.

Sed Hecates capita sunt humana: vel, secundùm Orpheum in Argonauticis, dextrum equi, medium hominis agrestis, sinistrum canis. Cerberus verò habet τρεῖς κυνῶν κεφαλὰς †: ut est apud Apollodorum in secundo bibliothecæ. Hesiodus tamen in Theogonia ei attribuit capita quinquaginta: Horatio in secundo odarum vocatur *bellua centiceps*. Quæ referenda sunt ad multiplicem Lunæ potestatem. Sed qui intra ternarium se continent, hi videntur eas spectasse caussas, ob quas fecere Hecaten tergeminam, triaque Dianæ ora: præcipuè autem, quòd exerceret vim suam in cælo, terris, inferis: vel quòd dominium teneret in tria hæc elementa; aëra, aquam, terram. Ac posterius hoc etiam locum habet, si cum Platonicis per Hecaten, Plutonem, Cerberon, intelligas πονηρὸν δαίμονα *, qui Persis Arimanius; ut diximus lib. I, cap. v. Quippe malignus ille spiritus, cælis exul, & extorris, in aëre solùm regnat, & subjecto ei aquæ terræque globo. Hinc Porphyrius apud Theodoretum Therapeutices serm. III, primùm quidem negat, malos dæmonas sub Sarapidis esse potestate: postea autem de malis illis spiritibus subdit: Τούτων σύμβολον ὁ τρικάρηνος κύων· τοῦτ' ἔστιν ὁ ἐν τοῖς τρισὶ στοιχείοις, ὕδατι, γῇ, ἀέρι, πονηρὸς δαίμων· ὃν καταπαύει ὁ θεὸς ἔχων ὑποχείρια· ἄρχει δὲ αὐτῶν καὶ ἡ Ἑκάτη, ὡς συνέχουσα καὶ τὸ τρίστοιχον. *Est autem illorum symbolum ac nota, triceps canis: hoc est malus dæmon, qui in tribus invenitur elementis; aëre, aqua, & terrâ: atque hos quidem dæmonas cohibet Deus, sub sua eos habens manu ac potestate: dominatur verò illis etiam Hecate: quippe quæ eos contineat in triplici elemento.* Aliqui verò nec opus existimant, particulatim attendere, vel ad triplicem Lunæ seu faciem, seu potestatem; vel ad tria elementa, in quæ vel Luna, vel malignus spiritus, vim suam exerat: sed generatim in perfectione ternarii numeri consistunt. Hanc rationem adducit Servius in illud Ecl. VIII,

† tria canum capita.

* malum Deum.

— *Numero Deus impare gaudet.*

Aut, inquit, *quemcunque Superorum, juxta Pythagoræos; qui ternarium numerum perfectum summo Deo adsignant; à quo initium, & medium, & finis est: aut revera Hecaten dicit, cujus triplex potestas esse perhibetur: unde est,* — *Tria virginis ora Dianæ. Quamvis omnium prope Deorum potestas triplici signo ostendatur: ut, Jovis trifidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps. Vel quod omnia ternario continentur: ut Parcæ, Furiæ: Hercules etiam trinoctio conceptus: Musæ ternæ.* Vbi mirum, de Gratiis præteriri; de Musis adferri, quæ novenæ. Sed prius hæ ternæ; ut suo loco exponam; posteáque ter ternæ. Ac puto, etiam apud Servium potiùs *ter ternæ* rescribendum.

CAPVT XXX.

Transitum ad stellas : quarum materiam videri à cœlo diversam : hoc aqueum; illas, uti & Solem, Lunamque, potiùs igneæ esse substantiæ. Nec tamen, in illo doctorum dissensu, odiosè de eo esse concertandum. Græcos pariter, & barbaros, sidera omnia pro Diis habuisse : inque hac sententia nonnullos etiam fuisse philosophos : & ut de vita eorum partim ex motu perpetuo, partim perenni illuminatione, collegerint. Vtrique occurritur argumento. Vt & sensum iis tribuerint, ac rationem : deque Electræ stella se, ut ajunt, occultante ob captam Trojam; stella item polari se abscondente, ob captam Constantinopolin. Vnde concluserint, sideribus præstantiores esse animas, quàm homini. Philoni idem placuisse : non sic tamen, ut propterea Deos putaret. Assensum Philoni hac parte Origenem : de quo incertum videri, num ejus sententia sit damnata à concilio V Oecumenico. Imò BB. Hieronymum, & Augustinum, hæsitasse, veréne, an falsò, sic Origenes sensisset. Scholasticorum varii adducuntur, qui verisimilem hanc opinionem existimarint. Nec quæ Aristotelis de eo sententia fuerit, satis inter sectatores ejus convenire. Aquinatem ipsum super eo à se abiisse. Nec bene ei intellectam Platonis mentem. Vt Tycho Braheus in partes iverit Platonis. Opinio hæc refellitur.

DIximus de Sole, ac Luna : quos *Cœli oculos* Pythagorici dictitabant. Transgredior nunc ad stellas : quæ ejusdē cum illis naturæ videntur: uti quidem Peripatetici censent. Quippe quibus Sol, Luna, stellæ omnes, nihil aliud sint, quàm densiores, eoque lucidiores sui orbis partes. Sed ut facilè iis dedero, sidera omnia ejusdem esse naturæ : ita ægre adducar, ut credam, cælum ejusdem, ac sidera, esse naturæ. Nec enim in campis illis cæleſtibus ullam magis lucem, vel radios ullos, videmus, quàm in propinquo aëre : quod profectò aliter esset, si cœlum, & stellæ, materie convenirent. Nec dispicere valeo, quomodo non hæc opinio divino Mosi repugnet. Secundùm quem, quantum ex ejus verbis colligere queo, firmamentum, sive, ut ipse loquitur, *rakia*, hoc est, expansum, Deus fecit ex aqua; at ejus luminaria ex igne, sive lucido illo corpore, quod primo die esse jussit. Quomodo Sol, Luna, stellæ omnes, non in cœlo erunt, ut nodi in ligno, sed ut clavi in rota; ac proinde contiguæ expanso, cui inhærent, non continuæ. Nec tamen nimium de hoc contendero, gnarus ut ignotam cœli materiam putarint Philo libro de somniis, & Damascenus Orthod. Fid. lib. 11, cap. VI. Tantum dixero, eam, quam attuli sententiam, maximè mihi placere : uti & amplexi eam Iosephus Iudaic. Antiquit. lib. 1, cap. 1, Clemens Romanus lib. 11 Recognit. Cyrillus Hierosolymit. Catech. IX, Theodoretus quæst. XI in Genes. Procopius in cap. 1 Genes.

Geneſ. Gennadius & Severianus in Catena, Beda in Hexaëm. ut tot præteream recentiores ; etiam illos proximi , aut præſentis ævi ; quales Catharinus, Valeſius, Molina, alii.

Divinitatem ut Soli, & Lunæ, ſic ſtellis omnibus, tribuerunt tum barbari, tum Græci. Plato in Cratylo : Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῆδε ἀνθρώπων θεοὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ἅπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, Ἥλιον, καὶ Σελήνην, καὶ Γῆν, καὶ Ἄστρα, καὶ Οὐρανόν · *Qui Græciam primi incoluere, ii videntur mihi illos ſolum Deos exiſtimâſſe, quos nunc etiam barbari multi pro Diis habent ; Solem, Lunam, Terram, Aſtra, Cœlum.* Quæ verba etiam adducit Euſebius præparat. Euangel. lib. III, cap. II. Nec hac parte ſolùm erratum à vulgo ; ſed etiam philoſophis : uti Xenocrate Chalcedonio , & Alcmæone Crotoniate ; de quibus teſtis Tullius * . Similiter Stoici : ut Poſidonius apud Stobæum , Ἄστρον εἶναι φησὶ σῶμα θεῖον , ἐξ αἰθέρος συνεστηκός . *ſtellam eſſe corpus divinum, ex æthere compoſitum.* Quid verò eos in hanc compulerit ſententiam, docet nos Auguſtinus lib. IV de civitate Dei cap. XI : *Dicunt* (Stoici) *omnia ſidera partes Iovis eſſe, & omnia vivere, atque rationales animas habere : & ideo ſine controverſia Deos eſſe.* Vbi duo videmus argumenta : prius eſt à materia ; quia, ut Poſidonius ait, compoſita ſint ex æthere, qui eſt Iupiter ; ac proinde ſint partes Iovis. Hanc opinionem plenius diducam inferiùs; cùm oſtendam, ut per divinam naturam intellexerint rerum univerſitatem , præcipueque igneum ſpiritum , qui permeet univerſum. Alterum eſt à forma , qua vivant , & intelligant. Vivere autem colligebant, partim ex motu perenni, partim ex perpetuis operationibus in inferiora. Ac de motu quidem ſic argumentabantur, an argutabantur, dixero. Omne corpus inanimum quieſcit in loco ſuo naturali , ac proprio. At ſtellæ in eo non quieſcunt : uti nec Sol , vel Luna. Sidera igitur non ſunt inanima; ſed formam habent vitalem, quam *animam* dicimus. Atque ita ex natura corporum inferiorum bellè ſibi de ſuperiorum natura colligere viſi ſunt : quaſi Deo grave fuiſſet , talem iis indere naturam ; per quam ſuapte vi aſſiduè moverentur. Atque ut motus ille non eſſet à propria corporum natura , poſſit Deus ἀμέσως † movere : poſſit eos motus ciere per intelligentias ſive angelos. Quorum quid ſit , certò nequit cognoſci ; ut diximus antea.

* *lib. I de Nat. Deor.*

† *immediati ſive per ſe.*

Præterea, ut referebamus, eo pugnant, quod cæleſtia in inferiorem operentur naturam , imò ſemper operentur : quod planè divinum videtur , ſecundùm illud Philonis in primo allegoriarum Legis ; Παύεται ἐδέποτε ποιῶν ὁ θεὸς , ἀλλ' ὥσπερ ἴδιον τὸ καίειν πυρὸς , καὶ χιόνος τὸ ψύχειν , οὕτω καὶ θεοῦ τὸ ποιεῖν · καὶ πολύ γε μᾶλλον, ὅσῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀρχὴ τοῦ ὁρᾶν ὄψις · *Nunquam deſinit Deus operari : ſed ut ignis proprium eſt urere, & nivis refrigerare ; ſic & Dei eſt ope-*

est operari : atque hoc eo magis, quia & ipse est principium ac causſa, cur omnes operentur. Sed (ut exemplis hic allatis insistam) num proprie ignem, aut nivem, vivere dixerint, quia ille semper urat, hic refrigeret semper? Quo jure igitur colligunt, sidera vivere, quia semper illuminent? Adde quod illuminatio non sit ejus naturæ, ut promânet à forma vitali. Nec enim propriè vivit ignis noster, utcunque luceat. Quin lux ejus est indolis, ut ne possit quidem à vitali principio dependêre. Quare siculno nixi fuere argumento, qui sidera, quoniam operentur, etiam vivere collegerunt.

Iam verò nec contenti fuere vitam tribuere stellis : etiam sensum assignarunt. Mitto antiquiores : phantasiam seu interiorem sensum in iis agnoscit Avicenna : Simplicius tres quoque exteriores sensus addebat; tactum, visum, auditum.

Imò rationales etiam fecerunt. Quomodo Zeno apud Stobæum ait, τὸν ἥλιον, & τὴν σελήνην, καὶ τὰ ἄλλων ἄστρων ἕκαστον εἶναι νοερὸν, & φρόνιμον πυρινὸν πῦρ· *Solem, Lunam, & singula astrorum aliorum, esse intelligentem ac sapientem igneum ignem.* Eamque sententiam etiam poetæ sunt amplexi. Fabulantur* enim, stellam Pleiadum septimam, nomine Electran, post Trojæ excidium, nolle amplius conspici; quia Dardanus, gentis Trojanæ conditor, natus fuerit ex Electra. Quam rationem etiam Ovidius in Fastis ‡ adducit : sed sic, ut alias etiam præmittat. Audiamus vatem :

* *Hyginus in Poët. Astron. ubi de Tauro, & Avienus in Arateis.*

‡ *lib. 4, v. 167, & seqq.*

Pleiades incipient humeros relevare paternos :
Quæ septem dici, sex tamen esse solent :
Seu quod in amplexus sex hinc venere Deorum :
Nam Marti Asteropen concubuisse ferunt :*
Neptuno Alcyonen, & te formosa Celæno :
Majan, & Electram, Taygetamque Iovi.
Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit.
Pœnitet, & facti sola pudore latet :
Sive quòd Electra Trojæ spectare ruinas
Non tulit, ante oculos oppositque manum.

* *Al.* Nam Steropen Marti.

Vbi, ut gentium poëtis faciliùs ignoscam, facit; quòd neque nostrâ defuerint ætate, qui putarent, similiter se occultâsse stellam polarem, post captam à Muhammede Constantinopolin. Quo nihil vanius. Quippe, si minutam unam exceperis, quæ inter polum, & minorem ursam, interjacet, illa ipsa in cauda minoris Vrsæ, uti olim ætate Hipparchi & Ptolemæi, ita hodieque maximè est polo vicina, & similiter *polaris* vocitatur.

Ne illud quidem gentibus suffecit, si sidera sensum, & rationem, haberent : quia & homines ista obtinent; nec propterea Dii sunt. Igitur diviniori quadam mente opus esse viderunt; quam eos habere, ex eo concludebant,

debant, quia in æthere agerent, ſubſtantiâ maximè ſubtili, purâque. Cicero lib. 11 de Nat. Deorum : *Sidera æthereum locum obtinent. qui quoniam tenuiſſimus eſt, & ſemper agitatur, & viget : neceſſe eſt, quod animal in eo gignatur, idem quoque ſenſu acerrimo, & mobilitate celerrima eſſe.* Mirum verò hanc Platonis ſententiam ſaltem in tantum Philoni placuiſſe, ut ipſe etiam ſidera eſſe mentes quaſdam puriſſimas arbitraretur. Sic enim ſcribit libro de Somniis : Πάντα τῷ ποιητῇ τὰ τοῦ κόσμου μέρη καλὸν ἔδοξεν εἶναι ζώων ἀναπλῆσαι. διὰ τοῦτο γῇ μὲν τὰ χερσαῖα ἐγκαλεσκεύασε, θαλάττῃ δὲ καὶ ποταμοῖς τὰ ἔνυδρα, ἀέρα δὲ τοὺς ἀστέρας· οὐ γὰρ ἕκαστον τούτων, ὡς μόνον ζῷον, ἀλλὰ καὶ νοῦς ὅλος ὁ καθαρώτατος εἶναι λέγεται· *Opifici mundi placuit omnes ejus partes animalibus implere. Propterea terræ attribuit terreſtria ; mari, & fluviis, aquatilia ; cœlo autem ſtellas. Nam & harum quæque non modò animal dicitur, ſed etiam mens puriſſima.* Vocat & eopſe libro ἀφθάρτους καὶ ἀθανάτους ψυχάς· *incorruptibiles & immortales animas.* Similiaque in hanc mentem apud eum habes libro de Gigantibus : item lib. de opificio mundi. Vbi ſtellas appellat ἀγάλματα θεῖα, καὶ θεοειδέστατα, *imagines divinas, & pulcherrimas :* ac, ut mentibus humanis videas præferri, ait ibidem : ζῷά τε εἶναι λέγουσι, οὐ ζῷα νοερά· μᾶλλον δὲ νοῦς αὐτὸς ἕκαστος, ὅλος δι' ὅλου σπουδαῖος, καὶ παντὸς ἀνεπίδεκτος κακοῦ· *animalia dicuntur eſſe, & quidem animalia intelligentia. Magis verò unaquæque earum Mens eſt, tota undique bona, nec mali ullius capax.* Hactenus tamen abiit à gentibus, quòd ſtellas non putârit Deos; ſed Dei unius adminiſtros, ſive, ut loquitur ipſe lib. de Pietate, ἄρχοντας τινὰς ὑπάρχους τοῦ πάντων πατέρος· *rectores quoſdam ſubditos omnium parenti.* Sed Philoni, ut aliis multis, hac etiam parte aſſenſit Origenes lib. 1 περὶ ἀρχῶν, cap. VII ; uti & commentario in Ioannem. Atque hoc nomine eum reprehendit B. Hieronymus epiſtolis ad Pammachium, & Avitum. Inque epiſtola Vigilii Papæ ad Cæſarium Arelatenſem, inter cæteros anathematiſmos adverſus Origenem, habes & iſtum : *Siquis dicit, cœlum, & Solem, & Lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, animatas, & materiales eſſe quaſdam virtutes, anathema ſit.* Qui etiam ſecundo concilio Conſtantinopolitano, ſive Vniverſalium Synodorum quincta, fuit comprobatus : modò, in tanto priorum ſilentio, ſtare liceat ſcriptore, qui vixerit poſt annum Chriſti milleſimum ac trecenteſimum. Is eſt Nicephorus Calliſtus lib. XVII Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXVII. Vbi pro eo, quod in verbis Vigilii antea adductis eſt *materiales virtutes*, interpres habet *rationales. Materiales* tamen etiam eſt in Summa Conciliorum, quam exhibuit Ioverius. Sed, an concilium vel hoc, vel illo pacto, ſcripſerit, non ſatis eſt apertum : imò ne illud quidem, an eam Origenis ſententiam damnârit. Qua de re ſic Conimbricenſes in Ariſtotelis lib. 11 de Cælo cap. 1, quæſt. 1 : *Non tamen iſtiuſmodi dogma hæreſeos titulo notandum*

censemus, propterea quòd, an decretum illud à quincta Synodo editum fuerit, haut omnino constat. Priores verò, plerique saltem, ne de hoc quidem, verumne, an falsum esset dogma, certi aliquid signare ausi sunt. Siquidem B. Hieronymus in illud Ecclesiastæ *: *In circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur*: scribit hoc pacto: *Sive ipsum Solem spiritum nominavit, quòd animet, & spiret, & vigeat, & annuos orbis cursus expleat: sive quòd Lunæ lucentem globum* †,

— *Titaniaque astra,*
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, &c.

* cap. 1. vers. 6.

† Æn. 6.

Nec B. Augustinus definire quicquam voluit lib. II de Genesi ad literam cap. postremo: *Solet*, inquit, *quæri, utrùm cæli luminaria ista conspicua sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos: & si habent, utrùm ab eis vitaliter inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium; an sola sine ulla permixtione præsentia.* Ac de isto subjungit; *In præsenti non facile posse comprehendi.* Item; *Servatâ semper moderatione piæ gravitatis, nihil credere de re obscura temere debemus.* Imò in Enchiridio ad Laurentium cap. LVIII ait: *Nec illud quidem certum habeo, utrùm ad eandem* (angelorum) *societatem pertineant sol, & luna, & cuncta sidera; quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu, vel intelligentia, videantur.* Et sanè vivere astra, probabile arbitratur Aureolus in II, dist. XIV, quæst. II, art. II: & quæst. III, art. und. Item Capreolus distinct. eâdem. Quin, ut de Scoto, & Cajetano, taceam, sententiæ huic favet Aquinas opusculo de Angelis cap. II, & QQ. disput. qu. de Anima art. VIII, imprimis resp. ad III, IV, V. Dubitat etiam Dionysius Carthusianus in II, dist. XIV, qu. IV. Ascanius quoque Martinengus Tom. II in Gen.* ait, quæstionem hanc *problema esse neutrum in via Patrum, neutramque partem ab Ecclesia damnatam.* Atque addit, in eadem opinione fuisse præceptorem suum Vilelmium lect. XIX in Genes. Itidem de eo in utramque partem posse disputari, opinio est Francisci de Sylvestris Ferrariensis comment. in Summam Thomæ contra Gentes cap. LXX; idque occasione eâ refert, quòd ibidē docuerat Thomas, Aristotelem censere, cœlum componi ex corpore cælesti, & anima, quæ det esse per modum formæ; posteaque subjecisset: *Hoc autem, quod dictum est de animatione cœli, non diximus asserendo, secundum fidei doctrinā: ad quam nihil pertinet, sive sic, sive aliter dicatur.* Suamque hanc opinionem firmat Thomas auctoritate Augustini; qui & ipse, in verbis superiùs adlatis, certi nihil de eo statuere auderet. Sed enim de Aristotele non ita liquet. Moverunt quidem ad scribendum ista Aquinatem, quæ legerat apud philosophum lib. II de Cœlo context. XIII, & LXI: item lib. II Metaph. text. XXXV. Et similiter Aristotelem cepere Alexander, Simplicius, Philoponus, alii: atque è junioribus Vasquez

* pag. 889, & seq.

Vaſquez Part. I, qu. CLXXXIII. Sed enim, quæ Ariſtoteles in VIII φυσ. ἀκροάσ. diſſerit, inque XII Metaph. potiùs evincere videntur, cœlum ſtatuiſſe animatum, non intrinſecus, ſive ratione formæ informantis; ſed extrinſecus, ſeu ratione formæ aſſiſtentis; cui cælum ſic conjungatur, ut duo unum fiant per virtutem contactus; eoque cælum, & quæ cælo inſunt, animata eſſe, non ut animal, ſed ὁμωνύμως. Et ſanè ipſe Thomas, cùm aliter antea ſcripſiſſet, poſtea in Summa Theologiæ part. I, quæſt. LXX, art. III, non niſi poſteriori modo animata eſſe ſidera agnoſcit: ac ratione etiam adſtruere laborat, inter animam ullam, & corpus cæleſte, nullam eſſe conjunctionem ſubſtantialē; ſed, ut dixi, contactum virtutis. Mirum verò, addere, eandem eſſe ſententiam Platonis in Epinomide. In quo planè fugit ratio ſummum virum. Plato enim credidit, ſidera propriè vivere, motuſque eorum eſſe non à forma ſolùm adſiſtente, ut motore; ſed inſitâ, ac informante. Putabat quippe, nobiliſſimo corpori nobiliſſimam formam, qualis eſt anima, convenire: eoque abſurdum eſſe, ſi muta animantia, imò inſecta, plantæque, animam haberent; contrà cæleſte corpus eâ deſtitueretur: nec eſſe veriſimile, ſolem ſideraque vitâ carere, cùm vitam multis præbeant; ut illis, quæ ex putredine generantur. Vide eos, qui collationem Platonis cum Ariſtotele inſtituerunt: inque his, quæ Iacobus Carpenterius eruditè diſſerit in Alcinoi cap. XII. Eamque Platonis opinionem ſeculo quoque noſtro approbavit Tycho Brahe epiſt. ad Rhotmannum ſcripta an. clɔ Iɔ xc, XVIII April: *Verùm hæc in cæleſtibus cæleſti quodam, & longè vivaciore exquiſitioreque modo, eveniunt, quàm in animantibus terreſtribus, vel æquoreis: cum & cælum animatum eſſe, ipſaque cæleſtia corpora animantia quædam cæli, vitali ſpiritu prædita, non abs re ſenſiſſe videatur divina illa Platonicorum philoſophia.* Etſi verò de hoc dogmate nihil unanimi Eccleſiæ conſenſu fuerit definitum: haut levia tamen obduci poſſe Platonicis videntur. Primùm illud, quòd nec in creationis hiſtoria, nec alibi in Scripturis uſpiam, intellectus ſideribus, niſi tropicè, & per προσωποποιΐαν, tribuatur: ſed diſertim contrà, propter hominis ea miniſterium, facta dicantur. Vt Deuter. IV, 19: *Ne fortè, elevatis oculis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra cœli; & errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt.*

Præterea videmus, pauciſſimos ex Sanctis Patribus eſſe, qui iis vitam tribuerint: plurimos è contrario, qui cælos & ſidera animâ dicant carere. In quibus, præter eos, quos dixi, Baſilius in Hexaëm. homil. III, Ambroſ. in Hexa. lib. II, cap. IV; ac pro hac etiam ſententia à Pſello adductus Gregor. Nazianzenus orat. XXXVIII, & XLII: adhæc Cyrillus lib. II contra Iulianum, Chryſoſtomus homil. in pſal. IV, Procopius

comment. in Geneſin. inque operibus B. Auguſtini incertus ſcriptor libri de cognitione veræ vitæ cap. VI. Eoque opinio altera ſuſpectior eſt, quòd, qui nutâſſe in hac parte viſi ſunt, poſtea apertè ſideribus vitam omnem ademerunt; ut de Auguſtino, & Aquinate, vidimus. Deque Hieronymo idem liquet ex illo, quod Origenis ſententiam improbârit: niſi eò ſolùm reſpexerit, quod is animas putarit ante cælum creatas, poſteaque corporibus ſociatas eſſe cæleſtibus.

Nihil verò æquè ab hac ſententia deterruit Sanctos Patres; quàm illud, quòd ſi aſtra vitâ, ſenſu, rationéque, forent prædita; ſine dubio tanto mentes illæ cæleſtes præſtantiores eſſent mentibus humanis, quanto æther purior & excellentior eſt corpore terreno. Vnde ſequi videbatur, venerationem etiam ac cultum iis deberi. Sanè Adamus Tannerus, eruditus ſocietatis Ieſu Theologus, Diſſertatione de Cœlis quarta, ſic ſcribit: *Si cœli ſive aſtra eſſent prædita animâ rationali ſive intelligenti, & ſi in gratia eſſent; poſſent utique à nobis etiam coli aliquo cultu ſacro ſeu religioſo, qualis hominibus ſanctis convenit.* Sic cùm homo colligat Chriſtianus; quis non videt, quanti ea res periculi foret apud gentiles, ſi Chriſtiani ipſi faterentur, ſidera vitâ & intellectu prædita eſſe? Nec enim unquâ gentiles in animum induxiſſent, ſidera eò non eſſe invocanda, quia fortaſſe non eſſent in ſtatu gratiæ, ſed peccati, eoque damnationis. Nihil tale, inquam, cogitaſſent de ſideribus beneficis, inque æthere ipſo honorifica ſua munia bono mortalium capeſſentibus. Equidem non dubito, quin B. Auguſtinus, qui prius nutare viſus fuit, vel præcipuè, ad hoc periculum apud gentes & rudes Chriſtianos evitandum, priorem retractârit ſententiam; ut factum videmus lib. II Retract. cap. VII: quemadmodum & contrarium aſſerit libro contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas, cap. VII. Solidéque multò ante Auguſtinum ſententiæ iſtius auctoribus occurrerat Lactantius lib. II, cap. V: ubi inter alia ſic ſcribit: *Si Deos eſſe iccirco opinantur, quia certos & rationabiles curſus habent; errant. Ex hoc enim apparet Deos non eſſe, quod exorbitare illis à præſtitutis itineribus non licet. Cæterum ſi dii eſſent, huc atque illuc paſſim ſine ulla neceſſitate ferrentur, ſicut animantes in terra: quarum quia liberæ ſunt voluntates; huc atque illuc vagantur, ut libuit: & quo quamque mens duxerit, eo fertur. Non eſt igitur aſtrorum motus voluntarius, ſed neceſſarius, quia præſtitutis legibus officiiſque deſerviunt. Sed cum diſputaret* (Lucilius Stoicus apud Ciceronem *) *de curſibus ſiderum; quos ex ipſa rerum ac temporum congruentia intelligebat non eſſe fortuitos; exiſtimavit voluntarios, tanquam non poſſent tam diſpoſitè, tam ordinatè moveri, niſi ſenſus illis eſſet officii ſui ſciens.* Cætera quoque exſcribere longum foret. Ipſum adi: ac Prudentium in ſecundo adverſus Symmachum. Quare concludam verbis Damaſceni lib. II Orthod. Fid. cap. VI: Mn-

* lib. 2 de Nat. Deor.

δεὶς ἐμψυχωμένους τὺς ἀρανὺς, ἢ τὺς φωσφῆρας ὑπολαμβανέτω· ἄψυχοι γὰρ εἰσὶ, καὶ ἀναίσθητοι· *Nemo cœlos, aut luminaria, arbitretur animata. inanima enim sunt, & sensus expertia.* Atque hæc universè dicta sint de stellis, & divinitate iis falsò attributa. Deinceps de illis magis particularia prosequemur.

CAPVT XXXI.

Acceditur ad stellas erraticas. Martis scintillatio. Exclusis Sole Lunaque, qui Lumina *dicuntur, quinque sunt numero errones, qui Pythagoreis* canes Proserpinæ, *Ægyptiis* Deorum lictores. *Hi coloribus distincti.* Φωσφόρος *pro Luna, ut Latinis* Lucifera. *Venus, & Mercurius, incrementa, & decrementa sua habent, instar Lunæ: ac ejusdem instar, Venus, Mercurius, & Iupiter, eclipsin patiuntur.* Veneris stella διαφανῶς, *ut distinguatur à sidere Lunæ, quæ & ipsa* Venus *dicitur. Solem à Venere, & Mercurio, circumiri. Quando Venus vesperi, quando mane oriatur.* Vesper *pro* Lucifero. Nocturnus, *pro Hespero. Desultatorii equi Lucifero dicati. Hespero furvus equus, albus Lucifero. Elegiam in obitum Mæcenatis indignam esse Pedone Albinovano; contrà quàm viro magno visum. Venus distincta ab Hespero, ut præses ab eo cui præsidet. Festum* Phosphoria. *Venus, sexus utriusque sidus, cum Hesperum significat.* Phosphori *sive* Lucis-dubiæ *templum apud Gaditanos. Vnde Lucifer Hebræis* Helel *dicatur. Venus, cùm pro Luna sumitur, utroque est sexu prædita. Venus à mulieribus armatis, à viris culta muliebri habitu indutis. Quas caussas prætexant Saraceni, cur oscula dent lapidi, qui Veneris dicitur. Venerem iis, si Græcis credimus, Lunæ & Luciferi sidus complecti: ac dici illis* Chabar, *seu* Cubar: *hoc* Magnam *denotare. Vnde Diis* Cabiris *nomen.* Cochab *per* ἀντονομασίαν *pro stella Luciferi. Vnde sit, quòd Muhammedani hebdomadem terminent die Veneris, & cur per Hesperum ac Luciferum jurent.*

CVm stellarum aliæ sint fixæ, aliæ erraticæ: dubium non est, quin erraticæ priùs in Deorum numerum sint adscitæ. Vnde & cum Sole, Lunaque, solas eorum sunt nominibus dignati, qui *Majorum gentium Dii*, vel *Selecti* dicuntur. Ad honorem hunc multum contulit, quòd non consistant uno in loco; sed eum mutent: unde &, licet motus eorum sit certissimus, errare tamen per cælum videntur, contra naturam aliarum. Atque hæc caussa iis *planetarum*, sive *erronum* nomen fecit. Etiam ab aliis stellis eo differre animadversum, quòd non scintillarent: nisi quòd Martis stella interdum videatur vibrare ac quasi divaricare lumen suum: sive id ob peculiarem interpositi, seu ætheris, seu aëris naturam, sive aliam ob caussam, contingat.

Hujusmodi stellæ statui solent quinque: unde & Arato πένθ' ἀστέρες,

quinque ſtellæ, dicuntur : uti & Propertio lib. IV, eleg. I. Ac Tullius quoque in primo de Natura Deorum, nunc *quinque ſtellas vagas*, nunc *quinque errantia ſidera* appellat. Iulii item Hygini eſt in Poetico Aſtronomico : *Reliquum eſt nobis de quinque Stellis, quas complures, ut Erraticas, ita* Πλανήτας *Græci dicunt.* Ac ſimiliter Iulius Firmicus lib. I, cap. IV, & Macrobius lib. I in Somnium Scipionis cap. XVII ; qui ad diſcrimen harum, & cælo infixarum, Solem, Lunamque vocat *Lumina*, ut Græci φῶτα : nempe κατ' ἐξοχὴν, tanquam φωσῆρας μεγάλους, prout vocant LXX Gen. I, 16. Hebraicè eſt מְאוֹת הַגְּדֹלִים. Pythagorei, quia Proſerpina eſt Luna, propterea vocitarunt canes Proſerpinæ ; ut ait Clemens in V Στρωμαλέων, Ægyptiis habebantur velut ῥαβδοφόροι, ſive *lictores* : ſed δωδεκαλημόεια habita pro θεοῖς βυλαίοις, *Diis conſiliariis* : ut vetus ſcholiaſtes annotavit in IV Argonauticôn Apollonii.

In quinque his primò divinos obtinuiſſe honores videtur Venus, ſive

* *Homer. Iliad. χ. v. 318.*

Ἕσπερος *, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ·
Heſperus æthereo longè pulcherrimus orbe.

Facilè enim in ſe oculos omnium candore ſuo convertit : cum Mercurius contrà ſit cæruleus ; Iupiter rufus, aut flavus ; Mars cruoris inſtar nigricans ; Saturnus cinereus. Præterea obſervabant, hanc ſtellam moderatè calefacere, ac humectare : quo nihil ad generationem eſt conducibilius. Hinc Porphyrius apud Euſebium lib. III Præparat. Euangel. cap. XI : Τὸν δὲ τῆ Ἀφροδίτης ἀστέρα θεωρήσαντες γενεσιουργὸν, ὀπιθυμίας τε καὶ γονῆς αἴτιον, γυναῖκα μὲν ἀνέπλασαν διὰ τὴν γένεσιν, ὡραίαν δὲ, ὅτι καὶ Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος &c. *Stellam autem Veneris, cùm ad generationem prolemque gignundam aptam, & cupiditatis, ac ſeminis cauſſam eſſe animadverterent ; eam, ob generationem, effinxere ſpecie mulieris ; ſed formæ perelegantis, quia & eadem Heſperus ſit : qui pulcherrimus.* Duo igitur ſidera generationi præfecerunt ; Lunam, de qua fusè antea vidimus, & Heſperum, ut Porphyrius hîc docet. Atque ejus rei etiam communem eſſe cauſſam videmus : nempe quia utrumque ſidus modicè calefaciat, & humectet ; uti ad generationem requiritur. Atque arbitror, eandem eſſe rationem, cur & Luna, & veſpertina hæc ſtella, ſint commune nomen Veneris ſortitæ. Nam Lunam etiam Ἀφροδίτην ſive Venerem nominatam, fusè ſatis ſuperius † oſtensùm. Imo & his duobus commune eſt Φωσφόρου nomen datum. Nec enim ſolùm ſic Veneris ſtella dicitur, ſed etiam Luna : ut quæ Euripidæ ſit Φωσφόρος Ἀρτεμις, *Lucifera Diana* ; ut Tullius reddit in ſecundo de Nat. Deor. Ac ſimiliter capio in hoc ejuſdem philoſophi ſcenici :

† *cap. 27.*

— Ὅτι γὰρ ἐνιαυσίους τέκοι
Κάλλιστον, ἔνζωα φωσφόρῳ θύσειν θεῷ.

— *Pul-*

— Pulchri quicquid annus pepererit,
Est animus hoc offerre Luciferæ Deæ.

Phurnutus : Ἡ δ' Ἀρτεμις Φωσφόρος μὲν ἐπωνομάσθη, διὰ τὸ καὶ αὐτὴν στέλας βάλλειν, καὶ φωτίζειν ποσῶς τὸ περιέχον, ὁπόταν μάλιστα πανσέληνος ᾖ· *Diana quoque Luciferæ cognomen accepit, quia & ipsa splendorem emittat, ac cœlum aliquatenus lumine suo illustret, imprimis quando est plenilunium.* Magis etiam hi ipsi utrumque sidus communi Veneris & Phosphori nomine dignati forent ; si constitissет iis de aliis quoque, quæ communia habere, telescopio, sive tubo Batavo, repertum fuit. Quale est, quòd stella hæc instar Lunæ crescat, & decrescat : ac tum plena sit, quando remotissima est à terra ; corniculata autem, cùm retrograda, & terris proxima. Item quòd, ad Lunæ modum, patiatur Eclipsin. Neutrum tamen his convenit solis : sed prius in Mercurio quoque locum habet : posterius, ut in Venere & Mercurio, sic in Iove etiam, telescopio sibi deprehensum, tradit Mersennius in Genes. cap. 1, vers. XIX *. * pag. 108.

Quia igitur duplex est Venus ; Luna, & quinque erraticarum una : tollendæ ambiguitatis caussâ, erraticum hoc sidus non incommodè *stellam Veneris* dicemus : idque præeunte Tullio in II de Nat. Deor. item Varrone in secundo rerum divinarum libro ; unde hæc Servius adducit : *Ex eo, quo à Troja est profectus Æneas ; Veneris, per diem, stellam semper vidit ; donec in Laurentum agrum venit ; ubi non est amplius visa. quare cognovit, terras esse fatales.* Item eodem Varrone, apud B. Augustinum lib. XXI de Civit. Dei cap. VIII : *In cœlo mirabile exstitit portentum. Nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem †, Homerus * Hesperum appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit, tantum portentum exstitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum : quod factum neque antea, neque postea sit.* Græcis similiter Ἀφροδίτης ἀστὴρ † nominatur : nonnullis tamen Ἥρας ἀστὴρ † dicitur. Sed hæc probè conveniunt, cùm eadem sit diva : unde Laconibus simulachrum Ἀφροδίτης Ἥρας * : ut ex Pausania antea ‡ diximus.

† *Amphitr.* I, 1.
* *Il.* Ζ, 318.

† *Veneris stella.*
† *Iunonis stella.*
* *Iunonis Veneris.*

Nec per *Veneris stellam* solùm Vesperum sive Hesperũ intelligimus ; sed etiam Luciferum. Quippe eadẽ est stella. Nam cùm Mars, Iupiter, Saturnus, quia sint supra Solem, careant emersione vespertinâ, & occultatione matutinâ ; & contrà Luna, quia est sub Sole, nõ habeat emersionem matutinam, aut occultationem vespertinam : in Venere ac Mercurio, quia, ut cap. prox. dicam, circumeunt Solem, eoq; nunc illo superiores sunt, nunc inferiores ; utramque emersionẽ, utramque item occultationem, habemus. Ac Venus quidem, cùm superior est, mane occultatur, hoc est, sub radiis conditur Solaribus : oriturque vesperi, sive ex radiis Solaribus emergit : ac dicitur tum Hesperus, seu Vesper, sive Vesperugo : ut apud Plautum Amphy-

‡ *cap.* 27.

Amphytryone : ut obſervatum Varroni in v de L. L. & Feſto. Quando autem Sole eſt inferior, heliacè occidit veſperi, maneque oritur, ſive emergit : ac tum Εωσφόρος, vel Φωσφόρος, ſive *Lucifer*, vocatur, vel etiam *Eous*. Helvius Cinna apud Servium * :

* *in illud* 1 *Georg.* Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.

Te Matutinus flentem conſpexit Eous :
Et flentem vidit paullo poſt Heſperus idem.

Quodammodo tamen Phoſphori, & Heſperi nomina confudit Horatius lib. II, od. IX, cùm ait :

— Nec tibi, Veſpero
Surgente, decedunt amores,
Nec tepidum fugiente Solem.

Vbi communi nomine *Veſperi*, & matutinum, & veſpertinum ſidus complectitur. Magis diſtinxit Statius Papinius : qui, Plauti exemplo, Heſperum vocat *Nocturnum*, VI Thebaidos :

Roſcida jam novies cœlo demiſerat aſtra
Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes,
Mutato Nocturnus equo.

Quem ad locum ſic Lutatius ſive Lactantius : *Lucifer & mane oritur, & veſperi ; ſed equo mutato. Poetæ autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos ſingulos ſideribus. Eundem ergo Veſperum* (ac Luciferum) *vult haberi : ut Horatius Veſperum pro Lucifero poſuit.* Ab hac equi mutatione vocatus, *Deſultor* ; ſacratique illi ſunt deſultatorii equi. Caſſiodorus lib. III Var. ad Fauſtum Præpoſitum : *Biga quaſi Lunæ, quadriga Solis imitatione reperta eſt. Equi deſultatorii, per quos Circenſium miniſtri miſſos denunciant exituros, Luciferi præcurſorias velocitates imitantur.* Subjungit deinde : *Sic accidit, ut dum ſe colere aſtra putarent, religionem ſuam ludicrâ ſimilitudine profanarent.* Iſidorus lib. XVIII Orig. cap. XXXVI : *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas inferis, ſejugas Iovi, deſultores Lucifero & Heſpero conſecraverunt.* Cauſſas deinde, præterquam de deſultoribus, adjungit. Horum, deſultorum dico, ea eſt ratio, quòd Lucifer de equo in equum deſilire crederetur. Eorum unus albus, quo vehitur Lucifer. De eo ſic Ovidius II Amor. el. XI :

Hæc mihi quamprimum cælo nitidiſſimus albo
Lucifer admiſſo tempora portet equo.

† *verſ.* 314. At Heſperi equus furvus ; ut indicant Ovid. lib. II Faſt. † & Pedo Albinovanus eleg. in obitum Mæcenatis : ſi modò ea tam nobilis eſt poetæ, quod maximus vir Ioſephus Scaliger putabat. Mihi, ut liberè dicam, hominis Scholaſtici videtur. Nulla enim ex parte accedit ad genium, quem cernas in elegia Pedonis ad Liviam de morte Druſi Neronis. Sed enim dixerit aliquis, eos, quos ſignabã, Pedonis verſus valde adverſari nobis.

nobis. Nam Venerem eandem ac Heſperum dicebamus. At Pedo ait, Heſperum ſic diligi à Venere, ut medio etiam in curſu dimittat, valde cum aſtrico deſiderante choro, cujus fuerat choragus. Sic enim canit:

Quæſivere chori juvenem ſic Heſperon illum *,*
Quem nexum † medio ſolvit in igne Venus:
Quem nunc in fuſcis placidâ ſub nocte nitentem
Luciferum contrà currere cernis equis.

* *Scalig. pro* illum *leg.* olim. † *Scal. pro* nexum *leg.* necdum.

Sed facilè hunc nodum exſolvimus, diſtinguendo cum Varrone *, & Auguſtino †, triplicem gentium Theologiam; poeticam, philoſophicam, & civilem. Ex philoſophica de Diis doctrina, Venus eſt vel Luna, ut vidimus, vel Lucifer, ſive Heſperus. Sed ex poetica, ac civili, ſupra hos cælos ſtatuuntur mentes quædam æternæ à ſideribus diverſæ: quomodo Jovem, Apollinem, Iunonem, Venerem, cæteroſque Deos Conſentes, conſiderare jubet Appulejus. Quippe eos, inquit *, *Natura viſibus noſtris denegavit: necnon tamen intellectu eos mirabundi contemplamur, acie mentis acriùs contemplantes.* Quid apertius hîc, quàm ab eo per Deos Conſentes intelligi, non corpora cæleſtia, vel ſubcæleſtia: ſed ſublimiorem quandam naturam, nec niſi animis conſpicuam? Ex hujuſmodi igitur Theologorum mente diſtinguit Pedo inter Heſperum, & Venerem: perque hanc, non ſtellam intelligit, ſed mentem cæleſtem ſtellæ præſidem, viſui noſtro denegatam; quippe ſideribus omnibus ſublimiùs cælos terraſque deſpicientem.

* *lib.* 1 *rerum divinarum, cujus verba adduximus jam lib. hujus cap.* 1.
† *lib.* 4 *de civitate Dei cap.* 37, *& lib.* 6, *cap.* 4. *Verba appoſui cap.* 1.
* *lib. de Deo Socratis.*

Sidus hoc, de quo orſi eramus dicere, nunc conſiderabant ut maſculum, nunc ut femineum: quaſi Deum ἀνδρόγυνον *. Vt marem ſpectabant, cum dicerent, vel Heſperum, vel φωσφόρον ſive Luciferum; unde feſtum φωσφόρεια, Plutarcho memorata adverſus Coloten. Ac Gaditani etiam, ut Strabo teſtatur in tertio, habuere Φωσφόρου † ἱερὸν: ubi non Dianam Luciferam, ſed Veneris ſtellam intelligi, ex eo cognoſcimus, quòd addat, aliter vocari Λευκοθέαν: quaſi dicas Latinè, *Lucem-dubiam.* Vnde & colligere eſt, à Romanis eſſe hoc fanum. Vt feminam verò, Græci appellarunt Ἀφροδίτην, Romani *Venerem.* De quarum vocum origine vidimus cap. XXII, & XXVII. Hebræis vocatur הֵילֵל, ut Ieſ. XIV, 13, ubi legas הילל בן שחר Helel ben ſachar, *Lucifer, filius auroræ*, ſive *diluculi.* Eſt verò הילל, ab הלל, non prout notat *laudare:* unde *Hallelu-Iah, laudate Dominum:* ſed quatenus ſignificat, *ſplendere, illuminare:* à qua origine Arabibus etiam הלאל, *hilil*, hoc eſt, νεομηνία, ſive Luna nova; quæ iiſdem Luna tertia, quia novam numerant, ex quo cœpit apparere. Nec Hebræos fugit, Luciferum fuiſſe Veneri ſacratum. Nam Ieſ. XIV, 12, ubi in Hebræo eſſe diximus, *Lucifer, filius auroræ*, ſive Lucifer, qui mane oriebaris, Targum habet, *ſtella Veneris.* Vti & habet Maimonides in More Nebuchim parte II, cap. IX. Imò, Hebræorum

* *qui utrumque habeat ſexum.*
† *Phoſphori fanum.*

judicio, Veneris seu Luciferi venerationem etiam respexerit divinus Moses, cùm Deuter. XXII, 5, ait : *Ne sint arma viri super mulierem, nec induatur vir vestimento mulieris.* Qui locus adducitur quoque à Maimonide memorati proximè operis part. III, cap. XXXVII. Subjicit deinde, ut v. cl. Buxtorfius reddidit : *Invenies enim in libro* טומטום, tomtom *, præcipi, ut Vir ‡ gestet vestimentum muliebre coloratum, quando stat coram stella Veneris : similiter, ut Mulier induat loricam, & arma bellica, quando stat coram stella Martis.* Vbi videmus, distingui stellam Veneris ab illa Martis, & cultum hujus ab cultu istius. Vt liqueat, per Venerem ab eo non intelligi Lunam ; etsi subinde sic capiatur : etiã in re simili ; velut cum Philochorus in Attide (ut à Macrobio traditum est *) *eandem* (Venerem) *affirmat esse Lunam : & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili ; quòd eadem & mas æstimatur, & femina.* Vbi, Philochoro ut assentiam, facit, quòd constet, Lunam tum marem, tum feminam habitam ; unde Luni Lunæque appellationes, ut superiùs † dictum. Quare nihil impedit, quin eadem Venus, ut mas, & femina, culta sit. Sed dispar ratio in verbis Maimonidæ, vel saltem R. Samuelis Aben Tybbon Hispani, qui opus illud Maimonidæ ex lingua Arabica Hebraicè vertit : à quo non sola Venus nominatur, ut à Philochoro ; sed Venus, & Mars, opponuntur : ut diversi potiùs planetæ intelligi debeant. Præsertim cùm non simpliciter dicat, viros muliebri, mulieres virili habitu indutos : sed viros induisse muliebrem ; mulieres fuisse armatas. Cujus ratio obscura non est. Venus enim amorum, Mars armorum præses : ut facilè sibi persuaserint gentiles, non alios Veneri gratiores, quàm qui sese mollis sexus veste sisterent Deæ : nec alias Marti in ejus sacris esse acceptiores, quàm quæ in armis conspicerentur. De hac Veneris veneratione à viris, vestem muliebrem indutis, etiam legas apud Firmicum lib. de errore profanarum religionum : quo loco de Assyriis, ac Venere ab eorum sacerdotibus culta, disserit. Inter alia ait, eos *vocem effeminare, virilem sexum ornatu muliebri dedecorare, in ipsis templis muliebria pati, & hanc impudici corporis labem gloriosa ostentatione detegere, exornare muliebriter crines, & delicatis amictos vestibus vix caput lassa cervice ostentare.*

Etiam temporibus antiquis Venerem coluere Ismaelitæ. Eum verò cultum accepere ab his Saraceni : ut traditum Euthymio Zigabeno in Panoplia, quo loco Saracenos refellit. Græcè eam partem edidit Sylburgius. In qua, inter alia, legas, ut lapidem illum, quem Saraceni magna animi devotione osculantur, eo quòd existiment, esse lapidem, super quo Abraham cognovit Agar, vel cui alligarit camelum sacrificaturus filium, esse caput simulachri Veneris. Verba ejus sunt : Ὁ δὲ ῥηθεὶς λίθος, κεφαλὴ ἐστὶν Ἀφροδίτης ἐξίν· ᾧ πάλαι προσεκύνουν οἱ Ἰσμαηλῖται· φέρει γὰρ μέχρι καὶ νῦν τοῖς ἀκριβῶς

* *hoc est, de obturatu. In veteri tralatione pro* tomtom *perperam est* centir. † *In tralatione Buxtorfiana est* Mulier : *puto festinantis calami lapsu. Nam Hebraice est* הזיש Haisch : *non* האישה haischa : *quod mox sequitur.* * *lib.* III *Saturn. cap.* VIII. † *cap.* 5, *hujus lib.*

ἀκριβῶς καθορῶσιν ἐκ γλυφίδος ἀπολύπωσιν κεφαλῆς· *at prædictus ille lapis est caput Veneris, quam Ismaelitæ jam olim adorabant. Quippe lapis ille accuratius spectanti etiamnunc præfert deformationem capitis.* Etiam in anathematismis, qui recitantur convertenti se à Saracenis ad religionem Christianam, lapis ille dicitur esse in domo Make: atque ἐκλύπωμα τῆς Ἀφροδίτης ἔχειν *: item illa de Abrahami congressu super hoc lapide, & cameli ad eum alligatione, ibidem referuntur. Fortasse ista potiùs interpreteris de Venere, prout Lunam significat, & Vraniæ sive Cælestis nomine celebratur. Equidem ab opinione ea non abhorret animus: sed censeo, ista non pugnare. Quippe Arabes junxerunt cultum Lunæ, & Luciferi: ab Arabibus autem hunc ritum edocti sunt Saraceni. Saltem sic eorum mentem cepere Græci: uti videre est initio Saracenicorum, ex Euthymii Zigabeni panoplia: Οἱ Σαρακηνοὶ μέχρι τῆς Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως χρόνων, εἰδωλολάτρευν, προσκυνοῦντες τὸν Ἑωσφόρον ἄστρον, ἣν τὴν Ἀφροδίτην, ὃν δὴ καὶ Χαβὰρ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομάζουσι γλώττῃ· ὅπερ δὲ ἡ λέξις αὕτη τὸν Μεγάλων. *Saraceni usque ad Cæsaris Heraclii tempora idola coluerunt, adorantes Luciferum, & Venerem: quam suâ linguâ* CHABAR *vocant: vox autem ea illis* MAGNAM *significat.* Similiter Georgius Cedrenus in Chronicis, quo loco vitam Muhammedis perscribit: Τὸν Ἀφροδίτης ἀστέρα τὸν Ἑωσφόρον εἶναι μυθολογοῦσιν· ὃν δὴ καὶ Κυβὰρ τῇ ἑαυτῶν κακεμφάτῳ ἐπωνομάζηλο γλώσσῃ, ὅπερ ἐστὶ Μεγάλη· *Luciferum fabulantur esse stellam Veneris: quam & linguâ suâ absonâ absurdâque appellant* CVBAR, *quod significat* MAGNA. Posteaque hanc Saracenorum precationem subdit: Αλλὰ, ἀλλὰ, ὐὰ, κυβὰρ, ἀλλὰ: ac ἀλλὰ ἀλλὰ exponit ὁ Θεὸς, ὁ Θεὸς: ὐὰ, μείζων: Κυβὰρ, ἡ μεγάλη, εἴτουν ἡ Σελήνη, καὶ Ἀφροδίτη. ALLA ALLA, *Deus, Deus*; OVA *major*; CVBAR *magna, puta Luna & Venus.* Priori loco dixerat, Deam Cubar esse Luciferum, Veneris stellam: hîc ait esse Lunam ac Venerem: ut Luciferum cum Luna coluisse videantur. Interim Cedrenus de Ουὰ, ut bene monitum clarissimo Seldeno †, deceptus fuit, cùm sit copula, ut Hebræis ו. Quare sensus est, *Deus, Deus, & Magna illa, Deus.* Pro Κυβὰρ apud Euthymium, ut vidimus, est Χαβάρ. Quod verò uterque *magna* exponit, id firmatur Hebræo גִּבּוֹר, cabir, *magnus, fortis*: ut Iob. VIII, 2. Indéque Samothracum Dii Κάβειροι, q. d. Deos magnos, ac potentes.

* *Veneris effigiem in se habere.*

† *Syntagmate 2 de Diis Syris, cap. 4.*

Satis hæc ostendunt, Euthymium, & Cedrenum, Saracenis tribuere Luciferi, & Lunæ cultum. Deque Lucifero favet quoque B. Hieronymus in vita B. Hilarionis eremitæ: *Vadens in desertum Cades, ad unum de discipulis suis visendum, cum infinito agmine monachorum pervenit Elusam, eo fortè die, quo anniversaria solemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita est.* Idem in hoc Amos cap. v, 26: *Portâstis verò Siccuth regem vestrum, & Chijunem, imagines*

gines veſtras, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis : Sidus, inquit, *Dei veſtri Hebraicè dicitur* כוכב, Cochab, *id eſt, Luciferi : quem Saraceni huc uſque venerantur.* Nec fugit B. Hieronymum, *Cochab* generatim notare ſtellam : ut Num. XXIV, 17. Sed putavit, *Sidus Dei veſtri,* idem valere ac, Deus veſter, qui eſt ſidus : quomodo, ex Aben-Eſræ ſententia, Geneſ. 1, 31, dicitur *expanſum cæli,* pro cælo : ſimiléque *oppidum Antiochiæ,* pro Antiochia oppido, apud Ciceronem lib. v, epiſt. XVIII : *Eridani amnis,* pro Eridano amne, Maroni in ſexto, & ſimilia. Aben-Eſra tamen *Chijunem* in verbis prophetæ adlatis non Luciferum, ſed Saturnum, interpretatur. Vtcunque hoc fuerit, ex iis, quæ diximus, ſatis eſt apertum, non Lunam modò, ſed Luciferum quoque, cultam eſſe à Saracenis. Atq; ab iis hoc Muhammedani habent, quod illis dies Veneris ſit hebdomadis finis : quam *Giuma,* hoc eſt, συνάξιν, appellant *, quia eſt finis cultus, quo congregantur. Quemadmodum & exinde eſſe arbitror, quòd jurant per ſtellam veſpertinam, & auroram : ut ex Alphurcain ſive Alcorano videre eſt Azoara LXIII, XCVI, & XCIX. Sed longum fuerit omnia adferre, quæ ad Veneris, ſive Luciferi cultum pertinent : præſertim ſi etiam me conferam ad gentes barbaras, tum antiquas, tum proavorum ætate repertas : ex quibus Peruanos coluiſſe Luciferum, parebit inferiùs, cùm universè de ſtellis fixis dicetur.

* *Scaliger lib. 2 de Emendatione Temp. lib. 2, cap. de anno Hegiræ, & lib. 5, cap. de primo Muharram Hegiræ.*

CAPVT XXXII.

Ad Mercurium acceditur. Eum, Veneremque, non ſemper Sole eſſe depreſſiores ; ſed ſublimiores quoque, cùm utrumque ſidus volvatur circa Solem : neque id planè veteres fugiſſe. Eoque, ſi cœlum ſit ſolidum durumque ; proprios utrique epicyclos in Solis orbe tribui oportere. Porphyrio, ut Phœnici, ex Orientis more, Mercurium partim in Sole collocari, partim in Luna : priori modo, quatenus ratio eſt ; altero, prout orationem ſignat. Λόγος σύνδεσμος Hermopan, & Ægyptiis Hermanubis. Seches, Merkolis, Margemah, *Orienti ſunt, qui Græcis* Ερμῆς, & Στίλβων. Mercurii *etymon,* & Στίλβοντος. *Cur Mercurium rationi, & orationi, præfecerint. Quanto Mercurius minor Lucifero, ſive Heſpero ; quantoque vicinior Soli. Cur Venus amoribus præfecta. Cur Mercurius dicatur ſtella communis : cur idem miniſter Deorum, & eloquentiæ præſes. Vnde ſint* Ερμῆς, ſermo, ſequo *pro* dico. *Cur Mercurio attributa talaria, & alæ. Cur Lyſtrenſes Barnabam quidem Iovem, Paulum verò Mercurium putarint. Cur Mercurii ſeniores rigente faſcino, manibus & pedibus mutili ; juniores verò, cum languido veretro, ſoleant effingi. Porphyrius, & Phurnutus aliter, quàm ab interpretibus factum, expoſiti. Cur Mercurius mercatoribus præſit. Cur gallum ei ſacrificarint. Mercurii etymon alterum. Ratio ab ea, quam ſuperiùs adduximus, diverſa, cur*

Mer-

Mercurius viis præfectus. Consuetudo lapidem adjiciendi acervo in Mercurii honorem : cujusmodi acervum ἑρμαια *etiam dixerint. Ritus idem apud Saracenos, sive Arabas ; sed in Veneris honorem : & unde sit, quod in Oriente alii Mercurium, Venerem alii, hoc honore affecerint : & cur Muhammedani turribus imponant signum Lunæ corniculatæ.* Ermensuyl *Germanis quidem Mercurium esse ; sed prout Solem designat. Vocis ejus etymon variè allatum. De ara Mercurii apud Gandavenses, & simulachro ejusdem apud Walachros, & unde Mercurio nomen* Walacher *datum.*

A Veneris stella venio ad Mercurium : idque non tam, quia ambo sub Sole constanter ferantur ; quemadmodum Ptolemæus putabat : quàm quia ambo sint *Solis comites* ; ut Cicero vocat in Somnio Scipionis, & Appulejus de Mundo : & quidem Solem ambo semper circumeant, sic ut dimidio tempore sint supra eum, dimidio infra eundem ; quemadmodum à Copernico, & Tychone, solidè est ostensum. Neque antiquis hoc temporibus planè fuisse ignoratum, docet nos is, qui Augusti Cæsaris temporibus vixit, M. Vitruvius ; cujus hæc verba lib. IX, cap. IV : *Mercurii, & Veneris stellæ, circum Solis radios, Solem ipsum, uti centrum, itineribus coronantes, regressus retrorsum, & retardationes faciunt, etiam stationibus propter eam circinationem morantur in spatiis signorum.* Ac plura ibidem in hanc mentem ; quæ cum retulisset, subjungit : *Vti à præceptoribus accepi, exposui :* quod argumento est, aliorum quoque eo tempore hanc fuisse opinionem. Similiter verò Martianus Capella lib. VIII : *Mercurii, Veneriſque circulos epicyclos esse, id est, non intra ambitum proprium rotunditatem telluris includere ; sed de* (Solis) *látere quodammodo circumduci.*

Quamobrem, si secundùm Peripateticorum placita, solidi & densi orbes sint cælestes : necesse est fateamur, non esse orbes Veneri ac Mercurio proprios, sed suos in Solis orbe epicyclos ; non imaginarios quidem, sed veros ; quibus delati eandem sub fixis insistant viam, non modò cum directi, sed etiam cum stationarii, imò & quando retrogradi videntur. Eamque me opinionem memini anno abhinc quadragesimo in alma Batavorum apud Leidenses Academia, inter selecta ex singulis pene disciplinis pronunciata pro summi in philosophia honoris laurea publicè tueri. Nempe in peripato compluribus annis educto ulterius ab sectæ nostræ principe abeundi deerat fiducia. Sed si liquidum est cælum, (quod Scripturis, & Platoni, priorumque aliis, sanctis item Patribus, atque adeò experientiæ etiam, magis esse consentaneum, inferiùs ostendam) verisimilius etiam sit, planetas hosce, dum Solem ambiunt, stante cælo per se moveri, cœlumque, avium instar, penetrare.

Cultus Mercurii est ab Oriente. Sed primitus Oriens per Mercurium potius Solem, imò quandoque & Lunam intellexit. Videlicet (ut Porphyrius ait apud Eusebium *) utriusque λόγου, hoc est, tum rationis, tum orationis, ὁ Ερμῆς ἀμφιδέξιος· *Mercurius est exhibitor ac repræsentator.* Sed Mercurio, ut rationem signat, sedes data est in Sole; ut autem orationem notat, in Luna: unde idem subdit: Λοιπὸν δὲ ὁ σύνθετος λόγος, ὁ μὲν ἐν Ηλίῳ, Ερμῆς· Εκάτη δὲ, ὁ ἐν Σελήνῃ· *Cæterum cum id, quod Græcis dicitur* LOGOS, *compositum sit ex ratione, & oratione:* LOGOS *quidem ille, qui in Sole est, propriè* MERCVRIVS; *alter verò, qui in Luna,* HECATE *nominatur.* Nempe ratione & viribus antistare, convenit magis viris: facundiâ pollere etiam mulierum est: ut non injuriâ, quemadmodum & antea diximus, molli ea ac femineo sideri tribuatur. Atque ibidem addit, ut Logos ille compositus Ερμόπαν dicatur; voceque ex Græco, & Ægyptio nomine conflatâ, Ερμάνθις.

* *lib. 3 præparat. Euang. cap.* 11.

Interea & stellæ Mercurialis cultus erat apud Orientales; inter cæteros, Babyloniis: qui eam coluere sub nomine *Seches*: si rectè modò Hesychius: Σεχὲς, ᾧ Ερμῆ ἀστὴρ Βαβυλωνίοις· *Seches, Mercurii stella Babyloniis.* Sed fortasse *Seches* idem ac *Sesach*: ac à *Seches* dictum sit Sacæorum festum. Verùm hoc Dianæ Anaitidi erat sacrum, non Mercurio, sive per eum Solem, sive stellam Mercurii intelligas; quod maluit Hesychius. Vidimus de hoc cap. XXIII. Dixere & Orientales מֶרְקוֹלִיס, *Merkolis*: unde Latinum *Mercurius*: item vocarunt מַרְגֵּמָה, *Margemah*: quemadmodum de utroque postea parebit: uti & cur Græcis Ερμῆς, nuncupetur. Idemque ἐπὶ Στίλβων vocatus; ut ex Latinis testantur Cicero, Hyginus, Appulejus, Capella: ex Græcis Aristoteles, vel alius de Mundo, Hesychius, & alii. Sic verò dictus, non quia lumen suum vibret, prout στίλβειν dicuntur stellæ fixæ; sed simpliciter, quia splendeat. Nam & στίλβειν, λάμπειν, ut Hesychius exponit.

Quæ Mercurio tribuerint gentiles, indicat Seneca lib. IV de beneficiis cap. VII; ubi ait, Deum, & Naturam, vocari *Mercurium, quia ratio penes illum est, numerusque, & ordo, & scientia.* Sed ista prope ad omnia humana se extendunt. Ex quibus tria potissimùm constare Mercurii beneficio credebantur. Complexus ea est Cæsar commentario VI belli Gallici: *Deum maximè Mercurium colunt. hujus sunt plurima simulachra: hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.* De Gallis loquitur; sed ex iis, quæ subjungit, facilè apparet, eandem fere religionem his tribuisse, quam reliquæ gentes haberent. Primùm igitur videbimus, cur gentiles à Mercurio artes crediderint repertas. Deinde cur & mercaturæ

turæ præfecerint. Denique cur eundem putarint viarum præsidem.

Ex iis, quæ de Sole, & ejus cultu, fusè adeò prosecuti antea sumus, liquidò perspeximus; Solem habitum Deorum principem : quippe cor mundi, vitæ fontem; à quo etiam animis cælitus se in corpora insinuantibus ingenii solertia, linguæ facundia, & tot alia bona, promanarent. Proximum ab eo honorem tribuerunt Lunæ; quia & magnitudine,& effectibus, maximè esset conspicua. Hinc itum ad planetas, & propinquitate, & errore suo, magis notabiles. Eorum quo quisque propior Soli, hoc magis ejus participat naturam. Itaque ex superis planetis Mars magis Iove calidus est, & siccus; Iupiter magis Saturno : ut cap. proximo exponam. Ex inferis autem planetis Mercurius Soli similior, quàm Venus. Longè quidem minor Mercurius est; quando Veneris ad terram cubicam proportio est ea, quæ senarii ad unum : at Mercurii ad eandem,ut XIX ad I. Verùm ut minor sit Venere,Soli tamen vicinior est. Nam cùm Venus etiam ad XLVII gradus à Sole excurrat : Mercurii stella, cùm à Sole abit, apogæa quidem est intra XXIX gradus *, perigæa autem infra XVIII. Ab hac Solis vicinitate major est Mercuriali stellæ calor, major siccitas. Itaque Veneris quidem stellam ob moderatum calorem, & humorem,quæ ad generationem plurimùm habent momenti,præfecere amoribus : in quibus est generandi appetitus. At Mercurium,qui calidior sicciorque, ac simile in nobis facit temperamentum,præfecere ingenio ac sermoni : quia qui temperamenti sunt calidioris ac siccioris, soleant esse ingenii solertis, judicii acris, diserti, negotiosi, atque industrii.

* *Keplerus epit. Astronom. lib. 6, part. 3.*

Sed enim, qui ingenio, & facundiâ valent, duûm sunt generum : cùm alii sint bonæ frugis,alii ad nequitiam animum applicent. Neutrum istorum Mercurio attributum,qui ad illa indifferens; unde *communis stella* dicebatur. Itaque Appulejus libro de Mundo; *Solis*, inquit, *comites, amœnus Lucifer, & communis Cyllenius stella.* Sed communis hæc vis ad alterutrum restringebatur à vicino planeta; qui si bonus foret ac salutaris, sollertia & facundia se exerebant in rebus honestis, & publico utilibus : sin se noxio planetæ applicuisset, fiebant homines improbè versipelles, & γρεψίμαλλοι ac vulpiones, ad alios, ac publicum, perdendum. Eam rem sic explicat Servius in I Georg. *Sciendum sanè de planetis quinque duos esse noxios, Martem,& Saturnum; duos bonos,Iovem,& Venerem : Mercurius verò talis est, qualis ille, cui jungitur. unde etiam fingitur minister esse Deorum, quod eorum obtemperat potestati. Hinc est, quòd dicit : In quos cœli orbes errat Cyllenius ignis. Id est, utrùm in Septentrionalem, aut in Australem partem inclinetur : aut cui planetarum cohæreat, ut qualitatem Mercurii ex illo possis agnoscere.* Similiter Ioannes Saresberiensis Policratici sui lib. II, cap. XIX : *Mercu-*

rius

rius verò talis est, qualem vicini planetæ permiserunt: cùm & ipse convertibilis naturæ sit, potentioribusque cohæreat. Vnde eum plerique præsulem Eloquentiæ opinantur, eò quòd illa juncta Sapientiæ plurimum prosit; Malitiæ sociata, noceat plurimum.

Ab eo, quòd loquelæ, & eloquentiæ præesset, Ερμῆν dixere Græci. Nam ab ἐρέω, id est, *dico*, Ερμῆς venit; unde ἑρμηνεύειν, *interpretari cogitationes latentes*: tum *sero* pro *dico*: item *sermo*. Nempe eâdem analogiâ ab ἐρῶ, *dico*, sit *sermo*, ac ab εἴρω, *necto*, est εἱρμὸς, *series*. Imò Scaliger *sermo* ab εἱρμὸς deducit. Sed malim ab ἐρέω. Nam & spiritum tenuem quandoque abire in S, ostendunt *sudus* ab ἴδος; *sequo* pro *dico*, ab ἔπω; unde ἔννεπε, *inseque*, apud Livium Andronicum.

* *Horat. lib.* 1, *od.* 10.

Quia loquelâ perficiunt rem nuncii, eò Mercurius *Deorum nuncius* * fingebatur. Hæc enim simplicissima ratio ejus appellationis videtur. Phurnutus addit, quia divinam voluntatem orationis præsidio cognoscimus. Aliam etiam caussam ex Servio antea adduximus. Atque ex his eâdem videmus, cur Mercurium Homerus † διάκτορον sive διάκτορα ‡ appellet. Eidem, ut est apud eundem Phurnutum, aurata addidere talaria, quia veloces esse nuncios oportet. Sive etiam, quia ἔπεα πτερόεντα *, secundùm Homerum. Propterea & petaso, non humeris, addidere alas; ut volucrem signarent sermonem, qui à parte capitis proficiscitur. Atque ob hanc etiam caussam Λόγιος dictus est, eique linguam sacrificabant: de quo itidem Phurnutus; item Athenæus †, Suidas, & Apollonii scholiastes. Etiam Aristides in Platonicâ secundâ τὴν ῥητορικὴν vocat τοῦ Ερμοῦ δωρεάν ‡. Vnde etiam liquet, cur Lystrenses, cum SS. Paulus, & Barnabas, claudum sanassent, utrique divinos exhibere voluerint honores; Barnabæ, ut Iovi; Paulo, ut Mercurio, quia dux esset verbi: quemadmodum legere est Act. XIV, 9.

† *Iliad.* 8.
‡ *ministrum, & internuncium.*
* *verba alata.*
† *lib.* 1, *cap.* 9.
‡ *Mercurii donum.*

Vide autem, quàm ridiculis symbolis divinum τοῦ λόγου, hoc est, rationis & orationis donum adumbrarint gentiles. Animi enim, & sermonis contentionem intentis viri verendis expresserunt. Qua de re sic Herodotus in Euterpe: Τοῦ δὲ Ερμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες, οὐκ ἀπ' Αἰγυπτίων μεμαθήκασι, ἀλλ' ἀπὸ Πελασγῶν, πρῶτοι μὲν Ελλήνων ἁπάντων Αθηναῖοι παραλαβόντες, παρὰ δὲ τούτων ᾤλλοι. Αθηναίοισι γὰρ δὴ τηνικαῦτα ἐς Ελληνας τελέουσι Πελασγοὶ σύνοικοι ἐγένοντο ἐν τῇ χώρῃ· ὅθεν περ καὶ Ελληνες ἤρξαντο νομισθῆναι· *Vt verò Mercurii statuas facerent cum rigido ac porrecto veretro, non ab Ægyptiis, sed à Pelasgis, didicerunt: & primi quidem Græcorum omnium acceperunt Athenienses, ab his autē alii. Nam eâ tempestate Græcis aliis præstabant Athenienses: in quorum regione cohabitabant Pelasgi: unde & cœpere haberi pro Græcis.* Mysticè eo vis sermonis notabatur; ut Plutarchus nos docet; qui & addit,

addit, solere Mercurium manibus & pedibus mutilum effingi. Locus est, libro, An seni sit gerenda Respublica: ubi senem, ait, posse esse immunem ab iis, quæ corpore obeuntur, ac sufficere, ut consilio valeat. Subdit inde: Διὸ καὶ τοὺς Ἑρμῆν τὰς προσβυτέρους, ἀχείρους καὶ ἀποδας, ἐντεταμένους δὲ τοῖς μορίοις, δημιουργοῦσιν· αἰνιττόμενοι, τοὺς γεροντων ἐλαχίστα δεῖσθαι τοῦ σώματος ἐνεργούντων, ἐὰν ὁ λόγον ἐνεργὸν, ὡς προσήκει, καὶ γόνιμον ἔχωσιν· *Propterea & Mercurios seniores, sine manibus ac pedibus, rigido fingunt veretro; hoc obscurè quasi per ænigma innuentes, hautquaquam à senibus requiri, ut corporis ministeria obeant; dummodo ratio iis, atque oratio, efficax sit ac fecunda.* Eodem refero illa Porphyrii apud Eusebium *: Ὁ δὲ ἐντεταμένος Ἑρμῆς δηλοῖ τὴν εὐλογίαν· δείκνυσι δὲ καὶ τὸ σπερματικὸν λόγον τοῦ διήκοντος διὰ πάντων· Quæ sic vertit interpres: *At Mercurius erecto quidem & intento corporis statu, tum vim orationis contentionemque repræsentat; tum verò seminalem quoque ostendit rationem cuncta permeantem.* Non videtur mentem cepisse Porphyrii. Censeo ego, vocem ἐντεταμένη † significare, eum parte illâ tentum, quæ exinde Catullo *, & Horatio ‡, *tentum* nominatur. Nam valde hoc convenit cum illo, quod dicit Porphyrius, significari eo λόγον σπερματικὸν, *sermonem seminalem ac fecundum.* Ἐντεταμένος igitur valet ἐντεταμένος τῷ μορίῳ *, ut Plutarchus hoc extulit; quemadmodum antea vidimus. Idem de fascino refert Phurnutus: atque addit, juniores Mercurios cum languente fascino efformatos, ad animi, & sermonis, infecunditatem in iis significandam.

* *lib. 3 Præpar. Evang. cap. 11.*

† *extenti.*

* *epigr. ad Gellium.*

‡ *epod. od. 12.*

* *intentam habens eam partem corporis, qua viri sumus.*

Atque ex his satis est videre, quomodo, & quamobrem Mercurium præfecerint, ingenio, & sermoni; & ut ab eo artes crediderint inventas, ad quas sermone, vel sollertiâ, opus est. Venio nunc ad alterum, cur negotiis, & quæstui, præesse existimarint. Hoc quoque ex iis, quæ exposuimus, non obscurè diducitur. Nam & ingenium subactum in mercatura requiritur; & commercia sermone constant, ac eo sæpe fraudulento; unde & Mercurius impostor, & fur fingitur. Gallus etiam ei victima erat, quia in mercatore exigitur vigilantia. Possis ab hac præfectura etiam nomen Mercurii arcessere. Non multum enim à *Mercurio* abit סְחוֹרָה †, *negotiatio*, à רָכַל, *negotiari*, *mercari*. Quod etymon placuit necessario ac propinquo meo, Ioanni Brunæo I. C. Reip. Middelburgensis Senatori ac Quæstori, viro Orientalium linguarum peritissimo, nec aliis eò studiis inferiori.

† *Ezech. 28, 16.*

Supereſt tertium, cur Mercurium etiam viarum fecerint præsidem. Planè videtur hic honos potiùs competere Mercurio, ut Solem signat, quàm stellæ Mercuriali. Solari enim lumine vias de die cognoscimus; quod noctu præstat Luna. Itaque ut Diana, quæ est Luna, vocitata est Ἐνοδία: sic dictus est Ἑρμῆς Ἐνόδιος, qui non alius ac Ἀπόλλων Ἀγιεὺς: quin

verò Apollo Sol sit, dubium non est. Putidius autem sit, hanc viarum notitiam tribuere, non lumini Solari, sed minutæ Mercurii stellæ, & rariùs apparenti. Atque hoc etiam dictum nobis cap. XIII. Interea nunc occurrit etiam ratio, quâ possis referre hoc decus ad Mercurii stellam. Nam hæc, ut paullo antè dicebamus, præerat loquelæ: at ut cogitationis symbolum est loquela, ita loquelæ signum est scriptura, vel aliud, quod eandem habeat vim. Quid mirum igitur, si & viæ monstratio Mercurii stellæ sit attributa, quando *Mercurius* fingeretur formâ capitis humani impositâ lapidi quadrato, cui inscriptum foret, quò via duceret. Ponebantur autem hujusmodi Hermæ in biviis, triviis, quadriviis. Eosque magnam partem facie truncavit Alcibiades; ut est apud Andocidem, oratione de Mysteriis habitâ, item Plutarchum in Alcibiadis vita. Ac quia caput Mercuriale imponeretur cubo, eo Mercurius τετράγωνος * dicebatur †. Ab eadem caussa est, quòd Mercurium vocarint lapidum congeriem. Isidorus in Glossis: *Mercurii, lapidum congeries in cacumine collium.* Nempe viator quisque in acervum mittebat lapidem, ut sic crescceret, ac faciliùs viam monstraret. Eáque lapidum congeries Mercurio erat sacra, quia in via indicanda præstaret vicem linguæ, quæ Mercurio sacrata, uti instrumentum loquelæ, quæ Mercurii beneficium censebatur. Quam verò rationem gentiles sint commenti de jactu lapidum à Deorum singulis, cùm Mercurius interemti Argi reus ageretur, eam ex Anticlide videsis apud Didymum ad Odyss. Π *, annotatione extremâ, quæ in illud est poetæ:

* *quadrangulus, sive quadratus.*
† *Phurnutus.*
* *vers.* 471.

Ηδη † ὑπὲρ πόλιος, ὅθι δ' Ερμαῖος λόφος ἔζιν.

‡ *Iam ad locum urbi imminentem, ubi Mercurialis est acervus.*

Item apud Etymologici magni auctorem, voce Ερμαῖοι, ubi Xanthum ejus historiæ laudat testem, Lydiacorum scriptorem, Straboni, Plinio, Hephæstioni, atque aliis etiam, memoratum. Ab hoc ritu proverbium est apud Hebræos: *Spargit lapidem in Merkolis.* De quo Drusius proverbiorum classe 1, lib. 11, prov. XXXIV. Sed Salomon pro *Merkolis*, sive *Marcolis*, dixit מרגמה, *Margemah.* Locus est Proverb. XXVI, 8: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Margemah, sive Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem.* Sententia est, non magis ex eo gratiam sperandam, quod stultum honore augeas: quàm acervus lapidum Mercurii sibi honorem habitum agnoscit, si lapidem in transitu adjeceris. Perdere igitur beneficium, qui id conferat homini bruto ac insipienti. Eos acervos dixere Ερμάιους λόφους, ut ait Didymus sive alius ad Odyss. Π. Ερμακα vocat Nicander in Theriacis:

Τῶν οἱ μὲν λίθακάς τε, & ἕρμακας, ἐνναλίους.

Ferarum, inquit, *sive serpentium aliæ in rupibus & lapidum cumulis habitantes, sive delitescentes.*

Vbi

Vbi ſic ſcholiaſtes : Ερμακας, τὺς ἑρμαίυς ἐς λιθώδεις τόπυς· ἢ ἔρμακας, λίθυς σεσωρευμένυς εἰς τιμὴν τῶ Ερμῦ· HERMAKAS, *Mercuriales ac lapidoſos locos : ſive* HERMAKAS, *lapides coacervatos in honorem Mercurii.* Hæc lapides jaciendi conſuetudo etiam obtinuit apud Indos, & Arabas : hodieque in uſu eſt apud Muhammedanos, non quaſi eam Muhammedes tradiderit, ſed quia apud Saracenos repertam non mutârit. Qua de re illuſtris eſt locus hominis Chriſtiani, ſed qui Arabicè adverſus Muhammedanos ſcripſerit. Ejus verba Latinè reddita legere eſt apud Vincentium Bellovacenſem lib. IV Speculi Hiſtorialis. Quæ licet jam adducta à Scaligero videam in V de Emendatione Temporum *, & Druſio in Hebræorum Proverbiis †, tandem tamen in animum induxi hoc etiam loco memorare. Sunt verò iſtiuſmodi : *Duarum Indiæ gentium, quæ vocantur Zechiam, & Albarachuma, antiqua conſuetudo fuit, nudos & decalvatos, magniſque ululatibus perſonantes ſimulachra dæmonum circumire, angulos quoque oſculari, & projicere lapides in acervum, qui quaſi pro honore Diis exſtruebatur. Inde eſt, quòd in libro Salomonis dicitur : Qui projicit lapidem in honorem Mercurii. Faciebant autem hoc bis in anno ; Sole ſcilicet exiſtente in primo gradu Arietis, & rurſum, cùm eſſet in primo gradu Libræ : hoc eſt, initio Veris, & Auctumni. Hæc ergo conſuetudo cùm ab Indis ad Arabes deſcendiſſet ; eamque ſuo tempore apud Mecham in honorem Veneris Mahumed celebrari reperiſſet : ſic illam manere præcepit, cùm tamen cætera idololatriæ veſtigia removiſſet. Illud verò ſoli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi ſolitum, ut lapilli retro, id eſt, ſub genitalibus membris, projicerentur, eò quòd Venus illis maximè partibus dominetur. Vnde id adhuc hodie fit in domo Dei illicita quam vocant.* Hactenus ille. Ex quo videmus ritum, qui à gentibus aliis in honorem Mercurii fieri ſolet, eum à Saracenis præſtitum honori Veneris. Cauſſa hujus rei, quantum video, etiam fugit homines eruditiſſimos. Eam autem arbitror, quòd Orienti, ut ex Porphyrio antea diximus, Mercurius, quatenus rationis præſes, Sol crederetur ; quatenus orationis, putaretur Hecate, ſive Luna, quæ & Venus Orienti. Cùm igitur gentes aliæ Mercurium colerent, quatenus Sol eſſet : Saraceni ſive Arabes coluere eundem, quaſi foret Venus ſive Luna : ut quam in præcipua dignatione haberent : unde hodieque eſt, quod uti Chriſtianorum in templis ac turribus crucem eſt videre : ita in illis Muhammedanorum conſpicere ſit Lunam corniculatam, quam *Helal* nuncupant.

* *cap. de primo Muharram Hegira.*

† *claſſ. I, lib. 2. proverb. 34.*

Quod verò dicebamus, Mercurium Orienti eſſe Solem : id in veteribus Celtis quoque locum habet. Ideo ſuperiùs eo etiam reducebamus Germanicum Mercurium Wodan dictum. Eodemque refero Teutatem : de quo egimus lib. I, cap. XXXVII, ac libri hujus cap. XIII. Item Ermenſul, ſive Irmenſul : cujus numinis mentio eſt in vita Karoli Magni,

extremis Ludovici Pii temporibus scriptâ, atque à Pithœo editâ. Item in vetustis Francorum annalibus ab eodem editis, ad ann. Io CCLXXII, his verbis : *Carlus Saxoniam bello adgressus, Eresburgum castrum cepit, & idolum Saxonum, quod vocabatur* IRMINSVL, *destruxit.* Vbi *Irminsul* plerique qui proximis seculis vixerint, interpretantur *Mercurii statuam:* ut sit ex Irmen, sive Ερμῆς †, & suyle, id est, *columna.* Alii quasi idermans-suyl : hoc est, cujusvis columna, sive universalis, omniáque sustinens columna. Posterius est in Chronico Conradi à Lichtenau * : quo loco de origine Saxonum agit. Sed Albertus Crantzius, Saxoniæ suæ lib. II, cap. IX, eò magis inclinat, ut Mars fuerit : eoque interpretatur, idermans-suyl, hoc est, *Mars communis :* non quasi suyl proprie esset Mars ; sed quia propriè esset *asylum*, unde κατ' ἀφαίρεσιν suyl ; pro asylo autem esset statua non Mercurii, sed Martis : pro qua sententia facit, quòd statua illa esset Dei toto corpore armati. Etiam Georgius Fabricius in Saxonia sua, cùm antea † dixisset, Irmensuyl Mercurium esse ; postea ‡, sitne Mars, an Mercurius, ambigit. Interim, ne hæc quidem opinio caret controversiâ. Nam quid si, quæ Georgii Spalatini erat conjectura, statua hæc fuerit constituta Hermanno, sive, ut Romani vocitabant, Arminio, inclyto, ac fortissimo Germaniæ heroi ? Potuit ea statua primitus esse posita heroici honoris ergo, quæ postea cesserit in divinum : qualia superiori libro aliquot retulimus exempla. Magis saltem hoc placet, quàm ut dicatur, quasi irmen-stal ; atque hoc sonet *Luni Dei stabulum :* prout derivat, ac exponit, magnum Hornæ-suæ, ac totius Hollandiæ, ornamentum, Hadrianus Iunius, Bataviæ suæ cap. VIII. Quod si de Arminio placet, mixto cultu in Arminio venerati sint Martem, vel Herculem : cujus cultum esse Arminio vetustiorem, ex Cæsare, & Tacito, non obscurè cognoscimus. Vide, quæ diximus lib. I, cap. XXXVII. Sed esto sanè, ut, quemadmodum communior est opinio, Irmen-suyl, sit Irmi, sive Hermæ, hoc est, Mercurii statua, vel asylum : non tamen hoc loco tam Mercurii stellam intellexerint, quàm Solem : cujus rei caussæ ex illis petendæ, quæ primo dicebamus libro.

† *Mercurius.*

* *pag.* 103, *edit. Basil. an.* 1569.

† *p.* 93.
‡ *p.* 426.

Atque ex his eâdem dilucet, quid judicii quoque ferri debeat de ara Mercurii à Gandavensibus, postquam eos S. Amandus converterat, dejecta : ut in S. Bavonis vita refert Theodericus, abbas S. Trudonis. Item liquet inde, quid statui debeat de Mercurii simulachro in Walachria, quod S. Wilibrordus sive Clemens destruxit ; ut est apud Bekam in ejus vita : ac rei ejusce meminit quoque Alcuinus in vita ejusdem ; sed contentus est vocare *antiqui erroris idolum.* Id simulachrum fuisse Westcapellæ Walachriæ in Zelandia pago, constat ex Chronico vetusto, Belgicis rhytmis

mis conscripto : item Chronico eâdem linguâ Gaudæ in Batavia excuso, anno cIↃ cccc LXXXVIII. Vterque autem eorum ait, Mercurii fuisse. Iacobus Eindius, Haemstedæ dominus, in Chronico Zelandiæ lib. II meminit Chronici MSi in bibliotheca Corbejensi, interque libros indice Expurgatorio prohibitos adservati. Vnde hæc verba adducit : *Testes quoque sunt Ecclesiæ, quas per singula loca construxit. Et sicut Wallacriæ idolum Mercurii, Walcher, nomine, rejecit, Ecclesiam Dei consecravit ; ut illic Westcapellis, ubi idolum adhuc ostenditur, patet.* Vbi videmus, ut in Walachria idolum Mercurii Walcher nominatum dicat. In quo si non fallit, rectè conjectat Eindius, Mercurio id nomen fuisse ex eo, quia tutela illi insulæ sive litorum esset commissa. Nam quid Walcher aliud ac Wal-heer, hoc est, *litorum potens*, sive dominus litoralis? Quippe **walle** est agger aquis oppositus ; item litus, ripa, sive crepido aquæ.

Atque hæc de Mercurii apud gentes tam varias cultu, quatenus non ἰσοεικῶς, prout primo spectavimus libro, sed φυσικῶς consideratur : quomodo, ut vidimus, nunc per eum Solis sidus, nunc Mercurii stella, intelligitur : quandoque item ratio signatur, vel oratio ; atq; ut quando rationẽ signat, in Sole; ita, quando orationẽ denotat, in Luna ejus vis collocetur.

CAPVT XXXIII.

Acceditur ad tres planetas superiores : quorum varia hîc nomina exponuntur. Nempe ut Saturnus etiam dictus sit Phænon, & Lampon ; *Iupiter,* Phaëthon; *Mars* Pyrois. *Præterea ut Saturnus crederetur* Nemesis ; *Iupiter,* Osiris ; *Mars,* Hercules, *vel* Thurras. *De his allata veterum testimonia : ex quibus etiam elucet de planetis duobus superiori capite memoratis : puta ut Mercurius non solum sit* Stilbon *dictus ; sed etiam habitus sit* Apollo : *atque ut Venus non modò vocaretur* Phosphorus, *sive* Lucifer, *aut* Vesper, *seu* Hesperus ; *sed etiam* Iuno ; *imò & appellaretur* Callistus, *puta* Aster. Ἄρεως *etyma, unum è Græco ; geminum ex Hebræo :* Martis *item unum ex Græco; atque ex Hebræo fonte duplex.* Μαζεύς. *In Festo Pompejo conjectura.* Mundus, *pro puro, unde derivatum videatur.* Hesus *Germanis Mars : unde dies, qui vulgo Martis, Germanis est* hijs-dag, *vel* dijs-dag. Helium *ostium, & oppidum* Brilæ, *etymo conveniunt.* Erich-dag. *Iupiter eidem genti* Taranis *sive* Taran, *& fortasse etiam* Tanar, *ex quo* Donner, *unde* Donnersdag. *Saturnus iis* Krod ; *& ut hoc ex ejus figurâ collegerint.*

SVpersunt tres planetæ superiores Sole ; Mars, Iupiter, Saturnus : quorum priùs varias considerabimus appellationes : postea autem vires & effectus, quibus distinctos in Diis honores sunt consecuti.

Nomina iis etiam in Oriente sunt diversa. Quod de Iovis stella ostendit Hesychius: Μολοβόβαρ, Διὸς ἀστὴρ παρὰ Χαλδαίοις *. Sed pro Μολοβόβαρ legendum, Μολὸχ βαὰλ, &c. Nec mirum, si Moloch dicatur Iovis stella, licet potius de stella Saturni dici soleat. Nam Saturnus, & Iupiter, idem numen Orienti; nempe Solis: sed Astrologi varia unius Solis nomina partiti sunt inter planetas. Par ratio apud Græcos, & qui hosce sequuntur, Latinos. Paucis id ostendit Martianus Capella lib. VIII: *Saturnum Phænona vocant; Iovemque Phaëtonta; Pyroenta Martem.* Quibus de residuis duobus subjungit: *Venerem Phosphorum, Mercurium Stilbonta nominarunt.* Sed quæ paucis ille, hæc pluribus alii: quorum verba apponam. Agmen ducat, ob magnitudinem nominis, Aristoteles, sive potiùs alius de Mundo: Συνεχῆ δὲ ἔχει ἀεὶ ταύτῃ τῷ θέσιν, ὁ τοῦ Φαίνοντος ἅμα, καὶ Κρόνου καλούμενος κύκλος. ἐφεξῆς δὲ, ὁ τοῦ Φαέθοντος, Διὸς λεγόμενος. εἶθ' ὁ Πυρόεις, ὁ Ἡρακλέους τε, καὶ Ἄρεος προσαγορευόμενος. ἑξῆς δὲ ὁ Στίλβων, ὃν ἱερὸν Ἑρμοῦ καλοῦσιν ἔνιοι, τινὲς δὲ Ἀπόλλωνος· μεθ' ὃν ὁ τοῦ Φωσφόρου, ὃν δὲ Ἥρας προσαγορεύουσιν· Quorum sententiam sic expressit Appulejus †: *Hic Phænonis globus, quem appellamus Saturnum: post quem Phaëthon secundus est, quem Iovis dicimus: & loco tertio, Pyroïs, quem multi Herculis, plures Martis stellam vocant. Hanc sequitur Stilbon, cui quidam Apollinis, cæteri Mercurii, nomen dederunt. Quintus Phosphorus, Iunonia, imò Veneris stella censetur.* Similiter Iulius Firmicus lib. II, cap. II. Deque Saturno, Iove, Marte, Geminus, εἰσαγωγῇ εἰς τὰ φαινόμενα. Sed insignis etiam est locus Achillis Tatii in Isagoge sua: Αἰγυπτίοις γὰρ, καὶ Ἕλλησι, τοῦ Κρόνου ὁ ἀστὴρ, καί τοι ἀμαυρόταλος ὢν, Φαίνων λέγεται. ἀλλὰ παρ' Ἕλλησι μὲν καὶ τὸ ἔυφημον λέγεται οὕτω· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Νεμέσεως ἀστὴρ. Δεύτερος ὁ Διὸς καθ' Ἑλλήνας Φαέθων· καὶ δὲ Αἰγυπτίοις Ὀσίριδος ἀστήρ. Τρίτος ὁ τοῦ Ἄρεως παρὰ μὲν Ἕλλησι Πυρόεις· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις, Ἡρακλέους ἀστήρ. Τέταρτος ὁ τοῦ Ἑρμοῦ, ὁ καλούμενος παρὰ μὲν Ἕλλησιν Στίλβων· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις, Ἀπόλλωνος ἀστήρ. Πέμπτος ὁ τῆς Ἀφροδίτης, παρὰ μὲν Ἕλλησιν, Ἑωσφόρος· πρῶτος δὲ Ἴβυκος εἰς ἕνα συνέστειλε τὰς προσηγορίας. *Ægyptiis, & Græcis, Saturni stella, utcunque obscurissima sit, Phænon, hoc est, lucidissima dicitur. Sed Græcis sic quidem boni ominis caussa vocatur: ab Ægyptiis verò Nemesis stella nominatur. Altera est stella Iovis, secundum Græcos Phaëthon, Ægyptiis verò stella Osiridis. Tertia est Martis; secundum Græcos Pyroïs, at Ægyptiis Herculis stella. Quarta est Mercurii; quæ Græcis dicitur Stilbon, Ægyptiis stella Apollinis. Quinta est Veneris, Græcis Lucifer. Primus Ibycus appellationes has in unum redegit.* Sed de Saturno, & Venere, paullò aliter Fasti Siculi sive Chronicon Alexandrinum *: Ταῦτα δὲ ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ βασίλεια τῆς Αἰγυπτίων Μενεθὼ συνεγράψατο. Καὶ ἐν τοῖς συγγράμμασιν αὐτοῦ ἐμφέρεται, ἄλλως λέγεσθαι τὰς ἐπωνυμίας τῶν πέντε πλανητῶν ἀστέρων. Τὸν γὰρ λεγόμενον Κρόνον ἀστέρα ὀνόμασιν Λάμποντα· τὸν δὲ Διὸς τὸν Φαέθοντα. τὸν δὲ

* *Iovis stella, Chaldæis.*

† *lib. de Mundo.*

* *pag. 109.*

τὸν δὲ Ἄρεως, τὸν Πυρόεντα * (leg. τὸν Πυρόεντα) τὸν δὲ Ἀφροδίτης τὸν Κάλλιστον· τὸν δὲ Ἑρμοῦ τὸν Στίλβοντα. *Hæc verò antiqua ac vetusta Ægyptiorum regum palatia Menetho* (sive Manetho) *descripsit. In cujus commentariis refertur, alia fuisse cognomina erraticarum quinque stellarum. Saturnum enim vocabant Lampontem; Iovem autem, Phaëthontem; Martem dixere Pyroënta; Venerem, Callistum; Mercurium autem, Stilbontem.* Quod autem Venerem sive Hesperum aliter, Κάλλιστον, hoc est, *Pulcherrimum* ait vocatum, id metuo ne profectum sit ex versu hoc Homerico *, superiùs † etiam adducto nobis:

* *Il.* χ.
† *cap.* 31.

Ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

Hesperus æthereo longè PVLCHERRIMVS *orbe.*

Quod verò Appulejus, & Græcus ille, quem liberiùs transtulit, scriptor, eandem ajunt stellam esse Herculis, & Martis, idem legas apud Macrobium lib. 1 Saturn. cap. XII: *Salios autem Herculi, ubertate doctrinæ altioris, adsignat Virgilius; quia is deus, & apud pontifices, idem, qui & Mars, habetur. Et sanè ita Menippea Varronis affirmat, quæ inscribitur,* Ἄλλος ὅτος Ἡρακλῆς †. *in qua cùm de Hercule multa loqueretur, eundem esse & Martem probavit. Chaldæi quoque stellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant.* Vnde colligimus, non modò Herculem pro Solis sidere; sed etiam pro Martis stella, accipi solere. Babyloniis stella Martis vocata Θοῦρας: indéque nomen hoc accepit rex Assyrius, qui Nino successit: ut ex Chronico Alexandrino diximus lib. 1, cap. XVI. Sic sæpe vocatur à Dorotheo Sidonio poeta, nunc ὁπλιτικῶς Θοῦρος Ἄρης, nunc ἁπλῶς Θοῦρος. Cui & Iupiter Φαέθων, Mercurius Στίλβων, Saturnus Φαίνων. Vide Salmasium Exercitationibus in Solinum *.

† *Alius hic Hercules.*

* *pag.* 1235.

Ἄρης verò Græcis dictus, si Suidam audimus, ab α στερητικῷ, & ἐρέω, sive *dico, ὅτι ἐν τῷ πολέμῳ οὐ λόγων, ἀλλ' ἔργων χρεία· quoniam in bello non verbis, sed opere est opus.* Quod & illud Homeri ‡ confirmat:

‡ *Iliad.* υ, *vers.* 630.

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου· ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ.

In manibus est finis belli; verborum autem in consilio.

Sed verisimilius est, Ἄρης originem ducere à fonte Hebræo. Puta à חָרַם, *destruere*; vel à אַיִר, hoc est, *terribilis, validus*: ut diximus lib. 1, cap. XXII; ubi & ab eo Ἄρτης derivavimus. Est verò אַיִר, ab אור, *frangere, prævalere, terrere*: unde in Hiphil הֵאִיר, à quo *Mars* fuerit. Nisi malis à אמר, *validum ac potentem esse*: quod etymon adduximus libri hujusce cap. XIII. Nempe id eo amplectebamur, quòd duriùs videretur deduci ab Ἄρης, quia sic M apponi initio sit opus. Sed fortasse nulla sit opinio hac verisimilior. Nam Romani à Phrygibus oriundi: Phryges autem literam μ, vel etiam syllabam μα, præmittere solent. Vnde pro Ζεὺς dixere Μαζεύς. Hesychius: Μαζεὺς, ὁ Ζεὺς, παρὰ Φρυξί. *Mazeus est Zeus, sive Iupiter, secundum*

Phry-

Phryges. Ac videntur in magna Græcia similiter pro ζλὼ, sive ζὰν, dixisse Μηζὰν, vel Μαζὰν. Suspicionem eam injiciunt verba Festi in October: *Salentini*, inquit, *apud quos Menzanæ Iovi* (equus) *dicatus vivus conjicitur in ignē.* Vbi pro *Menzanæ*, puto *Mazani*, vel *Mezani*, legendum. Nisi ζανᾶς iidem dixerint pro eo, quod Dorum aliis ζάν. Quod si placet, rectum erit apud Festum *Mazanæ* vel *Mezanæ*: ac solum unius liquidæ additione peccarint librarii. Saltem hoc probabilius, quàm ut legamus, *Manzane*, hoc est, μλωὶ ζανᾶ, *mense Iovis*: quæ Scaligeri ad Festum erat conjectura. Nec in Phrygiis solum μ capiti apponitur; sed etiam Græcis, & Latinis. Sic dixere ὄχος, & μόχος. Galenus in lexico Hippocratis: Οχος γὰρ ἡ μόχος, τὰ κλήματα, ἢ αἱ ἕλικες. OSCHOS *enim*, & MOSCHOS *palmites.* Ab *unda* etiam *mundus*, & *mundare*: ut proprie sit sordes unda abluere: quomodo & Belgis **waſſen**, hoc est, *mundare, lavare*, fit à **waſſer**, hoc est, *aqua.*

Sed quia Græcas Romanasque appellationes excussimus, nominibus etiam, quibus Germani tres hosce errones vocarint, videamus.

Martem dixere *Hesum*; ut colligere est ex illo Lucani lib. 1:

—*Horrensque feris altaribus Hesus.*

Quippe, ut Iornandes ait libro de rebus Geticis: *Martem semper asperrimâ placavere culturâ. nam victimæ ejus mortes fuere captorum.* Et ante eum Procopius similiter in 11 rerum Gothicarum; ubi de Thules, sive Scandinaviæ (sic enim cepit) incolis, hunc in modum scribit: Τῶν ἱερείων σφίσι τὸ κάλλιστον ἄνθρωπός ἐστιν, ὃν περ ἂν δορυάλωτον ποιήσαιντο πρῶτον. τοῦτον γὰρ τῷ Ἄρει θύουσιν, ἐπεὶ θεὸν αὐτὸν νομίζουσι μέγιστον· *Hostiarum illis pulcherrima est homo, quem bello primum ceperint. Hunc verò sacrificant Marti, quoniam illum Deorum censent maximum.* Porrò quem Romani *Hesum* extulere, is Germanis, absque terminatione Romana, fuit **Heeſ**, vel **Hieſ**, vocali variatâ: ut Rheni ostium, quod Romanis *Helium*, id Batavis **Hiel**; unde pagus **Wijd-hiel**, ubi latiùs Helus seu Hilus fluit: item **Bzee-hiel**, unde contractum **Bziel**; oppidum Brilæ ad Helium ostium, quasi dicas latum Helum seu Hilum. Similiter igitur *Hesus* vel *Hisus*: unde **hiſes-dag**, & contractè **hiſſ-dag**; qui Romanâ linguâ *Martis dies.* Vulgò usitatius, *t*, vel *d*, ut in aliis multis, præmisso, **thiſſ-dag**, vel **diſſ-dag**. Nisi malis fuisse priùs **chiſſ-dag**, à *Chesius*, seu *Chisius*. Nam olim H, & CH, variabant, haut secus ac S, & T: unde iidem, pro diversâ dialecto, *Catti, Chatti, Hessi.* Nonnullis etiam gentis Germanicæ Martis dies dicitur **Erich-dag**: cujus vocabuli pars prior magnam habet convenientiam cum Græco Αρης*, vel ἔρις †.

* *Mars.*
† *lis, contentio.*

Martis templum variis Germaniæ locis, & vicinarum regionum, fuit. In his Durestadi: de quo B. Marcellinus presbyter in vita S. Suiberti,

qui

qui S. Willebrordi σύγχρονος * fuit. Ipsum adi apud Surium † Kal. Mart. Hungaris quoque Mars, & Hercules, pro Diis habebantur: ut refert Bonfinius Hungaricarum rerum lib. XI ‡.

* *æqualis.*
† *p.14.*
‡ *pag.201.edit. Oper.1568.*

Iupiter Celtis veteribus *Taranis*; quasi Βροντάιον, seu *Tonantem* dicas. Nam hodiéque Cambro-Britannis, sive Wallis, tonitru vocatur *taran*. Quod, trajectis ultimis duabus consonis, foret *tanar*. Sed Saxones pro eo donner, aliqui tonner: Batavi, & vicini Belgæ, **donder**: unde Iovis dies **donnerſ-dag**. Imò ex *Taran* κατ' ἀφαίρεσιν fecere & *Tor*, sive *Thor*: quem tonitrui ac fulmini præsediſſe, docet Ericus Olaus Historiæ Suecicæ lib. I, cap. I: *Thor*, inquit, *tanquam potentiſſimus & ſummus Deorum, in medio, & aliis altior, reſidebat, imagine viri nudi, dextrâ quidem ſceptrum, ſiniſtrâ verò ſeptem ſtellas præferentis, inſignis.* Et mox: *Pro pluvia, & aura neceſſaria, invocabat Thorum, tanquam potentem in ſublimi: cujus etiam patrocinio ſe ſperabant ab incommodis impreſſionum, tonitru ac tempeſtatibus, fulmine grandinéque, conſervari: cui ſingulis hebdomadis quinctâ feriâ per deputatos ſacerdotes ſacrificia offerebat* (Suecorum populus) *à quo erat dies illa dicta Thorſdag.* Valde autem latè Germaniâ totâ, & omni Septentrione, Iovis patuit cultus. Mitto quòd Hammonem Iovem aliqui ab Hamburgenſibus cultum arbitrantur: de quo meritò ambigit Crantzius in Saxonia lib. II, cap. XVI. Illud apertiùs, Iovi, Marti, Bellonæ, & Plutoni, asino litâsse Bohemos: quod indicat Cosmas Pragensis, in Chronico Bohemico *. In Suecia etiam Iovem cultum, liquet ex iis, quæ de eo, & malleolis Iovialibus, prodit Saxo Grammaticus lib. XIII ‡. Sed omnes infimæ vetustatis auctores de talibus persequi, longum foret.

* *pag.8. edit. Hanov. ann. 1602.*
‡ *fol.125,a. edit. Aſcenſ.*

Celtis etiam cultum esse Saturnum, testis est Dionys. Hal. lib. I Antiq. Rom. Et Ciceronis est in III de Nat. Deorũ: *Saturnum vulgo maximè ad Occidentem colunt.* Sed, quomodo dixerint eum Celtæ, non satis liquet. Aliqui *Satar*, vel *Sater* vocatum, ex eo conjectant, quia nobis septima feria **Saterdag** dicatur. Sed fortasse hæc appellatio est ex Latino *Saturni* nomine. Sunt quibus videatur nominatus *Krodo*: ut Crantzio, lib. II Saxoniæ suæ cap. XII: ubi hoc numen Hartesburgi in Saxonia venerationi fuisse ait. Sanè & apud Saxonem Grammaticum lib. I hi Saxonum Dii referuntur; Crodus, Hama, Irmus, Flinnus, Siba. Ex quibus, quod de Crodo ait Crantzius, eo confirmatur, quòd Saturno, temporis præsidi, videatur convenire illa Crodi, sive Crodonis effigies, quam Georgius Fabricius proponit lib. I Originum Saxonicarum *, his verbis: *Qui gentis annales ediderunt, numen populare memorant, Crodum quendam, meſſoris ſpecie, qui cinctum lineũ geſtat, dextrâ ferens vaſculum roſis repletũ, ſiniſtrâ erectâ rotam currus. Pedibus nudis inſiſtit piſci ſquammoſo & aſpero, quem percam vocamus.* Hanc statuã, & alias

* *pag.61.*

aliorum numinum, dejeciſſe memoratur Carolus M. Suſpicor autem, Saxonas accepiſſe hoc numen à Græcis, Iſtri accolis : atque ut *Irmus* eorum videtur eſſe ex Ερμῆς, ita & nomen *Crodi* corruptũ eſſe ex *Croni*. Κρόνος enim ſive Saturnus, quo Tempus ſignatur, Græcis etiam, ac Romanis eſt Deus falciger : &, ut mittam cætera, rota currus optimè exprimit, quàm volubile ſit tempus : unde & vitam humanã ſcitè Anacreon rotæ comparavit :

Τροχὸς ἅρμαλος γὰρ οἷα,
Βίοτος τρέχει κυλισθείς·
Rota nam velut curulis,
Properat volucris ætas.

Hæc de ſuperorum trium erronum nominibus. Quod ſi etiam animus eſt nôſſe, unde profectæ ſint figuræ, quibus ab Aſtrologis ſignantur : adi Solinianas Salmaſii Exercitationes : ubi eruditè, ut ſemper, vulgarem de iis refellit opinionem, figuraſque uſitatas manâſſe docet ex initio nominum, quibus vocari ſolent : nempe Saturni ex Κρόνος, vel Φαίνων : Martis ex Θῦρος, vel Θύρρας : Iovis ex Ζεὺς : Veneris ex Φωσφόρος : Mercurii ex Στίλβων. Quæ ſic à nobis jejunè, & aridè nimis dicuntur. Sed conſultus vir maximus facilè famem explebit.

CAPVT XXXIV.

Martem, Iovem, Saturnum, prout à Sole propiùs, vel longiùs, diſtant, ita magis minuſve calefacere. Martem videri nobis quandoque propiorem ipſo Sole. Cur belli Deus habitus, & præcipuè præfectus Thracibus, ac Scythis. Cur Septentrionales robore, Auſtrales ingenio, plurimùm præſtent. Quando Mars crudeles faciat, ac tyrannos. Cur aliæ gentes magis aliis colant Martem, & Venerem; juxta Ptolemæum. Iovis magnitudo, ac ſublimitas : & cur ei fulminum poteſtas præcipuè attributa : & appellationes, quibus propterea à Pindaro, & aliis, ornatur. Vnde Iovi Ægiocho, & mari Ægæo nomen. Iovis vis in elementa, ac homines. Abſurda Albumaſaris, & Aponenſis opinio, putantium à conſtitutione Iovialis ſtellæ dependêre, ut certò exaudiantur divinitus, qui ſapientiam expoſcunt. Cur Saturni motus, cùm velociſſimus ſit, tardus dicatur. Cur fingatur Iupiter Saturnum vinxiſſe, atque ita præcipitâſſe in Tartara. Cur Saturnus creditus ſit animis hominum indere vim ſublimium ſpeculatricem; poſteaque, ſi ſapienter ſe geſſerint, eò, unde dimiſſæ ſunt, revocare. Sedendo meliùs judicari, deliberari, ac ſacris etiam dari operam. Cur Saturnus ſit præfectus atræ bili, ſpleni, oſſibus, quartanæ, phthiſi, & id genus morbis; imò agricolis, & horum inſtar melancholicis; etiam indignationi. Cur octimeſtris partus non ſoleat eſſe vitalis. Cur Orientales, & Auſtrales, credantur præcipuè coluiſſe Saturnum, ac Venerem. Cur dies hebdomadis

madis à planetis nomen acceperint ordine longè alio, quàm obtinent in cælis. Ritus fascinantium in lamina corpori alliganda. Quatuor planetæ Iovem ambientes, veteribus incogniti: duo item assistentes Saturno, iisdem ignoti. Interim Phavorino jam olim non absurdum esse visum, si plures essent planetæ, quàm putaretur vulgo.

NVnc videamus de eorundem viribus, & effectibus. De quibus sic Vitruvius lib. VI, cap. I: *Iovis stella inter Martis ferventissimam, & Saturni frigidissimam, media currens temperatur.* Quod plenius explicatur ab eodem lib. IX, cap. IV: *Esse autem alias stellas temperatas, alias ferventes, etiamque frigidas, hæc esse causa videtur, quòd omnis ignis in superiora loca habet scandentem flammam. Ergo Sol, æthera, qui est supra se, radiis exurens, efficit candentem; in quibus locis habet cursum Martis stella: itaque fervens ab ardore Solis efficitur. Saturni autem, quod est proxima extremo mundo, tangitque congelatas cæli regiones, vehementer est frigida. Ex eo Iovis, cùm inter utriusque circuitiones habeat cursum, à refrigeratione, caloréque eorum medio, convenientes temperatissimosque habere videtur effectus.* Addam de iisdem non ita multò juniorem C. Plinium lib. II, cap. VIII: *Saturni sidus gelidæ ac rigentis esse naturæ: multoque ex eo inferiorem Iovis circulum, & ideo motu celeriori duodenis circumagi annis. Tertium Martis, quod quidam Herculis vocant, ignei, ardentis à Solis vicinitate, binis fere annis converti. Ideoque hujus ardore nimio, & rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Iovem, salutaremque fieri.* Videmus, ut varios trium erronum effectus (ac par aliorum planetarum ratio est) tribuant calori, & frigori; humori, ac siccitati: quibus humanum etiam corpus, ac ingenium, vel vegetum fiat, vel torpidum & segne. Alii negant, consisti posse in qualitatibus primis: quippe altius esse penetrandum ad qualitates earum latentes, sive proprietates occultas. Siderum enim colorem diversum esse, non ob Solem diversum, sed ob variam stellarum conditionem: pro qua conditione tam diversa, diverso etiam colore imbuantur à Sole; aliter etiam, atque aliter, influant in sublunaria.

Sed de particulari influendi ratione videbimus in fato Astrologico: nunc considerabimus ea, quorum ratio ex qualitatibus primis reddi posse videatur. Ordior ab eo, qui Soli est proximus; eoque ejus imprimis participat naturam. Is est Mars: quo nomine etsi etiam signetur Iupiter Αρειος, sive *Martius*, vel *pugnax*; cui sacrificari ab Epirotarum regibus solet; ut est apud Plutarchum in Pyrrho: nunc tamen vocabulo hoc non intelligo Iovem Martialem, hoc est, Solem; quem & Iovem, & Martem esse, antea probavimus: sed stellam erraticam, Sole quidem superiorem; Iove autem, & Saturno, inferiorem. Hujus stellæ ea proportio est ad terram,

quæ est trium ac decem ad unitatem : à terræ verò centro distat semidiametris hujus 1176, cum proximus est : at, quando remotissimus est, semimetris 8232, secundùm Iunctinum †. Tycho Braheus in epistola ad Christophorum Rhotmannum * refert, se anno cIↃ IↃ LXXXII subtili & accurata inquisitione observâsse, Martem acronychum terris Sole ipso fuisse propiorem : quod Ptolemaicis hypothesibus in scholas receptis magnopere adversatur. Dixeris cum Tannero †, & aliis, Tychonem in eo deceptum videri ; quia sic consequatur, profundè ingredi orbem Solis. Sed Tychonis sententiam de Marte, cœlum Solis pervadente, certatim variis propugnari terris, verè ait Christophorus Scheiner Rosæ Vrsinæ lib. IV, parte II, cap. XXIX.

† *in sphærâ Ioan. Sacr. cap. 1, pag. 295, edit. Lugd. Sed apud Mersennium in Gen. 1, 10, col. 872, perperam pro eo expressum est* 61176.

* *pag. 149. epistol. Astronom. Tych. Br.*

† *dissertatione de Cœlo, quæst. 7, § 6.*

Rutilum hoc, & sanguineum sidus colore suo satis arguit calorem, & siccitatem suam, qua bilem accendit : unde iræ, ac bella, & animi ardor, ac robur : quæ & causa est, cur belli Deus credatur. Eò & Thracibus, ac Scythis, præesse existimatus. Sunt enim hæ gentes plurimùm ingenio inferiores ; sed robore superiores : cujus ratio est, quod sub frigido axe membra quidem indurentur ad quidvis tolerandum : sed, ob conclusum interius calorem, habeant sanguinem crassiorem ; contrà quàm usu venit australibus : quippe quibus in calore illo externo sanguis & spiritus sit subtilior ; unde & ingenio ac sapientia prævalent.

Porrò à Marte quidem est animi ardor, & vis Herculea : sed quæ ad virtutem valeat, si benigno sidere juvetur. Sin Mars sit infeliciter dispositus, flava bilis nimis exæstuat ; eoque creditur facere crudeles, & injustos, & si ambitio accesserit potentiæ, impotentis animi tyrannos.

Mirificum verò, quod Ptolemæus tradit in secundo Apotelesmatum, illis, qui inter Meridiem & Occasum degunt, eò Martem & Venerem pro numinibus præcipuè haberi, quia ambo subjiciantur triplicitati humidæ ; cui præsint, Mars, & Venus, cum Mercurio. Eam sententiam ubertim refellit Ioannes Picus Mirandulanus in IV contra Astrologos cap. X.

Proximè supra Martem est Iovis stella ; quæ Marte major ; ut cujus proportio ad terram cubicam sit eadem ac 14 ad unitatem. Quanto etiam sublimior sit, arguit, quod cùm proximè à centro terræ abest, distet semidiametris † terræ 8232 ; cùm maximè, 13171. Quia autem longius à Sole abest, quàm fervidus Mars ; propiùs, quàm frigidus Saturnus, ut jã vidimus : eò fulmina illi, ac tonitrua, præcipuè adsignantur. Hoc sic explicat Plinius lib. II Nat. Hist. cap. XX : *Magnâ cœli assectatione compertum à principibus doctrinæ viris, superiorum trium siderum ignes esse, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant : sed maximè ex iis medio loco siti : fortassis quoniam contagium*

† *Iunctinus in Sacrobosci cap. 1, pag. 295. & ex eo Mersennius in Genes. 1, 10, col. 872.*

gium nimii humoris ex superiore circulo, atque ardoris, ex subjecto, per hunc modum egerat. Vbi, ut jam aliis obſervatum, pro *humoris*, reponendum *algoris*. Quippe Saturnus non eſt humidus, ſed ſiccus: nec humori, ſed algori ardor opponitur; de quo mox ſequitur. Subdit deinde Plinius, ut fulmina vim habeant fatidicam, quia præſcita ſecum adferant, certiſſimo argumento, ea utcunque pars ſint abdicata, non tamen deſtitui prorſus Iovialis ſideris divinitate. De quo pluribus dicam, cum de Fulmine agetur. Ab hac fulminum poteſtate variè à Pindaro Iupiter nuncupatur: ut Olymp. od. IV, ἐλάτηρ ὑπέρτατος βροντᾶς ἀκαμαντόποδος, *altiſſimus tonitrus infatigabilis pedibus vibrator.* Et od. IX, φοινικοφερόπας, *rubentia fulmina jaculans*: ut Horatius lib. I, od. II, ait, *Rubente dexterâ ſacras jaculatus arces.* Idem eâdem odâ, ἀιολοβρόντας, hoc eſt, ἀιόλας & ταχείας βροντὰς ἐγείρων καὶ βάλλων, *varia velociaque tonitrua ac fulmina emittens ac jaculans.* Item Pyth. od. VI, Βαρυόπας φερόπαν κεραυνῶντι φρύτανις· *graviſonus fulgurum, fulminumque dominus.* Iſthm. od. VIII, βαρυσφάραγος, hoc eſt, ὁ βαρέως σφαραγῶν, *graviter ſtrepens.* Ac ſimiliter Orpheo eſt ἀρχικέραυνος, *ſummus fulminator*; Heſiodo ὑψιβρεμέτης, *altifremus*; aliis ἀστραπαῖος, *fulgurator*; κεραύνιος, *fulminator*; de cujus ara Pauſanias lib. V; βροντησῖος, ut Latinis *Tonans*; qui cum triſulco fulmine in vett. fingitur nummis. Qua occaſione poſt bellum Cantabricum ædem ei in Capitolio exſtruxerit Auguſtus, Suetonius † dicet. Etſi verò Hetruſci, & hos ſecutus Plinius, tradant, nomina, quæ diximus, præcipuè Iovialí ſideri convenire: aliter tamen Seneca; qui per Iovem Tonantem intellexit (ut verbis ejus * utar) *cuſtodem rectoremque univerſi, animum ac ſpiritum, mundani hujus operis dominum, & artificem.* Eundemque addit, & fatum, & providentiam, & naturam, & mundum appellari. Quare Iupiter Fulgurator, vel Tonans, nihil aliud ei, ac ſpiritus mundanus, quatenus in aëre ciet fulmina ac tonitrua. Sed hæc ab eo dicuntur ex Stoicorum ſententia. Aliter, ut vidimus, Hethruſci, uti & Aſtrologi: qui putarunt, à Iovialí ſidere præcipuè fulmina provenire ob naturam ejus intermediam inter frigus Saturni, & æſtum Martis. Imò, quia hoc & Iupiter, & Venus habent, quod moderatè ſint calidi, ac ſicci: eo & utrumque hoc ſidus creditur commodare, tum aëri ac terris, tum hominibus. Itaque ajunt, ſi Iupiter cum Venere congrediatur, aëra reddi tranquillum ac temperatum: qua ratione, ut Plinius fulminum, ita poſſis Iovialí ſideri nimborum & ventorum tribuere poteſtatem. Quippe Iupiter ſi affulſerit, tempeſtates compeſcit. Itaque tum ἄιθριος dicitur, quod Appulejo *ſerenator*: tum ἀιγίοχος, quod non tam ab ægide eſt, vel, ut Phurnutus voluit, ἀπὸ τοῦ ἀίσσειν, quod eſt *impetu ferri*: quàm, ut ἀναλογία indicat, ἀπὸ τοῦ ἄιγας ἔχειν, ut ſignificet, quod poetæ dicunt, *maris poteſtatumque potentem.* Nam procellæ ac fluctus Dori-

† *in Auguſt. cap. 29.*

* *lib. 2 nat. quæſt. cap. 45.*

*Aiges, fluctus, Doribus.

bus Αιγες. Hesychius : Αιγες, κύματα, Δωριεῖς *. Quod firmant alia hinc deducta. Vt nomen maris Ægæi, quasi fluctivagum ac procellosum dixeris. Quod enim Αιγαῖον diceretur more communi, id Dores maluere Αιγαῖον : ut iidem ἄιδε dicunt pro εἶδε. Estque ab eadem origine αἰγιαλὸς, *litus* : quò pertingunt ἆιγες ἁλὸς, *fluctus maris*: non quasi αἶα ϑ ἁλὸς, ut ajunt. Nam illud γ indicat esse ab ἆιγες, non ab αἶα †. Nec in aera modò, & aquas, vim suam exerit Ioviale hoc sidus; sed etiam in terras, quas moderato suo calore fertiles reddit. Item in hominem ipsum; præcipuè in sanguinem, idque ob naturæ convenientiam. Quippe is, instar ejus sideris, mediocrem habet calorem; cujus excessus est in Marte, defectus in Saturno. Et quia à temperamento, quale Iovis, etiam ingenii vis dependet; hinc ab Iove etiam creditur provenire ingenii sagacitas, & vis ea exsequendi, quæ cum æquitate sint conjuncta. Quid multis opus? Si Capellam audimus in VIII, quo loco de hoc planeta differit, *Iupiter salutaris ad omnia*. Quod generale pronunciatum commodè liceat interpretari. At impietate non caret, quod Albumasar tantas Ioviali sideri attribuat vires, ut nunquam non impetrentur à Deo, quæ postulantur, modò Iovi jungatur Luna cum capite Draconis. Nec puduit Petrum Aponensem scribere, se ipsum comperisse, hoc esse verissimum. Nam, quali tempore Albumasar significat, à Deo se quoque petiisse sapientiam: atque, ab eo tempore, magna in sapientiæ studiis feciisse incrementa. O hominem insipientem! qui quod sapientiæ habuit, malit sideribus tribuere, quàm precibus, & divinæ bonitati; vel saltem ingenio, & industriæ suæ. Equidem Aponensem hunc, quem ante annos trecentos sub Ludovico IV claruisse constat, multum in naturæ arcanis profeciisse non diffiteor : sed hæc ejus sapientia non fuit sine magna dementiæ, imò impietatis etiam mixtura.

† terra.

Supereſt ex planetis Saturnus : cujus ea est ad terram cubicam proportio, quæ est vigintiduorum ad unum. Est verò supra Martem, ac Iovem : qui quantum à nobis distent, vidimus antea. Saturnus autem, ex mente Franciſc. Iunctini *, ubi à nobis minimum abest, distat terræ semidiametris 13171 : quando plurimùm, 17571. Quæ licet antiquis non æquè cognita fuerint; gentes tamen illæ, quæ Astrologiæ vacarent, quales Chaldæa, & Ægyptia, scivere planetarum omnium esse maximè sublimem. Ab iis verò nationibus Græci hoc didicerunt. Ob hanc altitudinem etiam motus ejus tardior videtur. Nam in se quidem tardior non est, cum longè majus conficiat spatium : videtur tamen tardior, quia spissè adeò cursum absolvat periodicum, ut difficile sit ejus motum cognoscere. Nam demum totum peragrat Zodiacum annis XXIX, diebus CLV, horis VII, minutis XXXVI. Hinc origo fabulæ de Saturno, à Iove filio, ligato, inque Tartara

* *in lib.* I *Ioan. de Sacrobosco, cap.* I.

Tartara conjecto. Audiamus Lucianum de hoc dissertantem lib. de Astrologia: Οὐδὲ τὸν Κρόνον ὁ Ζεὺς ἔδησεν, οὐδὲ ἐς τάρταρον ἔρριψεν, οὐδὲ τὰ ἄλλα ἐμήσατο, ὁκόσα ἄνθρωποι νομίζουσιν· ἀλλὰ φέρεται γάρ ὁ Κρόνος τῷ ἔξω φορῷ, πολλὸν ἀπ' ἡμέων, καὶ οἱ νωθρή τε ἡ κίνησις, καὶ ἀ ῥηιδίη τοῖσι ἀνθρώποισι ὁρᾶσθαι. διὸ δή μιν ἐς ἀναγκαίην λέγουσιν, ὅκως πεπεδημένον. τὸ δὲ βάθος τὸ πολλὸν τοῦ ἠέρος τάρταρος καλέεται· *Nec Saturnum Iupiter in vincula conjecit, inque tartara dedit præciputem: neque alia machinatus est, quæ homines putant. Sed fertur Saturnus externo motu longè à nobis: estque motus illi segnis, nec hominibus facilè conspicuus. Quamobrem illum, veluti vinctum, stare dicunt. Ingens autem aëris altitudo Tartarus vocatur.* Altera etiam, cur vinciri à Iove dicatur, ratio adfertur. Nam salutare Iovis sidus infringit, & retardat malignitatem sideris Saturnini. Siquidem Iupiter, & Venus, sunt salutares; Saturnus, & Mars, maligni. Etiam quia Saturnus sublimis, cæloque supremo, unde animæ immitti credebantur, proximus degeret; creditum est eum animæ cælitus descendenti indere vim intelligendi, & contemplandi sublimia. Quæ Plotini, aliorumque etiam Platonicorum, opinio fuit. Eademque etiam de caussa judicatus animas sapientum (ut verbis utar Materni) *innumeris angustiis liberatas ad cœlum, & ad originis suæ primordia, revocare.* Neque, ob sublimitatem modò, Saturnum sapientiæ præsidem putarunt: sed etiam ob motus periodici tarditatem, ex sublimitate illa consequentem. Nam ex tarditate collegerunt, eum esse animi senilis ac prudentis. Senes enim, ac melancholici, non tam, juventutis instar, discurrunt hac illac, quàm meditabundi considunt, vel, animo sedato, tardè procedunt. Ideo & creditum, rectiùs judicari à sedentibus. Aliqua de eo diximus Oratoriarum Institut. lib. VI, cap. XI, §. 11. Parque ratio in consiliis capiendis. Notum proverbium *: *Romanus sedendo vincit.* Quò & spectat illud Plautini † Tranionis: — *Nimio plus sapio sedens.* Imò & propterea sessio in sacris visa decentior; quippe index animi magis compositi, & hoc agentis. Notum Pythagoræ symbolum, Numæ * etiam attributum: καθῆσθαι προσκυνήσαντας· *Adoraturi sedeant.* Sic malim, quam, ut Cruserius, *Sedeas cum adoraveris.* Nempe quasi sit προσκυνήσαντας. Etiam II Sam. VII, 18, *Ingressus est rex* (David) *& sedit coram Domino.* Ita ad verbum B. Hieronymus reddidit. Sed & LXX: Καὶ ἐκάθισεν ἐνώπιον Κυρίου. Etiam *sedendi* vocem retinuere Pagninus, Leo Iudas, Munsterus, Vatablus: qui tamen annotat, poni *sedit*, pro *stetit, mansit.* Aliqui etiam reddidere, *restitit*; ut in *sedendi* voce κάλλιγνοις sit. Sed ut statio, ita sessio, convenire precantibus visa; quoniam quiete illâ magis animus sit compositus, & ad precandum idoneus.

* *Varro lib. I de R. R. cap. 2.*
† *Mostell. act. 5, sc. 1.*
* *Plutarchus in Numa.*

Porrò, quia Saturnus crederetur tardus, eo & frigidus habebatur. Maro I Georg. *Frigida Saturni sese quò stella receptet.*

Potiùs

Potiùs tamen frigidus, hoc eſt, minùs Marte ac Iove calidus eſt, quia à Sole, caloris fonte, abſit longiùs; uti antea dictum. Aliam etiam rationem, ab aquis ſupercæleſtibus petitam, adferunt Auguſtinus de Geneſi ad literam lib. II, cap. V, de Gen. imperfect. cap. VIII, & Beda Quæſt. in Geneſ.

Quia autem Saturnus frigidus, & ſiccus; eò fingebatur ſenex pallidus, & tardigenulus; corporibuſque præfectus ſenilibus; quippe frigidis, & ſiccis. Parum enim calefacit, idemque, expreſſis partibus tenuioribus, exſiccat. Atque ex his altera apparet ratio, cur prudentes facere credatur. Senes enim ſunt prudentes ob ætatem, longamque experientiam; conferente ad hoc etiam corporis conſtitutione. Siquidem copia atræ bilis, quam Saturnus excitat, eſt à frigida & ſicca temperie: melancholici autem & dicta, & dicenda, melius concoquunt, ac digerunt: cùm contrà videamus, cholericos judicium ſuum ſæpius præcipitare. Hinc igitur quorum in genitura appareat Saturnus, eos atræ adjudicarunt bili: Saturnumque ſpleni præfecerunt, quia is recipit atram bilem. Atque itidem triſtitiam ab Saturno deduxere, quia melancholici ſunt triſtes. Etiam Saturnus oſſibus præfectus, quia oſſa frigida ſiccaque; qualis Saturnus. Ob eandem cauſſam non ſolum quartanam febrim dixere filiam Saturni: ſed dominari ajebant morbis omnibus frigidis & ſiccis: uti tabi, paralyſi, hydropi, elephantiaſi etiam, & cancro; præcipuè ſi reperiatur in ſexta domo, &, ut nugantur, in Cancri ſigno. Imò propterea præfecere hominibus, quos melancholicos crederent: ut agricolis, & coriariis, &, quia eos ſimiles his putarent, etiam Iudæis.

Vlterius quoque ejus vim extenderunt. Nam quos frigidos ſtatuerent, & ſiccos, eoſdem putarunt avaros, invidos, & malignos. Quò & pertinet, quòd, uti Marti τόλμαν ſive *audaciam*, Iovi νίκλω ſive *victoriam*; ita Saturno adjudicarint νέμεσιν, ſive indignationem: quemadmodum Hermes Ægyptius tradidit in Παναρετῷ.

Imò quia frigus & ſiccitas ſint vitæ inimica; eò creditum, octimeſtrem partum rarò eſſe vitalem. Quippe volunt, primò à conceptu menſi præeſſe Saturnum, alteri Iovem, tertio Martem, & ita porrò pro ordine orbium cæleſtium recepto; eoque menſi ſeptimo præfectam Lunam, terris proximam: quo tempore ſi fœtus prodierit, ob naturam ejus parturientibus commodam, (unde & partui præfecta, dictáque *Iuno Lucina*) fœtum eſſe vitalem: ſin, decurſis ſeptem errantium ſiderum ſpatiis, ad Saturnum redeatur, frigore & ſiccitate ejus, quæ repugnant vitæ humanæ principiis, quippe in calore & humore conſiſtentis, fœtum, ſi tum exire paret, perimi, vel editum ſic congelari, ut eſſe diu nequeat ſuperſtes. Sed nono menſe

menſe redire imperium ad Iovem, ſidus calidum & humidum, eoque fœtui ſalutare : unde tum vitalis eſſe ſoleat.

Imò totis etiam nationibus dominari, opinio erat. Sic Ptolemæus, in ſecundo Apoteleſmatum, ait, quia Saturno, & Veneri, ſubſit terrena triplicitas, hoc eſt, Tauri, Virginis, ac Capricorni ſidus, & quicquid terrarum illis ſubjectum erat; eò Aſiaticorum illos, qui ad Orientem ac Meridiem vergunt, Saturni ac Veneris numen venerari. Quæ ſanè ſatis putida ſunt, & abunde refelluntur à Phœnice ſui ſeculi, Ioanne Pico Mirandulano, lib. IV contra Aſtrologos cap. X.

In anno quoq; eum præfecere auctumno; in hebdomade, diei ſeptimæ. Quin ex Chriſtianis ipſis Rogerius Bacon haut veritus eſt ſcribere, planè tum Iudæorum more eſſe feriandum, quia ſegne ac tardum Saturni ſidus parum ſit felix ac idoneum rebus agendis. Quaſi in cauſſis nominum, quibus dies à Sole, Luna, & quinque erronibus, nuncupantur, ad hujuſmodi aliquid reſpexerint gentiles. Longè aliter de hoc Pythagorici : qui ex numeris ſubtiliter de eo diſceptarunt; ut ex Maximo Planude, atque aliis, oſtenſum eſt Baptiſtæ Egnatio Racemationum capite poſtremo. Sed verius alii, qui geminam cauſſam attulerunt. Vna earum eſt, quod Ægyptii rationem habuerint harmoniæ δι' τεσσάρων †. Nam quaſi tetrachorda ſeptem in cælo ſtatuerunt : quo pacto primum tetrachordum erit à Saturno ad Solẽ, alterum à Sole ad Lunam, tertium à Luna ad Martem, quartum à Marte ad Mercurium, quinctum à Mercurio ad Iovem, ſextum à Iove ad Venerem, ſeptimum à Venere ad Saturnum. Altera ratio eſt iſta. Singulis diei horis præfectus eſt unus è ſeptem ſideribus memoratis. Quod ſi primæ horæ primi diei Sol præeſt, ſecundæ Venus, tertiæ Mercurius, quartæ Luna, quinctæ Saturnus, ſextæ Iupiter, ſeptimæ Mars, octavæ Sol, & ita porro : omnino proximæ diei primæ horæ præſit Luna, tertiæ Mars, quartæ Mercurius, ac ita deinceps. Refert has duas cauſſas Dio Coccejus lib. XXXVII; item in ejus epitome Ioannes Xiphilinus; & ex utroque Philander ſuis ad Vitruvium * notis; ubi & utrumque, unde hauſerat, auctorem laudat. Sed cùm Græcè ſit Ιωάννης ὁ Ξιφιλῖνος, ſemel iterumque *Oxiphilinum* vocat : ut perperam ὀξιφιλῖνος legiſſe videatur.

† *quaternaria.*

* *lib. 9, cap. 4.*

Quos verò ſeptem diebus, eoſdem ſeptuplici metallo præfecerunt : Solem auro, Lunam argento, Saturnum plumbo, Iovem ſtanno, & ita in aliis. Eò faſcinatores ſolent attendere, ut metallo cuique proprium inſcribant characterem : quemadmodum & cui corporis parti applicent laminam ſic inſcriptam. Quare opinio iis eſt, tum demum ſe conſequi à planeta, quod expetunt, ſi convenientis metalli laminam cum proprio charactere convenienti corporis membro alligarint.

Hactenus de quinque erronibus; quot tantummodo veteribus noti erant. Ignoti qui essent, non potuere esse tam felices (si ea felicitas est dicenda) ut à stultis mortalibus honorem sortirentur divinum. Tales sunt illi, qui seculo nostro observati sunt telescopio, seu Batavo tubo. Vt quatuor stellæ, non terram quidem proprio circulo, sed Iovem proprio ambientes motu. Eas Medicæa sidera, in honorem domus Medicææ, nuncupavit Galilæus à Galilæis, magnum Astrologiæ ac totius Matheseos decus. Præterea stellæ duæ; quæ semper Saturno, velut individui comites, assistunt. Neque desunt, quibus maculæ illæ circa Solem, nisi Soli potiùs insint, moveri solitæ, nihil aliud videantur, quàm stellæ Solem circumeuntes. Borboniorum siderum nomen, in honorem regiæ Borboniorum domus, iis impositum est à Ioanne Tarde Gallo.

Nec propter novos planetas novorum orbium constitutione opus est. Siquidem stellæ istæ moventur propriè non circa terram, sed supra terram. Interea videmus, ut minimè opinionis suæ falsus fuerit Phavorinus; quando (Agellii verbis utar *) *mirabatur, id cuiquam pro percepto liquere, stellas istas, quas multi erraticas, Nigidius errones vocat, non esse plures, quàm vulgo dicerentur: posse enim fieri existimabat, ut & alii quidam planetæ essent: neque eos tamen cernere homines possint, propter exsuperantiam vel splendoris, vel altitudinis.* Verùm hos planetas cum nesciret vetustas, nec habere potuit pro Diis; nisi quatenus potestate & confusè continerentur in generali illo pronunciato, sidera omnia, seu cognita, seu ignota, Deos esse.

* *lib. 14, cap. 1.*

CAPVT XXXV.

Vnde stellæ orbis, ut vocant, octavi appellentur fixæ. *Videri Adamum iis nomina imposuisse: & fortasse ex iis esse vocabula earum, quæ leguntur apud Iobum, & Amos. Quàm antiqua Græcis sint nomina* Orionis, & Arcturi. *Hujusmodi nominibus fas esse uti Christiano: etsi ea, ut Hieronymus ait, idolorum sint: quod & Vettii Astrologi juramentum per ea ostendit. Expenduntur quatuor illa, quæ stellis fixis conciliarunt divinitatis honorem. Horum primum est sublimitas: quæ non tam inde evincitur, quòd scintillent, quàm quòd non habeant sensibilem parallaxin: eaque occasione, quid parallaxis sit, expositum: quantaque sit distantia fixarum à terris. Alterum est earum tum magnitudo, cujus comparatio ad terram instituitur; tum multitudo, quæ nostris notior est temporibus, quàm antiquis. Tertium est motus; à quo eas & θεῶν nomen accepisse, veterum aliqui putarunt. Eum motum tum diurnum esse, tum multorum seculorum. Prioris admiranda celeritas, Solarem etiam, ac longissimè quidem, exsuperans. Posteriorem esse tum in longitudinem, tum in latitudinem. Illum in longitudinem perperam vocatum* Trepida-

pidationis motum, *vel* Acceſſus & Receſſus : *cùm continuus ſit, nec redeat ullum ſidus ad priorem locum, niſi orbe expleto : quod fit poſt* XXXVI *annorum millia, ut is* annus Platonicus *ſit dicendus. Quod etiam in latitudinem moveantur, ex eo provenire, ſecundùm Brahеum, quod poli Eclipticæ deſeruerint ſedes veteres. Quartum eſt virtus fixarum ; quam in ſublunaria exſerunt, partim luce aëra rarefaciente ; partim motu, non ἁπλῶς quidem, ſed quatenus ille lucem circumvehit ; partim qualitate occultâ ; cujus interim prætextu multa à multis, quæ incertiſſima ſint, pro certis tradantur.*

NEc ſtellæ ſolùm erraticæ ſunt honorem ſortitæ divinum : ſed cæteræ etiam, quæ à Tullio *cælo infixæ* dicuntur in I de Nat. Deor. Ac ſimiliter loquitur Macrobius lib. I in Somnium Scipionis cap. XVII : *His illud adjiciendum eſt, quod præter duo lumina, & ſtellas quinque, quæ appellantur Vagæ, reliquas omnes alii infixas cælo, nec niſi cum cælo moveri, dixerunt.* Hoc inde collegerunt, quia ſimilem perpetuò ad ſeſe invicem obtineant diſpoſitionem, ac diſtantiam. Quod ita eſſe, liquet tempora hæc conferenti cum iis, quæ Timochares, Hipparchus, & Ptolemæus, tradiderunt : ut videre eſt apud Ptolemæum Μεγάλης συντάξεως, quam *Almageſtum* Arabes vocant, lib. VII, cap. III. At Ptolemæus quidem annis poſt Chriſtum CL vixit : Hipparchus autem Rhodius, CXX annis ante natalem Chriſti : Timochares, annis ante eundem natalem CCC. Par ratio Albategnii, circa annum Chriſti IↃ CCCLXXX : Alphonſi, circa cIↃ CCL : Copernici, cIↃ IↃ XXV : Tychonis Brahe, cIↃ IↃ LXXX : item hac ætate viventium. Vt jam de annis quaſi bis mille liqueat, eandem ſemper poſituram fuiſſe, & intercapedinem, quantum ſenſibus licet obſervare. Diſpar interea ratio eſt circa ſtellarum latitudines ; quas abiiſſe ab antiqua ratione, liquidò jam olim deprehenſum ; ut paullò poſt exponam.

Non dubitandum autem, quin & ſua ſtellis nomina impoſuerit Adamus ; quibus à patriarchis ſoleant nuncupari. Sed ea nomina perierunt, paucis exceptis, quæ habemus ex veritate Hebræa. Vt quæ LXX apud Iobum IX, 9, Πλειάδα, & Αρκτοῦρον vocant : quibus medius inſeritur Εσπερος. Latinus interpres habet, *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas.* Etiam Amos V, 8, *Arcturus*, & *Orion*, ab eodem Latino interprete memorantur. Recténe, an ſecus, ita reddita ſint, parum convenit. Nam aliis עָשׁ, *Has*, non Arcturus ſolùm eſt, ſed univerſum Bootæ ſidus, vel etiam Septentriones. כְּסִיל, *Cheſil* eſſe *Oriona*, per eſt veriſimile : quamquam Aben-Ezra *cor Scorpii* maluerit : qui item כִּימָה, Chima, cenſet *Arietis caudam*, non *Hyadas*. At Vatablo ſunt *Pleiades*. Eſſe autem appellationes Græcas valde antiquas, ex eo cognoſcimus, quod non modò earum uſus ſit apud Sopho-

clem,& Euripidem;ſed Heſiodum quoque,ac Homerum; quibus ſcriptores antiquiores non habet Græcia. Vtuntur autem iis quoque Chriſtiani; idque LXX ſeniorum, & Latini interpretis exemplo. Non quaſi eos fugerit, nomina illa peti ex iis, quæ de Diis & heroibus ſuis fabulati ſunt Græci: ſed quia alia eorum vocabula non ſuppeterent, niſi Hebræa vellent retinere. Audiamus de hoc B. Hieronymum * lib. de veſte ſacerdotali: *Nec alicui gentilis videatur expoſitio. Non enim, ſi cæleſtia, & Dei diſpoſitionem, idolorum nominibus infamarunt: idcirco Dei eſt neganda providentia, quæ certa lege currit, & fertur, & regit omnia. Nam & in Iob, Arcturum, & Orionem, & מַזָּרוֹת, hoc eſt, Zodiacum circulum, & cætera aſtrorum ſidera, legimus: non quòd eadem apud Hebræos vocabula ſint; ſed quod nos non poſſumus, quæ dicuntur, niſi conſuetis vocibus intelligere.* Videmus, ut conſueta illa ſiderum nomina dicat eſſe idolorum. Et ſanè omnem cæli militiam (ut Hebræorum more loquar) pro Diis cultam eſſe, præter ea, quæ cap. XXX adduximus, oſtendit etiam juramentum illud apud Vettium Antiochenum Aſtrologum in proœmio Ἀνθολογιῶν, ſive Floridorum: quod ex ſcriptore eo majorem partem inedito jamdudum Ioannes Seldenus v. CL. in eruditiſſimo de Diis Syris Syntagmate adduxit: Ἐνλυγχάνοντας ὁρκίζω Ηλίου μὲν ἱερὸν κύκλον καὶ Σελλήνης ἀνωμάλους δρόμους, ἄλλα τε λοιπῶν Ἀστέρων δυνάμεις, καὶ κύκλον Δυοκαίδεκα Ζωδίων ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα ἔχειν, καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμιώτε καὶ μνήμιον τῷ εἰσηγαγομένῳ ἀπονέμειν. εὖ ὁρκοῦσι μὲν εὖ εἴη, καὶ καταθύμιοι οἱ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΟΙ ΘΕΟΙ. Ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία. *Eos, qui in hæc inciderint, adjuro, per ſacrum Solis circulum, & inæquales Lunæ curſus, ac reliquorum ſiderum vires, & ſigniferum circulum, ut iſta in reconditis habeant, nec imperitis, vel non initiatis tradant; ſed, doctoris ſui memores, honorem ei tribuant. Sanctè jurantibus bene ſit, Diique ante memorati ſint propitii; pejerantibus contraria ſint.* Poterat aliquis exiſtimare, Vettium Aſtrologorum juramentum exigere per ſidera, ut res caras, etſi pro diis non haberet: quomodo per liberos juratum olim, & alia acceptiſſima: quomodo item Muhammedani jurant per ſtellam veſpertinam, ac ſidera; ut antea † dictum. Sed obſtat, quod ſubjungit, Θεοὶ προκείμενοι, *dii antea relati nobis.*

* *Tom.* 3.

† *extremo cap.* 31.

Divinitatis unde opinionem conceperint, universè eſt cognoſcere ex iis, quæ de ſideribus aliis diximus. Nunc igitur ea ſolùm adducam, quæ particulatim ſpectant ſtellas adfixas. Cauſſæ autem petuntur, partim ex loco, ratione ſublimitatis; partim quantitate, ratione tum magnitudinis, tum multitudinis; partim motu gemino, uno velociſſimo, altero, qui præ illo tardiſſimus ſit; partim denique effectibus in terras, ubi multiplex utilitas attenditur. De ſingulis illorum ordine diſpiciam. Ac in ſublimitate quidem duo ſpectantur; ut erraticis ſint ſuperiores, & quanto à nobis diſtent

ſtent intervallo. Prius ex eo comprobari ſolet, quia tremulum lumen vibrent, aliæ magis, aliæ minus. Rarò Sol id facit, aut Luna, nec niſi κατὰ συμβεβηκὸς †, interjecto aëre impuro, & hinc inde agitato. At ſtellæ adfixæ fere ſemper: idque, ut volunt, quia moveatur diaphanum interjectum: quod cum fixarum recipiat ſtellarum formam, ipſæ etiam vibrari videntur: uti fluentis pellucidis formæ ſpectantur tremulæ. Id in planetis fieri negant, quia propiores ſint viſui, eoque facilius ac vehementius penetrent. Sed aliis hæc firma parum videntur: quia Saturnus, etſi remotior, rariùs vibret radios ſuos, quàm Mars: de quo aliquid diximus initio capitis XXXI. Addunt etiam, itidem in Venere & Mercurio ſibi ſcintillationem hanc obſervatam; ſed in his quoque minùs eſſe raram, quam Saturno. Colligunt igitur, non poſſe ex tremulo fixarum lumine certò ſtatui de earum ſublimitate: eoque longè aliam eſſe ſublimitatis cauſſam; fortaſſe illam, quòd ſtellæ tum fixæ, tum erraticæ, contrà quàm Peripateticis creditum, circa propria centra gyros ducant. Sanè ſtellas univerſas circa centrum ſuum verti, eamque eſſe ſcintillationis cauſſam, Raphaeli Averſæ viſum fuit. Rectiùs igitur fixarum ſublimitas ex eo comprobatur, quod non habeant ſenſibilem parallaxin, hoc eſt, viſus variationem, quam diverſitatem adſpectus appellant. Hæc paullo fuſius deducam. Siquid in ſublimi fuerit, atque tum è centro terræ, tum è ſuperficie ejus, ad illud linea ducatur; non eundem in locum lineæ viſuales incident; ſed ſeſe interſecantes angulum efficient, qui oſtendat, quàm adſpectus è terræ centro differat ab illo è ſuperficie terræ. Quæ diverſitas adſpectus παράλλαξις nuncupatur Græcis, voce etiam Latinis nunc uſurpatiſſimâ. Angulus ille quanto fuerit obtuſior, tanto res eſt propior terris: quanto idem acutior, tanto & remotior à terris. Imò tandem in longiſſimo ſpacio angulus conſpectum fugit: uti uſu venit in ſideribus ſphæræ octavæ. Quæ tamen Saturni gyro ſuperiora eſſe, ex legibus ſidereorum motuum colligitur. Imò ne in Saturni quidem ſphæra hæc parallaxis obſervatur. At Solis parallaxis percipi poteſt: ut quæ trium ſit minutorum à terra: magis etiam conſpicua eſt in Luna: ut quæ totum quandoque gradum adæquet: uti à Mathematicis ſummis, præcipuè Tychone Braheo, eſt obſervatum.

† *per accident.*

Quanta verò ſit firmamenti diſtantia à nobis, non per omnia convenit Mathematicis. Exactiores ſequar: quorum idem Braheus cenſet, intervallum id eſſe decies novies millenarum ſemidiametrorum terræ; Merſennius * autem, vicies millenarum. Ac tradit hic, intervallum id eſſe leucarum Francicarum, (quarum ſingulæ trium milliarium) 53961647. Atque inde colligit, ſi lapis è firmamento dejectus quoque minuto confi-

* *ad Gen. 1, 1.*

ceret leucam Francicam, priusquam is lapis terram contingeret, opus fore diebus 37473, & minutis 527 : quos dies si diviseris per 365, resultant anni centum & duo.

Hæc de sublimitate. Ejus verò magnitudinis sunt stellæ fixæ, ut minimæ earum æquales sint Lunæ, & Mercurio : majores autem Venere, ac Marte. Cumque in sex classes, pro magnitudine, quam obtinent, referantur : proportio stellarum sextæ magnitudinis ad terram cubicam est, ut 1 ad 1 : quinctæ magnitudinis ad eam, ut $\frac{1}{7\frac{1}{2}}$ ad 1 : quartæ, ut $3\frac{3}{4}$ ad 1 : tertiæ, ut 11 : secundæ, ut 28 : primæ, ut 70 ad 1.

Numerus stellarum innumerus est : unde Genes. xv, 5, arenæ maris comparatur. Quanto itaque acutiùs quisque tuetur, tanto plures videt : præsertim si tubo utatur Batavo : cujus beneficio Galilæus de Galilæis tot novos detexit planetas, tot fixas novas, novas etiam siderum facies. In fixis novis est illa in capite Orionis nubecula subalbida, quæ *nebulosa stella* dicitur. Hanc observavit non stellam esse unicam, sed plurium stellarum congeriem.

Veteribus autem numerabantur stellæ cIↃ xxii, quæ in xlviii imagines divisæ, & sex magnitudinibus distinctæ, iis exceptis, quæ obscuræ & nebulosæ vocantur.

Habemus de magnitudine & multitudine. Venio ad motum, qui quin divinitatis opinionem sideribus cunctis vel pepererit, vel foverit; nemini dubium esse potest; cùm ex eo etiam θεὺς dictos esse, Platonis fuerit opinio in Cratylo. Primùm enim ait, eos, qui Græciam primi incoluere, in eadem, ac barbaros multos, opinione fuisse : nam eos pro Diis habuisse Solem, Lunam, sidera. Verba ejus Græcè adduximus cap. xxx. Postea autem subjungit : Ατε οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τοῦ θεῖν, θεὺς αὐτὰς ἐπονομάσαι· *Cum ergo hæc omnia in perpetuo esse cursu conspicerent; ab hac natura* τοῦ θεῖν * θεὺς † *nominasse.* Illustris etiam de isto est Macrobii locus in primo Saturnalium libro cap. tertio & vigesimo : ubi adducit ista ex Homeri Iliad. A * :

* cursus. † Deos.

* vers. 423, & segq.

Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο,
Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις ἐλεύσεσθ' Ὄλυμπόνδε.
Iupiter enim in Oceanum ad inculpatos Æthiopas
Hesternus ivit ad convivium (dii verò simul omnes sunt secuti)
Duodecimâ autem rursum veniet ad cœlum.

Postea subdit Macrobius : *Iovis appellatione Solem intelligi, Cornificius scribit; cui unda Oceani velut dapes ministrat. Ideo enim, sicut & Posidonius, & Cleanthes, affirmant, Solis meatus à plaga, quæ usta dicitur, non recedit; quia sub ipsa curvit*

rit Oceanus; qui terram ambit, & dividit. Omnium autem physicorum assertione constat, calorem humore nutriri. Nam quod ait,

— Θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο * : *sidera intelliguntur;* * *Dii simul omnes sequebantur.*

quæ cum eo ad occasus ortusque quotidiano impetu cæli feruntur, eodemque aluntur humore. Atque ista docent, sidera esse Deos. Sed à cursu sive motu suo sic vocari, ostendunt, quæ continuò addit: Θεοὺς *enim dicunt sidera, stellas,* ἀπὸ τοῦ θέειν, *id est,* τρέχειν, *quòd semper in cursu sint.* Hinc postremum etiam Homeri versum sic interpretatur: *Addit poeta,* Δωδεκάτη δέ τοι αὖθις †, *non dierum, sed horarum significans numerum, quibus referuntur ad hemisphærii superioris exortum.* Satis ista monstrant, multos ipsum *Deorum* nomen à motu sive cursu deduxisse, manifesto indicio, sidera etiam propter motum admirandum ab iis habita esse pro Diis. Iccirco miranda hæc paucis exponam.

† *Duodecima autem rursum,*

Est motus siderum geminus: unus diurnus, alter longè plurimorum seculorum. Quorum diurnus præcipuè divinitatem stellarum arguere visus est. Nam vulgus etiam non poterat non stupere tantam earum velocitatem; utcunque exactè soli metiantur Astrologi. Mersennius quidem ex eo, quod de fixarum à terris distantia paullò antè dicebamus, tantam esse eorum colligit celeritatem, ut illæ, quæ sunt in æquinoctiali sitæ, unius horæ minuto conficiant leucas, quales dixi, 3768750. Quid ad hoc globi velocitas pulvere pyrio è machina bellica emissi? qui ut vel pari semper motu ferretur, vix horis centum terrarum orbem ambiret. Quippe qui uno minuto vix ter mille passus provolet. Imò quid ad hæc etiã velocitas Solis? qui globi tamen ejusmodi mensuram exsuperat quinquies millies. Quippe Solẽ ipsum stellæ, quæ æquinoctiali sunt propinquæ, quadragies vincunt velocitate. Tanta velocitas penè omnem exsuperat humani ingenii captum: ut nihil sit mirandum, si etiam doctissimi, sed verum nescientes Deum, etsi non tam accuratè ista scirent, stellas divinæ esse naturæ participes arbitrarentur. Sed Nicolaus Copernicus, & qui eum sequuntur, ne stupendam adeo velocitatem siderum concederent, cum veterum nonnullis statuerunt motum terræ diurnum: ut ea singulis horis ducenta & viginti quinque milliaria Germanica conficiat: sive, ut Cæsar la Galle lib. de Phænomenis cap. VII numerat, Italica nongenta & viginti septem.

Multis autem seculis non alius, quam diurnus, fixarum motus fuit cognitus. Sed postea fuit observatum, fixas in consequentia signorum procedere. A quo motu est, quòd Arietis sidus nunc occupat Tauri locum, Taurus Geminorum, & ita porrò: ut signa Zodiaci non iis sint adstricta locis, quæ ab illis denominantur: credo, quia hæc tum illis convenirent, quando primum ista statueretur stellarum figuratio. Hoc illarum motu observato, qui antea earum orbem pro ultimo habuerant, alium superaddiderunt,

derunt, quem vocarunt Nonum. Nondum tamen constabat, utrùm fixæ continue promoverentur in consequentia, an aliquousque promoti ad priora reverterentur. De hoc difficile erat statuere : sed videbantur sibi animadvertere, motum hunc nunc tardum esse, nunc celerem. Quamobrem credere maluerunt, signa post aliquem in consequentia excessum redire in priora : motumque hunc vocarunt *Accessus*, & *Recessus* ; alii verò motum *Trepidationis* : quia capita sive initia Arietis & Libræ, quasi in minutis circulis, nunc in hoc, nunc in illud latus moverentur. Est verò motus ille tardissimus. Ac Hipparchus quidem, & Ptolemæus statuerunt, eum decennio fieri ad min. VIII, & secunda XXX : hoc est annis C, grad. I, min. XXV. Eoque gradus CCCLX, quot habet Zodiacus, non possint peragrari nisi annorum triginta sex millibus. Quo spatio exacto, Platonici priscam putarunt redituram omnium rerum faciem : prout Maro etiam in Eclogis describit ; licet aliò ab aliis referatur.

* *dissertatione de Nova stella anni* 1572.

Cæterum à Tychone Braheo * animadversum fuit, fixas à verna Zodiaci sectione non solùm abire in longitudinem, sed in latitudinem quoque. Nec tamen in omnibus id fixis locum habuit; sed solum illis, quæ viciniores sunt partibus Eclipticæ maximè declinantibus. Magna enim latitudinis mutatio animadvertitur in illis, quæ Tropicis sunt propiores : exigua circa Arietem, vel Libram : at media ratio est illarum, quæ medio inter Tropicos & Æquatorem loco sunt sitæ. Vt appareat, hanc rem se habere pro inclinatione Eclipticæ jam octavo ab hinc seculo ab Albategnio observata. Vidit enim ille, non tantam esse declinationem, quam Eratosthenes, & Ptolemæus, tradidissent. Atque ab Albategnii temporibus minor minorque ea declinatio fuit. Nec propterea putandum est, æquatorem mutâsse sedem, sed eclipticam; nec æquatorem ad eclipticam, sed eclipticam accedere ad æquatorem. Nisi visum cum Copernicanis hujus mutationis caussam tribuere annuo terræ motui.

De fixarum motu, quod satis est, diximus. nunc de viribus, & efficacia earum, videamus. Nec enim dubium est, quin illarum virtutes multum ponderis habuerint ad conciliandam iis divinitatis opinionem. Virtutes has primi ex populo rustici norant, ac nautæ. Videbant nempe tempestates cieri ab Orione, Arcturo, & Corona ; ventos, à Capra, & Hædis ; pluviam, ab Hyadibus, & Plejadibus ; æstum, à Caniculis, & anterioribus partibus Leonis. Hæc in inferioribus, secundùm Aristotelem, præstant duobus istis, luce & motu. Alii lucem motu circumvectam ad ista, & rerum omnium generationem, sufficere arbitrantur. Calorem enim, qui partus est lucis, principium & caussam esse omnis generationis : motu verò lucem, eoque & calorem, nunc adduci, & adduci : ut calori, & frigori,

gori, humori & siccitati, sint vices suæ. Malim ego illis subscribere, qui arbitrantur, sidera in hæc inferiora agere, non solũ, per lucem motumque, rarefaciendo aëra : sed præterea qualitate aliquâ hominibus hactenus incognitâ, ac, ut vereor, nunquã cognoscendâ. Si enim necdum scimus herbarũ vires, quas manibus tractamus; quid de stellis speremus tanto dissitis intervallo? Plurimi tamen ex Astrologis eò usq; progrediuntur, ut scribere non dubitent, quomodo fixæ cum planetis congredientes eorũ imitentur vim & efficaciã. Atq; ut hinc aliquæ dicuntur iis Saturninæ, quæ frigidæ sint, & grandinem gignant: quædã Ioviales, quæ ventosæ, sed salubres : quædam Martiæ, quæ tonitrua cieant, & procellas : quædam Solares, quæ æstuosæ, ventosæque: quædam Venereæ, quæ humidæ & frigidæ: quædam Mercuriales, quæ se ἀδιαφόρως* habent, si in se spectes; sed varient pro sidere alio ; ut sociatæ Venereis fiant venenosæ ac pestilentes ; Iovialibus additæ, excitent tempestates. Sed multum in istis omnibus inest incerti : etsi facile concessero, magnam stellas hasce fixas vim exerere planetarum potentiis in actũ deducendis, cùm planetæ ab his, ut feminæ à viris, reddantur prægnantes, atq; ita fecundatæ in terras suos dimittant fetus. Quæ omnia melius cognoscentur, cùm de Fato Astrologico inferiùs disputabitur.

* *indifferenter.*

CAPVT XXXVI.

Memorantur sidera cœlo adfixa, particulatim Dei nomine honestata. Vt Canis, qui Isis, & Sothis, *dicebatur : item* Sirius, *quod commune ei cum Sole nomen. Adhæc* Mæra *nominatus. Piscis australis avus, aut parens habitus duorum Zodiaci piscium. Phacetis sive Aphacitis, vel filia erat Veneris, vel ipsa Venus, quæ* Dea Syria *vocatur. Templum ejus, quod in Aphacis Phœniciæ erat, demolitus est Constantinus Magnus. Engonasin erat Hercules, secundum Panyasin, Heracleidos scriptorem vetustissimum. Ophiuchus quoque aliis Hercules creditus, aliis Æsculapius. Aries est Iupiter Ammon. Germanici interpres emendatus. Etiam Aries Minervæ sidus, & caussa ejus rei. Taurus fortasse Osiris, vel Iosephus patriarcha. Gemini aliis sunt Castor, & Pollux ; aliis Hercules, & Apollo ; aliis Triptolemus, & Iasion; aliis Zethus, & Amphion ; aliis Dii Samothraces. Virgo vel Astræa, vel Ceres, sive Isis, vel Atergatis, vel Fortuna, vel Concordia, vel Pax. Concordiæ, & Pacis templa Romæ.* Panda *quæ Dea, & unde dicta. Pisces Zodiaci crediti Venus, & Cupido ; qui & Dii Syri : atque ut Syri abstinuerint capturâ esuque piscium, metuentes, ne si eos esitarent, corpus à Dea Syria inflaretur. Capellæ, Arietis, Lyræ, aliorumque siderum apud Peruanos cultus.*

DE caussis, cur adfixa etiam sidera pro Diis culta sint, satis dictum est. Nunc particulatim expediam, quod numen in præcipuis earum

coli putarint. A Cane ordiar : quia, ut inter erraticas prima honore divino aucta est Veneris stella, quam Phosphorum, & Hesperum, dicimus : ita inter fixas primò ad tantum decus evecta est illa, quæ vocatur Ἀστὴρ κύων, sive *Cœlestis canis*, vel etiam *Sirius*. Imò ab Ægyptiis quoque Hespero est prælata, dignataque nomine Isidis ; quæ cum Osiride supremum iis numen erat. Hac de re sic Plutarchus, lib. de Isid. & Osir. Λέγουσι οἱ ἱερεῖς, καλεῖσθαι Κύνα μὲν τὸν Ισιδος ὑφ' Ελλήνων, ὑφ' Αιγυπτίων δὲ Σῶθιν. sive, ut alibi apud eum legitur, Σώθιν. *Ajunt sacerdotes, Canem quidem Isidis à Græcis, ab Ægyptiis autem Sothen vocari.* Horapollo, sive interpres ejus Philippus, Hieroglyphicon cap. III, Quomodo annum signarint Ægyptii : Ισις δὲ παρ' αὐτοῖς ἔστιν ἀστὴρ, Αιγυπτιστὶ καλούμενος Σῶθις. Ελλησιστὶ δὲ ἀστροκύων (perperam Aldus ἀστρομύων) ὃς καὶ δοκεῖ βασιλεύειν τῶν λοιπῶν ἄστρων. *Est autem Isis iis astrum Ægyptiacè dictum Sothis, Græcè verò Astrocyon ; qui & inter sidera reliqua principatum videtur obtinere.* Subjungit deinde, cur principatus illi videatur deberi, atque ut ex sideris ejus exortu observent Ægyptii, quæ anno sint integro agenda : unde non Sirium modò, sed annum etiam, *Isidem* appellent.

Nec mirum sanè, si ex hoc sidere potissimùm judicarint ; quandoquidem fulgore reliquas exsuperat stellas ; ita ut meridie ipso, si aquis imponas speculum, cernere illud liceat : imò qui acumine præpollent, citra etiam speculum, vel videant, vel videre sibi videantur. Vnde &, quorundam judicio, commune Sirii nomen Soli, & Cani, datum fuit ; ut Suidas ait in Σείριος. Ita sanè plerique Grammatici quædam in Hesiodi ἔργοις de Sirio loca interpretantur. Imò hoc Virgilii quoque sic aliqui capiunt IV Georgicôn ; sed contra Servii mentem :

Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat cælo.

Qua de re plura Hadrianus Iunius Miscellan. lib. I, cap. V. Vbi & Iocum Hygini * emendare conatur, scribentis, Sirium aliter vocari *Meram*. Censet enim, pro *Meram* rescribendum esse *Neæram* : idque quia sic nuncupet Cæsar Germanicus, sive ejus interpres Bassus. Sed Germanici loco emendatiùs nunc Morellianâ legitur editione, *Mæra*. Siquidem Μαίρα dicitur Hesychio, & Nonno in XVI Dionysiacorum : uti ostendi libri superioris cap. XXX.

* *in Poëtico Astronomico, ubi de Arctophylace, p. 9, edit. Morell.*

Nec solus in Meridionalibus sideribus Canis, honore cultus est divino : sed etiam Piscis, Græcis dictus Νότιος, uti & Hygino † ; Ciceroni * item Australis ; Germanici autem interpreti Magnus : qui de eo, & divinitate ejus, sic scribit : *Piscis magnus (cujus nepotes dicuntur Pisces, qui in circulo zodiaco constituti sunt) dicitur in astra collocatus, eo quòd decidens in Boeth stagno*

† *in poetico astronom.*
* *in Aratea.*

ſtagno Phacetis, filia Veneris, in Piſcem ſit transfigurata; quam Syri Deam nominaverunt. Vbi malim, *Syriam Deam.* Subjungit deinde : *Quidam autem dicunt, quòd de ſtagno filiam Veneris ſalvaverit. Vnde uſque hodie Syri Piſces argenteos in templo ſacraverunt.* Quàm verò ridiculum, ac jocoſum, quod ait, hujus piſcis illos Zodiaci piſces eſſe nepotes. A quo paullum abit Hyginus, cum filios facit. Sic enim de hoc Auſtrali piſce ſcribit : *Eratoſthenes autem ex eo piſce natos hos eſſe dicit, de quo poſt dicemus.* Vbi vulgo legitur : *natos homines dicit.* Fortaſſe tamen pro *homines* ſuffecerit, ſi *hos* reſcribas : quod placuit clariſſimo Salmaſio. Nam potuit librarius putare, *hos* compendio literarum, lineolaque ſuperducta, pro *homines* ſcriptum fuiſſe. Etiam in ſuperiori Hygini loco pro *Phacetis* legendum videtur *Aphacitis* : quod monitum Seldeno *. Vel, quod non minus placet, *Phacetis*, aut *Phacitis*, ſit factum ex *Aphacitis*; ut *Derceto*, ex *Atergatis*; quemadmodum dictum lib. I, cap. XXIII. Faciléque eidem adſenſero Seldeno, apud Macrobium, cujus verba adduximus cap. IV hujus libri, pro *Architidis Veneris* reponenti *Aphacitidis.* Niſi *Phacetidis* malis, ut eſt apud Hyginum. Aphacitis Venus memoratur Euſebio in vita Conſtantini lib. III, cap. LIII. Nam Græcè eſt, Αλσος καὶ τέμενος ἐν ἀκρωρείας μέρει τοῦ Λιβάνου ἐν Αφάκοις ἱδρυμένον· hoc eſt, *nemus, & delubrum in parte verticis montis Libani in Aphacis exſtructum.* Vbi pro *in Aphacis* perperam Muſculus, *in fruticeto* : uti Chriſtophorſonus, *inter arbuſta.* Hoc Aphacitidis Veneris templum demolitus Conſtantinus M. ut ibidem ſcribit Euſebius : item Socrates lib. I, cap. XIV, ubi dicitur τὸ ἐν Αφάκοις τοῦ Λιβάνου ἱερὸν τῆς Αφροδίτης· *templum Veneris in Aphacis ad montem Libanum.* & Sozomenus lib. II, cap. IV, cui eſt, ναὸς ὁ ἐν Αφάκοις τῆς Αφροδίτης ἐπὶ τοῦ Λίβανον τὸ ὄρος, καὶ Αδωνιν τὸν ποταμόν. Quod apud Caſſiodorum in Tripartita lib. II, cap. XX, ſic redditur, *In Aphacis juxta montem Libanum, & Adonim fluvium, Veneris domus.* Similiter Nicephori interpres lib. VIII, cap. XXXIII, *Apud Aphacos ad Libanum montem Veneris delubrum.* Ortelioque in Theſauro Geographico jamdiu obſervatus locus ille Zoſimi lib. I, ubi de Zenobia ab Aureliano capta agit : Αφακα χωρίον ἐστὶ μέσον Ηλιουπόλεώς τε καὶ Βίβλου, ἔνθα ὁ ναὸς Αφροδίτης ἵδρυται· *Aphaca locus eſt inter Heliopolin, & Biblum, ubi fanum Veneris eſt conſtitutum.*

* *de Diis Syris Syntagm. 2, cap. 3.*

In Septentrionalibus extra Zodiacum ſignis eſt is, qui Græcis Εν γόνασι dicitur; impropriè ſatis, quando non utroque genu, ſed altero tantùm poplite nititur. Aliter tamen de hac imagine Cicero in Arateis :

Εν γόνασιν *vocitant, genibus quod nixa feratur.*

Quis ille geniculator ſit, diu non convênit; his Theſeum, illis Orpheum; aliis Thamyrim, vel alium, exiſtimantibus. Panyaſis autem tradidit eſſe Herculem : quod indicat Feſtus Avienus in Arateis :

Illa laboranti ſimilis ſuccedit imago
Protinus, expertem quam quondam dixit Aratus
Nominis, & cujus latuit quoque cauſſa laboris.
Panyaſi ſed nota tamen. cui longior ætas
Eruit excuſſis arcana negotia rebus.

Sententia eſt, Aratum neſciſſe nomen ſideris : ſed ſciſſe Panyaſin ; qui ut ſeculis aliquot Arato erat antiquior, ita melius noſſe potuit res vetuſtate propemodum obliteratas. Fuit Panyaſis ille Herodoti vel avunculus, vel patruelis : quod ejus antiquitatem arguit. Is hanc imaginem eſſe Herculem dixit. Quod traditum ab eo in Heracleide, XIV librorum opere, quo geſta Herculis complectebatur. Plura de eo diximus in Hiſtoricis Græcis lib. IV, cap. VI. Panyaſin in eo ſecutus quoque Eratoſthenes. Vnde Hyginus in poet. aſtron. *Engonaſin Eratoſthenes Herculem dicit, ſupra draconem collocatum.*

Apud eundem legas, ut Ophiuchus, qui Latinis *Anguitenens*, & *Serpentarius*, ab aliis quidem creditus ſit Hercules, à quo in Lydia ad fluvium Sagarim ſerpens eſt interemtus : ab aliis verò Æſculapius, in cujus tutela eſt anguis. Poſteriorem ſententiam etiam Servius ſequitur in XI Æn. ubi agit de Minervæ ſidere. Verba ejus paullo poſt adducam. Et hæc quidem ſidera ſunt extra Zodiacum.

Videamus nunc de Zodiaci ſignis. Aries habitus eſt Iupiter Ammon : ut traditum Iſidoro lib. III Orig. cap. ult. Eique hac parte præivit Germanici interpres : *Nigidius hunc Arietem dicit ducem & principem eſſe ſignorum Zodiaci circuli. Immortali autem honore donatum, quòd cùm Liber exercitum in Africam duceret, & aquæ inopiam pateretur; ſubitò Aries ex arena exivit, & Liberum cum ſuo exercitu ad aquam perduxit divinitus. Hoc facto Liber eum Arietem Iovem Ammonem appellavit, eique fanum magnificum fecit eo in loco, in quo reperta eſt aqua : & abeſt ab Alexandria itinere dierum novem. Præterea Aries dux aquæ immortalis mutatus, & cæli ſidera conſecutus.* De genitura Arietis ejus hæc corruptiſſimè ſic in Morellii editione leguntur : *Genitum autem hunc Arietem dicunt ex Neptuno, & Theophane, Altidis* (lego *Attidis*) *filia : quam cum adamaſſet, in inſulam Crinniſſam* (malim *Crioneſon*, Κριοῦ νῆσον, hoc eſt, Arietis inſulam) *traduxit, inque ovem convertit : cum qua in Arietem mutatus, concubuit; ex qua aries Chryſovellus natus.* Vbi pro *Chryſovellus* lege *Chryſomallus*, χρυσόμαλλος, hoc eſt, *aurati velleris.*

Nec Aries ſolùm Iovis ſymbolum ; ſed etiam Minervæ. Vnde Maro XI Æn.

Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus omnes
Vel Priamo miſeranda domus : ſcit triſte Minervæ
Sidus, & Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.

Vbi

Vbi eruditè Servius : *Revera constat, Græcos tempestate laborasse æquinoctio vernali; quando manubiæ Minervales, id est, fulmina, tempestates gravissimas commovent : unde peritè dicendo* SIDVS, *utrumque complexus est. nam sidus & tempestatem significat, & revera sidus. Hæc autem numina, quæ inter sidera non videmus, licet sua signa propria non habeant, cum aliis potestate sunt permixta. Vt Ophiuchus ipse est Æsculapii : Gemini Apollinis & Herculis esse dicuntur : sic Minervæ Aries esse dignoscitur.* Neque, cùm Minerva sit consilii Dea, obscurum est, cur Aries Minervæ sidus sit. Quippe ipse est dux signorum : ut ex suo consilio præcedat; cætera ex ejus consilio sequantur. Hinc Manilius in secundo Astronom.

Consilium ipse suum est Aries, ut principe dignum est :
Audit se, Libramque videt.

Neque Iovi patri injuria fit, si & filiæ ejus Minervæ hoc signum dicatur, quando amborum consilium idem; quodque filiæ, id quoque patri collibitum est. Vnde Callimachus in Palladis Lavacro :

Ως φαμένα κατένευσε. τὸ δὲ ἐντελὲς, ᾧ κ' ἐπινεύσῃ
Παλλὰς· ἐπεὶ μώνᾳ Ζεὺς τόγε θυγατέρων
Δῶκεν Αθαναίᾳ, πατρωΐα πάντα φέρεσθαι.

Hoc sic vertit Politianus :

Adnuit his Pallas dictis; quodque adnuit illa,
Perficitur. soli Iupiter hoc tribuit
Natarum è turba, quæ sint patris, omnia ferre.

Quod si ab Ægyptiis princeps Zodiaci signum figuram Arietis accepit in honorem Chami, sive Iovis Ammonis, qui ad potentiam significandam arietinis fingebatur cornibus : quid impedit, quo minùs credamus, secundum Zodiaci signum figuram accepisse Tauri : perque illud intellectum vel filium Chami Osirim, sive Mesorim, seu Mizraim : à quo Ægyptus edocta agriculturam (quippe & agriculturæ symbolum erat bos:) vel Iosephum patriarcham, qui propter servatam in fame ingenti Ægyptum bovis symbolum meruit, & tandem in eo divinos adeptus est honores : ut fusè ostendimus lib. 1, cap. XXIX. Inque hac de Iosepho conjectura præeuntem videas illustrissimum, & omni laude majorem, Hugonem Grotium, in Sophomphania tragœdia : ubi ab eo Pharao inducitur sic Iosephum compellans :

Tibi salutem debet Ægyptus suam,
Et ego quietem. Cuncta quòd non à viris
Deserta squallent arva, quòd terris nova
Spes manet aratri, muneris totum tui est.
Ideoque honores ad tuos addi volo,

Vt, more Eoæ gentis, astriferæ plagæ
In spatia venias nominis titulo tui,
Grandisque meriti grande monumentum ferat
Agricola Taurus, arce sidereâ micans:
Sicut propinquas Arietis stellas tenet
Inscriptus Hammon, Mesoris antiqui pater.

Quos eò lubentiùs versus apposui, quia ex eo sint poemate, quod cùm argumento & tractatione omnibus bonis doctisque amori sit & admirationi: tanto impensius à me amatur, quanto majoris me facere æquum est; ut cujus, licet immerentis, nomini inscriptum prodire summus vir jusserit in lucem.

Gemini, quos Græci similiter Διδύμους nuncupant, receptiori Astrologorum opinione sunt *Tyndaridæ*, sive *Ledæi juvenes*, Castor & Pollux: quos (ut Hyginus * ait) *Iupiter inter notissima sidera constituisse existimatur; Neptunus autem pari consilio munerâsse: nam equos his, quibus utuntur, donavit; & dedit potestatem naufragis saluti esse.* Hinc Horatius lib. 1, od. III:

* *in poet. astronom. cap. de Geminis.*

Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater. Et Od. XII:
Dicam & Alciden, puerosque Ledæ;
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (quod sic voluere) ponto
Vnda recumbit.

Vnde hæc opinio profluxerit, docet Cæsius sive Calpurnius Bassus commentario in Aratea Cæsaris Germanici; ubi sic scribit: *Nigidius dicit, Castorem & Pollucem, Tyndaridas, Geminorum honore decoratos, quòd principes pacationis dicantur: quòd mare totum prædonibus maleficisque pacatum reddidissent, & quo in tempore navigaverint cum Iasone atque Hercule ad pellem inauratam auferendam, multis laboribus tempestatibusque conflicti, periculorum atque animorum experti, impendia laboribus liberare studuerunt: atque cum à Iove essent elati, petierunt à patre, ut sibi liceret in eo cæli loco constitui, unde mortalibus auxiliantes prospicere possent.*

Non tamen in hoc omnes conveniunt. Nam, ut Hyginus ait in poetico Astron. *Alii dixerunt, Herculem esse, & Apollinem. Nonnulli etiam Triptolemum, & Iasiona, à Cerere dilectos, & ad sidera perlatos.* Priorem opinionem etiam apud Servium legas in illis, quæ de Ariete, Minervæ signo, adduximus: eamque Arabes sunt secuti, quibus ille Cancro vicinior, *Abrachaleus*

leus appellatur; alter, *Avellar*: sed hoc, ut Scaligero * monitum, ex *Apollo* est corruptum; illud autem ex Ηρακλεὺς, à quo recto obtinet patrius casus Ηρακλῆος. Sed en alias etiam opiniones duas, ex memorato antea interprete Germanici. *Alii*, inquit, *volunt Zethum, & Amphionem, esse: ideo unus zonam, alter lyram habet. Nigidius Deos Samothracas dixit; quorum argumentum nefas sit ememorare: propter eos, qui mysteriis præsunt.* Ita rectè Hugoni Grotio † emendatum, ubi pro *ememorare* vulgo *enumerare*. Cùm verò Nigidius Geminos ait esse eosdem, ac *Deos Samothraces*; ducem sequitur eum, cujus sub Orphei nomine hymni vel Initia potiùs exstant. Nam Carmimine eo, quod Κυρήτων θυμίαμα inscribitur, sic de iis canit:

* *in Manil.*

† *Notis in Aratea.*

Οἵτε Σαμοθράκῃ ἱερὴν χθόνα ναιετάοντες.
Quique Samothracen sacram tellurem habitantes.

Et post aliqua:

Κυρῆτες Κορύβαντες, ἀνάκτορες ἰυδύνατοί τε
Ἐν Σαμοθράκῃ ἄνακτες·
Divi Curetes, Corybantes, & induperantes,
Dique Potes, Reges Samothraces.

Et mox:

Οἵτε δ' ὐράνιοι Δίδυμοι κλήζεσθ' ἐν ὀλύμπῳ.
Et qui cælestes Gemini vocitamini Olympo.

Virginis signum, ex vulgari sententia, est Astræa, sive Iustitia, vel Æquitas. Hinc Aratus: — Καὶ ἣ Δίκην καλέουσι.
— *Et Iustitiam vocitarunt.*

Hæc, hominibus ab æquitate declinantibus, ad superos transiit; ut Nigidius ait apud Germanici interpretem. Ac continuò ante legas ibidem: *Nonnulli eam esse Cererem, eò quod spicas teneat; alii Atergatin; quidam verò Fortunam, pro eo quod sine capite astris infertur.* Similiter Hyginus in Virginis signo: *Sed hanc alii Fortunam, alii Cererem dixerunt. Et hoc magis non convenit inter eos, quòd caput ejus nimium obscurum videtur.*

Festus Avienus in Arati Phænomenis:

Aut Pelusiaci magis es Dea litoris Isis,
Digna tori consors, & cura latrantis Anubis:
Seu tu diva Ceres.

Nihil verò attinebat pro diversis adferre opinionibus, quòd aliis sit Isis; aliis Ceres. Nam, quæ Isis Ægyptiis, hæc Ceres erat Romanis. Esse verò Cererem potiùs, quàm Fortunam, eo comprobatur, quòd spicam manu teneat; ut mox subjicit Avienus. Sed versus sunt corruptissimi, quos sic corrigebat maximus Salmasius:

— *Sic nam tibi fragrat arista,*

Et

Et ſeu Siriaco torretur ſpica calore
Protentata manu : ſeu quæ pernicibus alis &c.

Aliis autem Virgo non eſt Iuſtitia, vel Ceres : ſed Concordia, vel Pax. Pro Cerere eſt Virginis imago in veteri Venetâ Hygini editione ‡ expreſſa. Nam ſpicas manu tenet. Sed pro Concordia, aut Pace, eſt illa veteris MSSi à Commelino in Hygino ſuo, item ab H. Grotio in Arateis Germanici, efformata : ubi manu dextrâ olivam, ſiniſtrâ caduceum tenuit. Concordiam verò, & Pacem, inter numina eſſe habita, ſatis convenit. Nam Concordiæ templum fuit in Capitolio juxta ædem Iunonis Monetæ. Pax templum habuit foro proximum : quod Cæſar quidem Claudius exorſus fuit ; Veſpaſianus verò abſolvit. Atque eò reſpexit Cæſar Domitianus cognomento Germanicus, in Arateis ad patrem ſuum Veſpaſianũ :

Pax tua, tuque adſis nato, numenque ſecundes.

Eadem vocabatur *Panda*. Gloſſ. Philoxeni : *Panda*, Εἰρλώνης θεός *. Nomen ex eo fuerit, quia pacis tempore pandantur urbium portæ. Aliis tamen placet, *Pandam* eſſe Cererem ; atque eo ſic dictam, quia panem daret. Varro lib. I de vita populi Romani † : *Hanc Deam Ælius putat eſſe Cererem ; ſed quòd in aſylum qui confugiſſet, panis daretur, eſſe nomen fictum à pane dando pandere, quod eſt aperire.* Sed *pando* non eſt à *panem do* ; verum ex πίλάω, quod idem notat. Onomaſticum : *Pando*, πιλάζω. N inſertum, ut à πήγω ſive Dorico πάγω, *pango*, à θίγω, *tango*, à πίλιωω, *pinſo*, & ſimilia. Nec *Panda* eſt Ceres, cùm apertè diſtinguat Varro ipſe ‡, Satyra Menippea, quæ inſcribitur Σκιαμαχία :

*Ted' Anna * Perenna, Panda †, te Lato ‡, Pales,*
*Nerienes, & * Minerva, Fortuna, ac Ceres.*

Alia præterea ſententia eſt. Nam apud Arnobium lib. IV legas, *quòd Tito Tatio Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permiſſum eſſet, Deam Pandam eſſe appellatam, vel Panticam.*

Piſces duo à veteribus dicuntur Dii Syri. Germanicus in Arateis :

— *Et Syriæ duo numina Piſces.*

Numina ea ſunt Venus, & Cupido : ut oſtendunt hæc Hygini verba in poetico Aſtronom. *Diogenetes Erythræus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine ad flumen Euphraten veniſſe, & eodem loco repente Typhona giganta apparuiſſe. Venerem autem cum filio in flumen ſe projeciſſe, & ita figuram piſcium formâ mutâſſe : quo pacto periculo eſſe liberatos. Itaque poſtea Syros, qui his locis ſunt proximi, deſtitiſſe piſces eſitare, quod vereantur eos capere : ne ſimili cauſſa aut Deorum præſidia impugnare videantur, aut eos ipſos captare.* Aliter tamen ex Nigidio Germanici interpres ; qui ait, hos eſſe Piſces, qui ex Euphrate evolverunt ingens ovum illud, unde, cum columba ei inſedisſet, poſt aliquot dies nata

‡ *anni* 1512.

* *Pacis Dea.*

† *apud Nonium in* Pandere.

‡ *Apud Agellium lib.* 13, *cap.* 21.

* *Bad. Aſcenſius edidit*, Theanna. *Sed rectum* Ted'. *Inſertum D ad explendum hiatum : quo de more vide, qua dixi lib.* 2 *de arte Grammatica cap.* 14.

† *Aſcenſius*, Pranda : *ſed perperam.*

‡ *Aſcènſii editio*, Celato. *Unde faciendum* Te Lato. *Nempe Doricum* Λατὸ, *pro* Δετό.

* *Copula & eſt in Aſcenſiana : qua male in Stephanica præteritur. Niſi malis*, Te Nerienes : *quod placuit Carrioni Antiquarum Lect. lib.* I, *cap.* I.

nata est Dea Syria, quæ dicitur Venus: eoque Syros piscium, & columbarum esu abstinere. Quia verò Syri capturam piscium aversati, ut ex Hygino antè vidimus; eò poeta incertus in VI Ἀνθολογίας * ait, Heliodorum rete suum dicâsse Deæ Syriæ: sed

* Tit. περὶ ἁλιέων, de piscatoribus.

Ἀγνὸν ἀπ' ἰχθυόλης θήρης·

Purum ab venatione pisces capiente.

Nam si pisces eo jam capti fuissent, reti hujusmodi nihil fuisset Deæ ingratius. Credebant autem, illis, qui pisces esitarent, tumorem à Dea Syria immitti. Vnde Martialis lib. IV, epigr. XLIII:

Iuro per Syrios tibi tumores.

Persius sat. V †:

† vers. 187.

Incussere Deos inflantes corpora.

Hoc est, Deam Syriam, quam Venerem dicunt, & filium ejus Cupidinem. Vide Scaligerum ad Manilium ‡, & Salmasium in Solini Polyhistora *, quæque de Atergatis cultu dicebamus lib. I, cap. XXIII: ubi Deam Syriam, ut animale numen spectavimus; hic verò, ut naturale, consideramus: quomodo tum in Luna colitur, uti dictum antea; tum in Piscium signo, quemadmodum proximè exposuimus.

‡ pag. 344. edit. Rapheleng.
* pag. 282.

Nec solùm Oriens, & ejus exemplo, Græci, ac Romani, stellas omnes pro Diis habuere; sed etiam gentes aliæ: quod uti de erraticis antea ostensum, ita de fixis ex variis constat scriptoribus. Imò superiori, nostroque seculo, idem honos iis fuit apud Peruanos: qui, Acosta teste, præter Deum creatorem, (quem suâ linguâ *Viracocham*, ac, post commercia cum Hispanis, etiam *Dios* nuncupant) venerati quoque sunt Solem, Lunam, erraticas quinque, & stellas cæteras. Hispanicum hunc scriptorem, sed Latinè loquentem †, audiamus: *Ex stellis Colca, quem nos Cabrillas sive Capellam vocamus, invocarunt. Et stellis quidem aliis hoc, aliis aliud munus, injungebant: quæ deinde singulæ à singulis adorabantur, prout cujusque necessitas poscebat. Opiliones stellam Vrcuchillay adorabant. Eam Arietem diversicolorem fingebant; cujus hæc unica esset cura, ut custodiret pecora. Putatur verò id sidus, quod Astrologi Lyram nuncupant. Præter has duas, etiam alias eis vicinas invocabant, Catuchillay, & Vrcuchillay dictas. Finguntque earum alteram ovem, alteram agnum esse. Fuere, qui stellam aliam Machuacuai venerarentur, serpentibus, ac colubris, imperantem; à quibus hoc pacto se tutos fore persuasum habent. Itidem aliam adorant stellam Chuquichinchai, id est, tigrem vocatam: quam tigribus, ursis, ac leonibus præfectam tradunt. Nullum usquam animal, seu quadrupes, seu volatile, in terra esse credebant, cujus simulachrum in cœlo non splenderet; unde simile in terris procrearetur, suumque acciperet incrementum. Itaque cum diversissimis stellis ipsis res erat; quas Chacana, Topatatca, Mamana, Mirco, Mequiquiray, & aliter nominabant: adeoque*

† lib. 5, cap. 2.

cum Platone, ubi de Ideis tradit, apprimè consentiebant. Atque hæc de sideribus universis: quorum admiranda natura,& tot bona, cùm quasi manu ducere possent, ac deberent, ad opificem, rectoremque supremum: pravitate tamen humani cordis planè contrà evênit, ut nationes non altiùs adsurgentes in corpore hoc sensibili subsisterent, ac ut Solem, & Lunam, sic stellas tum erraticas, tum adfixas, veris pro numinibus haberent.

CAPVT XXXVII.

Priusne Æthera, an Sidera, coluerint, dissertatum. Gemina adfertur ratio, cur spatium inter sidera, ac terras, necesse fuerit corpore oppleri. Vnde ἀιθὴρ, & οὐρανὸς, nuncupentur. Cælus *Latinis, qui Græcis* Vranus; *& cur statuatur Saturni parens: quare item dicatur genitalibus destitui. Qui* Ακμων, *&* Ακμονίδης *dicantur. Iovem non Saturni modò, sed etiam Ætheris, habitum filium. Persis quoque Cælum fuisse pro Deo: item Pythagoræ; qui tamen non pro summo habuerit Deo; sed tali, quem summus crearit: imò &* divûm lyram *à Pythagoricis vocari.*

A cultu Solis, Lunæ, & Stellarum, ab aliis quidem cogitari cœpit de divino honore Ætheri præstando, sive Cœlo; ab aliis autem de eodẽ Elementis exhibendo. Quamquã existimare aliquis possit, mortales, cùm primò recedi cœpit à Deo, pro vero numine, universum hoc moderante, totam coluisse naturam, sub nominibus Molochi, Saturni, atque aliis: postea autem eos hac veneratione dignatos esse superiorem, & nobiliorem Naturæ partem; puta Æthera, vel Cœlum, quod Iovem nuncuparunt. Imò quòd Iupiter fugâsse Saturnum de regno dicitur, id queas sic interpretari, quòd pro Natura tota, quæ est Saturnus, præcipuè cultui esse cœperit Æther sive Iupiter. Quo pacto si processum fuit, post Æthera demum, sive Iovem, cultus sit Apollo sive Sol. Nam ut Naturæ pars Æther, sic Ætheris Sol; quippe Iovis oculus alter, ut tradiderunt. Verùm contra hæc statuendum, divini honoris decus esse priùs attributum ignibus illis cælestibus, quàm ætheri. Atque hoc ex eo non obscurè colligimus, quòd illorum, & magnitudinem, & pulcritudinem, ac summam etiam utilitatem, viderent universi; ætheris non item: imò multorum ea foret opinio, quòd æthera dicimus, nihil aliud esse, quàm magnum inane, per quod sidera suum conficerent cursum. Quos interea nimium quantum ratio fugit. Nam necesse fuit, cælum corporeæ esse substantiæ, quò duplicem præstaret usum: unum sideribus ferendis, quia, ut Peripatetici scisscunt, omnis motus fit super immobili: alterum verò, ut sidera agere possent in inferiora, quod fieri non poterat, sine contactu, sive is per se foret, & sine corporis alterius interventu, sive per aliquod fieret intermedium. Vt necesse

ceſſe ſit omnia vel continua eſſe, vel contigua ſaltem, quò ſuperiora poſſint inferioribus impertire lumen ac calorem ſuum. Cùm igitur à ſiderum cultu deventum ſit ad venerationem Cœli: ordinis hoc ratio exigere videtur, ut poſtquam de ſideribus, quod ſatis eſt, diximus, nunc ad Cœlum ſe noſtra convertat oratio.

Quod Latinis Cœlum, id Hebræis שָׁמַיִם ſchamaim. Vocis ejus etymon inferiùs adducam. Thalmudici in Bereſchit rabba ſect. IV, adducunt ſeptem alia cæli nomina: ſed quæ parum huc faciant. Græcis dicitur ἀιθὴρ, ſive ἀπὸ τοῦ ἀιεὶ θέειν· h. e. Appulejo interprete, *quòd curſibus rapidis ſemper rotetur*; quæ Ariſtotelis * opinio erat: ſive, ut Anaxagoras putabat, ἀπὸ τοῦ ἀιθεσθαι, hoc eſt, *ab urendo*, quia igneus ſit, & incenſus: vel ut aqueæ, aut aëreæ ſit naturæ; tamen complectatur ignes illos cæleſtes, quos ſidera dicimus: ſive ab אדר addir; quod quantitatem pariter, & qualitatem comprehendit, & nunc *ingens*, vel *ſublimis*; nunc *præclarus*, vel *potens*, exponitur. Quæ non malè ætheri conveniunt; unde Ennius in Thyeſte:

Aſpice hoc ſublime candens, quem vocant omnes Iovem.

Etiam apud Ciceronem habes in II de Nat. Deor.

Vides ſublime, fuſum, immoderatum æthera.

Quod ex Euripide eſſe expreſſum, alibi oſtendimus †.

Οὐρανὸς verò eſt, non ex eo, quia omnia cernat; nempe ab ὁρᾶν, *videre*, & ἄνω, *ſurſum*; quod voluit Plato: non ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν, τὸ φυλάττειν, quod cuſtodiat omnia, ac conſervet: non ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν, *finire*, quia univerſam rerum naturam terminet: ſed à Chaldaico אורא ora, hoc eſt, *lux*: unde & ὁρᾶν, & ἄυριον *, & *aurora*, & *aura* pro ſplendore, & *aurum*. Ipſum verò eſt ab אור, *lucere, illuminare*. Vnde & אור ur, *ignis*: à quo *uro*, & Græcum πῦρ †, & πυρῶ *, & *buro*, ex quo *buſtum*, & *comburo*.

Latinis Οὐρανὸς eſt *Cælum*, & antiquè *Cælus*: de cujus etymo in Originibus diximus. Pro numine uſus Ennius I Annal.

Saturnus, quem Cœlu' genit.

Teſtes Nonius in *Cælus*, & Chariſ. lib. I. Ac habes quoque in antiqua inſcriptione Romæ effoſſa in monte Cælio: OPTIMVS MAXIMVS CÆLVS ÆTERNVS. Integram vide apud Aldum in Orthographia, & Inſcript. Grut. Ac meminere etiam Benedictus Ægius, notis in Apollodorum, & Stephanus Pighius in Themide Dea. Adi etiam, quæ diximus Grammaticæ Artis lib. I de Analogia cap. XXXVII.

Vt verò *Cælus* Romanis erat numen, ſic Græcis Vranus: unde Saturnus Οὐρανίων, quaſi *Cæli filius*. Quod optimè convenit cum Ennii verbis proximè adductis. Sed ſi Saturnus eſt rerum natura, Cœlus pars naturæ ſublimior: quomodo Saturnus Cæli filius? Nam liberi potiùs pars ſunt paren-

* *lib. I de cælo cap. 3, ac ſimiliter ſcriptor libri de mundo, & paraphraſtes ejus Appulejus.*

† *Orator. Inſtit. lib. 4, cap. 6, ſect. 7.*

* *cremo.*

† *ignis.*

* *uro.*

parentum. Dixerim, qui Saturnum Cæli filium vocarunt, consideràsse eum, vel ut planetarum supremum; qui verè Cæli pars, quatenus uno complexu orbes, & sidera, consideramus: vel per Saturnum hîc signari tempus, qui cæli quodammodo est effectus. Nam mensura ejus petitur è motu cælesti: quam rationem adfert Claudius Thuscus *: Ο γὰρ χρόνος ἐκ τῆς τοῦ οὐρανοῦ κινήσεων πρόεισι· *Tempus ex cæli motibus procedit.*

* *apud Columnam in Ennii Fragmenta.*

Quæritur porrò, cur Cælus dicatur genitalibus privatus à Saturno. Censeo eò respexisse, quòd Cælum vel tempore, vel naturâ saltem, prius sit sideribus: sidera autem sint cæli pars, eoque quasi progenies cæli censeantur: præsertim si cælum igneum est, nec sidera aliud sunt, quàm ignes cælestes: uti satis consentaneum est iis, quibus *æther* ἀπὸ τοῦ αἴθειν ‡ dictus videtur. Nec minùs convenit Peripateticorum sententiæ: quando sidera iis nihil aliud sunt, quàm densiores, eóque lucidiores sui orbis partes. Quod si Cælus sit siderum parens; non absurdè à poetis dicitur, priùs habuisse genitalia; hoc est, vim aliquid ex se producendi. Sed, productis sideribus, desiit illa vis; quia, ut communior est opinio, nihil novi gignitur in cælo. Ab eo igitur tempore resecta dicuntur genitalia. Nihil quidem, nisi vi cælesti, generatur in terris, vel aquis. Sed non sunt ea naturæ cælestis, uti sidera; quibus convenientiùs tribuitur filiorum nomen; præsertim si planè ejusdem sunt materiæ, ac parens Cælus. Atque hæc, si rem potiùs, quàm fabulæ involucrum, spectes; magnam conveniunt partem historiæ Mosaicæ: quæ narrat, primò die conditum esse cœlum, sed inornatum: die autem quarto esse stellis exornatum, ac distinctum. Vnus solum scrupulus restat; an, ex Mosaica mente, sol, luna, sidera, sint ex cælesti corpore confecta. Ita vulgò dictitant, quibus digitum transversum ab Aristotele recedere religio est. Mihi longè fit verisimilius, Deum ex corpore illo lucido, quod primo diem triduo efficiebat, fecisse in cælo tum magna duo luminaria, tum etiam stellas. Quod pleniùs postea * explicabitur.

‡ *ab urendo.*

* *cap.* 39.

Quæri præterea video, utrùm Saturnus, an Cælus, intelligi debeat apud Theocritum, vel potiùs Simmiam Rhodium, in Alis, cùm ait: Λεῦσσε μέ τὴν γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ' Ακμονίδαν· *Cerne me Telluris lato pectore præditæ regem Acmonidem.* Sanè scholiastes ad hæc verba sic annotavit: Ακμονίδαν δὲ λέγει τὴν Οὐρανόν· *Acmonidem autem dicit Cælum.* Non displicet, si potiùs intelligamus Cæli filium. Quippe patronymicum est ex Ακμων, quo non *incus* modò notatur, sed etiam *Cœlum*: quod sic dicitur, quasi ἀκάμων, sive ἄκμητος, *indefessus.* Nec enim cælum seu sidera unquam circuitu perpetuo fatigantur. Nisi malis, ipsum Cæli patrem sic dictum; deque natura ejus colligi ex natura Cæli; quia parentes, ac liberi, ejusdem esse soleant parti-

cipes

cipes naturæ. Vtrique ſententiæ favet Heſychius. Sic enim ille : Ακμονίδης, ὁ Χάρων, καὶ ὁ Οὐρανός. Ακμονος γὰρ παῖς · *Acmonides, Charon, & Cœlus. Nam Acmonis filius.* Ac continuò ſubditur : Ακμὼν, ἀπαθὴς, Κρόνος, Οὐρανὸς, ἢ σίδηρον ἐφ' ᾧ ὁ χαλκεὺς χαλκεύει · *Acmon, omnia perferens, Saturnus, Cœlus, vel incus.* Vide & Euſtathium in Iliad. Σ *, & Etymologicon in Ακμωνος. Sed de hoc, ut videtur, diſſenſu, eo minùs laborandum, quia pro diverſa conſiderandi ratione, ut inferiùs oſtendam, unum idemque numen, nunc Saturnus, nunc Cœlus, videatur. Vnde & Iupiter, non modò Κρονίδης ſive *Saturnius* dicitur; ſed etiam Ætheris filius : ut legere eſt apud Clementem Alexandrinum Admonitione ad Gentes. Sed uſitatius Græci Romanique per Iovem intellexere cælum. Quod factum imitatione Orientis, inque his Perſarum : de quibus ita Herodotus in primo : Κύκλον πάντα τὸν οὐρανὸν Δία καλέοντες · *omnem Cœli gyrum vocantes Iovem.* Et Strabo in XVI : Τὸν οὐρανὸν ἡγέμονα Δία · *Cælum exiſtimantes Iovem.* In hac opinione non modò vulgus Græcorum ſtultè cũ Perſis ſapiebat : ſed etiam magnus Pythagoras. Quippe & illi Cælus, ſive Æther, Deus erat; ſideráque ejus eſſe numinis oculos judicabat. Hac de re ſic Epiphanius adverſus Hæreſes lib. I, hæreſi gentilium V †: Σῶμα δὲ ὁ Πυθαγόρας λέγει εἶναι τὸν Θεὸν, τουτέστιν οὐρανόν · ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ ἄλλα ὥσπερ ἐν ἀνθρώπῳ, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα, καὶ τὰ κατ' οὐρανὸν στοιχεῖα · *Pythagoras Deum ait eſſe corporeum : videlicet cælum : ejus oculos, cæteraſque tanquam in homine partes, Solem, & Lunam conſtituit, ac reliquas ſtellas, & elementa cæleſtia.* Sed cautè hæc capienda. Nam certum eſt, ex Pythagoræ mente unicum fuiſſe numen; à quò univerſum hoc ſit creatum. Quod veterum teſtimoniis comprobat Steuchus Eugubinus de Perenni Philoſophia lib. III, cap. III. Interim fatebatur Pythagoras, cælum etiam à ſpiritu mundi animari, ac reapſe Deum eſſe. Quod etiam Hierocles, in Aurea ſcribens Carmina, agnoſcit. Siquidem pene initio commentarii memorat τὸν δημιουργικὸν μόνον θεὸν, ὃν θεὸν θεῶν κυρίως ἄν εἴποι τις, καὶ θεὸν ὕπατον, καὶ ἄριστον · *opificem unicum Deum, quem Deum Deorum propriè aliquis dixerit, & Deum ſummum, & optimum.* At idem, ubi poſtea de quaternario tractat, ſic ſcribit; Εστι γὰρ δημιουργὸς τῶν ὅλων, καὶ αἰτία ἡ Τετρὰς, θεὸς νοητὸς, ἄτιος τοῦ οὐρανίου, καὶ αἰσθητοῦ θεοῦ · *Eſt Quaternarius ipſe omnium opifex, atque cauſſa, Deus mente perceptibilis, principium ac cauſſa Dei illius cæleſtis, ac qui ſenſu percipi poteſt.* Vbi clarè videmus, diſtinguere inter Deum νοητὸν, ſive qui mente percipitur; & αἰσθητὸν, ſive qui percipitur ſenſu : atque illum, quem ſymbolicè Τετράδα ſive *Quaternarium* dixit, putare ſummum Deum, omnium conditorem; hunc verò, puta Cælum, à ſummo Deo productum, inque ſenſus incurrentem. Imò fortaſſe Pythagorici quod hunc ſenſibilem Deum ſtatuerent, vulgo tantummodo dederunt :

* *Romana edit. pag. 1150, verſ. 58, & pag. 1154. v. 23. & ſeqq.*

† *pag. edit. Pariſ. 12.*

quicum loquendum, non ſapiendum, judicabant. Sanè ſic Plato ſenſit; ut alibi dicimus. Et conſtat, Pythagoreos cælum potiùs habuiſſe pro muſico Deorum organo. Nam eorum, uti & Platonis, opinio erat, circumvolutione orbium cæleſtium concitatiſſimâ admirandum excitari concentum. Atque eò, uti antea † dictum, reſpexit quoque Varro Sat. ὅτος λύρας:

† *hujus libri cap.* 12.

Quàm mobilem Divûm lyram Sol ἁρμογῇ
Quadam gubernans motibus Diis veget.

Vbi videmus, cælum à Varrone nuncupari *Divûm lyram*: nempe ob ſuaviſſimam orbium cæleſtium harmoniam, quam diximus. Sed hujuſmodi harmoniam refellit Ariſtoteles lib. 11 de Cælo cap. 1x. Imò ne illud quidem, an complures reapſe ſint orbes cæleſtes, controverſiâ caret; ut inferiùs explicabitur.

CAPVT XXXVIII.

Gentiles, ut cœlo divinitatem tribuerent, duobus potiſſimum eſſe adductos: quorum prius ſit, quòd citra mutationem ſui duret; imò, ſi Ariſtotelem audimus, fuerit à ſe ipſo, aut nullo; vel ſi à Deo, ſaltem ab æterno; nec voluntate moveatur divinâ, ſed neceſſitate fatali. Verùm impiam hanc eſſe ſententiam, & contradicere ſibi philoſophum, dum mundum putat æternum, & nihilominus nullum in rebus ſtatuit infinitum. Elementalem materiem cælis aſſignari à philoſophis, & claris ante Ariſtotelem, & poſtea conſecutis; item Sanctis Patribus. Vtroſque etiam, & Ptolemæum ipſum, liquidam ac perviam cælo naturam tribuiſſe. Itidem philoſophos gentium, ac veteres Theologos noſtros, ſidera credidiſſe ignea. Occurritur Thomæ Aquinati, & aliis; qui in hoc negotio reſpuunt auctoritatem SSorum Patrum, quia hac parte, ut ajunt, Platonizent.

POſtquam vidimus, ut gentiles honore divino cælum fuerint proſecuti: adferemus etiam, quæ eos ad venerationem hanc impulerint, & eâdem, quàm infirma hæc fuerint, expendemus. Ac primùm eos, ut magnificè adeò de cælo ſentirent, impulit corporis ætherei ſublimitas, quia nihil eo viderent excelſius; magnitudo, quia omnia complexu ſuo contineret; pulchritudo, quia intermicantibus aſtrorum luminibus, velut floribus, eſſet pictum, ac tanquam gemmis diſtinctum; perennitas, quia nihil generetur in corpore æthereo, aut corrumpatur; ac denique immenſa operationis utilitas, cùm inferiora omnia virtute regantur cæleſti.

Ex hiſce duo poſtrema imprimis in conſiderationem veniunt; incorruptibilitas ſive perennitas, & operatio, ſive gubernatio univerſi. Nam omnes per Deum intelligunt naturam perpetuam ac conſtantem, univerſi gubernatricẽ. At cælum creditur incorruptibilis, ac conſtantiſſimæ naturæ.

Cre-

Creditur etiam in inferiora hæc agere, omniáque gubernare. Quæ cum cogitarent, ut cum Apoſtolo dicam *, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, *vani ſunt facti in cogitationibus ſuis.* Vero enim numine deſerto, cælum ſideraque pro Deo habuerunt. Atque hoc, quod diximus, palmarium erat philoſophorum argumentum: eoque dignius eſt, ut non levi brachio perſtringatur; ſed cum cura aliqua excutiatur à nobis. Faciemus hoc eo lubentius, quia utcunque gentiles in admiratione cælorum modum omnem exceſſerint: (quippe qui eo perducti ſint, ut opificium pro ipſo venerarentur opifice) tam admiranda tamen ſit corporis cæleſtis natura ac conſtitutio, ut, quibus non planè cor, Marpeſiæ inſtar cautis, obriguit, minimè in opere ſubſiſtant, ſed pertingant aliquouſque ad ejus conditorem: quantoque in notitia ejus plus profecerint, tanto magis admirentur, ament, laudibus celebrent, imò vitam ad ejus gloriam componant. Hoc igitur generoſæ eſt mentis, hoc animi pii ac devoti, quibuſdam gradibus, ex ſordibus hiſce, in quibus verſamur, attollere ſeſe ad contemplationem cæli ac ſiderum; atque ſcalis inde alteris adſcendere ad cælorum noſtrique conditorem, & gubernatorem univerſi. * ad Rom. 1, 28.

Perennitatem, ſive æternitatem cùm dico, non more Peripateticorum loquor; quibus Cælum ſemper fuit, ſemper erit: ſed prout eo uti vocabulo ſolemus de omnibus, quæ ſibi conſtant, naturâque ſuâ, ſeu materiæ, ſeu formæ vi, & generationem, & corruptionem, ignorant. Cujuſmodi æternitatem etiam Scholaſtici tribuerunt mundo; etſi cœpiſſe eum, & deſiturum, faterentur. Eam verò colligebant, partim ex figura & motu circulari, & quidem in loco ſublimi: partim ex duratione, quia, ut ajunt, tot ſeculis nec ſtella cælo acceſſerit, nec deceſſerit. Ariſtoteles verò longè ulterius proceſſit. Nam eò uſque ſe abripi paſſus fuit, ut ſtatueret, mundum nunquam cœpiſſe, nunquam interiturum; ac ut intelligentias, ita tum cælum ſideraque, tum elementa, putaret eſſe à ſe ipſis, cunctaque hæc eſſe coæterna: nec Deum agnoſceret, ut cauſſam ſui efficientem, ſed tantùm ut primum finem omnia ſub ſeſe ordinatiſſimè diſponentem: & proinde, ut primum appetibile, in quo poſitum ſit bonum cæterorum, quæ ab eo, ut fine, dependeant. Itaque in hoc uno conſtituebat Dei principatum, quòd principium ſit omnium, non in ratione efficientis, ſed ſolùm ratione finis: qui eſt cauſſa cauſſarum, habetque cauſſalitatem independentem, cùm non finis ab efficiente, ſed efficiens impellatur à fine.

Non pauci tamen cenſent, putaſſe Ariſtotelem, mundum eſſe à Deo, non quidem per veram efficientiam, quæ tranſmutationem requirit; ſed per impropriam, quæ emanatio dicitur, ac reſpectus ſit conſequens ad motum hunc metaphoricum. Atque iidem ajunt, mundum Deo quidem

eſſe

esse coæternum; attamen Deum, ob metaphoricam illam efficientiam, esse priorem mundo, non tempore, sed naturâ; quomodo Sol prior est illuminatione. Fuit hæc quoque sententia Procli: sed rectè jam olim ei occursum † fuit, etiam secundùm tempus, Solem esse priorem illuminationibus, non universè quidem, sed singulatim consideratis: quomodo &, si motus mundi esset æternus, Deus tamen antecessisset motum, non ratione totius, sed quod ad singulas partes. Sed tali efficientiæ mundi, qualem Aristoteli affingunt, valde ipse repugnat philosophus. Quippe sic corruat demonstratio illa in VIII Physicorum; ubi colligit, si mundus est factus, per motum esse factum. Etiam secundùm Aristotelem contradictionem implicat, efficere sine motu: quandoquidem cùm alibi, tum Metaphys. lib. II, textu V, & lib. V, textu II, efficiens definitur, principium motus. Objectant ex secundo de Ortu & interitu, text. LI, quicquid compositum est ex materia & forma, aliud agnoscere, à quo sic compositum sit: atque ab Aristotele disertim addi, non hoc solùm habere locum in iis, quæ corruptioni sunt obnoxia, sed etiam æternis. Hinc verò sic colligunt: cum cælum ex materia & forma componatur; habere id quoque compositionis suæ caussam efficientem: cumque idem sit æternum; non posse efficientem ejus caussam esse aliam, quam primam Mentem. Sed qui sic ratiocinantur, parum cogitant, Aristotelem illic agere non de compositione cæli, verùm inferiorum: in quibus æternitas consideratur ratione specierum; quæ permanent, utcunque individua fiant, & corrumpantur. In speciebus igitur requirit caussam efficientem, eamque statuit Cælum: ut ita compositio omnis sublunaris, quatenus æterna, uti habet æternum principium passivum, materiam primam; ita etiam habeat æternam caussam efficientem, motum cælestem. Atque hoc pacto Aristotelis locum etiam intellexit Cæsar Cremoninus de Motoribus Cæli abstractis sect. IV, cap. IV.

† *Simplicius in 8 Physic. digressione prima contra Ioannem Grammaticum.*

Verùm enimvero demus hoc illis, Aristotelem putâsse, intelligentias ac mundum, non esse à se ipsis; sed à Deo: saltem putavit ab eo esse non voluntate, sed naturæ necessitate; ita ut non potuerint non esse ab æterno. Quippe existimâsset, à Dei esse voluntate, si vidisset, etiam potuisse incipere in tempore. Imò si credidisset, vel motum mundi esse ab eâdem voluntate; vidisset etiam, mundum quandoque posse non moveri. Nunc à Deo quidem moveri arbitratur, sed fatali necessitate; sic ut Deus non possit non illum movere: eaque res præcipuum est fundamentum, cur mundum censeat perennaturum; neque posse interire, vel non moveri. Hæc multis comprobare est Aristotelis locis: nec aliter ejus mentem cepere Simplicius, Themistius, Averroës: quos vide in octavum φυσικῆς ἀκροάσεως.

Adi

Adi & Gregorium Ariminenſem in 11 Sentent. Diſt. 1, Qu. 1, Art. 1, & Gabrielem Vaſques tom. 1, Quæſt. XIX, Diſp. LXXXI, cap. 1, num. 111 *: item Benedictum Pererium de communibus Princip. & Affect. lib. v, cap. VII, & toto penè lib. XV. Nec abſolvere eſt Ariſtotelem ab ἀνιλογίᾳ †, dum libb. φυσικῆς ἀκροασ. * docet, ne cogamur infinitum agnoſcere in cauſſis ſucceſſivis, neceſſariò eſſe deveniendum ad motorem primum: atque idem è contrario in libb. de Cælo contendit, cælum ab æterno fuiſſe cum motuum ſucceſſione: quo pacto infinitæ fuerint gyrationes cæleſtes. Imò, ſi ſtatuit animas immortales, ſint animæ actu infinitæ: atqui omnem ipſe infinitatem damnat actualem.

* pag. 493.

† contradictione.

* naturalis auſcultationis.

Super falſo adeò, atque abſurdo dogmate, quod mundus fuerit ab æterno, illud etiam exſtruxit Ariſtoteles, cælum non elementalis eſſe materiæ, qualia generantur, & corrumpuntur: ſed quinctam eſſe eſſentiam, atque hoc non in orbibus modò, ſed ſideribus etiam, locum habere. Nequis igitur illis, qui divinitatem cælo tribuerunt, aliquid in Ariſtotele præſidii relictum arbitretur; prius philoſophi ſententiam de orbium materie, deinde de materie ſiderum refellam. Bifariam autem id fiet; autoritate, & ratione. Autoritas partim philoſophorum erit gentilium, partim ſcriptorum Eccleſiaſticorum, partim Sacræ Scripturæ. Philoſophi illi vel ante Ariſtotelem fuere, vel poſt eum. Primùm igitur ei obducimus priores: qui mundum à Deo fatebantur originem ducere, ac naturæ eſſe elementalis. Ita judicavit Plato. Clarè enim in Timæo mundum ait conſtare quatuor ſolùm elementis; & ex quarto ignis elemento plurimum ineſſe cælo. Eamque opinionem fuiſſe Platonis, Taurus quoque tradidit commentario in Timæum; ut Philoponus refert. Etiam idem de Platone traditum Porphyrio, Plotino, ac Proclo. Item ante Platonem ea mens fuit Empedoclis: de quo ſic Plutarchus in placitis philoſophorum lib. IV, cap. XI, & iiſdem verbis Stobæus in Eclogis phyſicis, cap. de Cæli natura †: Ἐμπεδοκλῆς στερέμνιον εἶναι τὸν οὐρανὸν ἐξ ἀέρος συμπαγέντος· ὑπὸ πυρὸς κρυσταλλοειδῶς τὸ πυρῶδες καὶ τὸ ἀερῶδες ἑκατέρῳ τῷ ἡμισφαιρίῳ περιέχοντα· *Empedocles* (dixit) *cælum eſſe ſolidum, glaciei in modum ab igne ex aëre compactum; quod ignitam aëreamque naturam in utroque globi ſemiſſe contineat.* Subdit ibidem Stobæus, Anaximandro cælum eſſe de calido, ac frigido, mixtum: quomodo & apud Achillem Tatium in Phænomena ‡ legas, ſtatuiſſe eum οὐρανὸν πτηνὸν πυρὸς μετέχοντα· *cælum volucre, ignis particeps.* Parmenidi tamen, Heraclito, Stratoni, & Zenoni, tantùm igneum eſt; ut ibidem tradit Stobæus. Sed quid multos adducere opus, quando Ariſtoteles ipſe agnoſcit, priores omnes cælum ſtatuiſſe, alios aëriæ, igneæ alios naturæ? Sic enim ſcribit in ſecundo de Cælo cap. IX, text. LVI: Εἴπερ ἐφέρετο τὰ σώματα τούτων, εἴτ' ἐν

† pag. 52, 53.

‡ pag. 85, edit. Florent.

ἀέρος πλήθει κεχυμένῳ καὶ τὸ πᾶν, εἴτε πυρὸς, ὥσπερ ΠΑΝΤΕΣ φασίν· *Si corpora horum* (siderum) *ferantur, sive in aëris multitudine per universum, sive ignis, ut* OMNES *dicunt.*

Nec opinionem suam sic potuit Aristoteles comprobare iis, qui postea sunt secuti, ut non innumeri mallent antiquiorum sequi sententiam. In quibus etiam Cicero est in II de Nat. Deor. ubi fusè tradit, mundum universum quatuor constare elementis; quartum esse æthera, in quo sidera sint. Idem de Seneca statuendum; quem videas in VII natur. quæst. apertè tradere, cœlum constare quarto ætheris sive ignis elemento. Etiam igneum putavit Plinius. Verba ejus adferam ex lib. II Hist. Natur. cap. V: *Nec de elementis video dubitari, quatuor ea esse; ignium summum; inde tot stellarum collucentium illos oculos. Proximum Spiritus; quem Græci, nostrique, eodem vocabulo aëra appellant.*

Quid quòd Sancti Patres magno consensu Aristotelem impugnant; unoque ore docent, cælum hoc esse elementale; aliqui quidem igneum; ut Beda lib. de natura rerum cap. V, & Alcuinus sive Albinus Flaccus quæst. in Genesin: at multo plures aqueum; in quibus & Cyrillus Hierosolymit. qui in Catech. ait, sidera ignea per cæli aquas discurrere; nec hoc mirandum esse ob contrarias naturas, cùm & in Ægypto sapiens Deus dimiserit ignem in grandine. Quia verò vel igneum, vel aqueum, putarunt; eo quoque non solidum, sed pervium, crediderunt. In qua opinione quàm multi fuerint, ordine exponam.

Ac de philosophorum illis, qui præcessere Aristotelem, legas hoc apud ipsum lib. II de Cælo text. XLIII, ac deinceps: idemque de iis Cicero tradit lib. II de Nat. Deorum: ubi & addit, sidera pasci vaporibus Oceani; quibus, nisi cœlum esset liquidum, non pateret adscensus usque ad sidera. Secutus quoque Seneca in VII Nat. Quæst. † ubi increpat Artemidorum, quòd cælo inducat duritiem, cum pervium id sit, tum sideribus, tum halitibus, quibus sidera aluntur. Eadem, (quando de Latinis dicere jam cœpimus) sententia est Hygini lib. I, & IV Astronomici Poetici; Calpurnii Bassi, vel alterius, commentario in Aratea à Germanico Cæsare versa: Manilii compluribus locis: Martiani item Capellæ lib. VIII, cap. de Mundo. Sed Græcos iterum videamus. Quorum similiter Ptolemæus; ut agnoscit Thomas Aquinas part. I, quæst. LXX, art. I, ad III. *Dicendum,* inquit, *quòd secundum Ptolemæum, luminaria non sunt fixa in sphæris; sed habent motum seorsum à motu sphærarum.* Eamque Ptolemæi fuisse opinionem, etiam apud alios legas. Vti Dionysium Richelium sive Leuwium Carthusianum, Theologum ut pereruditum, ita πολυγραφώτατον *, eoque mihi cariorem, quia communem cum parentibus ac majoribus meis habuerit

† *cap.* 13.

* *multa qui scripserit.*

buerit patriam Ruræmundam. Is ante seculum, & quod excurrit, sic scripsit in Genes. cap. 1, art. x : *Plato in Timæo dicit, stellas non esse fixas in firmamento ; sed meare, & choream ducere in eodem : & in hoc Ptolemæus Platonem secutus est. Vnde dicunt, non cælum, sed stellas cæli moveri, & circumferri.* Sed & Hieronymus Vilielmus Venetus, Argolicensis priùs, posteaque Æmoniæ episcopus, qui patrum claruit ætate, operis De sex diebus conditi orbis Lect. xx, clarè ait, Ptolemæum excentricos & epicyclos posuisse in planetarum orbibus, non quia re vera in iis esse putaret; sed quia ex istiusmodi hypothesibus erraticarum cognoscerentur stellarum effectus. Et profecto, si Ptolemæus cælos esse solidos durosque existimâsset ; quomodo putasset idem, sidera ali vaporibus Oceani ?

Etiam liquidum ac pervium siderum cursui cælum statuunt Hebræi ; teste Iacobo Naclanto, episcopo Clugiensi in sua Medulla. E nostris Iustinus Martyr, sive alius, ad quæst. xxxix Orthod. ubi clarè ait, moveri astra, cælum esse immobile. Item Cælius Lactantius ; quem & testem adducit eruditissimus Christophorus Scheinerus in Rosa Vrsina *. Sed incautè addit, vixisse ætate B. Hieronymi : cum ille quidem Constantini M. & ejus filiorum ; hic Theodosii M. & liberorum illius ætate, claruerit. Ait autem Lactantius lib. III, cap. XXIV, *astra per spatia cæli divinâ, & admirabili ratione decurrere.* Nec aliter sensit Basilius homil. I Hexaëm. & Homil. III : ubi & puerile ait, putare esse crystalli instar congelatum. Atque eadem mens fuit fratri ejus Gregorio Nysseno in Hexaëm. Item Diodoro Tarsensi in Catena Lipomani : Eusebio Emisseno in Catena Martinengi †, & Lipomani ‡ : Ambrosio, more suo Basilium sequenti, Hexaëm. lib. I, cap. VI : Cyrillo Hierosolymit. cap. IX : Chrysostomo homil. VI in Gen. & homil. XVI in epist. ad Hebr. & homil. XII ad populum Antiochenum : Augustino lib. II de Genes. ad literam, & lib. XI de Civit. Dei cap. XXXIV : Cyrillo Alexandr. in Ies. cap. LI, ad illud, *Quoniam cæli sicut fumus* &c : Andreæ Cæsarienſi in Apocal. cap. LXIV, serm. XXII : Eucherio in Gen. cap. III : Cassiodoro in psal. CXLVIII : Iunilio in Hexaëmeron : Procopio Gazæo in Genes. cap. I * ; ubi tum eo pugnat, quod *Deus luminaria* dicatur *posuisse in firmamento* ; tum quod Iosue cap. X legamus, *Stet Sol* ; non *Orbis Solem deferens.* Similiter quoque Zacharias Mitylenæus de Mundi opificio † : S. Maximus Confessor commentario in Dionysium cognomento Areopagitam ‡ : Isidorus lib. III Orig. cap. XXX : ubi cælum ait esse aëra puriorem. Vide & eum lib. XII, cap. XXX. Item Bedam quæst. in Genes. & Damascenum lib. II Orthod. Fid. cap. VI ; ubi & Basilium citat, eumque ait hoc didicisse è Scripturis, quæ statuunt, materiem ejus instar fumi tenuem. Similiter Haymo in

* pag. 719.

† in Genes. cap. 1, p. 1011.
‡ pag. 30.

* pag. 26, & 27, edit. Tigur. item in Catena Martinengi pag. 1012.
† pag. 519, 535, 537, 539, edit. Paris.
‡ pag. 130, edit. Lansill.

psal. CXLVIII, Philippus Solitarius Dioptræ suæ lib. III, cap. VI, Rupertus Tuitiensis in Gen. cap. XXII, & XXIII, Petrus Trec. Comestor in Hist. Scholast. Richardus Pampolit. in Psal. CXLVIII. Sed quid multis opus? Diodorus Tarsensis * gentile dogma vocat. Ac Philastrius, quem se Mediolani cum S. Ambrosio vidisse ait B. Augustinus ‡, inter hæreses reponit * opinionem eorum, qui sidera cælo esse affixa opinantur. Vbi, quin laxè admodum hæresin sumat, pro quavis opinione receptæ Catholicorum sententiæ adversanti, minimè ambiguum est. Nec enim, hoc, an illud sentias, ad fidei pertinere fundamentum, intelligentior quisquam dixerit.

* *in Catena Lipomani.*
‡ *epist. ad Quodvult Deum.*
* *hæresi 82.*

De elementali, eâque liquidâ cælorum materie satis diximus. Deinceps videamus de materie siderum, itidem elementali. Fuit hæc sententia philosophorum, qui ante Aristotelem fuerunt. Vnde Plutarchus †, & Stobæus ‡: Θάλης γεώδη μὲν, ἔμπυρα δὲ τὰ ἄστρα· *Thales* (putavit) *terrena quidem astra, sed ignita.* Subjicit deinde uterque, ut Empedocles statuerit, esse eas ex igne illo, quem aër primò continuit, sed primâ edidit separatione. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, ut ibidem legere est, credidere Solē μύδρον † διάπυρον· *globum lapideum, vel ferreum, sed ignitum.* Plato statuit stellas majorem partem igneas; sed ex aliis tamen elementis aliquid trahentes. Similia alii, quæ, qui volet, apud Stobæum, & alios, reperiet.

† *lib. 2 de placit. phil. cap. 13.*
‡ *in eclogis physicis, pag. 55, & seq. edit. Plantin.*

† *De μύδρῳ similiter scholiastes Apollonii ad 1 Argonaut. vers. 497, & scholiastes Euripidis in Hippolyt. vers. 597. Sed μύδρον ἢ πίσσον διάπυρον, ut apud Stobæum, ita etiam est apud Plutarchum lib. 2 de plac. philos. cap. 20. Vide & quæ diximus supra lib. 1, cap. 1.*

Etiam hæc SSorum Patrum opinio fuit. Tertullianus quàm apertè in libro de Animâ: *Sol, corpus; siquidem ignis. Sed quod aquila confiteatur, neget noctua.* Basilius quoque in Hexaemeron homil. III ait *: Τὸν δὲ αἰθέρα τίς ἀμφιβάλλει μὴ οὐχὶ πυρώδη εἶναι καὶ διακαῆ; *Iam verò æthera ipsum quis dubitat igneum esse, & ustivum?* De Peripateticis verò hæc subjungit †: Καί τοίγε οὐδὲ θερμὸν εἶναι τὸν ἥλιον ἐκεῖνοι λέγουσι. τοσοῦτον αὐτοῖς τὸν λέγειν περίεστι· *Quamquam nec illi dicant solem esse calidum. Tanta illis superest copia temporis ad verba inania.* Nec aliud voluit eruditissimus in Batava Academia collega meus Wilibrordus Snellius, cùm sic scribit ‡, *Non sum nescius, ne calidum quidem solem quibusdam credi: sed istas pueriles ineptias refutare non est operæ pretium.* Quam acrimoniam in eo culpat Scipio Claramontius Cæsenas *. Quasi aliud dicat, ac S. Basilius. Præsertim si sequamur Latinum interpretem, qui sic reddidit: *Tanta isti superfluit ad deliras & aniles nugas copia temporis.* Basilio consensit frater Gregorius Nyssenus: & more suo eundem secutus Ambrosius Hexaëm. lib. I, cap. VI. Ac similiter B. Augustinus de verbis Apostoli serm. I, item serm. I Domin. proximâ ante Nativitatem; & Theodoretus in Genes. quæst. XI, ubi ait, Deum aquas divisisse, illas autem superiùs positas fuisse, μὴ συγχωρῇ τῷ πυρὶ τῶν φωστήρων λωβᾶσθαι τὸ στερέωμα; *ne sinerent igni luminarium corrumpi firmamentum.* Vide & in psal. CXLVIII.

* *p. 38, edit. Basil.*
† *pag. seq.*
‡ *lib. de cometa anni 1518, cap. 7.*
* *præfat. operis de sede sublunarium cometarum.*

CXLVIII. Item Claudium Mar. Victorem in Geneſ. lib. I. Etiam cælum vel eſſe aëra puriorem, vel ignem, vel aëra igneum, ſtatuit Iſidorus lib. III Orig. cap. XXX; uti & lib. XIII, cap. IV, V, & VII; nec non libro Differentiarum; ubi Cælum, & Æthera, diſtinguit. Adi & Anſelmum lib. I de Imagine mundi cap. XXIV; ubi & de æthere cenſet angelos ſibi corpora ſumere, quando in terras deſcendunt. Mitto Petrum Damiani, Brunonem Carthuſ. Rupertum Tuitienſem. A quibus paullum abit Hugo Victorinus; qui Solem quidem igneum, ſed ſidera cætera facit aerea. Interim, elementalia eſſe, ei cum aliis convenit.

Neque niſi Sol igneus, naturâque calidus ſit, contrà quàm Peripateticis videtur; argumentum procederet Sanctis Patribus, quando adverſus Arrianos diſſerunt, atque ad Trinitatis myſterium, pro imbecillitate humanâ illuſtrandum, tria hæc ajunt Soli ineſſe; motum, ſplendorem, calorem. Dixeris cum Scholaſticis, eos hoc ſolùm intellexiſſe effectivè; formaliter non item. Sed acutiores erant Arriani, quàm ut non perſpicerent, nullo tum negotio occurri huic poſſe argumento. Vidit hoc Thomas Aquinas in II Sentent. Diſtinct. XIV, quæſt. III; ubi ingenuè agnoſcit, eam, quam diximus, opinionem, ut philoſophorum omnium ante Ariſtotelem, ita receptiſſimam fuiſſe apud SS. Patres. Mirificè autem & horum, & illorum, auctoritatem eludere conatur. *Omnes*, inquit, *ante Ariſtotelem dixerunt, cælum eſſe de natura elementorum: quod Ariſtoteles primitus improbavit, ponens cælum eſſe ſine gravitate & levitate, aliiſque contrariis; ut patet primo cæli, & mundi. Et propter efficaciam rationum ejus poſteriores philoſophi, ſcilicet Peripatetici, conſenſerunt ei: unde nunc omnes opinionem ejus ſequuntur.* Poſteaque idem fatetur, SSos Patres contrarium docere: ſed inquit, *Baſilius, Auguſtinus, ac plures Sanctorum, ſequuntur in his, quæ philoſophiam concernunt, opiniones Platonis: ideo ponunt cælum eſſe naturæ elementaris. In talibus ergo dicta Sanctorum non ſunt majoris auctoritatis, quàm philoſophi, quos ſequuntur.* Quæ & ex eo adducit Dionyſius Carthuſianus in Gen. cap. I, art. XII *. Sed profectò in hoc Aquinas audiendus non eſt: quod plurimi jam ex Theologis, & Philoſophis, confitentur. Nihil enim apertius eſt, quàm SSos Patres ad Scripturas provocare. Hoc facit Iuſtinus, ſive alius, Reſp. ad quæſt. XCIV; ubi ex epiſtola B. Petri cælos eſſe corruptioni obnoxios oſtendit. Scripturis quoque pugnat Baſilius in tertia, quam diximus, Hexaëm. homilia. Eumque hoc facere, traditum quoque Damaſceno lib. II Orthod. Fid. cap. VI. Baſilii more, ut ſolet, agit Ambroſius Hex. lib. II, cap. III. Nec aliam inſiſtit viam Chryſoſtomus de incomprehenſibili Dei natura homil. III. Imò tantum abeſt, ut à Platone, non Scripturis, hauſerint hoc ſancti Patres; ut potius Plato hanc doctrinam didicerit è

* pag. 30, edit. Colon.

Mosaicâ illâ tralatione, quæ ante illam LXX seniorum fuit: sanè à Mose hausisse, ait Iustinus Martyr Apol. II, & Cohortat. ad Græcos. Atque ut Mosis nullam vidisset interpretationem, cognoverit in Ægyptò à posteris Iudæorũ, qui tempore Nabuchodonosori eò profugerant; vel Ægyptiis, qui à Iudæis percepissent. Adde quod, si Patrum sententia parvi sit momenti, quia eam didicerint à Platone; nihilo plus ponderis habere debeat opinio Scholasticorum, quia illam hauserint ab Aristotele. Et si Scholastici non verentur de SSis Patribus dicere, eos in dogmatis, quæ naturam spectant, tantum non jurâsse in Platonis verba: quanto nos justius hoc objectabimus Scholasticis, jurâsse eos in verba Aristotelis; eoque, abeundo ab illis, non ipsos, sed unum rejici Aristotelem. Suntque hæc aperta adeò, ut propterea quoque eorundem nonnulli ex Aristotelis castris transfugerint in castra Veritatis: quales Ockamus, Gabriel, aliique; præsertim qui commentati sunt in Creationis historiam. Similitérque Ægidius tractatu de materia Cæli: ubi & ipse docet, cælum esse naturæ ejusdem, ac elementa. Atque eadem mens Cæsaris Scaligeri Exercit. LXI. Nec multum abeunt, qui ajunt, eandem quidem esse cæli ac elementorum materiam: sed à forma sua sic, uti loquuntur, actuari, ut conditione sit longè meliori, ac propterea alîus etiam materiei dici possit. Cum his nobis nunc negotium non erit, ne videamur λογομαχεῖν *. Satis enim liquet, non tam Aristotelem sic cum aliis conciliari, quàm ab eo liquidò recedi: & duntaxat dari hoc honori philosophi, ut cum planè deseritur, non prorsus tamen desertus videatur.

* de verbis certare.

CAPVT XXXIX.

Cælos aquis debere originem, ex Mose comprobatum: proque ea sententia etiam facere ἔτυμον vocis schamaim, *licet à variis variè allatum. Ex eodem Mose adstruitur, Solem sideráque esse igneæ naturæ: idemque argui ex aquis supercæleſtibus. Cælum esse liquidum, ostenditur argumentis è rerum natura petitis. Quid impulerit vel Aristotelem, ut, prioribus desertis, induceret orbes cæli sólidos; vel Hipparchum, ut, relicto Eudoxo & Calippo, orbes eos excentricos arbitraretur. Physicorum, & Mathematicorum, de iis dissensus ex Bonaventura productus. Et quantum ab excentricis abhorruerit Fracastorius. Occurritur iis, qui putarunt, nihil in cælis generari. Variæ diversorum temporum stellæ novæ; ac Clavii de iis opinio. Quomodo Sol non videatur tot seculis imminutus, si igneus sit. Cælum non est levitatis expers. Anaxagoras cur damnatus.*

SEd non ulteriùs urgebo, vel philosophorum ante Aristotelem, vel theologorum ante Scholasticos, opinionem. Potiùs tum auctoritatem

tem adferam S. Scripturæ, tum rationes utriusque partis ponderabo.

Divinus Moses, quo non alter melius primordia rerum intellexit, Geneseos cap. 1 docet, primæ diei opera esse, terram rudem, incultamque, aquam terræ undique circumfusam, & lucem, sive lucidum ignis corpus. Refert deinde, ut die altero facta sit expansio; idque in medio aquarum; ita ut & infernè haberet aquas terræ proximè circumfusas, & supernè alias, quæ supercæleſtes dicuntur. Hæc expansio, (quæ superiori parte sui *æther* vocatur; inferiori autem, qua terræ & aquæ globo incumbit, *aer* dicitur) non facta est è nihilo, cum nulla non corporea substantia materiem suam primæ debeat diei. Ex terra verò esse, dici nequit; cum opacum terræ corpus, & pellucidus aer atque æther, tantopere dissideant naturâ. Ex aquis igitur expansio sit: pro quo etiam facit, quod aquæ sint pellucidæ; & expansio illa facta sit in medio aquarum.

Cælum verò aquis originem debere, præter ea, quæ diximus, etiam indicare videtur etymon vocis שָׁמַיִם: quando penè omnes posteriorem hujus vocabuli partem censent esse מַיִם Maiim, hoc est, *aquæ*. Sed major controversia est, priorne ejus pars sit שָׁם *illic, istic*: quasi dicas, *illic aquæ*: puta & superiores, & inferiores, & illæ, quibus cælum constat. Ita interpretatur B. Hieronymus ad Oceanum, & R. Ioseph Kimchi. Vel שָׁאָה, *stupere*, q. d. stupendas aquas, quia nihil admirandum magis, quàm suspensas illic teneri. Vel אֵשׁ, *ignis*, quia cæli sint ex aquis, sed sidera ex igne. Quod ἔτυμον placuit R. Bechai initio Paraschæ שׁוּפְטִים. Inque Bereschit rabba sect. IV dicitur Deus initio ignem, & aquam, permiscuisse, atque exinde fabricâsse cælos. Et hæc de expansione, sive cælis.

Nunc de Sole, ac sideribus, videamus. Hæc creavit Deus quartâ die in superiori parte expansi, quam æthera dicimus. Fecit verò, non ex aqua (nam quid commune aquæ, & astris?) sed ex luce illa primogeniâ; primæ quippe Dei opere: quam nequaquam condiderat Deus, ut ubi triduo, præsens quidem diem, absens verò noctem; præstitisset, confestim destrueretur; sed potius, ut ex igneo hoc lucis corpore igneum faceret solē. Lux igitur remansit secundùm formam, & naturam; sed non secundùm statum priorem; quia indita est Soli, ad ornatum majorem, & lucem clariorem; tum etiam, ut non solum dies noctesque alternaret, ad quod diei primæ lux sufficisset; sed ut præterea annos, & menses, aliáque tempora, discriminaret. Nam ad hoc quoque lucem illam discerpi, & magnitudine ac locis distingui, attinebat: eamque rationem adducit ipse Moses Genes. 1, 14. Eleganter verò hanc primæ lucis immutationem veteres expressere. Vti Apollinaris, quando ait, Τῇ δὲ πρωϊογόνῳ φωτὸς, ὅσον μὲν καθαρώτατον ἐνέθηκε τῷ ἡλίῳ· τὸ δὲ λοιπὸν σελήνῃ, & τοῖς ἄστροις ἐμέρισε· *E primogenia luce,*

luce, quicquid purissimum foret, indidit Soli : reliquum verò lunæ, & astris, impertivit. Item Basilius * sidera vocat lucis ὀχήματα, *vehicula* : uti Damascenus δοχεῖα, *conceptacula.* Theodoretus †, ἐκεῖνο τὸ φῶς διελὼν, ὡς ἠθέλησεν, τοὺς φωστῆρας τοὺς μεγάλους καὶ μικροὺς κατεσκεύασεν· *lucem distinguens, prout vellet, luminaria magna, & parva condidit.* Maximus item in Dionysium Scholiis ‡: Τὸ πρωτόκτιστον φῶς τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ μετεσχηματίσθη εἰς ἥλιον· *primâ die conditam lucem in Solem transformavit.* Didymi quoque locum similem reperies in Catena Lipomani, & apud Steuchum in Cosmopœia. Etiam sic Procopius in Genes. cap. I. Ac alia apud alios antea nobis laudatos. Hos nunc solos adduximus, ut parêret, similiter Mosaica verba ab antiquis esse intellecta. Legasque sententiam eandem apud Lombardum, Halensem, Bonaventuram, Tostatum, alios; ut de nostræ ætatis scriptoribus taceam.

* *Hexaem. homil. 6.*
† *in Genes. qu. 14.*
‡ *pag. 134, edit. Lansell.*

Neque nisi sidera sint ignea, videre est, cur supra cælum collocatæ sint aquæ: quod ex Mose, & aliis Scripturæ locis, cognoscimus. Nunc facilis est ratio: nempe ut exæstuantem siderum ignem reprimerent, ac temperarent, ne ardore eorum dissolveretur cælum. Quam ejus caussam statuunt etiam Basilius hom. III, & qui eum sequi solet, Ambrosius Hexaë. lib. II, cap. III, Theodoretus Quæst. in Gen. cap. I, Procopius in Gen. cap. I, Damascenus lib. II Orthod. Fid. cap. IX, Beda lib. de rerum natura cap. VII, Thomas, non Angelicus, sed Anglicus, Postillâ in Genesin. Nec Cabalistæ hanc improbant rationem; ut ait Vilielmus lect. XIV. Eo & Christiani plerique censent, extremo die, aquis exarefactis, supercælestem mundum conflagraturum. Ita inter alios Cæsarius in Dialog. Quæst. LXXI.

Hactenus solùm pugnamus Scripturis. Nunc distincte videamus rationes, quibus elementalem tum cæli, tum siderum naturam, illis etiam comprobemus, quos nec humana, nec divina satis movet auctoritas.

Cælos aeriæ esse naturæ, ac liquidos, multa evincunt. Vti quod cometæ supra orbem Lunæ sese elevent. Quod Luna sit inæqualis, & lacunis, ac vallibus plena. Quod Venus, ac Mercurius, semper volvantur circa Solem. Quod quatuor planetæ semper ambiant Iovem; duo alii stipent Saturnum. Quod in Sole variè oriantur, ac occidant maculæ, ac faculæ. Quod item Mars manifestè, & profundè penetret Solis orbem, sic ut eo quandoque sit inferior: quod non modò à Tychone Braheo, & aliis, observatum, assertumque: sed hodieque certatim variis in terris propugnatur: ut jure ait Christophorus Scheiner Suevus, Societatis Iesu Theologus, Rosæ Vrsinæ lib. IV, part. II, cap. XXIX *.

* *p. 763. Prodiit Bracciani, anno 1630.*

Præterea si Luna, cujus globus circa centrum suum menstruo circumagitur spatio, non est Mathematicè rotunda, planéque levis & polita; sed, uti tubo Optico, sive telescopio Batavo cognoscitur, aspera & inæqualis;

æqualis ; non posset ea duris in cælis commoveri , nisi vacuo concesso , vel penetratione corporum. Quæ cum sint absurda; consequitur, cælum esse liquidum, in quo illa motu agatur epicyclari.

Nec parum hanc sententiam fulcit, quòd nullis sit eccentricis, vel epicyclis, opus, si cælum dicatur, non solidum, aut densum; sed,ut convenit ex aquis facto,liquidum ac pervium; ita ut in eo non sidera cum orbibus, tanquam nodi in rota , sed per sese circumferantur , deque loco in locum transvolent. Atque hoc meliùs intelligetur , si retulero , quam levibus inducti argumentis ab antiquissimis recesserint jam olim ; ac primùm quidem orbes solidos , postea etiam eccentricos, induxerint.

Aristoteles,cum cælum statuisset initii ac finis expers,ac naturæ ab elementis planè diversæ ; etiam de qualitatibus multa determinavit : ante omnia illud , cælum esse corpus simplex : simplicis corporis motum esse simplicem : in cælis tamen varios observari motus : consequi igitur , varios esse orbes , quorum unicuique motus sit proprius : cumque diversus ille motus non sit imaginarius , sed verus ; etiam orbium octonarium non ab animis fingi humanis , sed reapse sic se habere : cumque sidera moveri in cælis conspiciamus; absurdum autem sit,corporum cælestium unum ab altero penetrari ac scindi : clarè evinci,orbes eos esse,non fluidos, sed solidos,& densos; sideraque esse partes orbium densiores,quæ cum orbibus in gyrum vertantur; non autem per se moveantur , ut aves in aere , pisces vel navigia in aquis. Atque in his quidem plurimi Aristotelis sententiam sunt secuti : qui tamẽ in eo inter se discrepabant,utrùm orbes,ut loquuntur,concentrici,essent,an eccentrici: hoc est,idemne ac mundus,an diversum haberent centrum. Priorem sententiam secuti sunt Eudoxus,ac Calippus : sed non potuere rationem multorum reddere φαινομένων * : ut cur planetæ quandoque non directo ferrentur motu in Orientem , sed retrogradi fierent,vel stationarii. Alii igitur, ut hunc supplerent defectum,induxere eccentricos. Atque hoc inter primos fecit Hipparchus : qui & librum edidit pro sententia sua adversus Eudoxum , & Calippum. Hipparchum secutus quoque Ptolemæus Pelusiensis : uti illum postea alii,atque alii. Secundùm hos , quòd planetæ nunc eleventur, nunc deprimantur, id eo fit motu,quem planeta habet in epicyclo,epicyclus in eccentrico,eccentricus circa centrum proprium, quod à centro mundi diversum. Atque hunc quidem in modum Mathematicorum sententiam explicat Bonaventura in 11 Sententiarum Dist.xiv, Part.11, Artic.1. Ac deinde Aristotelis, ac Physicorum, ut vocat, opinionem triplici positione his verbis comprehendit : 1. *quod planetæ non moventur,nisi motu suorum orbium, sicut clavus fixus in rota movetur motu rotæ,non proprio : & hoc ponunt,propter illius*

* *in cælo apparentium.*

corporis incorruptibilitatem, propter quam non potest scindi, nec transitum præbere alii corpori. II. *Ponunt etiam, centrum esse idem orbium superiorum, & inferiorum; scilicet centrum mundi, propter rotunditatem perfectam orbium ipsorum, qui circulariter moventur, ita ut unus non subintret alterum.* III. *Ponunt etiam cum hoc majorem, & minorem velocitatem in orbibus; & ex hoc habere, modò retrogradationes, modò progressiones; quia, cùm unum corpus multum præcedit alterum suâ velocitate, alterum videtur retrocedere.* Et sanè ab eccentricis valde etiam abhorruit vir undecunque doctissimus, Hieronymus Fracastorius, in opere, quod *Homocentrica* inscripsit. Eo ostendit, ut epicycli, vel eccentrici, minimè statuantur; posse tamen defendi uniformem cæli motum, si sphæræ ponantur variè densæ, vel raræ, & intercurrentibus orbibus, quæ nunc velociùs, nunc impeditæ tardiùs volvantur. Quanto autem putârit opinionem eam cælesti corpori convenientiorem; hæc ejus in præfatione verba indicio sint: *Eccentrici iniquè, & quodammodo impiè, de divinis illis corporibus sentiebant.* Et mox: *Adversus hosce, quantum ad Eccentricos pertinet, omnis semper philosophia, imò ipsa Natura magis, ac orbes ipsi, semper reclamavere. Nemo enim, qui philosophus esset, hactenus inventus est, qui inter divina illa, & perfectissima corpora, monstrosas sphæras statui audire posset.* Hasce monstrosas, ut Fracastorium vocare videmus, sphæras, nullâ ratione melius effugere licet, quam si cum antiquissimis statuamus orbes, non duros, & eccentricos; sed liquidos, naturæque propemodum aereæ, per quos siderum ignes discurrant. Verùm, inquiunt, si vel cælum sit aqueum, aut aereum, vel sidera ignea: utraque sint elementalis naturæ; ac proinde obnoxia generationi, & corruptioni: cui rei tot seculorum experientia contradicit: cùm nulla hactenus in siderum vel magnitudine, vel numero, vel claritate, facta sit differentia. Quæ cum dicunt, parum cogitant, se judicium ferre de corpore tam remoto à sensibus nostris: ubi innumeræ esse mutationes possunt, ad quas oculorum nostrorum acies non pertingat. Nam prope simile est, ac si è cælis contemplaremur terram: cujus eadem semper magnitudo ac forma nobis videretur, utcunque corruptioni obnoxia sint singula. Adhæc eorum sententiam liquidò refellunt stellæ novæ; quæ variis in cælo temporibus apparuerunt. Vti illa Plinio * memorata, observata autem ab Hipparcho: qui temporibus claruit Ptolemæi Euergetæ II, & Antiochorum Sidetis ac Cyziceni. Alia item notata est tempore Hadriani Cæsaris. Alia sub Othone primo, idque in Cassiopea. Alia circa eandem anno CIↃ CCLXIV. Et quid dicemus de illa anni CIↃ IↃ LXXII itidem conspectâ in eadem sede Cassiopeæ? quam in firmamento verè fuisse, gemino præcipuè argumento Clavius colligebat: uno, quia ex diversissimis Europæ locis in eodem Cassiopeæ loco ab omnibus conspiceretur: altero

* *lib. 2, cap. 26.*

tero autem, quòd quamdiu duravit (id toto fere biennio fuit) constanter motum non planetæ unius, sed stellarum fixarum, fuerit secuta. Novam autem stellam fuisse, anteáque invisam, sensere omnes Mathematici, si exceperis Annibalem Raimundum Veronensem: qui, loco Hygini malè intellecto deceptus, putavit * esse veterem undecimam Cassiopeæ in erectione sedis positam. Ac primò id persuasit quoque Bartholomæo Reisachero, Mathematico Viennensi: sed is postea mutavit, cùm observasset, undecimam illam seorsum apparêre. Quocirca statuendum, novam, quam dixi, stellam fuisse ex materia cælesti: sed non solidè adeò, & ad perpetuitatem elaboratâ, uti aliæ solent, quæ quia compactiores, eò etiam sunt perfectiores, nec æquè dissolubiles. Hodiéque etiam hiatus ibi conspicitur, ubi stella illa priùs comparuit. Non disputo, utrùm proprio luxerit lumine, an lumine illustrata solari. Illud sufficit, quòd materies ejus non fuerit è terris eò evecta. Nam quomodo ea elevetur supra Solem ipsum? quo pacto itẽ ex terræ globo tam crassa exhalet materies, eaque trecenties major terræ & aquæ globo? Ea enim magnitudo stellæ illius initio fuit. Itaque cùm fusè de hoc sidere egisset Clavius, subjicit tandem: *Videant Peripatetici, quomodo Aristotelis opinionem defendere possint. Dicendum enim fortassis erit, Cælum non esse quinctam quandam essentiam: sed mutabile corpus, licet minus corruptibile sit, quàm corpora hæc inferiora.* Quibus verbis etsi quasi dubius loquatur, non obscurè tamen, quid suspicatus sit, docet. Quid dicam de siderum aliis, postea itidem, mathematicorum judicio, in æthere prognatis? uti illo anni cIↃ IↃ LXXVII, quod septem hebdomadis comparuit: alio anni cIↃ IↃ C, in pectore cygni: alio anni cIↃ IↃ CIV, in XVIII gradu Sagittarii. Et sanè seu stellam seu cometen anni cIↃ IↃ C XVIII *probati Astrologi omnes in cælo collocarunt*: ut ait Christophorus Scheiner in Rosa Vrsina †. Vbi & illa legas: *Cometas aliquos certè supralunares esse apud Astronomos indubitatum, & nunc communis receptissimaque illorum est doctrina: neque solidè contrairi posse, facilè crediderim.*

* *lib. edit. an.* 1573.

† *lib. 4, part. 2, cap. 39, pag.* 795.

Aliud præterea objectant. Si, inquiunt, Sol igneus foret, tot seculorum spatio fuisset absumtus; vel saltem ita imminutus, ut longè minor videretur, ac olim. Atqui si homines arte possint ignes facere perpetuos, ex igne pabulum, ex pabulo ignem continuantes: an non idem longè magis Deus in cælis possit? Et si imbribus quotannis, vel ad palmi magnitudinem, atq; amplius, decedat de montium jugis; nec tamen vel montes videantur minores, vel valles altiores, vel Oceanus, in quem flumina deferunt limum, minoris appareat profunditatis, aut magis mare exundet ultra litora: mirumne sit, si in Sole, qui tanto à nobis est diffitus intervallo, non possit ulla animadverti imminutio?

Nihilo validius illud, si cælum foret elementale, fore grave aut leve: at hoc falsum esse, quia gravia & levia rectum habeant motum; cælum, circularem. Quippe frustra sunt, quando hoc sibi sumunt Peripatetici, cæleste corpus non esse idoneum sursum ferri. Fortasse enim, ut Ficinus in Timæum ait, cæli pars detracta sursum ferretur. Sanè & Plato judicavit, remanere in cælo aptitudinem motus recti: eademque mens Plotini. Imò Homerus, & antiquissimi quique, videntur sensisse cælum esse grave, cùm fulciri id ajunt humeris Atlantis. Quamquam istud quidem non insciтè eludit Aristoteles in libro de Communi animalium motu *: ubi per Atlanta signari putat axim, circa quem cælum volvi fingitur.

* cap. 2.

Atque hæc sufficiant de elementali, eoque corruptibili materie; aqueâ quidem cæli, igneâ verò siderum: quæ quantopere divinitati cælestium adversentur corporum, facilè viderunt Athenienses: apud quos, ut Sotion in Successionibus, & ex eo Laërtius tradidit, Anaxagoras impietatis à Cleone fuit accusatus; & licet à Pericle discipulo defenderetur, quinque nihilominus talentis multatus, exilioque damnatus fuit; idque quia dixisset, Solem esse μῦδρον διάπυρον, *massam candentem*, sive *ignitam*.

CAPVT XL.

Vt porrò intelligatur, in quo divinitatem cæli posuerint Peripatetici; eorum opinio adfertur de forma cæli, puta anima ejus: deque ea dissensus, sitne forma informans, an assistens. Ostensum, Aristoteli animam esse formam, quæ cælis det essentiam, ac motum; unde & cælum dicatur vivere, & πράττειν, & partes habere dexteras, ac sinistras; superas, & inferas: & quibus cæli partibus has appellationes locales attribuant. Etiam cælum eo animatum probari, quia pro partium raritate, & densitate, diversimodè in hæc inferiora operetur: item quia, nisi animam haberet, vilia animalcula eo essent præstantiora. Nec cum his pugnare, quòd moveri dicatur ab intelligentiis, formis à materie separatis, & magnitudinis expertibus. Nam, si Aphrodisiensem audimus, duplices esse motores; animas, & intelligentias: & in quo motus amborum posuerit discrimen. Quas facultates anima cæli communes habeat cum anima humana, & quibus distinguatur. Refelluntur, qui sensus, & imaginationem tribuerunt. Quo pacto animæ cælesti, & intelligentiæ, detur intellectus, si sensu careant. Excellentiori modo Deum dici supremi orbis motorem, quàm orbium inferiorum. Simplicii, item Cæsalpini, de primo motore opinio refellitur. An inferiores intelligentiæ sint imperfectæ. Quem locum Aristoteles assignet Deo. Minorem animæ cælesti perfectionem dari, quàm intelligentiæ.

ABunde iis occurrimus, qui cùm cælum judicarent materiæ esse perennis, ac incorruptibilis; eo fuere compulsi, ut divinæ illud esse naturæ arbitra-

arbitrarentur. Deinceps expendam alterum eorum argumentum, quod petitur à præstantia formæ cælum informantis. Hæc bifariam consideratur; tum in se, tum ut suâ vi agit in mundum sublunarem. Si in sese spectes; forma cæli est anima ejus. Nam cælum Aristoteli esse animatum, idq; formaliter; etiam paret ex Aphrodisiensi, interpretum ejus, qui exstant, antiquissimo, & quo nemo magis Aristotelis opinionibus institerit. Hunc cælo tribuere animam, à qua moveatur, à Simplicio quoque traditum est VIII Phys. comment. XXXI, & in II de Cælo comment. III. Nec cælum modò animatum, sed etiam intelligens, divinæque esse naturæ tradiderunt. Non tamen uno se modo explicant interpretes. Siquidem multi eorum arbitrantur, duarum cæli partium unam esse eam, quæ sit materia actu; alteram autem esse intelligentiam cælo unitam; atque ab hac cælum dici animatum, quia intelligentia sit forma cæli informans. Quo pacto cælum propriè Deus erit. Nam intelligentiæ omnes Peripateticis sunt Dii; ut postea dicetur. Aliorum autem opinio est, cæli partem esse unam orbem cælestem, materiâ, & formâ constantem: alteram esse intelligentiam, non ut formam, per quam cælum id sit, quod est; sed ut principium motus externum. Hoc dicunt, principium non informans, sed adsistens: ut illa intelligentiæ sive Dei moventis, & cæli ab eo moti compositio pene sit, qualis nautæ, & navis; rotarii, & rotæ; equorum aurigæque, & currus. Ex Averrois sectatoribus alii hoc, alii alterum, ex doctore suo collegerunt: cujus causa est, quòd philosophus ille, licet acutissimus, ac maximus, non semper eodem loquatur modo. Quod etiam de Stagirita nostro dixerim. Nam illustria sunt loca, ubi cælum censeat animatum, atque ab anima moveri: alia item, ubi dicat, substantias à materia, & magnitudine, separatas, esse causam ac principium motus cælestis. Ac cælo quidem animam motricem clarè tribuit in secundo de Cælo cap. II, contextu sive particula XIII: Ὁ δ' οὐρανὸς ἔμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν· *cælum est animatum, atque principium habet motus.* Quid apertius, quàm id velle, cælum actu vivere, moveréque se ipsum? Quæ dici non possint, si intelligentia solùm esset cælo conjuncta ei assistendo. Idem ejusdem libri cap. XII, contextu LXI, sic de corporibus scribit cælestibus: Ἡμεῖς ὡς περὶ σωμάτων μόνον αὐτῶν καὶ μονάδων τάξιν μὲν ἐχόντων, ἀψύχων δὲ πάμπαν, διανοούμεθα. δεῖ δ' ὡς μετεχόντων ὑπολαμβάνειν πράξεως καὶ ζωῆς. *Sed nos de ipsis, ut de corporibus ac unitatibus, ordinem quidem habentibus, inanimatis autem penitus, cogitamus: oportet autem existimare, ipsa esse viventia, atque etiam agentia.* Hæc certè non possunt intelligi de intelligentia assistente; ut exponunt cum aliis Pererius, & Conimbricenses: sed de habentibus internũ vitæ & actionis principium. Omnia verò, quibus hanc cæli animationem Aristoteles tuebatur, eò

redeunt imprimis, quòd in rebus à sensu remotis judicium ferri debeat è sensui propinquis : in his autem illud perpetuum sit, ut quæ in loco naturali de loco in locum moveantur à se ipsis, ea moveantur ab anima, ut principio constitutivo, ac forma, quæ det esse. Hinc est, quòd philosophus in VIII Acroamaticor. cap. IV, contextu XXIX, locutus de iis, quæ ὑφ' αὑτῶν κινοῦνται, *moventur à se ipsis* ; mox subdat, ζωϊκὸν γὰρ τοῦτο, καὶ τῶν ἐμψύχων ἴδιον, hoc est, *vitam habentium, & animatorum proprium.* Itaque πρᾶξιν, quæ sanè animatorum, tribuit cælo. Vt lib. II de Cælo cap. XII, cont. LXI. Verba paullo ante adduximus. Ac ibidem contex. LXIII subjungit : Διὸ δεῖ νομίζειν, καὶ τὴν τῶν ἄστρων πρᾶξιν εἶναι τοιαύτην, οἵαπερ ἡ τῶν ζώων, καὶ τῶν φυτῶν· *censendum verò est, astrorum esse praxin, qualis animalium est, & plantarum.* Quare sic statuendum ; Aristoteli animationem cæli esse formalem, quia anima cælo jungitur; non ut motor mobili, nauta navi; sed ut principium cælestis motus internum, cæli καθ' οὐσίαν * constitutivum : eoque motus cæli ab ejus anima sit, uti motus corporis nostri est ab anima nostra ; hoc tamen discrimine, quod nostra trahat corpus ; eoque corpus ab ea agatur præter naturam ; unde & lassatio ; quæ nulla in cælo ; ut cui nulla insit ad quietem inclinatio ; unde consequitur, nec intercedere alterationem in movendo. Quare & cælum vivat actu ; nec aliter potentiâ vivere dicatur, quàm Aristoteli † anima definitur actus corporis organici potentiâ viventis. Nempe ut nostra corpora, sic cæleste corpus dicitur vivere potentiâ in ordine ad animam; quia non vivit, prout est corpus, sed quatenus est animatum. Cælum autem Aristoteli esse corpus organicum ; indicat etiam, quòd in II de Cælo contextu XIII, ei statuit inesse dextrum, & sinistrum ; non tralaticiè, sed propriè ac ratione sui : ut liquet etiam ex libro de incessu animalium cap. IV. Vis argumenti in eo consistit : Si cælum habet internum motus principium, & locum determinatum, unde motus incipiat ; obtinet etiam dextrum, & sinistrum. Nam dextrum est, unde inchoat motus : quod si habet, etiam habet sinistrum ; quia consequitur, id partem esse sinistram, quod opponitur parti, unde est motus. Atque hinc etiam colligit, cælum habere partem superiorem, & inferiorem : illam esse polum australem, hanc septentrionalem : quia alioqui cælum verteretur à sinistris : quod naturæ adversatur, si ex animali terrestri judicium est ferendum de cælesti, cujus terrestre creditur mensura : unde & Simplicius jubet, sic unumquemque imaginari cælum, quasi homo sit supra axim constitutus. Quomodo cum loquuntur Peripatetici, considerant cælum ratione motus diurni ; quem statuunt ab octavo orbe esse, cujus intelligentia est prima Mens. Nam si planetarum motus attendamus, planè aliter sit ; quia ab occasu feruntur ad ortum ; eoque sit polus australis sic inferior.

* *secundum essentiam.*

† *lib. 2 de Anima cap. 1.*

Etiam

Etiam cælum esse corpus organicum, ex eo concludunt, quia partium ejus aliæ raræ, densæ aliæ : cumque sidera habeantur pro partibus ejus densioribus ; uti in animantibus membra variant facultatibus, aliaque vis est cerebri, alia cordis, pulmonum, aut jecoris ; alia item linguæ, alia manuum, vel pedum : similiter aliam esse virtutem Lunæ, ac Solis, Veneris, vel Martis : estque par ratio in fixis ; cum diversimodè operentur in terras, variéque dirigant genus humanum.

Præterea eo se tuentur Peripatetici, quòd corpori primo, & nobilissimo forma conveniat nobilissima : Cælum autem primum esse corpus constet : cui nec divinitatem tribuere Aristoteles dubitavit lib. II φυσικ. ἀκροάσ. cap. IV, text. sive partic. XLV, & I de Cælo cap. II, text. XIII, & cap. IX, text. C, & lib. II, cap. II, text. XVI, & lib. I de Partibus animal. cap. I, & VI, item VI Nicomach. cap. VII. At præterea, ajunt, convenire animam esse præstantiorem formâ inanimâ. Colligunt igitur, cælum esse animatum. Alioqui, inquiunt, cælum esset ignobilius pulice, & aliis vilissimis insectis : quippe quæ saltem animam habeant.

Nec contenti, cælum statuere animatum, iidem, quia multiplex sit cælorum motus, pro eorum numero tradunt esse animas cælestes : inferiores animas esse Aristoteli Deos minores : supremam animam, esse summum Deum : unde & supremam sphæram dixere Mentem primam, considerando sphæram hanc, non ut est materia, vel corporeum quid ; sed ut est aggregatum ex corpore, & anima principe.

Sed nihil æquè huic opinioni repugnare videtur, quàm quòd Aristoteles ipse in VII φυσικῆς ἀκροάσεως, inque XII Metaphys. & alibi, intelligentias orbium motrices statuat esse substantias à materia & magnitudine abstractas. Quomodo enim secretum à materiâ dicatur, quod materiam informet ?

Ad nodum hunc exsolvendum, variè à variis sudatum. Multi ajunt, cælum etiam Aristoteli esse inanimum : sed per metaphoram ab eo animatum dici, considerando aggregatum ex cælestibus orbibus, & intelligentiis, superadditis ad movendos orbes. Verùm, in Aristotele sine præjudicio versatis, satis est apertum, propriè ab eo animatum dici. Nam vivere ait cælum. Quis autem rotam dicat vivere, quia à rotario versetur? Nec aliter, ac diximus, Aristotelem cepit princeps interpretum ejus Alexander. Verisimilius igitur illi, qui animam cæli bifariam ajunt considerari; ratione essentiæ, sive quatenus informat cælum ; & ratione operationis, sive quatenus movet cælum. Priori modo si spectes, animam Aristoteli esse formam corporis ; uti anima nostra dicitur ei † ἐντελέχεια * corporis organici. Sin posteriori attendas modo, rectè vocari substantiam à materia abstra-

† lib. 2 de Anima cap. 1.
* actus primus

abstractam, quia orbes movet citra interventum corporalis alterationis: quomodo & in III de Anima text. VI, rationalis anima dicitur corporea, quia intellectus possibilis non utatur corporis instrumento.

Interea sic quoque videtur obscurum, quomodo à materia & magnitudine separatum dicatur, quod, si essentiam spectes, nunquam non in alio sit, nunquam non erit. Nulla igitur expeditior ea conciliandi ratio est, quàm si sequamur antè dictum Alexandrum: qui animas cælestes ab intelligentiis distinxit; atque illas docet esse formas cæli informantes, has verò adsistentes; ut refert quoque Simplicius in VIII Phys. comment. LI, & in II de Cælo comment. III, & IV. Hanc qui sententiam sequuntur, duplices statuunt esse cælorum motores; nempe animas, & intelligentias: sed proximè orbes moveri ab animis, animas ab intelligentiis; interim moveri motus genere admodum diverso. Ab animis enim commoveri cælum, ut ab animâ nostra corpus humanum. Ab intelligentiis cieri animas, ut intellectus noster ab suo movetur objecto. Quippe ab animis cælestibus & cognosci, & amari atque appeti intelligentiarum præstantiam. Hanc excellentiam partim esse in æternitate intelligentiæ; partim in perfecta bonitate. Intelligentiæ æternitatem, ut hi ajunt, imitantur per motum circularem: quia, ut mentes illæ, à materia separatæ, intelligendo in se ipsas revolvuntur; ita animæ cælestes, ad internæ hujus revolutionis exemplum, orbes suos externâ revolutione versant. Quæ æternitas videtur dici posse: quia, utcunque revolutiones semper aliæ sint, atque aliæ; universæ tamen quodammodo unus sint motus; quippe continuus, non interruptus. At bonitatis perfectionem, secundum hos, imitantur animæ, dum cognoscunt, intelligentias esse causas ordinis in universo; atque eas appetunt, ut bonas, eisque assimilari cupiunt per eundem modum exerendo suam bonitatem in orbem universum. Qui fusiùs ista cognoscere volet, Cæsarem adeat Cremoninum libris de natura cæli, ac præcipuè de motoribus cæli abstractis.

Atque idem, quas animæ cælesti facultates tribuat Aristoteles, paucis est complexus, libro de Natura Cæli sect. V, cap. VIII: *Nos constituimus, animam essentialiter cælum informantem esse animam, quæ sit prædita potentiâ intellectivâ, quia debet cognoscere intelligentiam; sit prædita potentiâ motivâ, quia debet movere orbem; & appetitivâ, quia debet appetere intelligentiam; nec potest esse motus sine appetitu.* Sed quæri solet, an anima cælestis, uti secundùm Aristotelem habet facultatem intellectivam, appetitivam, & motivam; ita etiam, secundùm eundem, habeat sensitivam. Existimavit hoc Plutarchus Lydus; ut Simplicius refert, nec non Philoponus in Arist. III de Anima comment. LXI. Sed longè aliud voluit Aristoteles: quippe loco Aristotelis

telis memorato; ubi ait, fieri non posse, ut corpus habeat animam intelligentem, sensum haut item; sermo de iis est, quæ corruptioni sunt obnoxia; non de cælestibus, & generationis expertibus. Quod ita esse, liquet ex secundo de Anima context. XV, & XXXII: ubi de solis ait mortalibus capiendum, quod dicitur, facultates præstantiores præsupponere eas, quæ minus sunt præstantes. Atque ita locum antea adductum etiam Philoponus cepit: uti & Simplicius; qui tamen in hoc ipso ab Aristotele recessit. nempe, ut aliàs sæpe, ita eâ parte etiam, sequi maluit Platonem, qui sensus tribuit cælo. Sed profectò, cui bono sensus cælis Aristoteles assignaret? Animantibus hi dantur ad sui conservationem. Nam necesse habent foris quærere alimentum: tum item injuriæ ac pericula sæpius foris propulsanda. At cælum non pascitur: nec alicunde ei periculum est. At, inquiunt Platonici, sensibus cælo opus fuit, ad cognoscendos motus particulares; cùm intellectus quidem feratur ad universale, sensus verò ad particulare. Ac si cælum non habeat sensum, nec ei tribui possit intellectus, quia intellectio fiat per speciem. Avicennas, ut huic satisfaciat difficultati, imaginativam cælo adsignat, qua particulares revolutiones cognoscat. Imaginatio fortè ei est non speciei per sensus receptio, sed intellectus ad particularia applicatio. Alioqui neq; sic Avicennas satis occurrat difficultati de specierum necessitate: neque adhæreat Aristoteli, qui tum exteriorem, tum interiorem in cælo sensum refugit. Alii igitur Platoni sic obviam eunt, duos Aristoteli esse modos intelligendi; unum per receptionem speciei, alterum per essentiam. Priorem locum habere in hominibus; quibus ad intelligendum est opus sensuum interventu, ac speciei productione; eò quod sensibile sit res materialis recipienda immaterialiter. Posteriorem habere locum in anima cælesti, cujus objectum sit res purè intellectualis; ut recipiatur prout est, nec speciei ullius productione sit opus. Nostrum intellectum versari in abstractis, fundamentum in re sensibili habentibus: eoque phantasiæ esse adstrictum, & omnia per discursum addiscere. At objectum animæ cælestis simpliciter esse abstractum; inque abstractione rationem intelligentiæ consistere; eoque animam cælestem phantasmate non indigere, nec discursu ullo. Hæc mens etiam fuit Alexandri lib. I Quæstionum Natur. cap. XXV: pluribusque eam exponit Cremoninus libri ante memorati cap. IX. Vbi inter cætera sic scribit *: *Cælum intelligit recipiendo rem, quam debet intelligere: non illius speciem, quia ipsa est per se intelligibilis; & non requiritur species, nisi ubi res per sensus est intelligenda, & est materialis.* * pag. 130.

Hæc ostendunt, Peripateticos genuinos cælo tribuere animam longè præstantiorem humanâ: nostra enim indiga est specierum, & discursus;

cælestis non item. Ac ratione hujus mentis, cælum Peripateticis est Deus. Vnde lib. II de Cælo cap. III, sive context. XVII : Ἕκαστόν ἐστιν ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου. θεοῦ δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία. τοῦτο δέ ἐστι ζωὴ ἀΐδιος. ὥστε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. ἐπεὶ δὲ ὁ οὐρανὸς τοιοῦτος· σῶμα γάρ τι θεῖον· διὸ τοῦτο ἔχει τὸ ἐγκύκλιον σῶμα, ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί· *Vnumquodque eorum, quorum est opus, id est operis caussa : Dei verò operatio immortalitas est. Hoc autem est perpetua vita. Quare Deo perpetuum inesse motum, necesse est. Cùm verò cælum sit tale (est enim corpus quoddam divinum) eo corpus habet rotundum, quod naturâ semper in orbem movetur.* Ajunt cum Thoma Conimbricenses, cælum hic vocari Deum, more Platonico. Sed profectò Alexander, & alii, sensere Aristotelem loqui ex mente sua : longéque id verisimilius est. Nam Aristoteli Deus est vivens continuum, & sempiternum : inque Deo vivere est intelligere. Nos non semper intelligimus, sed aliquot annis; & iis, quibus vivimus, intellectio nostra non continua est, sed intercisa : motores autem cælestes, secundùm Aristotelem, & sectatores, sunt principii ac finis nescii; eoque semper intelligentes; quod divinæ est naturæ proprium. Non tamen parem omnibus divinitatem tribuebant. Siquidem intelligentiam, quæ orbem moveret Lunarem, minùs intelligentem credebant intelligentiâ, à qua Solis orbis moveretur : ac universos orbium, qui planetarum dicuntur, motores judicabant minùs habere perfectionis, quàm qui supremum orbem commoveret. Nam qui primus motor vocatur, est Aristoteli summa ratio ordinis in universo : cæteri autem motores, secundùm eundem, sunt ordine dispositi cum habitudine inferiorum ad supremum : & activè quidem se habent ratione orbium ac mundi : sed passivè ratione primi motoris, in quo constitutum est bonum universi. Satis autem liquet, me primi motoris nomine nunc uti strictè pro motore primi orbis. Cæteroquin non me fugit, Aristotelem fere per primum motorem omnes signare Cæli motores : quomodo pariter & Deum supremum, & septem intelligentias, ut minores ac ministros Deos, comprehendit. Nempe primus motor Aristoteli adæquatè sunt octo intelligentiæ : principaliter autem prima intelligentia sive suprema. Hoc ita esse, liquet ex Metaph. XII, cont. XLIII : ubi cum retulisset, quod in VIII Physicorum demonstrârat, esse primum motorem immobilem, & indivisibilem : quærere nihilominus non dubitat, quot essent ejusmodi motores : atque respondet, tot esse eos, quot essent cæli circumvolutiones : eas autem octo ipse statuebat. Aliter tamen sensit Simplicius in VIII Physicorum, & nonnulli ex Latinis : quibus primus motor Aristoteli non summus Deus videtur, sed intelligentia summi post Deum loci, ac dignitatis. Eò impulit Simplicium, quòd plurimùm studeret Platonem & Aristotelem conci-

conciliare. At Platoni ſupremam Bonum ipſum, hoc eſt, Deus, obtinet dignitatem: proximam Mens, Dei progenies, naturæ architecta: tertiam Natura, Mentis opus. Sed Ariſtoteles hoc Dei, & Mentis primæ diſcrimen non agnovit: ſemperque per primum motorem intelligit, vel Deum ſupremum ἁπλῶς, vel eundem cum inferioribus ſeptem Diis, ſive intelligentiis: ut ſatis parebit conſulenti VIII Phyſ. context. ſive partic. XLVIII, XLIX, & LII, item XII Metaphyſ. context. XLIII.

Andreas tamen Cæſalpinus cenſet, *motrices cælorum cauſſas non eſſe per ſe multas; ſed ſolum ob cæleſtes ſphæras videri multas, cùm per ſe una tamen ſint ſubſtantia.* Sed hoc parum cum eo convenit, quod Ariſtoteles lib. VIII φυσικ. ἀκροάσ. cap. X, cont. LXXVIII, ait, primum movens eſſe ἀμερὲς, & μηδὲν ἔχειν μέγεθος· *partibus vacans, & nullâ præditum magnitudine.* Eoque levior nobis in iſto eſt auctoritas Cæſalpini: quòd idem nec dæmones, vel angelos, aliud eſſe cenſeat, quàm particulas Dei corporibus tenuiſſimis ſociatas: imò & beſtiarum, & hominum animas itidem Dei particulas exiſtimârit. Dæmones igitur multos fatebatur; ſed ratione materiæ; extra quam nullam eſſe multitudinem putavit. Ideo & unam ſtatuit intelligentiam humanam; ſed multiplicari ſecundum hominum multitudinem. Quæ ſanè impietate non carent. Sic igitur concludimus, Ariſtoteli præter ſupremi orbis præſidem ac motorem, diurni motus cauſſam, eſſe & minores Deos, inferiorum orbium motores.

Dixeris, Peripateticos non agnoviſſe ullam in Deo imperfectionem: at ſi octonæ ſint intelligentiæ, quarum prima ſola omnimodam habeat perfectionem; fore ut aliqua inferioribus tribuenda ſit imperfectio. Sed reſpondent Peripatetici, ſe & illis minoribus Diis tribuere perfectionem; attamen in gradu remiſſo: tantam videlicet, quantæ, pro conditione naturæ ſuæ, ſunt capaces: quomodo, ex communi Theologorum ſententia, primus homo non eſt conditus à Deo imperfectus: utcunque non obtineret eam perfectionem, quam haberent mentes angelicæ.

Sed plurimi, ut de inferioribus ſeptem intelligentiis aſſentiuntur iis, quæ proximè Ariſtotelem ſenſiſſe dicebamus: ita perſuadere ſibi non poſſunt, ab acutiſſimo philoſopho ſupremum numen orbi ſupremo, ſolumque ei movendo, quaſi alligari. Contendunt igitur, ab eo Deum ſtatui ubique: ſed ſedem tribui in ſphæra ſuprema, quia illic præcipui ejus reluceant effectus. Atque hanc opinionem illi quoque tribuit Toletus in VIII Phyſ. cap. X. Ita opinionem eam aſſignant Ariſtoteli, quam habuiſſe eum vellent: eoque etiam peſſimè dicta in meliorem torquent ſenſum. Et ſanè tolerabiliùs peccant, qui ſic faciunt: quàm qui, ut alii ſolent, etiam quos minimè omnium deceret, optimè à quoque dicta in deteriorem rapiunt

partem. Genuinam autẽ Aristotelis mentem cognoscere est ex Phys. lib. VIII, cap. X, context. LXXXV : ubi sic argumentatur : Primum movens, vel est in centro, vel in peripheria, vel intermedio loco. At non esse in centro, nec in medio, sed in peripheria, ex eo cognoscitur, quia, quæ moventi proxima sunt, celerrimè moventur: supremus autẽ orbis movetur celerrimè : istic igitur est primum movens. Hoc volunt verba illa : Αλλὰ τάχιστα κινεῖται τὰ ἐγγύτατα τοῦ κινοῦντος. τοιαύτη δ' ἡ τοῦ ὅλου κίνησις. ἐκεῖ ἄρα τὸ κινοῦν. *Verùm celerrimè moventur, quæ moventi proxima sunt : cujusmodi universi motus est. ibi igitur movens est.* Τὸ ὅλον sive *universum* appellat extimum orbem, quia universa contineat. Indeque colligit, ubi orbis est extremus, ibi esse primum movens, sive Deum. Similiter lib. I de Cælo cap. IX, context. sive particul. XCVI : Ενα μὲν τρόπον οὐρανὸν λέγομεν, τὴν οὐσίαν τὴν τοῦ ἐσχάτου τοῦ παντὸς φορᾶς· ἢ σῶμα φυσικὸν τὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ φορᾷ τοῦ παντός· εἰώθαμεν γὰρ τὸ ἐσχάτον καὶ ἄνω μάλιστα καλεῖν οὐρανὸν, ἐν ᾧ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαί φαμεν. *Vno quidem modo cælum dicimus, substantiam ultimæ Vniversi conversionis, aut id naturale corpus, quod est in ultima Vniversi conversione : consuevimus enim ultimum ac superum corpus appellare Cælum : in quo* & OMNE DIVINVM *consistere dicimus.* Videtur tamen obstare, quòd ibidem, context. centesimo, ista subjungit : Οὐδ' ὅτιν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φορὰν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ, τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν, καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὰ ἅπαντα αἰῶνα· *Neque ullius eorum ulla est mutatio, quæ sunt constituta super ultima conversione : sed nullis alterationibus, nullis planè passionibus subjecta, optimam in universa æternitate vitam & sufficientissimam habent.* Vbi non modò primã Mentem sive supremum Deum; sed intelligentias quoque, supra octavum orbẽ collocat. Quod attendens Franciscus Suarez in Metaphysicis, Disputatione XXX, Sectionis septimæ part. XLVIII *, ait, *Est ergo satis lubrica mens Aristotelis in hac parte.* Mihi hæc ab alio jam olim inserta videntur. Saltem non conveniunt cum iis, quæ antea dixerat; neque eo, quod ibidem ait, Εξω τοῦ οὐρανοῦ οὔτε τόπος, οὔτε χρόνος ὅτιν· *extra cælum neque locus est, neque tempus.* Valde se in eo torquent interpretes. Conimbricenses quidem scribunt † hoc pacto : *Quænam entia ponat Aristoteles extra mundum, non constat inter ejus interpretes. Quidam putant solum Deum : alii Deum, & intelligentias : quibus hinc suppetit argumentum in Peripatetica doctrina, ad probandum, Deum esse actu in spatio imaginario extra mundum : alii volunt, non dici ab Aristotele, hujusmodi substantias immateriales esse extra mundum, quasi existant in spatio illo imaginario, sed extra conditionem & sortem rerum materialium physicas eas mutationes subeuntium.* Et profectò aut postrema hæc conciliationis ratio est ineunda, aut secum pugnat Aristoteles, aut aliunde verba superiora fuerint ingesta. Quod postremum malo credere. Nam & modus ille conciliandi durissimus est: & eodem

* Tom. 2, pag. 76, edit. Colon. an. 1600.

† ad adlatum proximè Aristotelis locum.

eodem in loco acutissimum philosophum sibi manifestè adeò contradixisse, parum fit verisimile. Quare honestius de eo, nisi secum pugnare velimus, sentire non possumus, quàm si dicamus, aliquid ab alio Aristoteli esse infertum: ac mentem philosophi germanam esse, Deum non esse diffusum per totum mundum secundùm substantiam: sed sedem suam habere in præcipua cæli parte, hoc est, supremo orbe: nempe ut rex totum gubernat regnum per administros; in sola autem regia habitat: ut item anima nostra non est in omnibus corporis membris; sed uno præcipuo, unde cætera participant vitam. Hanc enim de anima mentem esse Aristotelis, liquet ex lib. 1 de motu animalium cap. penult. ac vidit hoc etiam Albertus lib. 11 de Anima cap. VII.

Vt melius sensisse Aristotelem credamus, verba non sinunt: facilè autem, ut deterius senserit: quæ Achillini, Piccolominæi, & aliorum, sententia fuit. Ex quorum opinione, Aristoteli cæli forma informans est anima cælestis; nec aliud est anima hæc, quàm intelligentia. Quomodo cælum componetur ex orbe suo, ut corpore, & anima sive intelligentia, ut forma perficiente. Atque ita Deus sit corporeus, quatenus Dei nomine orbis corpus, & motorem ejus, complectimur. Orbis igitur, qui movetur, ignobilior pars divinæ fuerit substantiæ; ut corpus nostrum pars est vilior hominis. At pars nobilior sit motor, ut anima in nobis. Ex quibus non obscurum est cognoscere, quo in genere formarum essentialium, hos si sequamur, reponi debeat primus motor. Nam formarum quædam sic in materia sunt, ut extra eam esse non possint; sed ab ea dependeant, non modò actionum, sed etiam essentiæ ratione. Atque hujusmodi sunt formæ naturales; quæ partes omnes materiæ suæ informant: ac videntur in his etiam esse formæ plantarum, quæ vix animarum nomen merentur. Aliæ autem formæ essentiales sunt quidem in materia: sed corpus propriè non informant, verùm formâ suâ præditum perficiunt: interea ipsæ nec operari, nec esse extra illud valent: ut sunt animæ mutorum animantium; quæ eorum formæ dicuntur, non quatenus corpora sunt naturalia, sed quatenus sunt viventia. Aliæ autem, etsi ratione quarundam operationum non pendeant à corpore: ratione tamen essentiæ, & operationum aliarum, à corpore dependent. Ac tales sunt animæ humanæ corporibus sociatæ: &, secundum eos, de quibus proximè diximus, etiam animæ cæleſtes, sive intelligentiæ: ut quæ sine corporis ætherei ope intelligant; utcunque nunquam ab eo separentur. Aliæ verò non sunt in materia, nec eam vel informant, vel perficiunt: ineſt tamen iis habitudo ad corpus: ut sunt animæ humanæ à corporibus separatæ, quæ corporibus iterum jungi desiderant. Aliæ denique ne quidem habitudinem hanc obtinent: ut sub-

ſtantiæ illæ abſtractæ, quas Platonici dæmonas, Chriſtiani angelos nuncupant. Ac tales etiam ſunt intelligentiæ, ex mente eorum, qui animas cæleſtes, & intelligentias, diſtinguunt, ac intelligentias dicunt animis cæli perfectiores, quia etſi animæ appetant & imitentur intelligentias, non tamen has tam capiant perfectè, quàm ſe ipſas norint intelligentiæ.

CAPVT XLI.

Cæli divinitas eo refellitur, quia ſit inanimum: atque hoc ſine oſtenſum, ſidera non per aliud, ſed proprio cieri motu: & propterea æthera non denſum eſſe, non rarum, ſed tenuem: nec ratione motus naturalis corpus tam in duo, ut Ariſtoteles voluit; quàm tria in genera diſpeſci. Vnde corporibus vita proveniat. Si ſidera per ſe moveantur, cauſſam tantæ eorum velocitatis ex mira cælorum tenuitate peti oportere: ſin ea cum orbibus moveantur, rationem eſſe, quòd in loco volvantur proprio, eoque nihil iis reſiſtat. Non eſſe in cælo dextrum, & ſiniſtrum, vel alias differentias locales. Nec ſemper animâ præditum præſtare inanimo, cùm potiùs ex fine, ac bono univerſi, æſtimanda ſit rei cujuſque excellentia. Vtcunque cælum non eſſet inanimum; fruſtra tamen, cum cauſſæ motus adferuntur, vel animis cæleſtibus ſuperaddi intelligentias; vel intelligentiis animas ſubdi: imò motoribus incorporeis planè opus non eſſe. Ac licet ab intelligentiis cælum moveretur; non tamen ſolum octonas cum Ariſtotele ſtatui oportere; ſed multis partibus plures. Calippi de orbium numero opinio. Perperam vulgò intelligentias cum angelis confundi.

QVæ Ariſtotelis fuerit opinio de natura divina, ſatis expoſuimus. Ac clarè ex iis liquet, non poſſe tantum philoſophum effugere, quin creaturæ pro creatore divinum tribuiſſe honorem dicatur. Vtcunque enim intelligentias à cæleſtibus animis diſtinxiſſet; inferiores tamen intelligentiæ fuerint creaturæ: cùm nonniſi unicum eſſe numen poſſit. Quod ſi Deum ex orbe, & intelligentia, compoſitum putârit; tanto magis huic crimini fuerit obnoxius. Vt hæc fiant planiora, deinceps oſtendam, nihil æquè mirandum eſſe, quàm Peripateticos veteres, homines tam acuta ingenii acie, obtuſis adeò, planeque luſoriis magis, quam decretoriis pugnaſſe armis, ut grande illud evincerent, cælo animam, imò intelligentiam longè animâ excellentiorem, & quid iſta dico? etiam divinam tribui majeſtatem oportere. Ab anima ordiar, qua ſi cæli corpus deſtituitur, quanto minùs intelligit: ac ſi intelligendi vi caret, quis mentis adeo ſit dementis, ut Deum dixerit?

Familiam in Peripateticorum ducit argumentis, quòd cælum per ſe moveatur; ac proinde internum habeat vitæ ac motus principium. De vita

vita longè aliter adstruebant, quàm qui putarent, sidera nutriri vaporibus. Persuasissimum enim Peripateticis fuit, absumi vapores, priusquam ad cælos pertingant. Potiùs igitur vivere cælum ex motu colligebant. Per cælum autem intelligebant orbes cæleſtes.

Sed sidera videmus moveri, orbes non item; nec contrarium quæ suadeat ratio est ulla, vel saltem non satis gravis: ut longè verisimilius videatur, nullos esse planetarum orbes, sed cælum esse continuum: nec sidera per aliud moveri, ut orbium partes: sed cælum per se quiescere, sidera autem cieri per se, & motu proprio. Ac propterea non crassus est æther; uti aqua, vel aër, ubi crassitie opus fuit, illic ad natandum, hic ad volandum. Imò neque rarus est; quale quod est, poros habet; & eo plures, vel majores, quo rarius; ut rarissimum sit, quod maximè porosum. At cælum habere poros temere dicatur. Sed est æther longè tenuissimus, ut à sideribus facillimè, & citissimè, transmeetur. Tenue enim dicitur, quod facile cedit. Tale esse cælum necesse est, ob summam & prope incredibilem siderum velocitatem. Neque enim sidere locum mutante, cælum propterea cogitur, ac condensatur; ut fieret, si raritatis beneficio sidera permearent: sed duntaxat pars una in alterius locum migrat; uti tenuium natura ostendit. Non igitur ex siderum motu, de circumvolutione orbis cæleſtis judicandum: eo minùs, quia sidera non sunt ejusdem naturæ ac orbis cæleſtis, sed planè diversæ; ut antea dictum. Imò ut orbes per se, & cum iis sidera moverentur; non eò animâ prædiți sint. Nam sic quoque principium proximè movens fuerit natura eorum, sive vis à Deo indita, ut ea rectè dicatur virtus seu facultas propria ac nativa. Itaque ut tellus naturâ suâ movetur deorsum, ignis sursum: sic cælum naturâ in orbem volvitur. Vt videatur triplex esse corpus naturale: sublunare inanimum, quod suo loco quiescat: cæleſte inanimum, quod suo loco moveatur, sed motu uniformi: ac animatum, quod & ipsum in loco naturali moveatur, sed modis variis. Frustra igitur Aristoteles ex inanimo sublunari colligit de cæleſti. Quod si ab alio cieretur, &, pro Aristotelis mente, de cæleſtibus ex sublunaribus rectè procederet argumentum: omnino haberet instrumenta sui motus, instar animalis; cujus corpus instrumentis eget, quia ab alio, nempe ab anima, movetur. Nec enim corpus per se vivit; sed per animam, quæ vigorem, qua vivant & moveantur, in membra corporis transfundit. Sic constat, ab anima in corde humano arteriosum sanguinem imbui virtute vitali: is deinde se insinuat per corpus universum, facitque ut vigore eo omnia vivant membra. Iccirco si obstruantur arteriæ, moriuntur artus illi, ad quos penetrare nequit spiritus ac sanguis vitalis. Hæc si cælis accommodentur, quid simile reperiemus? Ecquid

quid in iis dicere possumus analogum cordi, arteriis, sanguini, & membris ?

Verùm esto, ut orbes per se moveantur, sidera per aliud. Sic quoque is motus non ab anima sit, sed naturâ : quæ grande illud corpus brevissimo versetur tempore, quia in loco proprio versetur. Nam quæ recto feruntur motu, uti lapis, vel aliud, cum difficultate moventur ; quia sunt extra locum naturalem ; ad quem ut pertingant, necesse habent aera scindere, vel aquam. At quæ in orbem moventur, ut de orbibus cælestibus est persuasum, in loco sunt naturali; eoque celerrimè moveantur, quia nihil eorum motui resistat.

Planè autem frivolum est, quod cælum esse animatum colligunt, quia in eo sit sursum & deorsum, dextrum & sinistrum : ut eo se evincere posse arbitrantur, quia dextrum sit latus, unde sit motus ; & cæli motus sit ab Oriente. Quæ cum dicunt, parum cogitant, in corpore rotundo non esse locales istas differentias. Fons verò & caput erroris est, quòd ex motu recto colligere volunt de rotundo : cum longè maximum inter eos sit discrimen. Nam, quæ recto cientur motu, in sua feruntur loca : at, quæ volvuntur in orbem, ea, ratione totius, non mutant locum, sed quiescunt ; ac tantùm ratione partium commoventur. Itaque nec verum est, quod ajunt, initium motus esse ab Oriente. Nam ut de contrario planetarum motu nihil nunc dicam : secus quoque est de motu diurno. Vbique enim Sol oritur, ubique occidit.

Quàm minutum etiam, cùm cælum esse animatum concludunt, quia alioqui insectis vilius foret. Quasi semper animatum præstet inanimo. Hoc nec ipsi credunt, quando sic argumentari non verentur. Scyphum enim aureum pulici; domum magnificam prætulerint muscæ. Et quis eos propterea dementiæ arguat? Scimus enim creata omnia esse metienda nõ tam ex forma, quàm ex fine : utpote caussa independente, unde & meritò caussa dicitur caussarum. Itaque Deus ipse, pro fine, quem in singulis propositum habuit, suam cuique formam esse jussit. Proinde licet cælo forma sit vitæ expers : præstantior tamen est animatis omnibus, unum si exceperis genus humanum, cujus gratia imprimis cælum Deus fecit. Cogitandum igitur, quanta utilitas redundet erga homines ex Sole, Luna, stellis : de quorum singulis antea diximus. Cum fine tam utili, tam necessario, quis contulerit finem pulicis, aut pediculi ? qui ex putredine succrescunt, magis dixerim in pœnam, quàm bonum hominis : eoque fortasse ne fuissent quidem, nisi homo peccasset.

Abunde illis occurrimus, quibus probatum ivere, cælum esse animatum. Mirum verò, aliquos præterea superaddidisse intelligentias. Si enim

cælum

cælum est animatum, nihil opus est ponere intelligentias motrices: quando animata omnia habent principium motus internum. Vel si intelligentiæ moveant cælum, nihil profectò attinet dicere, esse animatum, cùm intelligentiæ cieant illud, si non contactu essentiæ, attamen virtutis. Quod verò ajunt, opus præterea esse intelligentiis, ut animæ orbium, intuendo illas, velut exemplum, tanto quoque similiores iis fiant: id quàm facilè dicitur, tam facilè negatur. Planéque philosopho est indignum, talia promere, nec probare aut velle, aut posse.

Et quid opus statuere motores incorporeos, cùm ea, quæ naturâ moventur, non indigeant motore incorporeo; excepto quòd omnia pendeant à Deo? Imò, utcumque dissentiant Peripateticorum complures, Aristoteles non statuit motores incorporeos, ut motus esset; sed ut motus esset æternus. Nam ex motu æterno colligebat esse substantiam, quæ moveret æternùm. Atqui motus non est æternus, sed finitus: idque à principio finito; nempe naturâ: quæ tamen non possit esse aliunde, quàm à principio infinito, quod Deum dicimus.

Quod verò pro octuplici siderum motu, totidem esse orbes, ac pro orbibus totidem animas, & pro his intelligentias totidem, esse collegerunt: id quàm infirmum sit, liquet ex argumentis, quibus alii concludunt, cælum esse liquidum, & omnes stellas, vel planetas saltem, suâ vi moveri. Qua de re abunde antea diximus. Adde quod, si cum Aristotele statuendum, moveri orbes ab intelligentiis; quarum unaquæque unum versat orbem: non octonæ solùm intelligentiæ erunt, sed longè plures, propter eccentricos, & epicyclos. Statuuntur enim in universum orbes triginta tres *: ex quibus viginti septem ambiant terram; sex autem epicycli toti exstent extra terram. Imò, si cum Fracastorio † concentricos statuere orbes malis; jam septeni vel noveni supra septuaginta erunt; octo stellati, cæteri ἄναστροι *, atque ex his seni supra ipsum firmamentum. Nam in eo quoque idem recessit, tum ab Aristotele, qui nullum agnovit orbem supra firmamentum; tum Astrologis postea consecutis, qui duos solum superaddiderunt. Medium verò inter hos numerum iniit Calippus, astrologus Aristoteli, Plinio, Censorino, ac multis aliis, laudatus: cui orbes partim ferentes, partim restituentes, numero erant quinquagintaquinque. Accuratè ejus sententiam idem Fracastorius exposuit Homocentricorum cap. xxv. Secundùm hos igitur, si ex Aristotelis principiis judicandum, longè major fuerit intelligentiarum numerus, quàm Peripatetici tradiderunt.

* *Clavius in cap. 4 Ioannis à Sacrobosco.*

† *lib. de Homocentricis.*

* *sine stella ulla.*

Sed his refellendis ultrà insistere non est animus, quia nec concentricis, nec eccentricis cum orbibus, sed per se sidera moventur; ut vel ea evincunt, quæ concentrici eccentricis, eccentrici concentricis objectant.

Nam nervosè satis destruunt opinionem adversam; sed suam parum solidè adstruunt: quod utriusque partis sententiam jure reddit suspectam.

Mirum verò, Aristotelem, qui ex falso de motus æternitate principio colligit æternos esse motores, eosque esse substantias immateriales, nulli alii rei, quam contemplationi, & circumvolutioni cælorum intentas: hunc non agnovisse dæmones, vel angelos bonos malosve: quos argumentis magis veris & apertis cognoscere etiam gentiles potuere; uti ostensum nobis lib. I, cap. VI. Hoc cum junioribus displiceret, cælum dixere ab angelis moveri. Sed longè aliud esse Aristoteli intelligentias, quam Platoni sint dæmones, Christianis autem angeli boni malique: satis eluxit ex iis, quæ proximè quidem de intelligentiis, libro autem primo cap. VI de dæmonibus, atque angelis, dicebamus.

CAPVT XLII.

Divinitatem cæli malè colligi ex eo, quòd dicatur gubernare omnia Lunæ subdita; cùm impropriè hic gubernationis *vocabulum sumatur. Nec cælum propriè agere per motum, cùm is hoc solum præstet, quòd deferat variisq; terris applicet virtutem cæli operativam: puta lucem, tum autem qualitatem occultam: ad multorum interea generationem subterraneos ignes concurrere. Triplex cæli consideratio pro triplici modo, quo in terris res fiant; ratione, fortuna, & necessitate: proque istis tria numina introducta; Minervæ, Fortunæ, & Fati, sive Parcarum. Vnde sint* Ἀθηνᾶς, *& Minervæ, nomina. Eandem Ægyptiis dictam esse* Neith: *ac secundam esse ex Minervis quinque, quæ à Tullio, & aliis, memorantur. Cùm autem per* Minervam *dicitur intelligi cælum: imprimis signari æthera supremum, & cum ea mentem ætheris summi præsidem, & mentis hujus prudentiam: interim cum summo æthere etiam Solem, & Lunam, & aëra, in considerationem venire; quia ab his ingenium ac sagacitas hominum quodammodo dependeat: singulaque horum veteribus ac locupletibus testibus firmata: ex quibus etiam cognoscere sit, cur Minerva Iovis filia, non uxor, dicatur.*

HAbemus de forma cæli in se spectata. Quare videamus nunc de eâdē, prout agit in omnia Lunæ subdita. Nam hæc, ut philosophi consentiunt, à corporibus cælestibus reguntur. At nulli, præterquam Numini, convenit terrarum, maris, atque aeris imperium. Quare videri possint gentiles jure optimo tribuisse cælo divinitatem. Præsertim quando & B. Augustinus in tertio de Trinitate fateatur, *inferiora corpora à cælestibus gubernari.* Et similia etiam reperias quandoque apud alios è SSis Patribus. Sed enim, ut dici solet, figurativa non est argumentativa. Atqui Christiani *gubernationis* nomine in hoc negotio non utimur propriè pro actione volun-

voluntaria, ut illi qui cælum sideraque pro Diis habent : sed κ᾽ μεταφορὰν*, pro operatione rei inanimæ in elementa, & exinde composita, vim eam exerentis, quam cum essentia à Deo accepit. Non liberè igitur, sed necessitate naturæ, operatur : idque, ex Aristotelis opinione, per duo illa, lucem, & motum. Ac de luce quidem assentiendum; quia satis liquet, eam attenuare, & calefacere hæc inferiora. At motus, quatenus est motus, non agit. Aëra eo ajunt impelli : verùm impulsûs illius vix aliquid ad nos pertingit. Interea à motu est delatio operativæ virtutis, quam Deus indidit cælis. Vtcunque enim non agat siderum motus, sidera tamen agunt : quæ, ut cap. xxxv orsi eramus dicere, motu illo adducuntur, & reducuntur, ut vicissitudo sit caloris, & frigoris, & reliquarum qualitatum. Sic videmus Solem minus calefacere manè, quàm vesperi; minus vesperi, quàm meridie. Vbi quid apertius, quàm majorem minoremve calorem provenire à Sole; non à motu, præcisè loquendo : & tamen motum etiam in considerationem venire, quatenus ille Solis, & Cæli virtutem circumducit, variisque applicat terrarum locis? Proinde etiam cùm Sol staret tempore Iosuæ, lucebat ille : sed lux non progrediebatur. Siquidem à Sole erat illuminatio : sed, si Sol non stetisset, à motu fuisset lucis circumlatio. Vtcunque igitur semper staret, non eò minùs luceret; sed vehementiùs ageret in terras, aquasve subjectas. Nec mundus tantâ sui parte, uti nunc, foret habitabilis. Neque temporis hiberni, & æstivi, foret vicissitudo. Quocirca rectiùs alii, qui ubi sermo de illis, per quæ cælum operatur in hæc inferiora, cum luce non motum jungunt, sed qualitatem occultam. Nam potiùs videtur à virtute esse hominibus incognitâ, quòd in tellure intima, quò radii siderum penetrare non possunt, metalla & lapides generentur; eaque tam dispari naturâ : uti arguit, quòd magnes attrahit ferrum, sapphirus fuget anthracem. Imò nec opus in terræ viscera penetremus : cùm in aliis etiam, quæ cælo exponuntur, tam dispar, ac miranda sit natura, ut magis ab occultis quibusdam cælorum viribus proficisci videatur. Quale est, quòd succinum trahit festucam, remora sistit navem : item quòd agaricum pituitam, rhabarbarum bilem, epithymum atram expurget bilem : quod etiam leonem terreat conspectus galli gallinacei; torpedinis contactu obstupescat piscatoris manus. Efficientem quidem horum caussam proximam ignes putamus; tum subterraneos, tum cælestes. Multis enim experimentis compertum, plurimos & maximos esse sub terris ignes, eosq; ad generationem rerum non mediocriter conferre. Qua de re erudite Georgius Agricola in caussis subterraneorum, ac Thomas Lydiatus lib. de Origine fontium. Sed enim multa (quod ostensum doctissimo Fromondo in Meteorologicis †) clarè arguunt,

* per translationem.

† lib. 1, cap. 4, artcul. 2.

guunt, universalem magis causſam esſe cæleſtes ignes, quàm ſubterraneos. Porrò in cæleſtibus illis non omnia luci ſimpliciter, ſed multa occultæ virtuti tribui oportere; ſatis docent, quæ antea diximus. Neque hîc ſiſtendum cum illis, qui propter mirandos cæli effectus ei divinos tribuerunt honores. Adſcendendum altiùs ad cauſſam omnium remotam, ipſum cælorum opificẽ: qui & æthera, & ætheri ſubjecta, moderatur ſapientiſſime.

Cæcæ nationes, cùm iſta non ſatis penetrarent, hoc cæleſte regimen trifariam conſiderarunt. Primùm, quatenus ab ætherea natura, unde decerpta eſſe anima humana à multis credebatur, provenit tum Ratio, tum Voluntas; quâ liberè homo ſecundùm rectam rationem poſſit vivere. Hoc intuitu cælum ab acutioribus nominabatur *Minerva*. Deinde ſpectabatur cælum, quatenus eſt cauſſa per accidens rerum, ut aliarum, ita etiam humanarum, quæ cæco ferri caſu viderentur. Ac dicebatur tum *Fortuna*. Denique attenderunt Cæli influentiam in res omnes Cælo ſubditas, quatenus eas neceſſitate illà conſtringit, ut ſic, & non aliter fiant. Atque hinc Cælo dedere nomina *Fatorum, Parcarum*, & alia eandem vim habentia. De tribus hiſce nunc ordine dicere aggredior. Incipiam à vocibus.

Græcum Ἀθλωᾶς nomen eſt, (ut loquitur Phurnutus) δυσεξυμόλογον, hoc eſt, ejuſmodi, ut difficile ejus ſit cauſſam adferre. Atque hoc ſatis appâret ex frivolis illis rationibus, quas non Grammatici modò, ſed philoſophi quoque, & in his Plato in Cratylo, adducunt. Mihi dubium non eſt, quin ab Oriente, vel Ægyptiis, nomen hoc acceperint. Non abſurde deducas ab אִיתָן, quod eſt, *fortis, perennis*. Malim tamen à Chaldæo, ac Thalmudicis etiam frequentato, תַּנָּא, quod idem valet, ac שְׁנָה. Nempe ut Græcis, ita Orienti etiam mos, S, & T literas, commutare. Valet autem utrumque, *meditari, commentari, ſtudere, docere*. Itaque hinc doctores, qui excepere ſynagogam magnam, *Tanaim* dicti: de quibus alibi tractamus. Inde igitur Ἀθλωάα, ſeu Ἀθλωᾶ, ſtudiorum ac doctrinæ præſes. Articulus Hebræo *Tana* præmittitur, ſed ſpiritu mutato; quod in compluribus fieri, oſtendimus non uno loco.

Minervæ etymon, nec Tullius, nec Cornificius, viderunt. Meliùs ex Verrio Feſtus; qui *Minervam* ait vocatam à monendo: quomodo Telemacho ea monitrix apud Homerum. Græcis enim vis animi μένος, unde Latinum *mens*. Ab eadem origine *meneo*, quod valet, *in mentem revoco, animo alicujus conſilium ſuggero*. Sed pro *meneo* poſtea maluere *moneo*; ut *bonus* fecere ex *benus*. A *meneo* etiam vel *meno* ſunt *mentio, meminì, memor, reminiſcor*; atque alia. Ab hoc igitur *meneo*, vel *meno*, foret *Menera*; unde, digammâ inſerto, *Menerva*, ut ab *aro, arvum*, ab ὕλη, *ſylvâ*; à σκαιὸς, *ſcævus*. Sed ut pro *leber*, quod à λέπος, poſtea dixere *liber*; & ex *Eanus, Ianus*: ita pro *Menerva*, *Minerva*.

Minerva. Quod si à *meno*, est *memini*, & fortasse *memino*, quando *meminens* dixit Livius Andronicus *, hodieque est apud Ausonium † : non multum ab his abierit Arnobius in tertio, ubi sic scribit : *Minervam dixerunt memoriam nonnulli : unde ipsum nomen Minerva, quasi quædam Meminerva formatum est.*

* *in Erotopæguiis, teste Prisciano in undecimo.*

† *tumulo Minervii Rhetoris.*

Cultus Minervæ sine dubio ab Oriente est, vel Ægyptiis : quibus nominatur *Neith.* Testis Plato in Timæo ; ubi cùm dixisset, præfecturam Saiticam sic vocari à regionis urbe maxima, cui nomen Sais ; inde subjungit * : Τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αιγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, Ελληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Αθηνᾶ. *Vrbis præses Dea, Ægyptiacè quidem Neïth, Græcè autem, ut illorum* (Ægyptiorum) *fert opinio*, ATHENA, *id est Minerva.* Vnde omnino Hesychii locus hic corrigendus : Νηΐθη, Αθηνᾶ παρ' Αιγυπτίοις. Nempe Νηΐθ, ἡ Αθηνᾶ, rescribendum.

* *pag. 21, edit. H. Steph.*

Hæc Saitica Minerva est secunda ex quinque illis Tullio memoratis in tertio de Natura Deorum. Nam prima ei est *Apollinis mater* : Arnobio similiter in tertio adversus gentes, *ex Vulcano Apollinis procreatrix.* Imò, ut Tzetzes in Lycophronem scribit †, Αθηνᾷ τινὶ βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ δὲ Βροντέου ὑπαρχούσῃ, Ηφαιστος γάμῳ μιγεὶς, γεννᾷ Ερικθόνιον, ὃς ἐβασίλευσεν Αττικῆς. *Minervæ, reginæ cuidam, dictæ etiam Belonicæ, Brontei filiæ, Vulcanus, cum eam uxorem duxisset, permixtus, genuit Erichthonium, qui in Attica regnavit.*

† *pag. 25, edit. Oporini : sive pag. 24, edit. Paulli Stephani.*

Altera Tullio est ea, de qua diximus : nempe *Nilo orta, quam Ægyptii Saitæ colunt.* Similiter de ea Arnobius : *Nili altera proles, & quæ esse perhibetur Ægyptiis Sais.* Imò & Strabo in XVII : Καὶ ἡ Σεβεννιτικὴ δὲ πόλις, καὶ ἡ Σάϊς μητρόπολις τῆς κάτω χώρας, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Αθηνᾶν. *Atque Sebennitica urbs, & Sais, inferioris regionis metropolis, in qua Minervam colunt.*

Tertia est *Iove genita* : sed Arnobio, *Saturni filia, & quæ usum excogitavit armorum.* Quæ ei curæ esse, etiam Hesiodus in Theogonia tradit.

Quarta Ciceroni dicitur *Iove nata, & Coryphe, Oceani filiâ; quam Arcades* KOPAN *nominant, & quadrigarum inventricem ferunt.* De eâdem sic Arnobius : *Iovis quarta progenies, quam Messenii Coryfasiam nominant.* Vide, quæ ad superiorem Tullii locum Xystus Betulejus, vir eruditus, multæque lectionis, annotavit.

Quincta Ciceroni est *Minerva Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare conantem : cui pinnarum talaria affingunt.* Arnobio itidem vocatur *Minerva, quæ Pallantem patrem occidit, incestorum appetitorem.*

Ex his liquet, recte quidem Isac. Tzetzem in Lycophronem scripsisse : Πολλαὶ ἦσαν καὶ Αθηναὶ, καὶ Αφροδῖται, καὶ οὐ μία. *Multæ erant Minervæ, & Veneres ; non una modo.* Sed non æquè illud apertum, quæ ex his Deæ fuerint animales, quæ naturales. Animalis videri possit ea, quæ Pandoram docuit, ut

Hesiodus in Theogonia tradit, — πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν, — *valde dædalam, ac artificiosam telam texere.* Estque eadem, quæ Platoni in Symposio dicitur, ἱστουργίας θεὸς· *textorii operis Dea.* Nec tamen Ægyptus jure sibi hanc artem vindicat. Potiùs Minerva illa, telæ ac lanificii repertrix, fuerit Naama, Tubalcaini soror: de quo diximus libro 1, cap. XVII. Nobis hoc loco consideranda Minerva, quatenus est Dea naturalis: qualem censeo illam primo loco memoratam, Apollinis ex Vulcano procreatricem. Nam Minerva, æther; Vulcanus, ignis; Apollo, Sol; cujus itidem ignea est natura.

Sic verò Minerva est æther, ut potissimùm intelligi debeat summus æther: quia, ex gentium opinione, æther quidem est Deus, sed altissimus æther est supremus Deus: unde M. Cicero in Somnio Scipionis, ubi de orbibus agit cælestibus: *Quorum unus est cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens, & continens cæteros.*

Porrò cùm ætherem summum intelligerent, cum æthereo corpore complexi etiam fuere mentem ejus præsidem, quæ animaret æthera, ac præcipuè se exsereret in celsissimo æthere; uti mens humana maximè operatur in cerebro.

Cumque mente hac attenderunt virtutem ejusce mentis divinæ, mundo huic, ac præcipuè rebus humanis, providentem. Atque eò dixere Minervam esse sapientiam, vel providentiam divinam.

Quando autem Minerva iis erat complexus summi ætheris, & prudentiæ divinæ; comprehendêre etiam Solem, Lunamque, ut duo sidera præcipua: videlicet Solem ob magnitudinem, & quia ex supremi ac purissimi ætheris substantia sumtus putaretur; at Lunam, ob propinquitatem: utrumque verò ob temporum per ea distinctionem, & vim atque efficaciam in iis, quæ cælis subsunt.

Imò aër quoque Minervæ appellatione continetur, quoniam ætheris & aëris eadem putaretur natura; ac æther haut aliud, quàm purior aër, crederetur. Nec obscura est ratio, quando æther per Solem Lunamque in nostrum sive inferiorem aëra agit; proque aëre diverso humanum variet ingenium: unde Satyricus †; *Bœotum in crasso jurares aëre natum.*

† *Horat. lib. 2, sat. 2.*

Denique per Minervam concepere in homine vim ætheris, Deique; maximè autem memoriam, & ejus fœtum prudentiam: juxta illud Afranii in Togata *, quæ Sella dicebatur:

Vsus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

* *apud Agellium lib. 13, cap. 8.*

Atque hinc quoque liquet, cur Minervam *Mentis filiam* dixerint; ut est apud Arnobium in III.

Ac hu-

Ac hujuſmodi noſtra eſt opinio de Minerva. Quam teſtibus deinceps antiquis firmabimus : ac primùm Græcis.

Diodorus Siculus lib. 1, ubi de Ægyptiorum religione tractat, ſic ſcribit : Τὸν δ' ἀέρα προσαγορεῦσαι φασὶν Ἀθηνᾶν, μεθερμηνευομένης τ῀ λέξεως, καὶ Διὸς θυγατέρα νομίσαι ταύτην, καὶ παρθένον ὑπος῀ήσαι, διά τε τὸ ἄφθαρτον εἶναι φύσει τ῀ ἀέρα, καὶ τ῀ ἀκρότατον ἐπέχειν τόπον τ῀ σύμπαντος κόσμου. διόπερ ἐκ τῆς κορυφῆς τοῦ Διὸς μυθολογηθῆναι συμβῆναι ταύτην γεγενῆσθαι. ὠνομάσθαι δὲ αὐτὴν Τριτογένειαν ἀπὸ τ῀ τρὶς μεταβάλλειν αὐτῆς τὴν φύσιν κατ' ἐνιαυτὸν, ἔαρος, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος. λέγεσθαι δ' αὐτὴν καὶ Γλαυκῶπιν, ὡς', ὥσπερ ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων ὑπέλαβον, ἀπὸ τ῀ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχειν γλαυκοὺς (τοῦτο μὲν γὰρ ἔνυπθες ὑπάρχει) ἀλλ' ἀπὸ τ῀ τὸν ἀέρα τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἐγγλαυκον *. *Aëri porrò Minervæ nomen, quadam vocis interpretatione, attribuiſſe; Ioviſque filiam hanc, & virginem putari, eò quòd aër natura corruptioni non obnoxius ſit, & ſummum univerſi mundi locum obtineat. Vnde etiam fabula, è Iovis vertice illam enatam. Vocari autem Tritogeniam, quòd ter in anno naturam mutet ; vere, æſtate, hyeme. Et Glaucôpin dici, non quòd glaucos, id eſt, cæſios habeat oculos (inſulſum enim hoc eſſet) ſed quia aer glauco ſit adſpectu.* Similiter Phurnutus : Ἡ δ' Ἀθηνᾶ ἔστιν ἡ τ῀ Διὸς σώφεσις, ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ ἐν ἀπῷ προνοίᾳ· καθὸ καὶ προνοίας Ἀθηνᾶς ἱδρύονται ναοί. Γενέσθαι δ' αὐτὴν ἐκ τ῀ τοῦ Διὸς κεφαλῆς λέγεται, τάχα μὲν τῶν ἀρχαίων ὑπολαβόντων τὸ ἡγεμονικὸν τ῀ ψυχῆς ἐνταῦθεν, καθάπερ καὶ ἕτεροι τῶν μετ' ἐκεῖνα ταῦτα ἔγνωσαν. τάχα δ' ἐπεὶ τ῀ ἀνθρώπου τὸ μὲν ἀνώτερον μέρος τοῦ σώματός ἡ κεφαλή ἐστι, τ῀ δὲ κόσμου ὁ αἰθήρ. ὅπου τὸ ἡγεμονικὸν αὐτοῦ ἐστι, καὶ ἡ τ῀ φρονήσεως αἰτία. κορυφὴ δὲ θεῶν κατ' Εὐριπίδην, ὁ περὶ χθόνα ἔχων φαεινὸς αἰθήρ. *Minerva Iovis eſt intellectus; qui idem eſſe fertur, ac providentia, quæ in ipſo ſita eſt. Hinc in honorem Minervæ templa Providentiæ poſita eſſe conſtat. Eſſe dicitur è cerebro Iovis prognata; nimirum, quòd veteres in ea corporis parte totius animæ regimen eſſe voluerint. Hanc ſententiam tenent & juniores : fortaſſe quia ſuprema corporis humani pars, caput eſt ; ſicuti etiam mundi pars ſumma eſt æther, & in capite ſedem habet corporis regimen, & prudentia. Deorum autem vertex, ſive pars ſuprema eſt, juxta Euripidem, lucens circa terram æther.* Ac poſt aliqua : Τάχα δ' ἀπὸ τ῀ αἰθέρος, ὡς καὶ οἱ παλαιοὶ, ταύτην ἐλεγον Αἰθερόνειαν· *Fortaſſe & ab æthere veteres eam dixere Ætheroniam.*

* *malè in vulgatis* ἔγλαυκον: *cum contrarium ſententia requirat : uti & Rhodomanno obſervatum.*

Latinos quoque videamus. Arnobius lib. III : *Ariſtoteles, (ut Granius memorat) vir ingenio præpotens, atque in doctrina præcipuus, Minervam eſſe Lunam probabilibus argumentis explicat, & literatâ auctoritate demonſtrat. Eandem hanc alii ætherium verticem, & ſummitatis ipſius eſſe ſummam dixerunt : memoriam nonnulli ; unde ipſum nomen Minerva, quaſi quædam Meminerva formatum eſt.* Ac mox ſubdit, quibus ſignificet, ut ea, ſed falſò, habita ſit *Mentis filia,* vel *Victoriæ, Iovis elata de cerebro, inventrix oleæ, magiſteriis artium & diſciplinarum varietatibus erudita.* Macrobius lib. I Sat. cap. XVII : *Minerva Solis eſt virtus, ſicut & Porphyrius teſtatur, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtrat.*

miniſtrat. Nam ideo hæc Dea Iovis capite prognata memoratur: id eſt, de ſumma ætheris parte edita; unde origo Solis eſt. Idem lib. III Saturn. cap. IV: *Qui diligentius eruunt veritatem, dixerunt, eſſe medium æthera Iovem, Iunonem verò imum aëra cum terra, & Minervam ſummum ætheris cacumen.* B. Auguſtinus lib. IV de civit. Dei cap. X: *Ætheris partem ſuperiorem Minervam tenere dicunt, & hac occaſione fingere poetas, quòd de Iovis capite nata ſit.*

Atque his locis ſatis commodè, cur Minerva Iovis filia dicatur, ea affertur ratio, quòd Minerva ſit prudentia; hæc autem obtingat ab æthere, qui *Iupiter* vocatur. Quòd ſi ab æthere derivetur, ætherea ſit virtus, ac potiſſimùm ſupremi ætheris: unde itidem videre eſt, cur eam non attribuerint Iovi conjugem. Nam ſummus æther non eſt Iovi ſubjectus. Atqui eas naturæ partes alteri uxores dabant, quæ forent ei ſubjectæ. Ita Iuno uxor Iovis, quia aër eo intelligitur, qui inferior æthere. Ac ſimili de cauſſa Salacia data uxor Neptuno; Proſerpina, Plutoni. Nam φυσικῶς Salacia eſt inferius mare; Proſerpina, terra infima: ut eſt apud Auguſtinum lib. IV de Civit. Dei cap. X. Porrò de Minerva quæ dicebamus, etiam firmat Martianus Capella in Deæ illius deſcriptione lib. VI:

Virgo armata, decens, rerum ſapientia Pallas,
Ætherius fomes, mens & ſolertia fati,
Ingenium mundi, prudentia ſacra Tonantis,
Ardor doctificus, noſtræque induſtria ſortis,
Quæ facis arbitrium ſapientis prævia curæ,
Ac rationis apex, divumque hominumque ſacer νοῦς,
Vltra terga means rapidi ac ſplendentis Olympi,
Celſior una Iove flammantis circulus æthræ.

CAPVT XLIII.

Quomodo Fortuna à Chaldæis, ac philoſophis, referatur ad Cælum: & quo diſcrimine, tum ad Æthera, tum ad Solem, Lunamque, reducatur: utut longe aliter conciperetur vulgo. Vbi præcipuè ſit culta: cur finxerint cæcam: cur in Deos retulerint: cur diſſenſerit hac parte Ariſtoteles: & quid ille per Fortunam, & Caſum, intellexerit: quid Stoicis Fortuna fuerit: quid item Platonicis, quos ex parte ſecutus B. Auguſtinus. Ne in ludo aleæ quidem fieri aliquid planè fortuitò, vel caſu. A Peripateticis non agnoſci dæmonas. Nullam eſſe cauſſam per accidens, ubi cauſſa per ſe ſuppetat nulla. Quomodo de rerum generatione à Democrito abierit Epicurus: & ut ſtatuerit triplicem atomorum motum.

A Minerva tranſeo ad Fortunam. Inter quas duas major eſt convenientia, quàm primâ facie videatur. Nam uti Minervam vidimus eſſe ſupre-

ſupremum æthera, tum item Solem, Lunamque: ita Fortuna quoque creditur eſſe ſiderum diſpoſitio, tum præcipuè Lunaris poteſtas, ſive ejus influxus. Siquidem, ſecundùm Chaldæos ſive Genethliacos, pro Solis, Lunæ, & quinque erraticarum ſtellarum cœtu, ac motibus, omnia rerum humanarum, magna, minuta, ſideribus quaſi aurigantibus ac ducentibus, contingunt. Maximam verò in his vim eſſe Lunarem, à Phyſicis traditur; præſertim in rerum ortu, & interitu: ut abunde oſtenſum, cùm de Iunone, Lucina, Ilithya, ac ejuſdem poteſtatis numinibus, ageremus. Nec ſolùm Lunam putarunt cauſſam eſſe, cur res generentur, & corrumpantur: ſed etiam naſcentibus vim quandam imprimere, pro cujus diverſitate, variet hominum temperamentum: unde & eorum mores ſint diverſi; & pro moribus etiam varient fortunæ; ac pro hiſce omnibus, meliùs, aut pejùs, citiùs, aut tardiùs, vita hominis decurrat. Fortuna igitur eſt Æther, & particulatim Luna. Et tamen, ſecundùm eoſdem eſt ab Æthere, & Luna. Ac in Æthere, quidem, vel Luna, conſtituunt, ut ſatis apertis Scholaſticorum vocibus utar, virtualiter; quia nempe vis ſit cæleſtis, quæ cuncta determinet. Sed ab iis eſt formaliter, prout extra cauſſas res humanæ reapſe reducuntur ad eventum ſuum.

Sed cùm hoc pacto conſideramus Fortunam, Chaldæos, atque Aſtrologos ſequimur. Vulgò autem Fortuna non credebatur Luna, vel Æther, aut ſiderũ diſpoſitio, & adſpectus: ſed mens quædam è cælis ablegata in hunc inconſtantiæ orbem, ac cæco in terris impetu cuncta verſans. Quam Plinius * ait, *ſolam in tota ratione mortalium utramque paginam facere.* Quam etiam tantopere coluere Græci: inque Italia Antiates, ac Præneſtini, & cui etiam Romani ædem ſtatuerunt trans Tiberim. * lib. 2, cap. 7.

Cæcam hanc finxere, quia ſæpius faveret indignis. Addere poterant, quia plurimùm cæcos reddat, quos complectitur. In Deorum eam numerum retulerunt, quia non viderent, cui potiùs cauſſa eſſet adſcribenda multorum, quæ aliter, quàm putarant, evenirent: præſertim cum ſtultis multa feliciter, ſapientibus infeliciter contingerent. Quò pertinet illud Ariſtotelis in ſecundo Magnorum Moralium cap. VIII: Οὗ πλεῖστος νοῦς & λόγος, ἐνταῦθα ἐλαχίστη τύχη· καὶ ἐν πλείστῃ τύχῃ, ἐνταῦθα ἐλάχιστος νοῦς. *Vbi plurimum mentis ac rationis, ibi minimum fortunæ: ubi autem plurimum fortunæ, ibi minimum mentis.* Abſurdum autem Ariſtoteli videbatur, Fortunam eſſe Deam, moderantem actus humanos, ſæpeque probis inimicam, ac faventem improbis. Nam, inquiebat, cùm Deus ſit ſapientiſſimus, potiùs ſapientibus faveret, quàm ſtultis. Sic igitur colligebat, Fortunam hoc pacto fore Mentem amentem, Deam divinitatis expertem. Propterea dicere maluit, Fortunam nihil eſſe aliud, quàm voluntatem humanam, quatenus

tenus cauſſa eſt rei per accidens. Vti Caſum idem rebus in naturalibus cenſet eſſe Naturam, prout ea eſt cauſſa per accidens. Conveniunt igitur fortuna, & caſus, quòd locum ambo habeant in rarò (adde, vel æquè) contingentibus; quodque ſint cauſſæ per accidens; ſed illic in voluntariis, hic in naturalibus. Vtriuſque exempla adduximus lib. I, cap. I *.

* pag. 7.

Multum verò ab hac ſententia abiere Stoici: quibus, quæ fortuita vocantur, cauſſam habent per ſe, Mentem ſapientiſſimam, quam Deum dicimus: hanc enim quatenus æthera pervadit, Iovem nuncupari; quatenus maria, Neptunum; prout frumentum producit, Cererem eſſe; prout bona largitur, quæ exinde Fortunæ nominantur, Fortunæ nomen habere: ac ſimiliter eandem, ut Laertius in Zenone ait, πολλαῖς ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι· *multis aliis nomenclaturis ſolere appellari.* Vnde & Seneca in IV de Beneficiis cap. VII: *Quæcunque voles, nomina propria Deo aptabis, vim aliquam effectumque cæleſtium continentia: non errabis. tot appellationes ejus eſſe poſſunt, quot munera.*

Platonicis autem Fortuna non tam ſummus & unus erat Deus, quàm genius aliquis, per quem Deus efficeret ea, quæ temere & fortuitò fieri videntur. Hinc Plato in IV de Legg.* Ὡς θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ θεοῦ Τύχη, καὶ Καιρὸς, τὰν ἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα· *Deum quidem, & cum Deo Fortunam, Opportunitatemque, omnia gubernare.* Idem cùm in epiſtolis Fortunam nominat, δαίμονα ſubjungit. Proclus quoque in Timæum ſcribens, cauſſam fortuitorum refert in mentem corporeâ hac naturâ ſuperiorem: Fortunamque non temerariam, aut cæcam, ait; ſed divinam, vel dæmoniacam poteſtatem, cauſſas divulſas in unum congregantem. Vide ſis Ficinum in Plotini Ennead. III, lib. III, cap. II.

† pag. 709, edit. H. St.

Nec alienus ab hac opinione B. Auguſtinus fuit: uti oſtendunt illa in V de Civit. Dei cap. IX: *Sufficit omne, quod fit, non niſi cauſſâ præcedente fieri. Nos enim eas cauſſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam Fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes; eaſque tribuimus vel veri Dei, vel quorumlibet ſpiritum voluntati.* Poſteaque ſpiritus hoſce interpretatur angelos tum bonos, tum malos. Quare, ex Patris ejuſce ſententia, quòd nonnulli in ludo aleæ (ac par ſimiliũ ratio eſt) ſemper penè vincant, perdant alii: id vel occultis naturæ cauſſis tribuendum, vel genio adſiſtenti, qui jactum dirigat. Quod minimè difficile eſt geniis, cùm eventus pendeat, tum ab alearum poſitu, tum jactu earum vehementiore, vel remiſſiore, & ſimilibus; quæ nobis quidem jacientibus ſic variant, ut ludo exercitatus aliquid videat præ alio; nunquam tamen eò induſtriæ pertingat, ut omnia in artem redigi poſſint. Spiritus autem, quia intellectu, & experientiâ, plus valent; plus etiam cernunt: ac præterea levi motu inter jaciendum præſtare poſſunt, ut jactus ſit fe-

sit felix, vel adversus. Nec sanè possum in animum inducere, casum inesse in rebus: sed omnia censeo vel à naturæ necessitate, vel à nostro, aut alieno dependêre arbitrio. Nempe quod de morbis nonnullis Cous ille vates ait in primo Præsagiorum; id non minùs dixero de alea, ac cæteris: quæcunque, propter nostri ignorantiam, fortunæ, aut casui, tribuuntur, in iis θεῖόν τι †, & inesse, & cogitari oportere.

† divinum quid.

Quorundam ea est sententia, non pugnare hæc cum illis, quòd Fortuna, & Casus, dicuntur caussæ esse per accidens. Nam ratione caussæ proximæ, *Fortunam* vocari, vel *Casum*: at caussam per se habere, si spectemus caussas remotas. Estque hæc sententia non solùm Philoponi, ac Simplicii, in secundum φυσικῆς ἀκροάσ. sed etiam Boethii in 1 de Consol. Philos. Avicennæ in primo suæ Sufficientiæ cap. 111: ut Thomam Aquinatem, & Scholasticorum alios, præteream. Sed licet vera hæc sint; non tamen Peripatetica sunt; eoque Aristoteles sic neutiquam cum Platonicis, vel etiam Stoicis, conciliatur. Siquidem Aristoteles non agnovit dæmonas sive genios in iis, quæ sub cælis sunt, Dei administros: quin credidit, eum non curare singularia, sed illa nescire. Nihilo magis Aristotelem conciliare possis cùm Astrologis, statuentibus fortuitorum omnium caussam ab æthereo influxu peti oportere. Quippe Aristoteli, quod postea planius fiet, cælum tantùm caussa est universalis. Vt dubium non sit, quin eorum, quæ præter intentionem naturæ, aut voluntatis, fiunt, nullam per se caussam esse existimârit. Ea autem sententia consistere nequit, quia nihil non aliquam per se caussam habet, utcunque nesciatur. Si in templum iturus incidam insperatò in creditorem, caussa per se est concurrens & creditoris, & debitoris, voluntas, eo tempore exeundi, eâ viâ commeandi: quarum utrâque positâ, naturaliter fieri aliter non potuit. Sit ante seculum thesaurus in agro defossus, nec inde ablatus. Si locum hunc fodero, ubi abditus, utcunque defossum nesciam, non possum non in eum incidere. Par ratio eorum, ubi Casum statuunt. Nam tegulâ sic constitutâ, ut vento facilè decuteretur, & vento sic spirante, uti flabit, & eo intervallo à tecto usque ad viam, qua transitur: & parato Titio illâ viâ, illo tempore, illo gressu, progredi; nec quoquam volente moram injicere eunti, ac par circumstantiarum similium ratio esto; non nisi Deus impedire naturam volet, poterit aliter evenire, quàm ut tegula in caput Titii decidat.

Atque hoc argumento etiam Epicuri sententia diluitur; qui, rejecto omni fato, de quo postea dicam, non modò in actibus humanis, sed in rerum quoque generatione, fortuitò omnia fieri statuebat. In quo abiit à Democrito, atomorum auctore; si Tullium quidem audimus. Nam Laërtius id tribuit Leucippo. Democritus is putabat, atomos esse

omnium rerum primordia : ut quarum, dum moventur, contactu mutuo, atque implicatione & nexu, omnis fieret generatio. Porrò ne à corpusculis illis individuis motus auferret naturales, eò statuebat, omnia fieri necessariò. Hac parte eum, quem imitari alioqui solet, deseruit Epicurus, inducendo motum minimæ declinationis, cujus caussa foret nulla. Itaque, ut Plutarchus refert, triplex illi erat atomorum motus. Primus fuit ponderis sive lineæ, qui Græcis κατὰ στάθμην : quando, ut Ciceronis verbis dicam, *gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis.* Alter erat motus declinationis, Græcis κατὰ παρέγκλισιν, cùm, ut idem ait, *declinat atomus intervallo minimo :* quod ἐλάχιστον etiam Epicurus vocabat. Tertius est motus conflictûs sive plagæ, Græcis κατὰ πληγὴν : quando (verba item Tullii sunt) *atomus ab atomo pulsa declinat.* Quod Lucretius * sic expressit:

* lib. 2.

— Nam cita supernè
Obvia cum flixere, fit ut diversa repente
Dissiliant.

Ex tribus istis medius ille pusillæ declinationis motus Epicuro erat fortuitus, non naturalis. Neque enim ob pondus fit : alioqui rectâ in præceps lineâ deferretur. Neque item ob plagam : quandoquidem ea contingit, priusquam atomi conflixerint. Vnde consequitur, declinationem istam fieri sine caussa. Valde igitur à physicis derisus est Epicurus, quod doceret, aliquid esse ex nihilo, ac sine caussa : quod ex fortuita ista atomorum declinatione consequitur. Præterea in mundo omnia sunt compositissima : ut is etiam tacitus clamet, non se sic temere coaluisse.

CAPVT XLIV.

Parcas etiam ad Æthera reduci, ac particulatim ad Lunam. Eandem habitam esse Parcam, Mœram, sive Fatum, Necessitatem, Nemesin, & Adrastiam. De Μοίρᾳ, *sive Mœra, pluribus id veterum locis comprobatum. Ac quia* Μοῖρα pars, *eo* partilia Fata *dici Ammiano. Itidem variis scriptoribus ostensum,* Fata *pro* Parcis *dicere Latinos ; utcunque interdum distinguantur. Triplex ratio adfertur, cur qui Parcam eandem facerent ac Lunam, tres esse Parcas putarint. Vna petitur à triplici facie Lunæ. Altera ex eo, quia Luna præsit partui, ac triplex imprimis sit partûs mensis, octavus, nonus, decimus : unde & duarum Parcarum nomina,* Nona, & Decima. *Cæsellium, & Minucianum, perperam putâsse,* Mortam *esse unam Parcarum, ac à* morte *sic nuncupatam. Livii Andronici versus numeris suis redditus. Parcæ etymon, ex sententia Varronis.* Partula. *Tertia ratio, cur tres sint Parcæ, petita à triplici hominis consideratione, nascentis, viventis, morientis : & cur prima trium Venus habeatur. Cur Parcæ sint habitæ filiæ,*

aliis

aliis quidem Noctis, aliis verò Neceſſitatis. Variorum adductæ ſententiæ de tempore tripartito, quod Clotho, Lacheſis, & Atropos deſignant.

PORrò ab Aſtrologis, & aliis, ut Fortuna, ita etiam Parcæ, quarum illam ſpuriam vocant ſororem, ad æthera reducuntur, ac ſiderum poſituram. Nempe Parca iis vis eſt cæleſtis, vitæ productrix ac conſervatrix ad certum uſque ſpatium, quod excedi poſſit à nemine : ut cognoſcere eſt ex Homero Iliad. Z, Euripide in Ione, & Apollonio in primo Argonaut. Philoſophorum autem plerique, uti Fortunam, ſic & Parcas, ad Lunarem potiùs poteſtatem particulatim retulere. Sic enim exiſtimarunt, prout Luna blandè, aut torvè adſpexerit, ita homines celeriter aut tardè naſci, & denaſci, ingeniumque ſortiri, & mores, & pro iis fortunas.

Idem verò ſunt Parca, Fatum, Neceſſitas; imò & Nemeſis, ac Adraſtia : ut cenſet ſeu Ariſtoteles, ſeu alius potiùs ſcriptor antiquus, epiſtolâ ad Alexandrum : unde quædam adducit Stobæus in Eclogis Phyſicis. Habes ea hodieque libro de Mundo; qui vulgo Ariſtotelis nomine circumfertur : ut pareat, jam Stobæi ævo opuſculum hoc pro Ariſtotelico habitum eſſe. Verba eò lubentiùs adducam, quia & vocum origine ſententiam ſuam firmat : Οἶμαι δὲ ἓν τῷ Ανάγκῃ καὶ ἄλλό τι λέγεσθαι πλὴν τοῦτο, εἶον ἀκίνητον οὐσίαν οὖσαν. Εἱμαρμένην δὲ, διὰ τὸ εἱρεθαί τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως· Πεπρωμένην δὲ, διὰ τὸ πεπεραῶθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἄπειρον εἶναι· καὶ Μοῖραν μὲν ἀπὸ τῆ μεμεῖσθαι· Νέμεσιν δὲ ἀπὸ τῆ ἑκάστῳ διανεμήσεως· Ἀδράστειαν δὲ, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν καὶ φύσιν· Αἶσαν δὲ, ἀεὶ οὖσαν· *Exiſtimo autem, Neceſſitatem non aliud dici, quàm hoc ipſum : puta immobilem naturam : Fatum autem à connectendo, & procedendo ſine impedimento : Pepromenen, eo quòd omnia circumſcribat, ac terminet cuncta; nec aliquid in rerum natura termino careat : & Mœram ſive Parcam, quod partita ſit : & Nemeſin, à facta unicuique diſtributione : Adraſtiam, quia cauſſa ſit immutabilis, ſecundùm naturā : Aeſan denique, quia ſit ſemper.* Vbi quod primo loco dicitur, idem eſſe Neceſſitatem, ac Fatum; planè ex ſententia eſt Parmenidis, Heracliti, ac Democriti : ut eſt apud Plutarchum lib. I de Placitis philoſophorum cap. XVII. Quod poſtea ſubdit, etiam Fatum, quod Græcis εἱμαρμένη, ac πεπρωμένη, idem eſſe ac Parcam, ſive Μοῖραν: id quoque multis ſcriptoribus comprobatur. Homerus Iliad. E * : * verſ. 83.

Ελλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή.

Mors hunc purpurea apprendit, violentaque Parca.

Vel ſi malis, — *violentaque Mœra.* Cenſorinus de die Natali cap. VIII : *Sunt autem hæ particulæ in unoquoque ſigno tricenæ, totius verò Zodiaci numero* CCCLX. *Has Græci Mœras cognominarunt : eo videlicet, quod deas Fatales Mœras nuncupent : & eæ particulæ nobis quaſi fata ſint.* Similiter ſeculo prope toto

antiquior Agellius lib. III, cap. XVI. Sed quod viri eruditi * etiam apud Senecam extremâ epistolâ LVIII, *mortis mœras*, vel *mortes*, & *mœras*, legunt, id secus puto; rectumque censeo, *mortis meras*; nempe ut *mortis* sit incusandi casus pro *mortes*. Quod & probatum Lipsio, Mureto, Modio, Grutero. Sed usus est eo Sidonius ad Polemium epistolâ: ac similiter idem in Epithalamio:

* *Tean. à Wouveren ad Sidonium.*

— *Ter denas tropico prope currere mœras.*

In MSSis tamen utrobique est *mira*, non *Mœra*. Quomodo in iisdem ex σολοικισμὸς, *solicismus*; ex κοιμητήριον, *cimiterium*; ex μέτοικοι, *metici*; ex ποικίλη, *picile*; & alia sunt ex aliis: uti ostensum maximo Salmasio in Spartiani Hadrianum †. Quia verò Μοῖρα est à μείρω, *partior*; ideo Ammianus *partilia Fata* exponit in XIV, ubi de Adrastia: *Substantialis tutela generali potentiâ partilibus præsidens Fatis.* Alii contenti sunt ἁπλῶς *Fata* dicere. Vt Agellius ex Varrone libro III, cap. XVI: *Iccircoque eos nomina Fatis tribus fecisse à pariendo, & à nono, atque decimo mense.* Sic idem Salmasius testis, legi in optimo codice, qui est in Christianissimi regis bibliotheca. Vbi pro *Fatis* vulgo est *Parcis*; quod, credo, ex glossemate irrepsit. Similiter Ausonius in Ternario: *Tres Charites, tria Fata.* —

† *pag. 60.*

Mirum tamen, aliquanto antè apud eum legi:

— *Tres ordine Parcæ:*

Quasi aliud sint *Fata*, ac *Parcæ*. Vt liqueat, aliquos ea distinxisse. Credo & Maro, cujus est illud Ecl. IV:

Talia secla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili Fatorum numine Parcæ.

Nempe eos est secutus, quibus Fata sunt Iovis effata, sive divina voluntas: Parcæ autem hæc fata exsequuntur. At promiscuè alii utuntur. Vnde & Fulgentius Planciades Mytholog. lib. I: *Tria enim isti Plutoni destinant Fata: quarum prima Clotho, secunda Lachesis, tertia Atropos.* Et mox: *Quod prima sit nativitatis educatio: secunda, vitæ sors, quemadmodum quis vivere possit: tertia mortis conditio, quæ sine lege venit.* His etiam Procopius accessit: Ἔχει δὲ τὸ νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου, ὀλίγον ὑπερβάντι τὰ τρία Φάτα. οὕτω γὰρ Ῥωμαῖοι τὰς Μοίρας νενομίκασι καλεῖν· *Habet autem in foro templum prope curiam, paullum si supergressus sis illud Trium Fatorum. Sic Romani Parcas solent appellare.*

Cur tres statuantur Parcæ, parùm inter veteres convênit. Sunt, qui rationem arcessant à triplici facie Lunæ: uti Epigenes libro suo de poesi Orphei: ex quo sic Clemens Alex. in quinto Στρωματ. Μοίρας ἀλληγορεῖσθαι τὰ μέρη τῆς σελήνης, τριακάδα, καὶ πεντεκαιδεκάτην, καὶ νουμηνίαν· διὸ καὶ λευκοστόλους αὐτὰς καλεῖν τὸν Ορφέα, φωτὸς οὔσας μέρη· *Parcas allegoricè dici partes Lunæ; trige-*

trigesimam, quinctamdecimam, & novam Lunam. Ideo & candidatas dici ab Orpheo; ut quæ sint partes lucis.

Varro potiùs attendebat Lunarem potestatem in maturando partu: unde per Fatum sive Parcam pariendi tempus intelligebat, Agellio teste lib. III, cap. XVI. Ac eadem quoque sententia erat Cæsellii Vindicis; ut ibidem monitum Agellio. Erat tamen, in quo hi duo differrent. Nam Cæsellius statuebat Parcarum nomina, Mortam, Nonam, Decimam: Varro autem, Parcam, Nonam, Decimam. Conveniunt igitur in Nona, & Decima; quibus nomen à nono ac decimo tempestivi partus mense. Discrimen in una, quæ Varroni Parca, Cæsellio autem Morta: eumque secutus (ut apud Cælium Rhodiginum * est) Cæcilius Minucianus Appulejus: qui & ipse putavit, *quia partus octimestris fere vitalis non est, Parcis tribus facta nomina, Mortuam* (sic apud Cælium est) *Nonam, Decimam.* Sed de etymo multum metuo, ne & Cæsellius, & Minucianus, fallantur. Nam si rectum est *Morta:* id potiùs sit ab eadem origine, unde est μοῖρα: nempe à μείρω, *partior:* ut Μόρτα, vel Μορτὴ dicatur pro μάρτη, ab εἱμαρ. Μορτὴ igitur pars sive portio erit: & speciatim ita fructuum portio dicta; ut ex Hesychio constat, in Μορλὰν: ac Eustathio idem ex lexico Rhetorico monitum in Odyss. T †. *Morta* igitur hic idem sit ac portio fatalis, sive μοῖρα: quæ vox & ipsa ab eodem fonte derivatur. Ita *Mortæ* vocabulo usus est Livius in Odysseâ:

Quando dies adveniet, quem profata Morta est.

Vbi metri ergo vel hoc, vel simile isti, malim:

Quando dies ille adveniet, quem Morta profata est.

Fortè & pro *Morta* legendum *Mora*, vel *Mœra*; ex Græco Μοῖρα: quæ Turnebi sententia est Adversariorum lib. XVIII, cap. XXXIV, & Ioannis de Wouweren in Sidonii epistolam ad Polemium *.

Quod ad Parcæ ἔτυμον, si Varronem audimus, priùs fuit *Parta:* atque hoc ex eo, quòd Parca sit Luna; hæc verò partui præstituat tempus. Credamus sanè Varroni, priùs fuisse *Parta:* sed hoc si est, potiùs erit à *partiendo:* quando, uti dictum, Græcis similiter à μείρω, id est, μεριζω, Μοῖρα dicebatur: imò & hinc sit εἱμαρμένη. Nam verisimilius hoc, quàm ut sic vocetur (quod apud Appulejum de Mundo legas) *à tractu quodam invicem caussarum se continentium.* Nempe quasi εἱρμὸς, hoc est, *connexio*, sive *cohærentia.*

Sed neq; adsentiendum Nicolao Loënsi †, quando apud Agellium, pro *Parta* legere jubet *Partua.* Quippe adversatur ei, quòd Agellius dicat, ex *Parta* fieri *Parca, unius literæ immutatione.* Si enim *Partua* scripsisset, præter literæ mutationem, tolli quoq; unam sit opus. Sed de vocabuli hujus etymo, plura dicimus in Originum libris. Nunc addã, pro *Parta* etiam formâ dimi-

* *Var. Lect. lib. 22, cap. 13.*

† *pag. 1854, edit. Rom.*

* *in Carminum libro, præmissam Carmini 14.*

† *Epiphyllidium lib. 3, cap. 11.*

diminutivâ *Partula* dixisse. Tertullianus lib. de Anima cap. XXXVII : *Omnem autem hominis in utero serendi, struendi, fingendi paraturam aliqua utique potestas divinæ voluntatis ministra modulatur, quamcunque illam rationem agitare sortita. Hæc æstimando etiam superstitio Romana Deam finxit Alemonam, alendi in utero fœtus. Et Nonam, & Decimam, à sollicitioribus mensibus, & Partulam, quæ partum gubernet, & Lucinam, quæ producat in lucem : nos officia divina angelos credimus.* Vbi per *officia*, more jurisconsultorum, intelligendi sunt officiales, sive qui officia administrant.

Etiam tertia est ratio, qua tres Parcæ ad Lunam referantur : nempe ut attendatur triplex vis Lunaris, pro triplici hominis consideratione ; quia vel vitæ origo spectatur, vel cursus, vel exitus. Origo debetur Veneri; quæ proinde prima est Parca. Cursus pendêre creditur à Fortuna ; quæ propterea erit altera. Exitus est à Morte ; quæ iccirco Parcarum erit tertia. De prima sic Pausanias in Atticis : Τὸ δὲ ἐπίγραμμα σημαίνει, τὴν Οὐρανίαν Αφροδίτην τῶν καλουμένων Μοιρῶν εἶναι πρεσβυτάτην · *Epigramma verò indicat, esse Venerem cælestem, earum, quæ Parcæ vocantur, natu maximam.* De altera idem in Achaicis : Εγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τάτε ἄλλα πείθομαι τῇ ὠδῇ, καὶ μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην, καὶ ὑπὲρ ἀδελφάς τι ἰσχύειν · *Equidem carminibus Pindari cùm alia credo, tum verò Fortunam esse unam Parcarum, & eam sororibus ex parte antecellere.* De tertia sic idem in Eliacorum priori : Τοῦ Πολυνείκους δὲ ὄπισθεν ἕστηκεν ὀδόντας τὲ ἔχουσα οὐδὲν ἡμερωτέρους θηρίου, καὶ οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσιν ἐπικαμπεῖς οἱ ὄνυχες. ἐπίγραμμα δὲ ἐπ' αὐτῇ εἶναι φασὶ Κῆρα · *A tergo autem Polynicis adsistit quædam dentes habens haut minus belluâ immanes, manuumque ei ungues aduncæ. Inscriptio verò indicat esse Parcam.* Sed apud eundem Pausaniam etiam legas in Arcadicis : Λύκιος δὲ, ὃς ἦν ἀρχαιότερος τὴν ἡλικίαν, Δήλιος, ὕμνους καὶ ἄλλοις ποιήσας, καὶ ἐς Εἰλείθυιάν τε, Εὔλινον τε αὐτὴν ἀνακαλεῖ, δῆλον ὡς τῇ πεπρωμένῃ τὴν αὐτὴν, καὶ Κρόνου πρεσβυτέραν φησὶν εἶναι · *Lycius verò, ætate superior, patriâ Delius, hymnis & in alios conscriptis, & in Ilithyam, Eulinon eam* sive Lanificam *appellat, eandem innuens esse, ac Pepromenen, sive Fatum, & Saturno antiquiorem.* Vbi perperam Abraham Loescherus vertit, *Ipsoque fato ac Saturno antiquiorem esse perhibet :* cùm Pausanias dicat, eandem ac Fatum, sed Saturno vetustiorem. Quare meliùs Romulus Amasæus; nisi quòd parum Latinè dicat, *eandem cum ea, quæ Pepromene dicitur :* pro, *eandem ac eam, quæ Pepromenene dicitur.* Sed in isto peccari solet prope à doctissimo quoque : ut ostendi in opere de arte Grammatica libro VII, qui est de Constructione cap. LVIII. Illud ponderis est majoris, in proximè adlatis Pausaniæ verbis, vel Fati nomen generatim sumi pro Parcis omnibus : vel si una intelligatur è tribus, eam fore primam, hoc est, Venerem : quippe quæ rerum præsit generationi. Movet etiam, quòd ea Parcarum à Pausania dicatur antiquissima,

quissima. At hanc, de qua proximè sermo, idem ait grandiorem natu Saturno. Quam verò potiùs è Parcis putemus ante Saturnum fuisse, quàm earum natu maximam? Accedit, quòd Pausanias referat, à Lycio Delio, hymno in Ilithyam, hanc, ut Saturno priorem, celebrari: ut eadem videatur ac Ilithya, sive conceptus ac partus præses, quæ est Venus. At dixeris, Venerem, juxta poetas, esse filiam Iovis; eóque non posse dici antiquiorem Saturno. Sed nulla hic est ἀντιλογία *, quia cum Venus statuitur filia Iovis, per hunc signatur Æther; per illam, appetitus generandi, quem cælitus habent res sublunares. Cùm autem ea dicitur non Iove solum, sed Saturno ipso vetustior: Saturnus non φυσικῶς accipitur, sed ἱστορικῶς, pro homine primo; seu illum Adamum, seu Saturnum, seu Mannum, seu aliter, libeat vocare. Ante hunc hominem Luna fuit: ut, si ea est Venus, Venerem esse majorem natu Saturno necesse sit. Longeque res apertior, si Fatum consideres, non ut est à Luna, vel à positura ac motibus siderum: sed à mente divina; quæ, ex Stoicorum etiam mente, singula certo fine fecit, ac vitæ quoq; humanæ & mensuram, & ordinem præscripsit. De hoc Fato veterum erat opinio, fuisse illud non modò antè Saturnum ἱστορικῶς sumtum, hoc est, hominem primum; sed etiam φυσικῶς acceptum: id est, priusquam Deus chaos digereret, & rerum conderet naturam; quæ itidem per Saturnum intelligitur.

* contradictio.

Nec ratione caruerunt, qui Parcas, quemadmodum & Mortem, Noctis dicerent filias. Vt Hesiodus in Θεογονίᾳ:

Νὺξ τ' ἔτεκε σύγερόν τε Μόρον, καὶ Κῆρα μέλαιναν,
Καὶ Θάνατον·
Nox atram peperit Parcam, Fatumque odiosum,
Et Mortem.

Ratio est, quòd fatalia sint obscura. Nam, ut Pindarus ait Olymp. od. XII: Τῶν μελλόντων τυφλωθῇ φράδαι· *Futurorum excæcatæ sunt cogitationes.* Atque, ut Horatius ait lib. III, od. XXIX:

Prudens, futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus.

Nec incommodè Plato, & Plotinus; quibus Parcæ sunt Necessitatis filiæ. Nam eò id pertinet, quod, ut Orpheus, sive Onomacritus appellat, sint ἀμεταπτοποι †. Vnde & tertia earum nuncupatur Ἄτροπος, hoc est, *immutabilis.* Quemadmodum media, quia fatum sortitò cuique obtingit, Λάχεσις vocatur ἀπὸ τοῦ λαχεῖν, hoc est, *sortiri.* Ac quoniam suum cuique pensum netur; prima, quæ est Κλωθὼ, sic ἀπὸ τοῦ κλώθειν, quod est *nere*, nomen adepta est. Atque ita quoque de iis vetus Hesiodi scholiastes ‡. Apud B. Augustinum, lib. XX contra Faustinum cap. IX, videas tres statui Parcas

† verti, mutari, aut aliquo modo nosci.

‡ pag. 249, edit. Rapholeng.

pro triplici vitæ humanæ tempore ; anteactæ, præsentis, ac residuæ : præteritam notari per Απεστον, præsentem per Κλωθω, futuram per Λάχεσιν : quæ & Aristotelis, sive alterius potiùs de Mundo scriptoris, ac interpretis ejus Appuleji, opinio est. Sed Platoni magis placet, Κλωθω præesse vitæ, dum fluit : per Λάχεσιν intelligi jam exactam : Απεστον ad id vitæ, quod supereſt, pertinere. Verùm ea ut non incommodè dicantur de homine in curriculo vitæ constituto : aptari tamen nequeunt nascituris ; ubi nihil nisi futurum : neque denatis, ubi nihil nisi præteritum : neque nascentibus, ubi nihil præteritum. Tantò impensiùs placent, qui, præterito hoc tempore tripartito, etiam hominem trifariam considerant ; quatenus gignitur, vivit, moritur ; ac Parcarum stamina ad hæc tria extendunt ; ut antè dicebamus, ac Isidorus etiam facit lib. VIII Orig. cap. ult.

CAPVT XLV.

Vt variantes de Fato sententiæ antiquitatis facilius, ac certius, intelligantur, distinctè de singulis earum agere aggredimur. Ac primum de iis, qui eo, quòd Deum tollerent, vel in dubium vocarent, propterea nec Fatum, vel Providentiam Dei, agnoscerent. Deinde de illis, qui sic faterentur Deum, ut negarent curare humana : sicuti Epicurus ; qui nec ipse iccirco Fatum esse ullum putaret. Postea de iis, qui Fatum ponerent in rebus naturalibus ; sive universis, ut videtur de Pythagora, Leucippo, Heraclito ; sive æthereis solùm, quam Aristoteli mentem tribuit Chalcidius, scriptor perperam à Vannino traductus. Nec tamen Aristotelem Fatum, aut Providentiam Dei, simpliciter removisse à sublunaribus : sed solùm à singularibus, quatenus sunt ejusmodi. Quæ eum adduxerint in hanc opinionem. Interim agnovisse providentiam circa specierum conservationem. Quod ex Aristotele ipso contra Chalcidium ostenditur. Etiam Alexandro Aphrodiseo Fatum idem esse, ac Naturam ; item Themistio, & Aven-roi. Hos, cum magistro Aristotele, consensisse in eo, Deum nec curare, nec scire, quæ singulatim in terris fiant : & quid eos in impiam adeò impulerit sententiam. In illo item lapsos esse Peripateticos, quòd putarent, nihil posse à Deo fieri contra Naturalem, sive, ut illi loquebantur, Fatalem ordinem.

QVantum verò sit Parcarum numẽ, & quæ vis eorum fuerit tabulis tributa : abunde illud arguit, quòd Iovem ipsum Fatis subjecerint, non poetæ solùm, sed etiam philosophi, Stoici præcipuè. Quare valde fallatur, siquis ex iis, quæ aridè jejunéque adeò de Fatis, sive Parcis, adduximus, quicquid de iis ab antiquis dictum fuit, cognosci posse arbitretur. Proinde, si cum cura de ullo numine, post Iovem saltem, dicendum fuit, de hoc operæ id fuerit pretium. Variantes igitur opiniones veterum de Fato expo-

exponam : atque hoc eò faciam lubentiùs , quia ne quidem antiqui eas ſemper candidè ſatis referant : nedum candorem hunc exſpectemus à junioribus ; qui veteribus ſubinde meliores tribuunt opiniones , quàm habuerunt ; ut à Scholaſticis factum in Ariſtotele : ſubinde item deteriores; dum in ſectis non diſtinguunt, qui audiendi ſint ut judices, quique ut partes.

Initium ab illis ducam,qui eo,quòd Dei tollerent naturam;nec Fatum, nec ullam Dei providentiam agnoſcere potuerunt. Tales habiti olim Diagoras Melius,& Theodorus Cyrenaicus. De quorum priori,ſi minùs ſuffecerint, quos adduxi ſcriptores lib.1, cap.1; vide ſis Diodorum Siculum lib. XIII, Valerium Max. lib. 1, cap. 1, Ælianum lib. II Var. Hiſt. cap. XXXI, & lib.II, cap.XXIII, Epiphanium in Ancorato ſect.CV. Vt de Theodoro , Plutarchum in Plac. philoſ. Galenum in Hiſt. Philoſ. Ælianum loco priùs memorato. Atque his Plutarchus , & Ælianus , addunt Euemerum Meſſenium ; de quo item antea dictum. Proximè autem ad hos acceſſit Protagoras; cui,an Dii eſſent,non liquebat. Vide de ſophiſte hoc,ſi voles,Agellium lib.V, cap.III : item Laertium, Philoſtratum, Suidam. Horum omnium opinio excuſſa explosaque nobis eſt initio libri præcedentis.

Altera eorum eſt opinio, qui ſive ex animo , ſive verbis ſaltem , Deum eſſe faterentur : at apertè interim divinam rejicerent providentiam. Quales fuere omnes ex Epicuri ſchola. Horum opinio ex eo profluxit , quòd beatitudinem conſtituerent in vacuitate à curis , & negotiis. At in eo vehementer ſunt decepti , quia potiùs ſita eſt in εὐπραξίᾳ * . Etiam eo Epicurus propugnatur apud Tullium, quòd ſi liberum ſit arbitrium,fatum eſſe non poſſit : uti contrà Stoici plerique colligebant , quia fatum ſit , non eſſe arbitrii libertatem. Sed duo hæc, dum Fatum commodè intelligatur, non pugnare, inferiùs monſtrabitur.

* bona operatione.

Porrò Epicurus non modò Fatum ſuſtulit in iis , quæ ab libertate hominis pendeant : ſed etiam in rebus naturalibus , ſeu neceſſariis ; quemadmodum oſtenſum , cùm de Fortuna ageremus. Etiam illis , qui omne negarent Fatum,aggregavit ſe Anaxagoras Clazomenius. Neque obſtat, quòd Græcorum docuerit primus,mundum hunc eſſe compoſitum à Mente divina : unde idem Νοῦς, ſive *Mens*, Laërtio teſte, dicebatur. Nec enim hoc impedit , quò minùs excluderet Fatum ; imò inane ejus eſſe nomen diceret ; quemadmodũ Alexander Aphrodiſienſis auctor eſt lib. de Fato.

Nunc venio ad illos , qui aliquod agnoſcerent Fatum. Hi quoque in varias abeunt ſectas. Primùm de illis videamus,qui illud poſuere in ſolis naturalibus , ac neceſſariis : idque univerſis , ſic ut eorum nihil non fatali

fieret neceſſitate. Hæc Pythagoræ opinio fuit. Nam, ut eſt apud Stobæum in eclogis Phyſicis cap. VIII, Πυθαγόρας ἀνάγκλω ἔφη τὸν κόσμον· *Pythagoras Neceſſitatem dixit eſſe mundo circumdatam.* Etiam addit, opinionem eſſe Leucippi: Πάντα κατ' ἀνάγκλω· τὸ δ' αὐτῷ ὑπάρχειν εἱμαρμένλω. Λέγει γὰρ ἐν τῷ περὶ νοῦ· Οὐδὲν χρῆμα μάτλω γίνεται· ἀλλὰ πάντα ἐκ λόγου τε, καὶ ὑπ' ἀνάγκης· *Omnia fieri Neceſſitate; atque eandem eſſe Fatum. Ait enim libro de Mente: Nulla res fruſtra fit: ſed omnia fiunt ratione, atque ex neceſſitate.* Heraclitus quoque Fatum ſtatuebat, nihil aliud eſſe, quàm λόγον τὸν διὰ οὐσίας τῶν παντὸς διήκοντα, *rationem permeantem per omnem naturam:* ut eſt apud Plutarchum lib. I de Plac. philoſ. cap. XXVIII: & Stobæum in Eclog. Phyſ. cap. IX. Ac ſubjicit uterque: Αὕτη δ' ἔστι τὸ ἀιθέριον σῶμα, σπέρμα δὲ τῆς παντὸς γενέσεως, καὶ περιόδου μέτρον τεταγμένης· *Hæc autem æthereum eſt corpus, ſemen procreationis Vniverſi, certæque periodi menſura.* Vbi videmus, ut Æthera dicat Fatum, & ab eo eſſe fatalem naturalium omnium neceſſitatem.

Ariſtoteles quoque in naturalibus Fatum poſuit, ac ratione eorum divinam agnovit Providentiam: ſic tamen, ut hæc non extenderet ſe ultra Lunam. Sed quod dicitur, eam non pertingere ad ſublunaria, id bifariam intelligi poteſt; vel ſimpliciter, vel ratione individuorum, non ſpecierum. Priorem ſententiam Ariſtoteli tribuit Chalcidius, in Timæum Platonis, his verbis *: *Ariſtoteles Dei providentiam uſque ad Lunæ regionem progredi cenſet: infra verò neque providentiæ ſcitis regi, nec angelorum ope, conſultiſque, ſuſtentari: nec verò dæmonum proſpicientiam putat intervenire; proptereaque tollit omnem divinationem, negatque prænoſci futura.* Hæc Chalcidius; quem Cæſar Vaninus, in ſuo æternæ Providentiæ Amphitheatro Exercitat. XXX, non aliter unquam, quàm *Chalcidicum* nuncupat: perperam ſanè; ſed gravior culpa, quòd appellet *circumforaneum blateronem:* qui inſignis non Platonicus modò, ſed Chriſtianus quoque ſcriptor fuit, & bene antiquus: quippe qui, ſi non temporibus vixerit Conſtantini Magni, opuſque ſuum Oſio illi ſive Hoſio dicârit, qui Synodo præfuit Nicenæ: ſaltem junior haut fuerit temporibus Theodoſianis. Interim agnoſcimus, non examuſſim eſſe aſſecutum mentem Ariſtotelis, & ſectatorum: quippe qui non removerint prorſus Fatum, aut providentiam Dei, à ſublunaribus; ſed ſolùm à cura individuorum, quatenus ſunt talia. Nam de ſpeciebus fatebantur, omnia fieri fato: Cælum quippe à primo motore ſive Deo verſari: atque ab eo pendere in ſublunaribus conſervationem ſpecierum. Vt verò negarent ad individua etiam, quatenus iſtiuſmodi eſſent, Fatum, vel Providentiam Dei, pertinere, duobus adducti ſunt argumentis. Prius ad eorum contingentiam attinet. Nec enim videre poterant, quomodo, ſi Deus curaret contingentia, non ſæpius fine ſuo fruſtraretur; quod ejus argueret impoten-

* pag. 345, edit. Leid.

potentiam. Quare legem velle imponere contingentibus, hoc, ut ex eorum mente loquitur Pomponatius †, *perinde est, ac si quis vellet asinum docere philosophiam.* Præterea ajebant, ita sublatum iri liberum arbitrium. Nam si Deus sic ad clavum sedeat Vniversi, ut velit gubernare singula: quicquid boni egerit homo, divinæ fore voluntatis: quicquid fecerint mali, attribuendum esse casui; quia factum sit præter voluntatem gubernantis: haut aliter ac cum Grammaticus optimus malè loquitur, vel Musicus eximius in cantu paullum aberrat, non arti hoc, sed casui adsignamus. Quamquam verò ob ea, quæ diximus, negarent Deum curam habere singulorum: non tamen excludebant speciei cujusque providentiam. Quippe, inquiebant, mens divina gubernat cælum: ab hoc autem dependent omnia sub Luna: ut cujus virtute mutentur elementa, mixtorumque fiat generatio: plantæ quoque, & mutæ animantes, pro cæli varient plagis: homines etiam, pro cælo, ingenio, ac moribus distent. Atque hinc colligebant, non posse Fatum penitus excludi à sublunaribus, si species, non individua, cogitemus. Ac diluto hoc sermone arbitrati sunt, bellè satis se conciliâsse eorum sententias, qui Fatum, quique rerum assererent contingentiam. Hæc potiùs, quàm illa à Chalcidio adlata, Aristotelis mens fuit: quemadmodum non uno philosophi loco evincitur. Nam & sublunaria fato generari, ac interire, disertim ait: ut in quincto φυσικ. ἀκρ. context. LVII; ubi dividit φθορὰν, sive *corruptionem*, in illam, quæ est παρὰ φύσιν, *præter naturam*, & illam κατὰ φύσιν, *secundum naturam.* Prioris generis ait esse τὴν βίαιον, *violentam.* Ac pariter inquit, γένεσίς εἰσιν ἔνιοι βίαιοι, καὶ οὐκ εἱμαρμέναι, ἃς ἐναντίαι αἱ κατὰ φύσιν· *sunt & ortus quidam violenti, non fatales, quibus contrarii sunt ortus naturales.* Vbi clarè, & ortus, & interitus eos, vocat fatales, qui contingunt secundùm legem ac cursum naturæ universalis; sive etiam particularis, sed quatenus ea legi subdita est universali. Itaque, si accendatur silva, vel bello homines occidantur, aut naufragio pereant; non fuerit is vel arborum, vel hominum interitus, fatalis; quippe violentus, & adversus legi naturæ universalis: quæ est, ut mista pereant per putrefactionē, nec animatum moriatur, nisi resoluto jam humore ultimo à proprio calore, qui, consumto à se humore, exstinguitur. Idem fusè cognoscere est ex eo libro, quem ad Severum, & Antoninum Cæsares, perscripsit Alexander Aphrodisiensis. Vbi Anaxagoræ quidem Clazomenii opinionem rejicit; qui, ut dixi, inane esse contendit Fati nomen: interim ipse non aliud agnoscit Fatum, quàm consuetum naturæ cursum. Quippe ait, Fati nomine à se intelligi, οἰκείαν φύσιν· *naturam propriam:* ut quæ sit ἀρχὴ ἑκάστου καὶ αἰτία τοῦ τοῖς γινομένοις ἐν αὐτῷ κατὰ φύσιν τάξεως· *principium cujusque & causa ordinis eorum, quæ in eo fiunt secundùm naturam.* Quo significat, fato fieri, quæ

† lib. 2 de Fato cap. 1.

eveniunt ſecundùm ſeriem,& conſequentiam,quam res habent in ſe ipſis. Itaque cùm alia fiant alicujus gratiâ,alia nullius; ac priora vel naturâ ſint, vel ratione ſive præelectione : fatum eſſe in iſtis, quæ alicujus gratiâ fiunt à natura; neutiquam verò lòcum habere in illis,quæ ab humano pendeant arbitrio. Quamobrem ſtatuere non dubitat, idem eſſe fatum, ac naturam : fato Solem lucere,ignem urere; ex equo generari equum;hominem quoque fato mori,qui diſſoluto diem obeat temperamento : at præter fatum eos decedere,qui de equo decidant, vel gladio pereant : ad cujuſmodi mortes,ſi Alexandrum audimus,non extendit ſe Fatum, quia non fiunt neceſſitate naturali, ſed contingentia ſint : qualia excludi à cura divina, apud eundem Aphrodiſienſem etiam legas in Problematis Naturalibus. Atque hunc ſecutus in eo Themiſtius : Themiſtium Aven-roes in lib. XII Metaphyſ. context. 11,item in lib. de Somno & Vigilia. In eo igitur convenit hiſce omnibus,individua caduca primò directéq; non cadere ſub divinam providentiam ; ſed ſolùm ſecundariò, indirectè,& quatenus includuntur in univerſali. Imò ne quidem arbitrantur, ſcire Deum particulatim, quæ ſub Luna fiant : tum quia individua ſint infinita, infiniti autem non ſit ſcientia : tum quoniã individua hodie ſint,cras eſſe deſierint,quaſi rerum mutatione mutabilis etiam fieret ſcientia Dei : tum quòd ſint materialia ; quorum notitia eò menti adverſetur divinæ, quia hæc ſit omnis materiæ expers ; quippe actus puriſſimus : ac denique quòd in ſublunaribus hiſce ſint inſecta,cloacæ,& vilia id genus ; quibus,ut ajunt, vileſceret mens divina : ut ſaltem particulatim ea noſſe illam dedeceat. Ac favet his locus ille Ariſtotelis Metaphyſicorum lib. XII, cap. IX: ubi conſiderat θειότατον, & τιμιώτατον · *diviniſſimum, maximeque honorabile :* &, quaſi dubius quidem, ſed non obſcurè tamen ſignificans, quò inclinet, mox ſubjungit, ἄτοπον τὸ διανοεῖσθαι περὶ ἐνίων · h.e. diviniſſimum illud etiam *cogitare de quibuſdam eſt abſurdũ.* Hæc philoſophis tantis adeò gravis momenti viſa ſunt,ut, non ſine grandi ſacrilegio, ſtatuerent, Deum quæ ſingulatim in terris fierent, nec curare, nec ſcire : eoque nec Fatum, ſive divinam potiùs Providentiam, ad ſublunaria hæc,particulatim conſiderata, pertinere. Præterea hoc quoque iis vitio vertendum,quòd ne in cæleſtibus quidem,vel ſpeciebus ſublunaribus, quale Fatum ſuum foret, ſatis cognoſcerent. Licet enim numen divinum ſuum præſcripſerit ordinem cælis : non propterea tamen immutandi ejus jus ſibi præripuit ; quandoquidem & Solem ſtare juſſit. Et ſi in illis, quæ cælis ſubdita ſunt, malimus exempla : præter naturæ ordinem,quem fatalem vocant,mandato ejus peperit Virgo;cæci recuperarunt viſum;ac mortui ſæpius ſunt ad vitam revocati. Neque me fugit, cujuſcemodi ſint, quæ obduci illis ſolent. Sed à compluribus philoſophis

sophis Christianis obviam illis itum ; atque id non solidè minùs , quàm perspicuè. Actum verò agere non est animus.

CAPVT XLVI.

Platonem sic statuere Fatum, ut apertum sit , non tolli ab eo arbitrii libertatem. Atque hoc ut liqueat , quid ei Fatum sit, exponitur ; & lex animis sancita humanis , quâ , si ex Dei præscripto vixerint , postmodo felicitèr agant ad longissimum temporis spatium : sin Deo non obtemperarint, necesse habeant crimina sua expiare : & quis ille annorum circuitus sit felicitati , vel infelicitati animarum , præfinitus. Legem hanc vocari Adrasteæ legem , & orationem Lachesis : qua voluntati sic præscribatur parendi necessitas , ut relinquatur non obtemperandi libertas. Ac propterea à Platone, & sectatoribus ejus, distingui inter fatum, & fatale ; sive inter præcessionem , & consecutionem ; sive inter promerendi libertatem , & præmii pœnæve consequendæ necessitatem. Item distingui ab iis inter hæc tria ; Deum , Providentiam , & Fatum : Fatumque tum præscribere animæ mundanæ , quæ à Deo est diversa : tum animis mundanæ animæ subjectis ; ut sunt Natura , Casus, Fortuna, & Dæmones.

VEnio nunc ad eos , qui Fatum etiam agnoscunt in rebus contingentibus, & actibus humanis. Cujus sententiæ patroni in tres scinduntur partes. Quippe aliqui sic se explicant, ut omnes videant, relinqui ab iis arbitrii libertatem : alii , ut omnium judicio eam tollant : alii autem , ut disputent hodiéque eruditi , utrùm eo pacto salva sit voluntas , an minus.

De Platone nemo dubitat, quin sic Fatum agnoscat, ut non eripiat homini libertatem. Nam statuit, ut Alcinous ait cap. XXVI , πάντα μὲν εἱμαρμένη εἶναι, οὐ μὴν πάντα καθειμάρθαι· *Omnia quidem esse in Fato; non omnia tamen esse in Fato decreta.* Ac Plutarchus ita enarrat Platonis mentem lib. I de Plac. Philos. cap. XXVII : Τὸν εἱμαρμένον συμπλοκὸν εἶναι αἰτιῶν τεταγμένων, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ παρ' ἡμᾶς· ὥς τε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δὲ ἀνειμάρθαι· *Fatum esse connexum caussarum ordine contentum, quo etiam concludantur ea, quæ à nobis fiunt : ut sic alia haberi debeant fatalia, alia non decreta fato.* Hinc Platonicus Chalcidius , commentario in Timæum * : *Qui omnia fato fieri dicunt , meritò reprehenduntur ab iis, qui probant, esse aliquid in nostra potestate. Qui omnia in nostra potestate constituunt, nec quicquam fato relinquunt, falli deteguntur. Quis enim ignoret , esse aliquid in fato , & extra nostrum jus ? Sola igitur vera illa ratio est, fixaque & stabilis sententia, quæ docet, quædam fato fieri, alia porrò ex hominum arbitrio , & voluntate , proficisci.* Est verò Platoni Fatum, λόγος ἀΐδιος καὶ νόμος ἀΐδιος τῶν τοῦ παντὸς φύσεως· *ratio æterna, perpetuaque lex naturæ Universi :* ut est apud Stobæum † . Sed hæc etiam pertinent ad legem eam , quam Deus rebus

* pag. 279, & 280, edit. Meursiana.

† In Eclogis Physic. cap. 9.

rebus præscripsit naturalibus : nunc eâ de lege videamus, quæ sancita est præditis intellectu. Hæc apud Platonem in Phædro, & exinde Plutarchũ libro de Fato, ejusmodi memoratur : Ητις ψυχὴ σωσπαδὸς γενομένη καλόν τι τῶν ἀληθῶς μέχρι τῆς ἑτέρας περιόδου, εἶναι ἀπήμονα· κἂν ἀεὶ δύνηται τοῦτο ποιεῖν, ἀβλαβῆ εἶναι· *Quicunque animus, Dei comes factus, aliquid veri perspexerit, is usque ad alteram circuitionem à supplicio sit immunis : & si possit perpetuò id facere,* * pag.278. *perpetuò erit illæsus,* Quæ fusiùs sic enarrat Chalcidius * : *Legi qui pareat, sequaturque principis Dei veneranda vestigia, beatam semper vitam agit ; juxta legis perpetuæ sanctionem ; quod est, juxta fatum. At verò, quæ Dei comitatum animæ neglexerint, rursum & ipsæ, alio quodam contrarioque genere secundùm fatum vitam exigunt : donec pœniteat eas delictorum suorum, expiatisque criminibus deinceps ad immortalis Dei, & æternarum divinarumque potestatum choros, revertantur ; & ille legis rigor ex deteriore fortuna transitum fieri sinat ad beatam.* Porrò in verbis Platonis per ἑτέραν περίοδον, *alterum circumitum*, intelligitur stellarum fixarum, & erraticarum omnium reditus ad habitum, & conditionem præteritam : quâ constellatione instauratâ, omnia, & in cælis, & in terris, se † pag.240. habeant, ut priùs. Hinc Plato, interprete Chalcidio † : *Est tamen intellectu facile, quòd perfectus temporis numerus perfectum annum compleat tunc demum, cùm omnium octo circumactionum cursus peracti, velut ad originem, & caput circumactionis alterius, revertentur : quam semper idem, atque uniformis motus dimetietur.* Hoc spatium esse annorum triginta sex millium, jam ante retulimus. Porrò legem fatalem, quam animis diximus promulgatam, Plato in Phædro appellat Θεσμὸν Ἀδραστείας, *legem Adrasteæ* : item in libris de Rep. Ἀνάγκης θυγατρὸς, κόρης Λαχέσεως, λόγον· *orationem virginis Lachesis, filiæ Necessitatis.* Hæc lex, ut vidimus, pariter & parendi obsequium continet, & contumaciam : nec voluntatibus necessitatem alterutrius imponit, sed suæ eas relinquit ‡ p.255. potestatis. Nam, ut idem Chalcidius ‡ ait, *Quod animæ hominis natura talis sit, ut interdum ad virtutem se applicet ; interdum ad malitiam præponderet, perinde ut corpus, modò sospitati, modò ægritudini proximum ; fixum planè est, & decretum ex origine. Quis porrò malus sit futurus, aut bonus ; neque decretum, neque imperatum. Propterea que leges, magisteria, deliberationes, exhortationes, revocationes, institutiones, nutrimentorum certa observatio, laus, vituperatio, quæque his simulantur : quia rectè vivendi optio penes nos est.* Vbi pro *simulantur*, malim *similia, adhibentur* : vel tale quid. Plenius planiusque hæc explicabimus.

In anima omni rationabili spectantur, alia quidem ex præcessione meriti ; alia autem ex consecutione animadversionis, vel præmii. Priora sunt ex motu animæ libero. Cujus exemplum adfertur, quòd anima Socratis, secundum Adrasteæ sive Lachesis legem, comitem sese præbuerit Deo. Hoc proprium dicitur opus Socratis. Ac tam hoc, quam cùm animæ

asper-

aſpernantur comitatum Dei, *præceſſionem* vocant, quia ſunt cauſſæ præcedentes ex meritis noſtris.

Poſteriora non ſunt in hominis poteſtate, ſed ſequuntur ſecundùm fatum: unde & *fatalia* dicuntur. Aliud enim *fatum*, aliud *fatale*. *Fatum* eſt lex ipſa. *Fatale* eſt executio legis. Vt quòd Socrates, quia juxta fati legem vixiſſet, beatus uſque ad alterius circuitus tempus, dicitur perſeveraturus: quemadmodum &, ſi in altero circuitu pariter ſe compoſuerit, pari poſtmodo fruetur felicitate; infelix idem futurus, ſi tandem anima ejus in circuitu aliquo non comitetur Deum; idem tamen ad felicitatem reverſurus, ſi in circuitu novo evaſerit bonæ frugis. Hanc præceſſionem meriti ex libero arbitrio, & conſecutionem mercedis, vel pœnæ, ex lege fatali, paucis ſic conſtrinxit Chalcidius *: *Peſſimè agere vitam eſt in hominis arbitrio: puniri planè eſt ex neceſſitate fatali: utpote quod legem ſequatur.* Vt alibi idem: *Quod præcèdit, in nobis: quod ſequitur, ſecundùm fatum.* Ac luculentè idem illuſtrat exemplo Laji, his verbis †: *Hac ratione Lajo prædictum eſt ab Apolline:*

* pag. 271.

† p. 244.

Cave, ne vetitos liberûm ſulcos ſeras.
Generatus ille te mactabit impiè:
Et omnis aula reſpergetur ſanguine.

His quippe oraculis oſtendit, penes Lajum fuiſſe, ne ſereret: quæ præceſſio eſt. Quod porrò inſecutum eſt, jam non in poteſtate Laji, ſed potiùs in neceſſitate fatali, juxta meritum præceſſionis. Atque eodem exemplo idem illuſtrat Alcinous cap. XXVI: ubi & alterum addit de Paride, & Helena. Sed pro eo Chalcidius attulit de Achille, & Thetide. Poſteáque Chalcidius Platonis eam fuiſſe mentem probat verbis ejuſce philoſophi. Quæ autem Latinè adducit, non appoſito, unde hauſerit, libro, ea ſunt in decimo de Rep. ubi ſic puella Lacheſis, Neceſſitatis filia, loquitur ‡: Ψυχαὶ ἐφήμεροι, ἀρχὴ ἄλλης περιόδου θνητῷ γένει θανάτηφόρου· οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμεῖς δαίμονα αἱρήσεσθε. πρῶτος δ' ὁ λαχὼν, πρῶτος αἱρείσθω βίον, ᾧ συμέσται ἐξ ἀνάγκης. ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ᾗ τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον ἢ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει. αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος. *Animæ diurnæ, adeſt primordium alterius circuitus, deſtinatum generi mortali, ac letifero. non veſtri aliqua ſortitò ſub dæmonum veniet imperium: ſed vos dæmonem eligetis. Qui verò primus veſtri fuerit ſortitus, primus vitam eligito, quam degat neceſſariò. Virtus autem domini expers, ac libera eſt. quam ut quiſque colit, aut negligit, plus minuſve ejus habebit. Cauſſa eſt* ELIGENTIS: DEVS *autem eſt extra culpam.*

‡ Editionis Stephanica pag. 617.

Neque propterea putabat Plato, nihil Fatum poſſe in animis humanis: ſed non ſic agere, ut tolleretur arbitrii libertas. Aliquas autem & Fati partes credidiſſe, indicat Plutarchus lib. I de Placitis philoſoph. cap.

XXVII : Πλάτων ἐγκείνει μὲν τῷ εἱμαρμένῳ ὅτι τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν & βιῶν· συνεισάγει δὲ & τὸ παρ' ἡμᾶς αἰτίαν. Οἱ Στωικοὶ Πλάτωνι ἐμφερῶς· καὶ τὸ μὲν ἀνάγκην ἀνίκητόν φασιν αἰτίαν καὶ βιαστικήν. τὸ δὲ εἱμαρμένῳ συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένην, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ παρ' ἡμᾶς, ὥς τε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δὲ ἀνεῖμάρθαι· *Plato quidem admittit fatum in animis hominum, vitâque eorum: sed addit etiam causſam quæ ab arbitrio pendeat noſtro. Stoici, Platonis in eo ſimiles, Neceſſitatem ajunt invincibilem eſſe cauſſam, & violentam: Fatum autem eſſe complexionem cauſſarum ratam ſtatamque; quo in nexu etiam contineantur, quæ à nobis dependeant: ut alia quidem ſint fato decreta, alia non item.* De Platone aſſentimus. An verò idem Stoici ſenſerint, poſtea parebit.

Ac tale Platoni eſt Fatum. Provenit autem id à providentia divina. Vt tria hic diſtinxerit Plato: primum eſt Deus, ſummum bonum. Alterum Providentia, ſive mentis divinæ in intelligendo actus æternus. Tertium eſt Providentiæ proles, Fatum, ſive lex divina ad ſapientem rerum omnium gubernationem promulgata; naturæ quidem præfiniens, quæ neceſſariò fiant; at liberæ voluntati mandans honeſta, prohibens contraria. Præſcribitur autem lex, ſecundùm eundem *, tum animæ mundanæ; tum animis ei ſubjectis. Anima mundi, ut à mente divina diſtinguatur, vocatur *ſecunda mens, intellectuſque*: & hæc dicitur *quaſi quædam cuſtos legis æternæ*. Nempe quia anima hæc mundum gubernet ſecundùm legem æternam à Providentia ſancitam; cæleſtia quidem neceſſitate beatâ; voluntaria autem ratione, & ordine, ſecundùm ſuam cujuſque naturam. Tripartitam hanc dixere animam, quia præſit, tum ſtellis fixis, tum planetis, tum rebus ſubjectis; quales dæmones cùm ignei, tum aërii; natura item humecta, & tellus.

* *Chalcid. pag.* 277, & 278.

Animæ mundanæ ſubeſſe dicuntur (ut ejuſdem Chalcidii verba retineam) *rationabiles animæ, legi obſequentes: miniſtræ poteſtates; Natura, Fortuna, Caſus; & Dæmones inſpectatores, ſpeculatoreſque meritorum.*

CAPVT XLVII.

Accedit ur ad fatum, quod tum Mathematicum, tum Aſtrologicum, tum etiam Chaldaicum, nuncupatur. Chaldæos, & Babylonios, non per omnia conveniſſe. Fatum hoc Aſtrologicum fere intelligi à SSis Patribus, quando Fatum impugnant, ac ne quidem ejus nomen audire ſuſtinent. Cùm fatum ſtatuerent nationes, multa verè allegâſſe ad ſiderum vim comprobandam: quod particulatim de Sole, Luna, ſtellis, oſtenſum. Sed exorbitari planè, cùm membris ſingulis ſingulos præfecere planetarum: hoc χειρομάντεις feciſſe in partibus manus; aſtrologos, in membris univerſis. Sed ut iſta pro tolerabilibus haberentur, nullâ poſſe ratione ferri, quod tantam

tantam ſiderum vim ſtatuerent in ipſas animæ facultates, ſive illæ (quando de his variatum) ternæ ſint, aut quaternæ; ſive octonæ etiam, aut ſeptenæ. Nec vanum minùs videri, quod planetas pro climatibus diſtinxerint. Poſt illa à planetis abimus ad ſtellas fixas: ac priùs oſtenſum, ut è duodenis ſtellati illius balthei ſignis unumquodque alicui præfecerint humani corporis membro, propriamque in illud vim attribuerint. Tum autem, ut planetarum cuique ſuum, & locum, & effectum, aſſignarint in Zodiaco. Et, ne longiores in his vanis eſſemus, ſcriptores indicati, unde, qui volet, accuratam horum, qualium qualium, petere poſſit notitiam.

AC tale Platonis fatum fuit: quo, uti dictum, ſua eſt relicta libertas humanæ voluntati. Sequitur, videamus illo de fato, quo, ſi non ab omnibus ejus defenſoribus, prope tamen ab omnibus, liberum tollitur arbitrium. Fatum hoc nuncupatur Mathematicum, vel Aſtrologicum, vel etiam Chaldaicum. Nomina iſta ſunt ab iis, qui hujus ſe fati gnaros profiterentur: quales *Mathematicos* vocat Seneca in Ἀποκολυντώσει, Tacitus lib. 1 Hiſtor. Iuvenal. ſat. VI, & XIV, Paullus Sententiarum lib. V, cap. XXI. *Aſtrologos* appellat Vlpianus Digeſtis, De injuriis, Lege XV, §. Siquis. *Chaldæos* autem dicit Cicero lib. 1, & II de Divinat. item Agellius lib. 1, cap. XV: uti diſciplinam ipſam Χαλδαϊκὴν Sextus Empiricus contra Grammaticos cap. 1. Cauſſa ejus nominis eſt, quòd diſciplinam hanc repererint Chaldæi. Quamquam Ægyptiis inventum iſtoc tribuat Herodotus*: quemadmodum & ab iis oracula, ſacráque, & ceremonias, cœpiſſe, ab eodem traditur. Sed pro Chaldæis, vel Medis eſt, quòd priſcus Aſtrologus Beleſis, ut Diodorus Siculus† ait, prædictionibus ſcientiæ ſuæ impulerit Medos ad occupandum Aſſyriorum regnum. Ac imprimis pro iis facit, quòd Simplicius* ex Calliſthene tradat, antequam Babylona caperet Alexander Magnus annis quaſi bis mille, annotâſſe Chaldæos, qualis pro cujuſque ſideris ortu effectus ſequeretur. Ex cujuſmodi particularibus obſervationibus collegere univerſales concluſiones; quæ principia ſunt artis genethliacæ. Atque ex his etiam obſcurum non eſt, cur Fatum hoc dicere etiam poſſis *Babylonium*: juxta illud Horatii lib. 1, od. XI:

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi,
Finem Di dederint; nec Babylonios
Tentâris numeros.

* lib. 2, cap. 82.

† lib. 2.

* in lib. 2 de Cælo, pag. 123, edit. Aldina.

Malim tamen *Chaldaicum* vocare, quàm *Babylonium*; quia gentes hæ non per omnia convenerunt; uti oſtendit illud Lucretii in V:

Vt Babylonica, Chaldæam doctrina refutans,
Aſtrologorum artes contra convincere tendit.

Vtcunque autem aliquis fuerit diſſenſus, laxiùs tamen voce Chaldaici

fati nomine accepto, ſub eo Babylonicum etiam complexi videntur. Imò, cùm Fatum impugnant theologi veteres, utcunque ſubinde de Stoico loquantur, plurimùm tamen ab iis Chaldaicum hoc ſive Aſtrologicum intelligitur. Liquet illud ex non uno B. Auguſtini loco: ubi ipſum etiam Fati nomen improbat. Vt lib. v de Civit. Dei cap. 1: *Si propterea quiſquam res humanas fato tribuit, quòd ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem, fati nomine appellet; ſententiam teneat, & linguam corrigat. Cur enim non hoc primùm dicit, quod poſtea dicturus eſt, cùm ab illo quiſpiam quæſierit, quid dixerit fatum? nam id homines quando audiunt, non intelligunt, niſi vim poſitionis ſiderum.* Et cap. IX: *Nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, uti ſolet à loquentibus poni, (id eſt, in conſtitutione ſiderum, quâ quiſque conceptus, & natus eſt) quoniam res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere monſtramus.*

Propriè igitur fatum erat prædictio ex ſideribus: nomenque eſt ab ea ſignificatione *fandi*, qua prophetis convenit: qui & ab eadem origine *vates* dicuntur. Nam *fari* eſt à φάω, unde φάτης, item φάτις, ſicut Latinis *dictio* pro *oraculo*.

Fati hujus fundamentum poſuere, partim in veris certiſque; partim incertis, ac conjecturâ valde dubiâ ſubnixis; partim falſis, abſurdis, impiis.

Vera certáque ſunt plurima, quæ de virtute ſiderum in elementa, atque humana etiam corpora prodiderunt. Primùm Solem conſideremus. Quid manifeſtius eſt, quàm eum, decurſu ſuo per ſigna duodena, ſingulis menſibus variare anni qualitates? Quam rem pleniùs exponit Proclus, vel alius in librum I τετραβίβλου: Ορῶμεν γὰρ ὅτι κατὰ τὴν τοῦ ἡλίου κίνησιν αἱ ὧραι τοῦ ἔτους γίγνονται, καὶ συμμεταβάλλονται τοῦ ἐτησίαις ὥραις τὰ ἡμέτερα σώματα. καὶ τί χρὴ λέγειν περὶ τῶν ἐτησίων τροπῶν; ὅπου ὁσημέραι τὰς γινομένας τροπὰς παραπλησίας οὔσας ταῖς καθόλου εὑρίσκομεν μεταβαλλούσας ἡμᾶς. ἀνίσχων γὰρ ὁ ἥλιος, καὶ εἰς τὴν τοῦ ἔαρος μεθιστῶν τὴν ἀέρα, τοιαύτην καὶ τοῖς ἡμετέροις σώμασι δίδωσιν τὴν ἀπόῤῥοιαν. καὶ προϊούσης τῆς ἡμέρας, ἔστιν ἰδεῖν τὰς καθόλου κράσεις ἐν τοῦ μερικαῖς ἐμπεριεχομένας. Εἰ δὲ ὅλως ἐναργής τις γίνεται ἀπόῤῥοια, χρὴ ἡμᾶς καὶ τὴν ἄδηλον αἴσθησιν τῷ λογισμῷ κρίνοντας εὑρίσκειν. *Cernimus enim motu Solis, anni tempora diſtingui, unâque cum eis corpora noſtra immutari. Et quid attinet de annuis converſionibus dicere? cùm quotidianas converſiones illis annuis conſimiles eſſe in nobis immutandis animadvertamus? Sol enim oriens, & aërem ad veris temperiem redigens, talem etiam corporibus noſtris qualitatem inſinuat: &, die progrediente, videre eſt univerſalia temperamenta in particularibus contineri. Quod ſi omnino evidens quidam contingit influxus, nobis etiam occultus ſenſus rationis judicio eſt indagandus.*

Ac par Lunæ eſt ratio; quemadmodum abundè oſtenſum nobis cap. XVIII, XIX, XX. Nunc ſolùm adponam verba ejuſdem Ptolemaici interpretis: qui ſuperioribus continuò ſubjungit: Η δὲ σελήνη, οὐχ ὅτι μείζονα τοῦ ἡλίου

ἡλίου κέκτηται δύναμιν, δοκεῖ ἡμᾶς ἐναργέστερον μεταβάλλειν, ἀλλ' ὅτι περιγειοτέρα τυγχάνουσα, πλείστην ἡμῖν ἐνδίδοσι τὴν ἀπόρροιαν· ὁρῶμεν γὰρ, καὶ τὰ θαλάττια ζῶα συναυξανόμενα, καὶ συμμειούμενα τῇ σελήνῃ. καὶ ἡμῶν δὲ αὐτῶν τινὰ μέρη τοῦ σώματος· οἷον ὄνυχας, καὶ τρίχας. ἦν δὲ τὶ καὶ ἱερὸν ζῶον ἐν τῇ Αἰγύπτῳ, ταῦρος ἀνακείμενος τῇ θεῷ. Οὗ ἡ σόβη συνηύξανεν αὐτῇ, καὶ συνεμειοῦτο. εἰσὶ δὲ καὶ νῦν, συμφθίνοντες, καὶ συναυξοῦντες λίθοι τινὲς τῇ θεῷ. *Apparet autem, Lunam, non quòd Sole majorem vim habeat, nos evidentius immutare; sed quod terræ vicinior, magis nos suo lumine & motu afficiat. Videmus enim & marinas animantes unà cum Luna & crescere, & decrescere; & nostri corporis partes quasdam; ut ungues, & crines. Fuit etiam quoddam sacrum in Ægypto animal, videlicet taurus, huic Deæ sacer; cujus cauda cum Luna, & augebatur, & minuebatur. Sunt etiam hodie lapides quidam, qui unà cum ea, & accrescunt, & decrescunt.*

Nec de nihilo est, quòd divina sapientia Solis, & Lunæ cursui, qui dierum, mensium, annorum spatia definivit, etiam quinque addiderit errones. Ex quibus tardus Saturnus circulum annis absolvit triginta: fulgidum Iovis jubar, annis XII: rutilans Mars, biennio: Venus autem Solem comitatur, nunc horis prævius matutinis, nunc vespertinis: Mercurius quoque circa Solem motibus variis fertur. Frustráne Deus tot numero errones condiderit; sic magnitudine, locis, & colore, distinxerit, tamque varios iis tribuerit motus? Quid dicam de fixis orbis octavi stellis? Fateri cogimur, nec vilia animalcula, vel plantarum minimas, incassum esse. Quin perspicuum est, sic eas viribus differre, ut iis cognoscendis humanum non sufficiat ingenium. Et in lucidis illis ac cælestibus corporibus, ubi tanta est varietas, non admirandam esse efficaciam credamus?

Quamquam quid rationibus pugnamus, quando sensus ipse, longusque rerum usus tot seculis aliud edocuit? Consideremus stellas fixas. Ex earum ortu, & occasu, nautæ, atque agricolæ, anniversarias prævident tempestates. Iidem observant, ab Arcturo tempestates cieri, ab Hyadibus pluvias, ab Orione nimbos. Etiam Capram cælestem ortu suo vitibus nocere; apud Pausaniam legas in Corinthiacis. Iam quanta est vis quinque erraticarum! quod peritiores hujus artis maximè observant, quando cum Sole, & Luna, aut ipsæ inter se conjunguntur. Soli enim Saturnus additus aëra reddit nubilum, ac turbidum. Iupiter, ac Mercurius, si arctiùs socientur, ventos procreant & tempestates. Mars, & Venus, si aptis cæli locis jungantur, imbres generant, & quandoque etiam fulmina, ac tonitrua. Atque hæc imprimis contingunt in Lunæ συζυγίᾳ *, vel ortu etiam fixi sideris ex illustrioribus. Imò ne minores quidem ex fixis effectu carent, si cum planetis copulentur. Nimirum stellæ omnes fixæ sunt instar feminarum; quæ, steriles per se, gravidæ fiunt, si jungantur planetis. Sic stellæ

* *conjunctione.*

Cancri nebulosæ à Ptolemæo dicuntur *suffocantes*, & *pestilentes*. Sed vis ea concipitur à planetis. Vt anno factum cIↃ IↃ LXIII; cùm, in Leonis initio, juxta eas stellas partiliter jungerentur Sol, & Saturnus, atrox est pestilentia aliquot consecuta annis per Europam universam.

Quod si ea sit siderum vis in elementa, & hinc conflata: etiam vis cæli se exeret in corpora humana, cùm homo ex elementis constet, aëra hauriat, cibo & potu nutriatur. Sed vis sideris se nullius prodit manifestiùs, quàm Lunaris. Nam morbo caduco, & similibus, laborantes, vehementiores habent paroxysmos circa novilunia, plenilunia, & medias quadraturas: nonnulli etiam tantummodo se malè tum habent. Nec hydropici unquam laborant vehementiùs, quàm circa plenilunia: ac penè omnes etiam circa id temporis moriuntur.

Atque hæc vera sunt certáque. Progredior nunc ad ea, quæ partim sunt dubia incertáque; partim ejusmodi, ut falsa misceantur veris. Hæc partim solos respiciunt planetas, partim sola zodiaci signa, partim planetarum in signo aliquo posituram.

De singulis planetis tradunt, eos propriam vim in singula habere membra: imo chiromantes etiàm manus partes singulis subjecere planetis. Nimirum montem, ut ipsi vocant, hoc est, tuberculum pollicis, Veneri; indicis, Iovi; medii, Saturno; annularis, Soli; auricularis, Mercurio; trianguli spatium, Marti; hypothenar sive manus percussionem, Lunæ. Quamquam in nonnullis istorum à Tricasso, Coclite, Indagine, & Taisniero, dissentiant Tybertus, & Cardanus: quem vide lib. II de rerum varietate cap. LXXIX, &, præter memoratos, Georgium Ragusejum de divinat. lib. II, cap. I; qui commenta hæc solidè refellit.

Sed contineamus nos potiùs intra Astrologorum opiniones. Hi planetarum vim in quodq; corporis membrum colligunt ex quadam ἀναλογίᾳ: eoque cor, à quo vitalis spiritus, respondere ajunt Soli, unde vivificus mundi calor: cerebrum humidum, humectanti Lunæ, quicum etiam crescit, & decrescit: jecur, quod officina est sanguinis, analogum esse Iovi, planetæ sanguineo, ac vitali: renes, qui vires largiuntur partibus generationi inservientibus, subjectos esse Veneri, signo prolifico: splenem, atræ bilis receptaculum, ac fel sive choleram, convenire Marti, ut melancholici humoris præsidi; cholerico item, & iracundo: pulmonem, qui aerem, ac spiritum, attrahit, & emittit, ac præterea loquelæ inservit, subdi Mercurio, planetæ ventoso, qui Soli semper est præstò, nunc hac, nunc istac discurrens, instar nuncii emissi, ac facundè promentis mandata domini sui.

Atque hæc quidem, quia ad corporis naturam pertinent, ubi sine dubio magna est cæli vis, credibilius, saltem tolerabilius, proferuntur. Sed non hic

hic ſteterunt. Deventum quippe eò, ut ſingulis animæ facultatibus aliquem præficerent ex planetis. Etſi verò Ariſtoteli tres eæ numero ſint; φυτικὴ, ſive θρεπτικὴ, quam *vegetativam* appellant, αἰσθητικὴ ſive *ſenſitiva*, & λογικὴ ſive *rationalis*: maluere tamen addere quartam, φωνητικὴν ſive *vocalem*, vel *ſermocinativam*; quia homo & ratione, & oratione, mutis antiſtet animantibus. Atque idem à Stoicis factum; qui iccirco, cùm pro ſenſitiva unica ponerent quinq; ſenſus, neceſſariò animæ octo ſtatuerunt facultates; vegetativam ſive ſeminatricem vim, quinque ſenſitivas, ſermocinativam, & gubernatricem ſive rationalem. Si Græcè malis, Laërtii eſt in Zenone: Φασὶ δὲ τὸν ψυχὸν εἶναι ὀκταμερῆ· μέρη γὰρ αὐτῆς, τά τε πέντε αἰσθητήρια, καὶ τὸ φωνητικὸν ὄργανον, καὶ τὸ διανοητικὸν, ὅπερ ἐστὶν αὐτὴ ἡ διάνοια· καὶ τὸ ἡγεμονικόν· Ac ſimiliter de Zenone tradit Nemeſius libro de Natura hominis *: ſed τὸ ἡγεμονικὸν dicit ille, mente eâdem, σπερματικὸν: at τὸ διανοητικὸν vocat ἡγεμονικόν. Porrò Chaldæi ſive Aſtrologi, uti & Peripatetici, diſtinxere à ſenſitiva propriè ſic dictâ, hoc eſt, à quinque ſenſibus externis, & phantaſia, aliiſque internis, facultatem appetitivam: illamque diſtribuêre in iraſcibilem, & concupiſcibilem: rationalem autem diſpeſcebant in ſpeculatricem, & activam. Ita ſeptem erunt animæ humanæ facultates, pro numero ſiderum, quæ ſub ſtellis ſunt fixis; Solis, Lunæ, & quinque erronum; ſive (Sole Lunaque erronum numero comprehenſis) ſeptem erronum malis dicere. Vnum igitur ex ſideribus ſeptem erraticis, ſeptenis præfecere animæ facultatibus: idque hoc pacto. Rationale contemplativum, ſecundùm eos, gubernat Saturnus; rationale activum Iupiter: appetitui iraſcibili præeſt Mars; ſenſibus quinque externis, & phantaſiæ, ſive imaginativæ, Sol; appetitui concupiſcibili præfecta Venus; vocali ſive ſermocinativæ virtuti Mercurius: infimus planetarum Luna, uti dictum, vim eſt adepta vegetativam, ſive ſeminatricem.

* cap. 15.

Propterea cùm duo illa magna luminaria, Solem, ut Regem; Lunam, ut Reginam, ſtatuiſſent: Saturnum ſpectarunt, ut conſiliarium, ſenio & prudentiâ venerandum; Iovem, ut totius ditionis gubernatorem; Martem, ut univerſo exercitui præfectum; Mercurium, ut legatum, atque oratorem; Venerem, ut amorem, ac delicias omnium.

Præterea multorum ajunt ſeculorum experientiâ eſſe obſervatum, homines genus vitæ amare, prout planetæ in ortu illuxerint. Nam pro conſtitutione eorum diverſum eſſe temperamentum; pro temperamento variare propenſionem animi, & mores; pro his quoque fortunam ſequi: quique Lunarem ſortirentur naturam, amare navigationem, ac piſcaturam; ſiqui à Mercurio adflentur, ingenioſis artibus, uti mercaturâ, gaudere; quos Venus adſpexit, amoribus, canticis, ac ſimilibus delectari; quibus

bus Sol affulsit, ad dignitates, & honores adspirare: bella ac rixas amare, quos exagitat Mars: judicia ac potentiam quærere, quos Iupiter adfecit: sublimi, ac reconditæ scientiæ studere, quos sublime afflavit Saturni sidus.

Insuper dominia planetarum pro climatibus distinxerunt: quod ex Ptolemæo liquet. Et de terris postmodo repertis à Campanella idem factum: qui & de Ptolemaica ratione judicium appossuit. Longioris res instituti sit, si insistam. Ipsum adi Astrologicorum lib. II, Articul. II. Et hæc de planetis.

Sequitur de Zodiaco: quem in XII, nec plura signa divisere, quia Sol, dum suum permeat circulum, duodecies cum Luna coit: singuláque signa distribuêre in gradus triginta, quia Luna diebus XXX iterum conjungitur cum Sole: unde etiam liquet, cur gradus sint CCCLX, quando tot consiunt, si duodecies sumas triginta. Atque hæc ratione constant manifestâ. Non item illud, cur singulis corporis membris aliquod Zodiaci signum præfecerint; Arietem capiti; Taurum cervici, & jugulo; Geminos humeris, lacertis, & manibus; Cancrum pectori, & costis; Leonem diaphragmati, stomacho, ac ventri; Virginem præcordiis, & hypochondriis; Libram, renibus, vertebris, ac natibus; Scorpium, ilibus; Sagittarium femoribus, genibus, & poplitibus; Capricornum suris, & talis; Pisces pedibus. Quam rem his versibus expressit Manilius in secundo: prout restituit Iosephus Scaliger:

— Aries caput est ante omnia princeps
Sortitus: censusque sui pulcherrima colla
Taurus: at in Geminis æquali brachia sorte
Scribuntur connexa humeris: pectusque locatum
Sub Cancro est: laterum regnum, scapulæque, Leonis:
Virginis in propriam descendunt ilia sortem:
Libra regit clunes: at Scorpius inguine gaudet:
Centauro femina accedunt: Capricornus utrisque
Imperat in genibus: crurum fundentis Aquari
Arbitrium est: Piscesque pedum sibi jura reposcunt.

Atque ex his Leo, grandes vires, & leoninis similes, dicitur conferre; Virgo, pulchritudinem; Sagittarius, qua parte homo, pulcros; qua equus, fortes reddere perhibetur; Cancer, Capricornus, Pisces, & robore, & pulchritudine destituunt.

Etiam, de quo superiùs tertio me loco dicturum receperam, signi cujusque domum huic, vel illi planetæ, tribuerunt. Vt Soli Leonis, quia calidus est, & siccus, eoque masculus: Lunæ Cancri, quia calidus est, & frigidus,

gidus, ac propterea femineus : Mercurio assignarunt Geminos, partim ut proximos Cancro, domui Lunæ; uti Lunæ propinquus Mercurius : partim quia Solem ipse comitetur, nec ab eo recedat gradibus amplius duodetriginta. Virginem credidere domum aptam Soli; quia Leoni, Solis domo, vicina. Similiter Veneri Taurum, & Libram dedere : parque in cæteris ratio est.

Hisce ita constitutis, sic ulterius sunt progressi : Solem in Aquario, Lunam in Capricorno, Saturnum in Leone,& Cancro, noxios esse : imò nascentes futuros cæcos, si Saturnus foret in domo XII, & Solem, Lunam, ac Martem, trigonâ radiatione spectaret : surdos autem, si Saturnus esset in domo sextâ; cælique medio, cæteris altior planetis, quadrato Martis apponeretur. Similiter pronunciant de vitiis linguæ, de morbo comitiali, icterico, aliis : quæ legere est è veteribus apud Ptolemæum in Centum Sententiis ad Syrum fratrem, Firmicum Maternum in Matheseos libris ad Mavortium Lollianum, & M. Manilii Astronomico. E junioribus,apud Iovianum Pontanum commentario in Ptolemæum, & XIV libris rerum cælestium. Item Iunctinum, Cardanum, tot alios : sed omnium instar fuerit Campanella in sex Astrologicorum libris. Nec enim hanc artem, (si ars ea dicenda est, quæ tot vana habet, incertáque) aliquis præceptis meliùs constrinxit. Particulatim verò examen eorum, quæ de moribus gentium ex signo iis dominante tradiderat Ptolemæus, vide apud eum lib. II, cap. V.

CAPVT XLVIII.

Distinctè actum de duplici Mathematicorum genere : ac prius de illis, qui necessitatem inferri ajunt voluntati humanæ. Bardesanis Syri, & Priscillianistarum, de Fato sententia. Occurritur illi, quòd ajunt, utcunque homo necessitate bonum malumve agat, non minus amore, aut odio dignum esse. Prædictio Theagenis, Thrasylli, Ascletarionis, & aliorum. Prædici multa, vel ex commercio cum spiritu maligno; vel familiaritate occulta cum hominum illis, qui sint magna rerum pars; vel conjecturâ callidâ, subinde tamen fallaci. Vana prædictio Papæ Ioannis XXI. Βλαχερνόμιον *Alexandrinum, & unde nomen acceperit. Mathematici Vrbe exacti sub imperatoribus gentilibus, imò antea quoque : Scripturis itidem, & à sanctis Patribus, ac concilio Braccarensi, & Christianis etiam imperatoribus, damnati. Extrema eorum impudentia, qui & virtuti siderum tribuunt Christi miracula, ac religionem Iudaicam, Chaldaicam, Ægyptiam, Saracenicam, Christianam; item regnum Antichristi. Vanitas prædictionis tum Albumasaris de duratione religionis Christianæ, tum R. Abraham Avenaris de adventu Messiæ. Accedit ad*

Ptolemæum, & Mathematicorum alios ; qui putant, voluntati hominum non afferri necessitatem à sideribus; sed solùm ab iis esse propensionem quandam, cui possit resisti, & ubi mala est, etiam debeat : ac vel maximè in eo utilitatem consistere Astrologiæ judiciariæ, quòd, prævisâ siderum inclinatione, facilius caveamus nobis à noxiis, quæ sidera minantur. Atque idem de chiromantia statui à multis. Sed, ut daretur, à sideribus esse aliquam animorum propensionem, & eorum, quæ hinc dependent; non tamen, cujusmodi ea futura sint, posse prævideri; quia minuta adeo portio sit, quæ sciatur ; & quod quodammodo scitur, frivolis adeo incertisque nitatur conjecturis, ut magnæ sit dementiæ, siquis ex iis de hominum conditione, non certò dico, sed vel verisimiliter, prædicere aliquid præsumat.

QVi hactenus conveniunt, in duas scinduntur partes. Multi enim, quæ diximus, pro certissimis asserunt ; eoque audacter pronunciant de vitæ cujusque duratione, mortis genere, connubio, fortunis, honoribus, & cunctis id genus. Nempe, ex eorum mente, omnes & singuli hominum actus determinantur à cælo : nec per contingentiam aliquid, sed necessariò omnia, atque inevitabiliter fiunt.

Hanc sententiam amplexus quoque Bardesanes Syrus ; ut est apud B. Augustinum lib. de hæresibus cap. xxxv. Item Priscillianistæ ; ut idem eopse libro est auctor cap. VIII.

Adversus hos, & similes, cùm diceretur, si sic omnia à sideribus dependeant, nec probos amore, nec improbos odio dignos fore ; eo se eludere posse existimabant, quòd naturâ etiam amemus bona ; velut cibos salubres, ac delicatos : & quæ naturâ sunt noxia, odio nihilominus prosequamur ; uti venena omnia. Quæ ad excusandum fatum suum Astrologicum sic versibus expressit Manilius lib. IV :

Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve suis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quisquam minùs oderit herbas,
Quòd non arbitrio veniunt, sed semine certo :
Gratia nec levior tribuetur dulcior escis,
Quòd natura dedit fruges, non ulla voluntas.
Sic hominum menti tanto sit gloria major,
Quòd cælo gaudente venit : rursumque nocentes
Oderimus magis in pœnam culpamque creatos.

Sed profectò quid est confundere naturalem amorem vel odium, cum amore odioque morali, si à Manilio hoc non fit ? Qua de re plura dicerem, nisi de amoris, & odii moralis natura, abunde egissem in secundo Oratoriarum Institutionum cap. IV, & V.

At

At contentos se ajunt prudentissimo & verissimo Galeni judicio ; qui, de ipsis astrorum effectibus loquens, ait, *sophisticum esse manifestæ experientiæ velle contradicere.* Ingentem etiam adferunt copiam eorum , qui res maximas ex sideribus præviderint. In his est Theagenes,qui prædixit Augusto imperium ; teste Suetonio in Octavio cap. XCIV. Thrasyllus item , qui Tiberio ipsi ostendit , gnarum se periculi ab Cæsare sibi imminentis ; de quo Tacitus in VI Annal. & Dio lib. LV. Ex quo etiam Xiphilinus refert, ut Mathematici, à Vitellio Vrbe pulsi, prædixerint ei, fore , ut intra Kalendas Octobris periret : intraque id tempus decessisse. De Asclepione etiam mirabile,quod narrat Suetonius in Domitiano : *Hunc (*Asclepionem mathematicum*) delatum,nec inficiantem, jactâsse se,quæ prævidisset ex arte, scisciratus est Domitianus,quis ipsum maneret exitus; & affirmantem, fore, ut brevi laceraretur à canibus,interfici quidem sine mora ; sed,ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissimè imperavit. Quod cùm fieret, evênit, ut repentinâ tempestate, dejecto funere semiustum cadaver discerperent canes.* Paullo tamen aliter ex Dione hoc refert Xiphilinus. Vide & quæ Eunapius de Ablabio in vita Ædesii scribit : item Zonaras, aliique , de Athenaide ; quæ postea fuit uxor Theodosii junioris. Etiam Rodolpho Habspurgensi imperium est prædictum; ut narrat Cuspinianus: Pontificatus item Leoni X, & Hadriano VI ; de quibus Paullus Iovius ; ut cæteros præteream. Sed non adeò operosum est istis occurrere,quàm arbitrantur. Trifariam enim fit, ut eventus prædictioni respondeat. Est cùm aliquid præscitur è commercio cum dæmone; qui ob subtilitatem,& experientiam, rarò fallitur ; & sæpe, quod prædicit, Deo permittente, facere decrevit. Est item cùm astrologi familiares sint viris magnis, &, quæ illi moliantur gnari , multa ex sideribus se jactent præscire,quæ aliunde didicerunt. Est denique,cùm γρεψίμαλλοι * ac fraudibus subacti, in multis falsis aliqua dicant, quibus eventus casu respondeat. Nec enim verùm semper dicere,innumeris comprobatur exemplis. Nunc solùm promam illustre illud de Ioanne XXI , antea dicto Petro Hispano, Summularum auctore, philosopho,astrologo, & medico : qui cum coram familiaribus longam sibi pollicitus vitam fuisset,quarto post mense,pontificatus autem octavo,decessit. Testis Stella in Vitis Pontificum, & ex eo, atque aliis, Antonius Delrio Magicarum Disquisitionum lib. IV, cap. III, quæst. I.

* *versipelles?*

Et sanè sapientissimi quique gentilium artem hanc non artem putarunt,sed impostura; eique credulos damnarunt dementiæ. Itaque erat, Suida teste , ἐν Αλεξανδρείᾳ τὸ τέλος τὶ βλακεννόμιον , ὃ οἱ ἀστρόλογοι τελοῦσι , διὰ τὸ τὰς μωρὰς εἰσπέναι πρὸς αὐτές· *Alexandriæ quoddam tributum nomine Blacennomium , quod Astrologi penderent , quia ad eos accederent stulti.* Nempe eò

quòd, ut ibidem legas, βλάκα vocarint ἐυήθη καὶ ἀνόητον· *fatuum & amentem.* Vide &, quæ adversus astrologos disseruntur apud Ciceronem lib. II de Divinat. Item, quæ de Phavorino refert Gellius lib. XIV, cap. I. Ac similiter Sextus Empiricus contra Grammaticos cap. X. Ex iis, inquit, quæ artes dicuntur, quædam ἐπαγγέλματά μέν εἰσι τέχναι, ὑ πάντως δέ, καὶ κενὴ ἀλήθειαν, ὡς Χαλδαϊκή τε, & Θυλική· *professione sunt artes, non revera; ut Chaldaica, & aruspicina.* Etiam τὺς ἀστρολόγυς, & γόητας †, jungit Dio Coccejus lib. LVII: atque addit, Tiberium utrosque affecisse mortis supplicio: quamvis ipse non solùm astrologo uteretur Thrasyllo; sed artem hanc etiam exerceret. Vitellius item (verbis utar Tranquilli *) *nullis infensior, quàm vernaculis* †, *& mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat.* Atque antea jam, quod ibidem refertur, edicto jusserat, ut *intra Kalend. Octobris urbe Italiâque mathematici excederent.* Ac memorat idem Xiphilinus ex Dione. De imperatorum edictis, quibus Vrbe ejecti, vide Vlpianum in Digest. De injuriis L. XV, §. Siquis. Imò etiam ante imperatores id factum, M. Popillio Lænate, & Cn. Calpurnio coss. ut est apud Val. Maxim. lib. I, cap. III. Scitè Tacitus in primo Historiarum: *Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax; quod in civitate nostra, & vetabitur semper, & retinebitur.*

† *Astrologos, & praestigiatores vel circulatores.*

* *in Vitellio cap. 14.*

† *Turnebus pro* vernaculis *legit* divinaculis: *Scaliger* veraculis, *aut* vericolis: *Casaubonus per* vernaculos *intelligit* γόητας *ac circulatores.*

Sed quid huc recurrere opus Christianis, quando opinio ea ipsis refellitur Scripturis? Est enim Isaiæ cap. XLVII, 13: *Stent, & salvent te augures cæli, qui contemplantur sidera, & supputant menses, ut ex iis enuncient eventum tibi.* Idem cap. XLI: *Dicite Diis vestris, ut ventura prænuncient; eosque verè Deos confitebimur.*

Magno etiam consensu à SSis Patribus refelluntur, quotquot ex sideribus sic de futuris omnibus pronunciant, velut humani quidam Ioves. Vide eos in illud I Genes. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & sint in signa,* &c. Item Eusebium lib. VI Præparat. Euangel. Basilium in Hexaëmero; ubi hanc artem vocat πολυάσχολον ματαιότητα *: Ambrosium item in ejusdem tituli opere, Hieronymum in Is. cap. XLVII, Augustinum lib. II de doctrina Christiana. Etiam error hic damnatur concilii Braccarensis I, ca. VIII: *Siquis animas, & corpora humana, fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianistæ dixerunt; Anathema sit.* Vbi vis inest verbis, *Sicut Pagani, & Priscillianistæ dixerunt.* Nec enim omnis ex sideribus prædictio negatur: sed illa Chaldæorum, & similium: qua tollitur arbitrii libertas, sine qua homo id quod est, esse desinit: tollitur item Reip. salus, quæ hinc mandatis, & præmiis, inde interdictis, & pœnis constat: iisdemque de causis, religio omnis, ipsa etiam tollitur Christiana.

* *vanitatem ex abundantia otii profectam.*

Iure igitur ab Christianis quoque imperatoribus est decretum, ut Astro-

Astrologi hujuscemodi Vrbe ejicerentur : quemadmodum est in Codice tum Theodosiano, tum Iustinianeo, lib. IX ; utrobique Tit. de Maleficis, & Mathemat. Atque hoc, sine dubio, longè etiam vehementiori studio feciſſent, si jam illis temporibus eò vesaniæ Astrologorum prorupiſſet impudentia, ut non modò, quæ à voluntate pendent humana, verùm illa etiam, quæ unius Dei subjacent arbitrio, ut miracula omnia, vi siderum dicerent necessariò sic proveniſſe. Vt quando nativitatis Christi de Virgine, & tot tantorumque ejus miraculorum rationem, ex horoscopo adferre non verentur. Similis impudentia est, quando è siderum constitutione judicium ferunt de religione Iudæorum, Saracenorum, ac gentilium. Siquidem Iudæorum quidem religionem natam volunt ex conjunctione Iovis cum Saturno, ut planetarum summo : Chaldæorum autem sectam, quia Hebræorum, sive Noachi religionem prima excepit, exortam esse ex ejusdem Iovis conjunctione cum Marte, ut planetarum proximo. Ex conjunctione Iovis cum Sole, planetarum quarto, ortam esse hæresin Ægyptiam, quæ Chaldaicam est consecuta. Ac similiter ex conjunctione cum Venere proveniſſe Saracenicam : ex conjunctione Iovis, & Mercurii, originem ducere Christianam : ac denique cum Luna proventurum esse imperium Antichristi. Hæc legas apud Albumasarem lib. II de Mag. Conject. tract. I, differ. IV. Quantum verò fidei hæc mereantur, vel fidem fecerit, quòd idem Albumasar tradidit, religionem Christianam duraturam esse annis non amplius mille quadringentis, & sexaginta. Nam à tempore eo, quo Christus prædicare in terris cœpit, jam prope sesquiseculum est supra spatium ab Albumasare præfinitum : nec interea imminuta est religio Christiana, sed incrementa etiam, novo orbe invento, cœpit longè maxima. Ejusdem farinæ est, quòd ex illis scilicet fati conscriis sideribus R. Abraham Avenaris Iudæus collegit, venturum esse promissum Messiam anno Christi CIↃ CCCC XLIV, quo Iupiter cum Saturno futurus esset in Cancro : vel saltem viginti annis pòst, quando eadem conjunctio foret in Piscibus. Nam utrumque hoc intervallum jam ab annis CXC exspiravit : frustraque miselli alium exspectent Messiæ adventum, quàm glorioſum illum, quo in nubibus veniet ad judicandum orbem. Ac satis de Mathematicorum istis, qui sic fatum statuunt, ut planè interficiant arbitrii libertatẽ.

Alii tolerabilius errant : ut qui non vereantur quidem, ex siderum positura prædicere etiam, quæ honores, fortunas, vitæ terminum, & alia hujusmodi spectant : at fateantur interea, quæ dicunt, ejusmodi esse, ut duntaxat significent, quò natura ac voluntates nostræ inclinentur à sideribus. Secundùm hos igitur nulla infertur animis nostris necessitas : quia inclinatio ista non sit integra actionis causſa, cùm voluntas propensionem illam

mutare possit, & ubi est ad mala, non minùs debeat, quàm possit: atque ut faciliùs possit, multum conferant disciplinæ, ac consuetudo; quæ altera est natura: idque sæpius in corporibus quoque, ubi major est cæli vis, habeat locum. Atque hoc sensit etiam Ptolemæus: ut qui non uno dicat loco, sidera quidem inclinare ac disponere hominem; at non dirigere, quia hoc facultatis sit potentioris, voluntatis nempe; cui nulla adferatur necessitas, cum semper adversari possit proclivitati à sideribus allatæ. Vide eum de astrorum Iudic. lib. 1, cap. IV, text. XXIV, & XXV. Inter alia ait, ut magnes, si non impedias, fatali lege trahet ferrum; at non attrahet, si alium illeveris: ita humanas agere voluntates pro siderum positura, modò siveris eò ferri, quò propendent; sed acturas contrarium, si hoc studeant. Itaque in eo summam ponit Astrologiæ utilitatem, quòd, ubi ex ea didicerimus, quò astra inclinent; adversus malum prævisum cavere nobis meliùs sciamus, vel planè illud amoliendo, vel saltem reddendo levius. Atque hanc esse rationem ait, cur Ægyptii Medicinam cum Astrologia conjungant: quippe eos, pro constitutione cæli, præscribere alia atque alia remedia. Eodem pertinet quoque illud Ptolemæi libro ad Syrum fratrem, qui Καρπὸς, vel *Centum dicta*, inscribitur, aphorismo V: Δύναται ὁ ἔμπειρος πολλὰς ἀποτελέσεις ἐνεργείας τῶν ἀστέρων · *potest scientiæ hujus gnarus multas evertere siderum operationes.* Summùm igitur ex notitia siderali concluseris de animi propensione, non de vita ipsa. Quod in physiognomonia etiam locum habet; ut ex Socrate liquet: qui se naturâ mulierosum fatebatur; prout artis suæ fiduciâ dixerat Zopyrus: sed studio ac commentatione illud ajebat emendâsse; ut Tullius ait in II Tusculanarum: idemque, & præterea Aphrodisiensis, uterque libro de Fato.

Porro animus non est, cum iis serram reciprocare, qui non aliam vim tribuunt siderum posituræ: quippe sic quoque salva permanet arbitrii libertas. Quin, si volunt, largiar illis, admirandam siderum varietatem (seu magnitudinem, seu colorem, seu motum spectemus) persuadere nobis, vim quandam esse insitam sideribus, qua non in elementa modò, & muta agant animantia, sed etiam in corpora hominum; ac pro iis inclinari animos ad hoc, vel illud agendum. Sed hoc si dedero iis, non propterea concesserо, Astrologos in cælesti illo libro legere posse, quò cujusque animus naturâ vergat. Esto, ut etiam propensio omnium inde dependeat. At liber ille adeò subtiliter est scriptus, ut præter eum, qui scripsit, non dico, nemo illum planè plenéque apprehendat (nam hoc ne in vulgaribus quidem artibus, ac scientiis, locum habet) sed ii quoque, qui artis hujus habeantur intelligentissimi, exiguam solùm portionem capiant; eaq; ipsa particula tota sit στοχαστικὴ *. Quod ita esse, multis evincitur argumentis.

* conjecturalis.

Ajunt

Ajunt quidem, à Chaldæis obſervatum eſſe, ut pro hoc, vel illo cæli ſitu, hi vel illi effectus in homine conſequantur. Sed quomodo ſimilis per omnia ſit ſiderum poſitura, ſi demum, ut Ptolemæus ait, fixarum ſtellarum orbis circumvolvitur annis ſepties millenis; nona verò XXXVI millibus: imò, juxta alios, eadem cæli facies demum redeat exactis annorum XLIX millibus; quod *annum magnum* appellant. Præterea, ut in Chaldæa, ubi condita hæc fertur diſciplina, locum ea haberet: non propterea alibi, variante cælo, idem ſequeretur effectus. Adhæc illa, quæ de homine prædicant, vel temperamentum reſpiciunt, vel caſus fortuitos. Fortuita non pendent à cœlis, quia alioqui non fortuita eſſent, ſed neceſſaria. Temperamentum verò non duntaxat oritur à cœlo, ſed inſimul à parentibus. Proinde, ut de inclinationibus hominum poſſent prædicere, exquiſito opus erat, non modò de facie cæli, ſed etiam de temperamento parentis utriuſque. Nec ea vis eſt in tempore nativitatis, quæ in illo conceptionis. Quid quod multum etiam diſcriminis adfert, quòd alii aliis diutius geſtantur, ſeptem aliqui, nonnulli octo, alii novem, vel decem menſibus? Iam quàm incertam hanc reddit diſciplinam, quod crebrò naturalis illa propenſio, quæ infantiæ inerat, alia longè fit in adulto: quia educatio, & diſciplina, mutent hominis indolem? Atque ut hoc non eſſet, multa incidunt, ob quæ mens hominis, quæ libera eſt, inclinationem vincat. Denique nonne videmus, uno prope momento maximos cædi exercitus, ac plurimos eodem tempore, vel naufragio perire, vel peſtilentia? Haut dixerint, eodem eſſe natos tempore, cum tanta ſit ætatis diverſitas. Sed hîc reperere aliqui, quo ſe ictum illum exire arbitrentur. Ajunt, vim eam, quæ naſcentibus imprimitur, magnam quidem eſſe; at particularem interea: eoque vinci ab univerſali; quales ſunt bellum, peſtilentia, & ſimiles: atque hinc eſſe, quod mortes ſint diſſimiles, ſimili licet natis horoſcopo. Sed hoc cum dicunt, non videntur videre, quantum cauſſæ præjudicent propriæ. Quid enim probabiliter prædixeris, ſi inclinatio humana ſemper cauſſæ ceſſerit univerſali? Hujuſcemodi ſatis oſtendunt, hanc de ſideribus fati conſciis, ut Manilius ea vocat, diſciplinam, parum habere veriſimile, etiam cùm de ſola hominum propenſione ex horoſcopo judicatur: atque illos etiam nimium diſciplinæ huic arrogare, qui ajunt, ut principia ejus non ſint tam certa, quàm geometrica, vel arithmetica; ejuſmodi tamen eſſe, ut plurimùm ſic contingant: eoque ſimiliter hic habere, ac in medicorum conſiliis, & prædictionibus; quæ etſi fallant quandoque, non propterea contemni mereantur. Siquidem hæc immane quantum diſtant; ut cuivis perſpicuum eſt.

CAPVT

CAPVT XLIX.

Acceditur ad Fatum Stoicum; quo cum nihil non necessariò fieri dicatur, planè arbitrii spoliamur libertate. Quomodo Stoici Fatum definiant, ac tueantur. Quò inter alia pertinet distinctio caussarum principalium, ac adjuvantium: item inter conditionem hominis simpliciter, & hominis sic affecti: adhæc similitudo cylindri, in quo devolutio aliter est à forma propria, aliter ab impulsu alieno: denique distinctio eorum, quæ res naturales debent opifici, & quæ materiæ; quia duo Stoicis fuerunt principia, quemadmodum Magis. Quorsum preces fieri putarint in hac fatali necessitate. Manilii rejecta similitudo, qua improbum meritò censet exosum, utcunque alius esse non possit, instar herbæ venenatæ. Interea fatendum, Stoicæ sectæ complures probitate nulli alterius hæresios fuisse inferiores; præsertim in ferendis adversis dogmate eos fatali factos magis patientes. Qua mente Deum vocarint Fatum, & aliis nominibus.

HAbemus de Fato illo, quod Chaldæorum dicitur, ac Divinationem eam constituit, quæ ex sideribus petitur, sive, ut Plotinus putabat, sidera ipsa hoc Fatum nesciant, sed homines, divinandi artem edocti, hoc in siderum libro legant, velut in Deorum tabulis; quomodo nec aves in auspiciis scire credebantur, quæ prænunciabant: sive sidera omnium sint gnara, non tamen efficiant omnia, quæ aliorum est opinio: sive etiam Fata in se inclusa circumgestent, &, quæ facto opus sciant, ea foris efficiant: quam opinionem, ut dubius tamen, Seneca * proponit; Manilius † autem amplexus fuit: quippe qui non contentus *sidera* dicere *fati conscia*; continuò subjungat, — *Diversos hominum variantia casus.*

* epist. 88.
† lib. 1, initio.

Hanc verò è sideribus divinationem aliquo etiam in loco Stoici habebant: idque eo lubentiùs, quia hinc colligere sit, Fatali omnia fieri necessitate. Qui sidera quoque, unde divinatur, divina esse corpora judicabant: imò & Deos dicebant, ut pleniùs explicabitur, cum in Naturæ numine de Stoicorum agemus Deo. Ipsum etiam Fatum Dei nomine, & Deum Fati vocabulo nuncupabant: quod aliquanto pòst planum fiet. Etsi autem Fatum Stoicum nonnihil differat à Chaldæo illo, quod res omnes alligat necessitati: in præcipuo tamen conveniunt, quia utrumque arbitrii aufert libertatem. Siquidem κατ' εἱρμαρμένην πάντα γίνεσθαι, *omnia fato contingere*, etiam ea, quæ contingenter, fortunâ, aut casu, fieri dicuntur; traditum Zenoni, & Chrysippo, Posidonio item, & Boëtho; singulis horum in iis, quæ de Fato ex professo prodidere; teste Laërtio. Est verò iis εἱρμαρμένη seu Fatum, ut ibidē legas, αἰτία τῶν ὅλων εἱρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διοικεῖται· *caussa rerum implicata, sive ratio, per quam mundus administratur.* Ac similiter

apud

apud Stobæum in Eclog. Phyſ. λόγος καθ' ὃν τὰ μὴ γεγονότα γέγονε, τὰ δὲ γινόμενα γίνεσθαι, τὰ δὲ γενησόμενα γενήσεσθαι· *ratio, per quam facta ſunt facta; quæ fiunt, fiunt; fient, quæ futura.* Apud Agellium quoque lib. VI, cap. II, dicitur, ſecundùm Chryſippum, Εἱμαρμένην εἶναι φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων, ἐξ ἀϊδίου, τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἑπακολουθούντων, ἀμεταβόλου καὶ ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς· *Fatum eſſe naturalem compoſitionem univerſorum, ab æterno, mutuò ſeſe conſequentium, immutabili & inviolabili hac complicatione.* Vel, ſi malis interpretationem Agellianam, *Fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum, & catena, volvens ſemet ipſa, ſeſe & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt.* Primùm dicitur Chryſippo φυσικὴ σύνταξις, *naturalis compoſitio*, quia naturâ rebus ineſt: unde & *Natura* ſæpe à Stoicis vocatur. Additur ſeries τῶν ὅλων, *omnium*, hoc eſt, etiam eorum, quæ (ut loquimur) contingenter, fortunâ, aut caſu fiunt; quoniam nihil non fato fit. Sequitur ἐξ ἀϊδίου, *ab æterno*: quia cum Deus Naturam crearet, fatũ hoc rebus omnibus indidit. Subjicitur de complicatione immutabili, quia cauſſæ omnes in fatali hac catena nexu junguntur indiſſolubili: unde Fatum hoc Stoicis etiam vocatur *cauſſa, veritas, & neceſſitas.* Nec quicquam, ut diximus, hinc excipitur, non ulli actus humani, nedum terminus vitæ. Hanc ſententiam ſuam comprobant ex eo, quia non modò in naturalibus, ſed etiam in voluntariis, ſint cauſſæ antecedentes, cùm nihil ſine cauſſis fiat: eoque & voluntates humanæ includantur ſempiternæ cauſſarum ſeriei, quæ Fatum dicitur. Idem eo adſtruebant, quod pronunciatum omne ſit verum, aut falſum: exempli gratiâ: Cypſelus Corinthi, Piſiſtratus Athenis, Cæſar Romæ invadet imperium. Hæc futura fuiſſe, ex eo, quòd facta ſunt, cognoſcitur. Ab æterno igitur verum fuit pronunciatum hoc. At quod ab æternitate verum, id etiam certum: quodque certum, idem immutabile; cùm è vero in falſum converti non poſſit. Adhæc eo pugnabant, quòd ſit divinatio: ut oſtendunt vatum effata, atque oracula. At, inquiebant, nullæ forent de actibus humanis, vel certo mortis genere, temporeque, ante annos ſæpe multos prædictiones, ſi quæcunque futura prædicuntur, veréque futura ſunt, poſſent non fieri.

Interim in iſto cauſſarum nexu ſempiterno diſparem eſſe naturæ, ac voluntatis rationem, fatebantur. Nec enim exiſtimabant, hunc cauſſarum nexum ex æterno pendentium in voluntariis eſſe κυρίων καὶ συνεκτικῶν αἰτιῶν, hoc eſt, cauſſarum principalium, quæque efficienter antecedunt: ſed eſſe eum cauſſarum adjuvantium; ſine quibus res effici non poſſit. Quomodo colloquium cũ virgine cauſſa eſt amoris, atq; amor inhoneſti concubitus. Vtcunque enim non ſequatur in omnibus, vel ex congreſſu amor, vel ex amore flagitium: in quibus tamen ſequuntur iſta, ſunt ea, ut Tullius ait,

præcurſiones ad efficiendum. Ac tam adjuvantes cauſſæ, quàm principales, in fatali ſerie, licet diverſimode, includebantur: eóque & illæ præcurſiones, etiamſi non ſemper idem efficiunt, tamen quando efficiunt, non poſſunt non efficere, & cum non efficiunt, efficere non poſſunt: quia fatalis ſeries à Deo conſtituta omnium ſit rerum cauſſa; quàm humana mens infringere minimè valet. Hanc rem ſic Chryſippus declarabat libro de Providentia, Agellio interprete, lib. VI, cap. II: *Quamquam ita ſit, ut ratione quadam principali neceſſariò coacta atque connexa Fato ſint omnia: ingenia tamen ipſa mentium noſtrarum proinde ſunt Fato obnoxia, ut proprietas eorum eſt ipſa, & qualitas. Nam ſi ſint per Naturam primitus ſalubriter utiliterque facta, omnem illam vim, quæ extrinſecus ingruit, inoffenſius tractabiliuſve tramittunt. Sin verò ſunt aſpera & inſcita, & rudia, nulliſque artium bonarum adminiculis fulta; etiamſi parvo, ſive nullo, fatalis incommodi conflictu urgeantur, ſuâ tamen ſcævitate & voluntario impetu, in aſſidua delicta & errores ruunt. Idque ipſum, ut eâ ratione ſiat, naturalis illa, & neceſſaria rerum conſequentia efficit, quæ Fatum vocatur. Eſt enim genere ipſo, quaſi fatale, & conſequens, ut mala ingenia peccatis & erroribus non vacent.*

Adverſus iſta nihil æquè urgeri ſolet, quàm ſic omnium, etiam delictorum ac ſcelerum, Deum fore auctorem: quod naturâ animus omnium abhorret credere. Sed Chryſippus contendebat, etſi nihil non fiat neceſſariò, quia Fatum eludi nullâ vi, aut aſtu hominis, poſſit: tamen culpam in delictis, nõ Fato, vel Deo, ſed humanæ malitiæ, adſcribi oportere. Diſtinguebat autem inter hominem, conſideratum ſimpliciter, & hunc hominem, hoc eſt, hac vel illâ præditum ingenii proprietate. Vt exemplo iſta illuſtrem: quis dixerit, hominis, prout homo eſt, hanc eſſe naturam, ut ſit truculentus, vel libidinoſus? Quàm multi enim cohibere libidinem, temperare etiam à cædibus ſciunt! Attamen ſi ſanguinarium conſpexeris, præſertim qui impune aliquid poſſit, quis aliud ſibi perſuaſerit, quàm, ſi atroci injuriâ affectus videatur, cæde hoc alterius ulturum? Eſt alius in Venerem proclivis. Adeſt famoſa Lais, vel occaſio eſt illudendi pudicitiæ formoſæ provincialis uxoris; quàm ἑλκυστικὸν * aliquid habere, ajebat Varro. Quid aliud fiet, quàm, ut paratis omnibus, præceps, tauri inſtar, in Venerem ruat? Colligebat hinc Chryſippus, utcunque neceſſariò quidque fiat, non tamen Deum eſſe cauſſam cædis, ſed hominis truculentiam: nec penes Deum eſſe culpam volutationis cum ſcorto, vel commiſſi adulterii; ſed penes animum hominis libidine diffluentis. Vnumquodque enim cenſeri è cauſſa proxima: hanc autem non Deum eſſe, ſed hominis voluntatem, atque ingenium; quod uni contigerit mite, aſperum alteri; huic continentiæ amans, illi in libidines pronum. Declarabat autem hoc ſimilitudine

* attrahendi vim habens.

dine cylindri; qui si pede impellatur, initium dederis motus: at porrò ille præceps feretur, non quia tu moveris (nam quadro si idem feceris, mox quiescet) sed propriam ob volubilitatem, quam ex forma, modoque suo, habet. Similiter, inquiebat, à fato quidem esse impulsum aliquem voluntatis; sed cædem esse à propria voluntate, ingeniique truculentia: atque itidem libidines fædas incontinentiæ animi, ut caussæ proximæ, tribui convenire. Quam similitudinem non apud Agellium * modò, sed Tullium † etiam, legere est.

* *lib. 6, cap. 2.*

† *de Fato.*

Sed adversus ista objeceris, Deum esse opificem naturæ, tam sanguinariæ, quàm lenis; tam libidinosæ, quàm continentis: unumquodque autem agere pro natura, quam Deus indiderit nascenti; eóque, ubi necessarius est nexus, verissimum esse illud pronunciatum, caussam caussæ esse caussam caussati. Viderunt & hanc difficultatem Stoici: sed negarunt, Deum esse caussam totius naturæ: duo enim esse ejus principia; activum unum, Mentem æternam; & passivum alterum, materiem ei coæternam. Mentem esse optimam; sed materiei quædam inesse vitia: eoque hominum alios aliis esse meliores, prout ex meliore, vel deteriori sunt materie: neque in mala natura esse aliquam opificis culpam, qui ex materie istiusmodi id fecerit, quod potuit: quomodo nemo, quòd vitreum, aut fictile vas, fragile sit, aut quod vas ferreum ferrugine obducatur, artem fabri culpaverit, cum hoc vitium constet esse à materie, non ab opifice. Similiter igitur δύναμιν τῆς ὕλης κινητικὴν † (ut Chrysippus vocabat) caussam fecere mali tam culpæ, quàm pœnæ. De malo illo interno sic Seneca præfat. lib. 1 Nat. Quæst. *Virùm Deus, quod vult, efficiat; an in multis rebus illum tractanda destituant; & à magno artifice formentur prava multa, non quia cessat ars, sed quia id, in quo exercetur, inobsequens arti est.* Vbi id, in quod ars se occupat, materies est; quæ inobsequens est artifici, quia in ea lateat indoles malefica. De externis sunt illa ejusdem lib. de Providentia cap. v: *Quare tamen Deus tam iniquus in distributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adscriberet? Non potest artifex mutare materiam: hæc passa est.* Valdeque hæc Stoicorum sententia est vicina opinioni magorum, qui duo statuerunt principia; boni, bonum dæmonem, nempe Oromasdem, sive Iovem; & mali auctorem malum, Arimanium, sive Plutonem: ut tradidere Aristoteles, Hermippus, Eudoxus, & Theopompus; atque ex iis Laërtius in Præfatione sui operis. Deque eo ex antiquorum aliis dictum à nobis lib. 1, cap. v.

† *vim materiæ motricem.*

Objici præterea solet, ut sic Deus fuerit extra culpam, eaque resideat tota penes materiem hominis; in ista tamen actuum humanarum necessitate frustra ad Deum preces fundi. Sed Stoici regerebant, & preces, &

leges,& præmia,ac pœnas,esse in caussis & effectis fatalibus. Itaque cum Zeno cæderet servum in furto deprehensum, atque hic inclamaret,fato se furatum; respondit ille, *Et fato cæderis:* ut est apud Laertium.

Dixeris, quid nosse hujusmodi fatum juvat, cujus scientia & pietati, & virtuti,obsit magis,quàm prosit? Nam quantillus pietatis, vel quis honos erit virtutis,si nihil agere aliud valeam,quam faciam? Huic sic argumento obviam isset Iustus Lipsius: ex Stoicorum mente *, primas, ac insitas Fato caussas, à voluntate humanâ leviter inclinari, indeque aut præmium esse, aut pœnam. Sed quod ab Scholasticis in Aristotele factum esse, non semel dicimus, ut meliorem ei affingerent opinionem, quàm habuisset; nempe ne tanti nominis philosophus à veritate Christiana,extra ea,quæ ad Christum, & Spiritum ejus pertinerent, longè nimis abiisse videretur: idem ab Lipsio factum fuit in Stoicis, dum videri vult, propiùs eos abfuisse à Christianis, quam revera erat. Tuetur se eo, quem vel testem vel interpretem allegat,Manilio. Versus ejus adduximus,cùm de Fato Astrologico † ageremus. Verùm nihil aliud ille dicit,quàm,utcunque voluntas necessariò agat, nihilominus probos diligi, improbos odio esse: haut secus ac mortiferas odimus herbas, & fruges amamus,

Quæ non arbitrio veniunt, sed semine certo.

At quo pacto hinc elicias, prout homines Fati conditionem in melius flexerint, aut pejus,ita vel præmium mereri, vel pœnam? Imò quid apertius est, quàm planè eos contrarium dicere? Longè igitur aliud fuisset, quo Stoici hoc se argumentum eludere posse arbitrarentur. Nempe non ursissent principia illa de Fato; unde, quid sequatur, non disputabo: sed principia alia, de vita non secundùm affectus, verùm rationem, componenda. Et profectò cogitemus ipsum sectæ conditorem: à quo proverbium illud ‡, Τῷ φιλοσόφῳ Ζήνωνος ἐγκρατέστερος· *philosopho Zenone continentior.* Cogitemus etiam Catonem,Senecam,Epictetum,& tot alios. Fateri cogemur, genuinos Stoicos vitæ probitate nulli ex sectis aliis fuisse inferiores. Vt videri queant alia habuisse principia vivendi, alia differendi.

Præterea ajebant, sectam hanc inter alia ad hoc prodesse,ut cogitantes omnia evenire fatali quadam necessitate,patientes simus in adversis; gnari eos, qui non lubentes fatis obsecundent, obluctando sibi onus reddere gravius, quia frustra de eo se cruciant, quod corrigere est nefas.

Atque hujusmodi est Stoicorum opinio de Fato: quo nomine etiam Deum ipsum intelligebant. Nempe cum unum esse agnoscerent Deum, multis tamen vocabulis,pro vi diversa,appellabant. Vnde Laërtius in Zenone ait, eundem Deum & Iovem dici,& Mentem,& Fatum. Et Seneca in IV de Benef. cap. VII: *Vis illum Fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo*

* *Lipf. lib. 1 Physiol. Stoica cap. 14.*

† *cap. 47.*

‡ *Laert. in Zenone.*

quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum Providentiam? rectè dices. est enim cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis Naturam vocare? non peccabis. est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis Mundum? ipse est enim totum, quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens ut sua. Vbi videmus, Fatum Stoicis esse Providentiam; sed quæ afferat rebus necessitatem: esseque eam Providentiam Numinis, sed ita Naturæ ac Mundo permixti, ut hæc sint Dei ipsius corpus. Quam rem plenius explicabimus, cum de Natura sive Mundo agemus.

CAPVT L.

De Fato Christiano. Fati vox à veterum aliis rejecta, aliis admissa: rejecta, quando per illud intelligeretur nexus caussarum in sublunaribus cunctis vi siderum necessariò proveniens: recepta, si sic vocaretur divina de rebus creatis constitutio. Conciliati Augustinus, & Boethius; quorum illi Fatum est voluntas divina; huic verò secundarum caussarum ordo. Neutrum interea propriè dici: veriusque fatum esse complexum caussarum omnium, prout à Dei providentia dependent. Ne naturales quidem effectus esse ab necessitate absoluta; nedum actus humanos. Necessitatem fatalem spectari tum in præviſione omnium, tum in decreto Dei. Ex præviſione Dei non consequi aliam necessitatem, quàm impropriè dictam, sive illam infallibilitatis. Nec decreto Dei aliam induci, quam illam ex hypothesi, quæ consequentiæ necessitas vocatur. Vt proinde optimè conveniant, arbitrii libertas, & fatalis necessitas.

POst tam multa de multiplici gentilium Fato non immeritò aliquis requirat, ut Christianorum etiam de eo, ac antiquorum præcipuè, judicium afferamus. Vbi primùm de vocabulo, mox de re disiciendum. Nec enim è veteribus desunt, qui in totum damnare videantur ipsum Fati nomen. Vti B. Augustinus in v de Civitate Dei: cujus verba superiùs * adduximus. Atque idem tractatu xxxvii in Ioannem ait: *O si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum.* Sequitur quoque Gregorius M. homilia x in Euangelia: *Absit à fidelium cordibus, ut Fatum esse aliquid dicant.* Sed non refugit vocabulum hoc Boethius in iv de Consolat. Philosoph. prosi. iv; ubi Fatum definitur, *inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia divina suis quæque nectit ordinibus.* Nec rem improbat Augustinus, dummodo per illud intelligatur voluntas vel potestas Dei: sed eò vocabulum rejicit, quia sumeretur vulgò pro vi positionis siderum. Damnat igitur Fatum Chaldaicum; non illud, quo sua voluntati humanæ relicta est voluntas. Sed sic quoque aliquis inter Augustinum, & Boethium, dissensus videtur. Nam Augustino Fatum est voluntas Dei; Boethio, ordo secundarum causarum,

* cap. 47.

quatenus subest providentiæ divinæ. Sed sunt ista non difficilia conciliatu. Nam Augustinus Fatum spectabat, ut loquuntur, caussaliter; Boethius, formaliter. At quid refert, utrùm Fatum dicatur, voluntas Dei in caussis secundis ordinem constituens : an ordo in caussis secundis à voluntate Dei constitutus? Vtrobique enim agnoscitur, ordinem caussarum esse à Deo, ac secundùm illum omnia certo & infallibiliter evenire. Minùs tamen propriè Augustinus. Sed nec propriè satis Boethius, cum ordo sit relatio, Fatum autem relatio non sit : quippe pertinet ad caussam efficientem : relatio autem propriè non efficit. Sic verò ad caussam efficientem refertur Fatum, ut non sit caussa unica, sed congeries ac nexus caussarum secundarum, quatenus subjectæ sunt providentiæ Dei.

Interim hæc colligatio caussarum aliter se habet erga res naturales, aliter erga voluntates humanas. Valde enim falluntur, siqui fatalem illam necessitatem in eo constituant, quod Deus sic in creata agat omnia, ut & naturalia semper operentur pro vi semel inditâ, & humanæ voluntates pro impulsu divino bene maleve operentur, nec agere secus possint. Siquidem ne naturales quidem effectus sunt ab necessitate absoluta : quia multa contingunt interventu voluntatis humanæ, vel boni malive spiritus, per quos sæpe natura à Deo impeditur. Ac longè minus voluntas humana agit ex necessitate absoluta : quia sic tollatur ex rerum natura res omnium pulcherrima, libertas arbitrii; atque adeo religio ipsa. Nexus igitur caussarum secundarum ejusmodi est, ut illa quidem necessario fiant, quæ caussas habent necessarias : contingenter autem, quæ caussas habent contingentes. Atque utrarumque caussarum colligatio dicitur fatalis, quatenus in ea spectatur tum prævisio Dei, tum decretum. Prævisio, etsi certissima est, minimè tamen pugnat cum libero hominis arbitrio. Vtcunque enim millies cernam, aliquem nimiis se poculis perdentem; non eò scientia mea efficit, quò minùs ille liberè se inebriet, ac perdat. Quare cùm certissimò idem prævidet Deus, non eo prævisio illa libertatem tollet humanam, ac vel ebrietatis crebræ, vel interitus, fuerit caussa. Possis tamen dicere, necessariò, hoc est, certò, & infallibiliter, hominem se poculis perditurum; quia falli nequeat intellectus divinus. Sed hæc necessitas est impropriè dicta; quæ caussa rei dici nequit. Altera necessitas consideratur ratione decreti; quò Deus cuique suum præstituit finem, & hujus, & alterius vitæ ratione. Sed nunc intra hanc vitam consistamus. Illud convenit, non hominem, sed Deum, statuere cuique vitæ suæ terminum. Negari quidem nequit, hominem nimiâ Venere, & Baccho, & aliis id genus, naturam si spectes, vitam reddere breviorem. Sed constat item, Deum, auctorem naturæ, agere posse, & subinde agere, præter naturam. Vt quando impedit,

dit, quò minùs natura agat ex vi ſua. Innumera ſunt ejus rei exempla. Sed in termino me vitæ continebo. Convenit, ut arbitror, Regis Ezechiæ * morbum fuiſſe ſuâ naturâ letalem : à quo tamen convaluit, Deo morbi vim præpediente. Quare, uti dixi, ne in talibus quidem naturalis ſimpliciter eſt neceſſitas, ſed ſpectanda eſt Dei voluntas : quæ, morituro aliquo, ſtatuit permittere, tum ut agat homo, quibus ſibi, ſecundùm naturæ curſum, ad immaturam mortem paret viam : tum ut etiam natura more agat ordinario, quia non impedire eam decrêrit. His poſitis, neceſſitas moriendi conſequitur ; quia non poteſt non fieri, ubi Deus ſtatuerit aliquid permittere, quod, ſi ſinat, certò videat fore. Sed neceſſitas iſta eſt comparatione non voluntatis humanæ, verùm præſcientiæ ac decreti divini : nec eſt neceſſitas phyſica, ſive interna, vel conſequentis ; ſed logica, ſive ſyllogiſtica, vel conſequentiæ. Sit enim hoc majus pronunciatum. Si talis fuerit ordo rerum (exempli gratiâ) ut Fabius, vel Manius, propenſus ſit ad libidinẽ, inque aula, vel inter Venereos vivat nepotulos; ac Deus talem rerum ordinem, nullum vero virtuti naturali decernat impedimentum : certò iſtic loci, illo etiam morbo, qualis lues Venerea, corripietur, ac peribit. Minus pronunciatum eſt : At Deus decernit, ut ejuſmodi rerum ordo decurrat : utcunque prævideat, hominem ſic ſibi relictum vagâ & illegitimâ Venere peccaturum, &, ſe nullum virtuti naturali afferente impedimentum, fore prorſus, ut miſerè homo pereat. Complexio eſt : Fabius igitur, vel Manius, & tum, & ſic peribit. Rectéque hanc neceſſariam vocari conſecutionem, oſtendit Ariſtotelica † ſyllogiſmi definitio : ubi concluſio omnis neceſſariò conſequi dicitur, propter ea, quæ præmittuntur. Verùm uti hæc non eſt neceſſitas conſequentis, ſed conſequentiæ : ita nec decretum, quod dicebamus, ejuſmodi eſt, ut vim humanæ adferat voluntati. Quippe neque ſic conditionatum eſt, ut incertam relinquat prævisionem numinis : neq; ſic abſolutum, ut hominis evertat libertatem : aliâ interim mente, & abſolutum dixeris, & conditionatum. Licet enim non homo ſibi quiſquam ; ſed Deus illi præfiniat dies ſuos : non tamen ab decreto hoc excluduntur cauſſæ naturales, & actus humani ; quibus ad terminum illum, culpâ ſæpe humanâ, eâque evitabili, devenitur. Alioqui non Deuter. v, 16, juberemur honorare parentes, quò prolongentur nobis dies : nec Pſal. lv, 24, dicerentur viri ſanguinis, ac doli, non dimidiaturi dies ſuos. Et ſimilia ſunt alia præceptorum, promiſſionum, minarum, exempla. Licet autẽ non arbitrer, ullum hominis ingenium ſatis penetrare, quomodo decretum Dei, & libertas hominis, de certo vitæ fine conveniant : videtur nihilominus multum imminui difficultas, ſi prævisionem Dei conſideremus bifariam ; ut antecedit actus humanos, & ut ſequitur.

* *lib. 2 ſive 4 Reg. cap. 20.*

† *lib. 1 Analyt. priorum cap. 1, §. 8.*

sequitur. Præcedit ea cum conditione; eoque nihil ponit. Sequitur absolutè, quia ubi ad prævisionem conditionatam decretum de certa rerum serie à Deo accesserit: quod erat conditionatum, quodammodo naturam decreti induit absoluti. Conditionata quidem nihil ponunt, nisi positâ conditione: sed ponitur conditio, decernente Deo, se non impediturum actus liberos, quos fore prævidet, si non impediat. Cujusmodi prævisio cùm sit certissima; ubi decretum de non impediendo accesserit, neutiquam relinquitur meta vitæ incerta: sed ut incerta à nobis attenditur, præscindendo intellectum à decreto; quia permissio non est caussa sufficiens: ut certissima autem consideratur, quatenus decretum Dei spectatur, ut naturâ suâ posterius est actibus hominis prævisis. Sunt igitur decreta Dei, & voluntas humana, ὑπάλληλα *: nec quam Deus homini libertatem dedit, ullo ejus tollitur decreto; nec divinum infringitur decretum libertate hominis: sed pariter Deus, & disponit atque ordinat caussas, quæ sunt ab homine; & de fine decretum facit immutabile. Quibus abunde refellitur σόφισμα, quod dicitur λόγος ἀργὸς † & ab Tullio lib. de Fato, ac Origene adfertur in secundo contra Celsum. Optimè etiam hæc conveniunt cum iis, quæ B. Augustinus scribit lib. de bono perseverantiæ cap. XVII, & de correptione ac gratia cap. VII, & XIII: ubi ostendit, ut alios celerius, tardiùs alios, auferat ex hac vita, quò pariter & homini sua constet libertas, & Deo suum decretum, cuique suum constituens terminum. Quod si alia etiam, quæ pro hac sententia, vel quoque adversus eam, adduci posse videantur, scire sit cupido: Scholastici adeantur, more suo in utramque partem differentes: sed sic, ut homini acuto, & tamen magis studioso pietatis, quàm ingenii laudem affectanti, non obscure eluceat, quò trahat veritas. Iuvabunt etiam complurium eruditorum de vitæ termino judicia, quæ in epistolica de hoc argumento quæstione publici juris fecit vir amicissimus, atque ambigo, num elegantioris ingenii, an exquisitioris doctrinæ, Ioannes Bevervicius, Dordrechtanæ Reip. Senator, ac Medicus.

* *subalterna.*

† *ignava ratiocinatio.*

GE-

DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE, AC PROGRESSV,

LIBRI SECVNDI PARS II;

Quæ est de cultu Elementorum.

CAPVT LI.

A corporum cælestium cultu divinum ad honorem transitur, qui præstitus est elementis. Vnde elementa *dicantur. Vt definiantur ab Aristotele, & Galeno; qui ea considerarunt, ut corporum sunt prima, non corporum primorum principia. Sola ut principia sint mixtorum; etsi cælum, ab Aristotele etiam, laxiùs voce hac acceptâ,* elementum *appelletur: & quò attenderit philosophus, cùm sic loquitur. Ex his allata caussa, cur divinitas sit attributa elementis. Duplex ratio considerandi elementa, una pro ratione gravitatis, ac levitatis; altera pro qualitatibus primis: atque ut ex utroque quaternarium elementorum numerum collegerint. Et hæc, inter cætera, compulisse Pythagoram, ut* Τετράδα *pro sacro haberet numero; imò pro Deo, per quem juraret. Quid Orphei tetrachordo significetur. Quid Platonem impulerit, ut certas elementis figuras tribueret. Cur flamma fastigiatim assurgat, vera ex Theophrasto ratio adfertur. Propriè nullas esse elementis figuras: & quid attenderint, qui rectilineam tribuêre figuram: quò item, qui circularem; idque meliùs aliis, licet per accidens solum intelligatur. E philosophis Prodicum Ceum, & Empedoclem, elementis habuisse honorem cælestem. E gentibus Persas præisse: cumque hac sententia conciliati, qui unum coluisse Solem tradiderunt. Ex elementis prima Tellus in Deos relata. Sed primò Telluris nomine comprehensam universæ vim Naturæ, ab Æthere, & Sole, concipientem semina, ad alia, atque alia singularia, secundùm speciem suam, producenda. Quomodo ad Terram etiam referatur Ignis Vestalis. Quod dixeramus de Tellure primò ex Elementis culta, (nisi de Ægyptiis aliter fuit) id ratione, & testibus, comprobatum: ac propterea mirum videri, Græcum Salomonicæ Sapientiæ scriptorem, dum memorat tot Naturæ partes, veneratione divinâ exceptas, silentio suo præteriisse Tellurem.*

A cælestis naturæ cultu deventum est ad venerationem corporum inferiorum tum simplicium, tum mixtorum. Quorum priora dicuntur *elementa*: nempe, ut ἀναλογίᾳ ductus suspicor, à prisco *eleo*: quomodo ab *alo, alimentum*; ab *doceo, documentum*; à *moneo, monumentum*; ac par ratio in

ſacramentum,juramentum,rudimentum,incrementum, & aliis. *Eleo* antiquis idem ac *oleo*; ut *hemo*, dixere pro *homo*; *benus*, pro *bonus*; unde *bene*, & *bellus*. *Oleo* autem quandoque notat *creſco*; unde *olus*, quia terra ſuccreſcit: item *oleſcere*, *adoleſcere*, & fortaſſe *exoletus*, qui oleſcere deſiit; juxta Feſtum, Cæſellium, Priſcianum, Bedam. Elementis igitur fuerit nomen, quia ex illis, ut principiis, omnia generentur, & ſuccreſcant. Atque hoc etiam definitione eorum firmatur. Nam, ut eſt Metaphyſ. lib. IV, ſeu Latinis, V, cap. III, Στοιχεῖον λέγεται, ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος, ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος· *Elementum dicitur, ex quo quid componitur primò, ſic ut inſit, & ſpecie ſit indiviſibile in aliam ſpeciem.* Et mox: Τὰ τῶν σωμάτων στοιχεῖα λέγουσιν, εἰς ἃ διαιροῦνται τὰ σώματα ἔσχατα, ἐκεῖνα δὲ μηκέτ' εἰς ἄλλα εἴδει διαφέροντα σώματα· *Corporum elementa dicunt ultima, in quæ corpora dividuntur, illa verò non amplius in ſpecie differentia corpora.* Nec ab his abit definitio illa in tertio de Cælo, cont. XXXI: quam Scotus perperam putabat ſoli competere materiæ primæ. Omnino enim convenit, non abſolutè quidem, ut corpora ſunt naturalia, attamen relatione factâ ad mixtum: quod pluribus oſtendit doctiſſimus cardinalis Contarenus, opere de Elementis. Nec aliud voluit Galenus, cùm initio operis ſui de Elementis ait, ea eſſe πρῶτα καὶ ἁπλᾶ μόρια τῇ φύσει, καὶ μηκέτ' εἰς ἄλλα διαλυθῆναι δυνάμενα· *partes naturâ primas & ſimpliciſſimas, quæque in alia reſolvi nequeant.* Loquitur autem Galenus nobiſcum de elementis corporeis; non materiâ, & formâ; quæ principia cenſet, non elementa. Ac ſimiliter diſtinguit Plutarchus de Placitis philoſophorum. Nempe Galenus, & Plutarchus, ſequuntur Hippocratem, & veterum alios. Primus ſanè Plato, quem Ariſtoteles ſecutus, στοιχείων * nomine pro incorporeis principiis uſus eſt: ut ex Eudemo tradit Simplicius proœm. Phyſic. Nobis hic ſermo duntaxat de elementis, ut à principiis diſtinguuntur: hoc eſt, de primis & ſimpliciſſimis corporibus, ex quibus componuntur mixta inanima, & animata, tum rationis expertia, tum eâ prædita. Atque ex his etiam liquet, elementorum numero nunc excludi cælum. Scio, Ariſtotelem ipſum initio libri tertii de Cælo illud appellare, τὸ πρῶτον τῶν στοιχείων, *elementorum primum*: utcunque putaret, non ingredi illud compoſitionem mixtorum. Sed Ariſtoteles, cùm ſic loquitur, reſpicit compoſitionem non mixtorum, ſed mundi: quem conſtare docet quinque ſimpliciſſimis corporibus, primò omnium cælo, ac præterea quatuor aliis, unde mixta generantur.

* *elementorum.*

Quod ſi mixta omnia producuntur ex elementis: non obſcura eſt ratio, cur iis divinitatem tribuerint gentes. Nam ſic colligebant: ſi parentes colendi, quia illis originem debemus: quanto magis cultus eſt exhibendus elementis, unde parentes ipſi, & omne humanum genus, ut nunc cætera prætream, ortum ſuum ducunt. Conſi-

Considerantur verò elementa, tum ut partes mundi, tum ut principia mixtorum. Priori modo, pro differentiis formam constituentibus, gravitatem, & levitatem esse, tradidit Averroës in IV de Cælo *. Nam, inquiebat, pro duobus istis elementa locum occupant in universo: summè leve, ignis, supremum; remissè leve, aër, proximum: remissè grave, aqua, tertium: summè grave, terra, infimum. Quo argumento quatuor etiam, nec plura esse elementa, comprobavit. Posteriori ratione pro differentiis formarum constitutivis habentur primæ quatuor qualitates: quæ sententia est Alexandri, Ammonii, Philoponi, & Simplicii. Proque harum etiam συζυγία † quadruplici, quaternarius elementorum numerus colligitur. Nam si calor accesserit siccitati, est ignis: si humori, aër. Si frigus societur humori, est aqua: si siccitati, terra. Plato in Timæo in duobus abit. Nam ignis nomine etiam cæleste corpus comprehendit: ac præterea distinguit elementa qualitatibus secundis: aliter tamen, quàm ab Averroë factum vidimus. Siquidem ignis ei subtilissimus, acutissimus, mobilis: aër subtilis, obtusus, mobilis: aqua crassa, obtusa, mobilis: terra crassissima, obtusissima, immobilis.

* comment. 1, & 14.

† conjunctione.

Hunc elementorum quaternarium præcipuè attendit Pythagoras, cùm ei tantam vim etiam in rebus tribueret naturalibus. Vnde Hierocles ‡: Καὶ ἁπλῶς τὰ ὄντα πάντα ἡ τετρὰς ἀνεδήσαλο, στοιχείων, ἀριθμῶν, ὡρῶν τ' ἐτῶν, ἡλικιῶν συνοικισμῶν· *Et ut verbo dicam, quæcunque existunt, quaternarius colligavit: in elementis, in numeris, in anni tempestatibus, in ætatum contuberniis.* Ideo quaternarium vocabat πηγὴν ἀενάου φύσεως, *fontem æternæ naturæ*: etiam Deum dicebat, & quidem undecunque divinum: neque sanctius habuit juramentum, quam per quaternarium. Sed hæc infra fusiùs exponentur.

‡ in aurea carmina Pythagoræ.

Nihil verò æquè mirandum in elementis, quàm tam concors discordia. Hanc eorum harmoniam figurabat Orpheus suo tetrachordo. Nam uti in hoc quatuor sunt chordæ, quorum sonis permixtis suavissimus editur concentus: ita ex quatuor elementorum concursu mixta omnia generantur. Ac ut in tetrachordo ὑπάτη ὑπάτων sonum edit gravissimum; νήτη, acutissimum: atque ad gravissimum proximè accedit παρυπάτη ὑπάτων; ad acutissimum proximè παρανήτη: itidem in elementis, ut diximus, unum est gravissimum, Terra: unum levissimum, Ignis: ac præterea duo sunt intermedia, unum gravius, Aqua; alterum levius, Aër. Hic admirandus elementorum concentus ostendit, esse numen, per quod tantopere dissita, pugnantiaque, in mixtione rerum ita consentiant ac conspirent.

Idem cognoscere est ex comparatione illa à Platone instituta: cum figuras quatuor sic illis accommodat, ut pyramis igni respondeat, ὀκτάεδρον * aëri, εἰκοσάεδρον aquæ, terræ autem cubus. Nempe sic solent Platonici

* sex basium. Vide de his figuris, si visum, Euclidem, lib. 13, propos. 13, 14, & deinceps.

rerum naturam tegere abstractionibus Mathematicis. E. G. Terræ cubicam tribuerunt figuram ob ejus constantiam,& stabilitatem. At igni ajebant respondere pyramidem, tum quia figura hæc bases habeat pauciſſimas, eoque ad penetrandum sit maxime idonea, uti in elementis nihil est penetrantius igni : tum autem, quia ignis, modò eum ex igni nostro metiamur, basin habeat latiorem, inque acumen desinat. Sed de igne nostro magis placet ratio à Theophrasto adlata libro de Igne : nempe ut eo fastigiata sit flamma,quia quanto est superior,tanto longius absit à pabulo suo. De octaëdro, & icosaëdro, quæ objiciat Ioannes Grammaticus, videre est apud ipsum libro de Mundi æternitate. Sed ex Plutarcho de Oraculorum defectu occurrit illi Carpenterius in Alcinoi cap. 11.

Propriè verò loquendo elementa figuram certam non habent : cujus causſa est, quòd in mistura necesse fuit ea omnes recipere figuras. Aliqui tamen rectam iis tribuunt, aliqui circularem. Priores respiciunt ordinem elementorum in natura constituenda : posteriores eum attendunt in natura constituta. Nam elementa extra locum naturalem rectà feruntur, vel versus centrum, vel versus cælum. Sed profectò non si rectà tendant sursum, aut deorsum, eò rectam habent figuram : neque hoc dicit Aristoteles in 1 de cælo : sed solùm ait rectæ esse dimensionis. Meliùs posteriores, qui attendunt figuram in natura constituta. Nam cum gravia versus centrum ferantur, necesse est ea in orbem figurari : & levia cum cælum petant,quod sphæricum est, consequitur ea sic figurari, uti illud,quo continentur. Interim liquet, figuram hanc non propriam esse, sed accidentalem.

Venio ad illa, quæ propiùs tangant honorem elementorum divinum. Qui sic primo attributus iis,ut non eo propterea cælestia exciderent corpora; sed hunc cum cælis haberent communem. Quod de philosophorum etiam sententia dictum velim. Ita cum Sole, & Luna, elementa esse Deos, credebat Prodicus Ceus. Quod si in quorundam sententia siderum cultus non exprimatur; hi,credo, cæleſtes illos ignes intellexere. Vti fortè,cùm Simplicius scribit, Empedoclem Agrigentinum pro numinibus habuisse elementa cum lite & concordia. De gentibus totis res est liquidior. Quemadmodum de Græcis,& Romanis : qui Rheæ,Neptuni, Iunonis, aliisque nominibus,elementa signabant. Item Persis, qui præter Cælum,Solem,Lunam,& Venerem, venerati etiam sunt, καὶ πῦρ, & γῆν, καὶ ἀνέμους, & ὕδωρ, *& ignem, & terram,& ventos,& aerem* : ut clarè dicunt Herodotus in primo,& Strabo in xv. Dissentit tamen Trogus : qui unum ait Solem coluisse,ut antea * vidimus. Sed eo conciliare hos possis,quod antiqui Persæ Solem duntaxat venerati sint: at postea Persarum natio etiam

* cap. 9.

πολυ-

πολυθεότητα * admiserit : quod ita esse, planius postea faciemus. * multitudinem Deorum.

Ex elementis ante alia, ut arbitror, Tellus divinos obtinuit honores : idque laxè eâ voce acceptâ, ut signat hunc globum terræ & aquæ ; qui opponitur cælesti, hoc est, æthereo, & aëreo corpori. Nec enim primitus inter ætheream, & aeriam substantiam, distinxere : nec, Terram colentes, seorsum aquam honore dignabantur cælesti. Imò sapientes, ut postea dicetur, in Tellure universam coluere Naturam ; quatenus ea, ut femina consideratur : hoc est, prout attenditur vis Naturæ seminibus, è mascula Naturæ vi conceptis, novas rerum formas, nova corpora producens ; sive alia, atque alia singularia, quando omnia hæc caduca sunt ac fluxa, ejusdem generis ac speciei pariens. Vti masculam illam Naturæ vim Osiridem, Saturnum, aliisque nominibus vocarunt : ita femineam hanc, Isidem, Opim, & aliter, ut inferius ostendam. Paullatim autem glisçente Deorum Dearumque numero, separato dignati sunt cultu terram, & aquam ; separato item æthera, & aëra. Cùm verò ignis vel æthereus sit, vel terrestris (nam illum inter lunarem orbem, & aëra, non agnovere antiqui) æthereum coluere, cùm cælum, solem, sidera venerati : terrestrem, cùm terram honore prosequerentur divino. Nisi quòd ignis Vestalis quodammodo ad utrumque referatur. Nam in terris erat, & terrestri fomite constabat : idem tamen, si exstinctus esset incuriâ Vestalium, ad Solis accendi radios solet : atque adeo Solis etiam, sive ætherei ignis symbolum erat. De Ægyptiis tamen non refragor, siquis Aquam ab iis priùs cultam arbitretur : cujus caussam inferiùs adducam. Sed de nationum cæteris longè aliter censendum. Ab iis enim prima ex elementis Tellus honorem nacta est divinum. Cujus etiam rei laudare testem possumus Platonem. Vt qui in Cratylo tradat, Græcorum antiquissimos tantummodo coluisse Solem, Lunam, Astra, Cælum, Tellurem. Nec mirum adeò, si miseri illi ab æthereis corporibus prolapsi etiam sint ad cultum Telluris : quando post cælos ea princeps est Mundi pars : unde & Cæli ac Terræ nominibus, etiam in Sacris literis, rerum intelligitur universitas. Imò Deus die prima fecisse dicitur Cælum, & Terram : ut planè his debeatur principatus ; utcunque diebus sequentibus major iis accesserit ornatus. Etiam uti in cælis Sol, & sidera, continuò se ingerunt in sensus : ita in partibus mundi inferioribus primò oculis, & corporis, & mentis, Telluris se bona offerebant. Videbant homines, hanc esse locum & sedem suam : atque eandem esse altricem & hominum, & omnium animantium : hanc quoque esse metallorum, & omnium divitiarum, productricem. Hesiodus ideo principem illi in elementis tribuit locum : uti & Pherecydes Syrius. Plato quoque in Timæo vocat Deorum antiquissimam. Etiam Avicenna libro de

Cælo cap. ult. censet : Naturam primo sibi propositam habuisse productionem Terræ ; deinde autem elementa cætera , quia his egeat terra ad custodiam sui. Denique prope omnium ea est veterum opinio , Terram esse Antiquam matrem : quam Cælo nuptam dixere,quia ut in rerum generatione Cælum refert marem ; sic in eadem Tellus esset alma mater. Non dubium igitur , quin ea præ aliis visa sit cultum promereri divinum. Vt mirer à scriptore Sapientiæ Salomonicæ cultum eum præteriri. Nam cap.XIII,2, refert cultum cæli, siderum, ignis, aëris, venti , & aquæ : de terra silet, quam tot gentes coluere. Hoc, ut liqueat, de gentium præcipuis dicam.

CAPVT LII.

De cultu Telluris, ac primùm apud Phrygas : ubi Cybele *dicta,* Dindymene, Berecynthia, Pessinuntia, Mygdonia , *atque aliter : ac ratio nominum ostensa. Cur eadem* Asporene *potiùs,quàm* Aspordene, *nuncupata. Cur* Phasiana,& Cimmeris,*vocata : cur item* Cybeba. *Quomodo hæc Dea in veteribus fingatur aris. Quando ejus simulachrum Romæ , & à quibus , & quomodo soleat circumferri : atque ut illud unà cum leonibus mos fuerit abluere in fluvio Almone. Amasius Deæ dictus* Attes,Attis,Attin,Atys. *Neronis Cæsaris versus immeritò irrisi à Persio. Qua mente à Catullo Attin* mulier *dicatur.*

INitium esto à Phrygibus ; quibus colebatur Tellus sub nomine Rheæ, Cybeles,& aliis,quæ cum caussis suis referam postea. Quæcunque autem de hac Dea ab antiquis accepimus,ea vel veterem tangunt historiam, vel ad rerum pertinent naturam. Priori modo trifariam possumus Rheam intelligere. Vno,ut Rhea,quæ communis omnium mater dicitur,sit Eva, mater omnium viventium , uxor Adami , qui antiquissimus est Saturnus , quatenus Saturni nomine hominem capimus,non naturam. Altero autem, ut Rhea sit uxor Noachi,qui & ipse Saturni nomine censetur,quatenus ab eo sunt, qui progeniti post universalem cataclysmum. Tertio,ut particulatim signetur veterum Phrygum regina , quæ Attin bubulcum adamavit, & à morte sua communis omnium mater dicta est, quia cum Tellure,verè omnium matre,uno eodemque honore divino coleretur. Hoc modo consideravimus Rheam lib.I, cap.XX. Quare tum ea nobis adducta , quæ ad historiam tum reginæ hujus, tum amasii ejus, pertinerent.

Nunc alteram de Cybele ordiar dissertationem,quatenus ea consideratur, ut pars est naturæ : perque illam vel sola, vel præcipuè, Terra adumbratur. Omnis hæc disquisitio nobis tripartita erit,vel si malis, sex membrorum, cùm quæque trium partium alias minimùm duas sub se comprehendat.

hendat. Primùm enim dicam, tum de variis matris Deûm nominibus, ac ſimulachro ejuſdem : tum de vero amaſii ejus nomine , & cur, qui natura erat vir , mulier dicatur. Deinde enarrabo, tum diverſa nomina, quibus vocantur Cybeles ſacerdotes ; ac ritus , qui eos propiùs ſpectent : tum de ſacris ipſis, quis eorum auctor fuerit, & qui præcipuè in iis ritus obſervati. Denique exponam, quid tum per Cybelen, & Attinem, tum per ſacra eorum, myſticè denotetur.

Rheæ nomina longè ſe offerunt plurima : magnam verò partem ea petita ſunt à locis , ubi Diva coleretur. Talis eſt appellatio *Matris Phrygiæ :* ubi cur *mater* vocetur , exponam poſtea : quia autem in Phrygia, uti dictum, præcipuè coleretur , indeque cultus is Romam ſit tranſlatus , eò *Mater Phrygia* dicta eſt : uti & aliis vocata nominibus multis, pro locis Phrygiæ diverſis ; ut ex Strabonis x attingebamus lib. primo. In his etiam eſt *Cybele*, vel *Cybelle*. Mediam enim nunc correptam habet apud poetas, nunc porrectam. Servius putabat ſic vocari, quia Cybelejo furore correpti ſoleant κυβιςᾶν τῷ κεφαλῷ *. Sed Strabonis nobis potior eſt auctoritas : cui & favet Heſychius : Κύβελα, ὄρη Φρυγίας. Κυβέλη, ἡ μήτηρ τῶν θεῶν. *Cybela, montes Phrygiæ : Cybele, mater Deorum.* Stephanus : Ἔστι καὶ Κύβελλα Φρυγίας, καὶ Κύβελλον ἱερὸν, ἀφ' ἧς Κυβέλη ἡ Ῥέα λέγεται, καὶ Κυβεληγενὴς, καὶ Κυβελίς· *Etiam Cybella in Phrygia, & Cybellum templum; unde Rhea dicitur Cybele, & Cybeligena, & Cybelis.* Similiter quoque Feſtus, Suidas, & Etymologus : qui addit , Κύβελον montem in Bithynia ſtatui ab Alexandro Polyhiſtore. Nempe loca in confiniis conſtituta , nunc huic , nunc vicinæ tribui ſolent regioni.

* caput rotare.

Item Δινδυμήνη , ἡ Δινδυμία , teſte Stephano ; qui Δίνδυμα ὄρη τῆς Τρωάδος facit. Δινδυμήνιος, ut Strabo in x , ſic & Pauſanias dixit in Achaicis , & Bœoticis : Horatius item lib. 1, od. XVI : μητέρα Δινδυμίην Apollonius in primo Argonauticôn. Minutum hoc, pro priori corruptè eſſe apud Heſychium , Δινδύμια, μήτηρ θεῶν ἀπὸ Δινδύμων ὀρῶν τῆς Φρυγίας· *Dindyme , mater Deum, à Dindymis, Phrygiæ montibus.* Vel Δινδυμίη, μητέρα reſcribendum.

Ἰδαία item ab Ida , monte Phrygiæ ; ut eſt apud eundem. Atque ita Idæam matrem vocitat Halicarnaſſenſis lib. XI : item Livius , Lucretius , Maro, Naſo, & quis non ?

Berecynthia itidem à Berecyntho, Phrygiæ urbe; unde & regio ejus *Berecynthia*, iiſdem teſtantibus.

Peſſinuntia à Peſſinunte ; quæ à Tullio de Aruſp. Reſp. dicitur , *ſedes domiciliumque matris Deorum.* In Galatia collocat Stephanus : ſed eâ parte ſitum , quâ Galatia magnam attingit Phrygiam ; ut gemino eſt Strabonis loco in x. Et priùs Phrygiæ fuit. Ammianus lib. XXVI : *Valens Peſſinunta*

ſigna

signa properè tulit, Phrygiæ quondam, nunc Galatiæ oppidum. Hinc Dea Romam translata; ut à Livio traditum lib. xxix, & Strabone lib. x; ac de eodem sic Ammianus lib. xxii: *Vnde dextrorsus itinere declinato, Pessinunta convertit, visurus vetusta Matris magnæ delubra: à quo oppido, bello Punico secundo, carmine Cumano monente, per Scipionem Nasicam simulacrum translatum est Romam.* Imò non defuere, qui hanc in urbem cælitus fuisse delapsum Deæ simulachrum putarent: atque inde urbi, nempe ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod est *cadere*, *Pessinunti* nomen datum fuisse.

Etiam *Mygdonia mater* dicta est, non à Mygdonia Macedoniæ, sed Phrygiæ: quam itidem agnoscit Stephanus: Μυγδονία, μοῖρα Μακεδονίας, καὶ ἑτέρα Φρυγίας τῆς μεγάλης ἀπὸ Μύγδονος· *Mygdonia, pars Macedoniæ, & altera Phrygiæ Majoris, sic dictæ à Mygdone.* Nec de alia intelligere licet illud Horatii lib. iii, od. xvii:

Quàm si Mygdoniis regnum Haliattici
Campis continuem.

Vbi Mygdoniam non obscurè contiguam regno facit Haliattico, hoc est, Lydiæ; cui primo Haliattis, pòst Crœsus filius, præfuere. Vt neque dubitandum sit, quin vera sit lectio, quam omnes ejusdem poetæ codd. præferunt lib. ii, od. xii:

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.

Vtcunque genuinum alioquin videri possit:

Aut pinguis Phrygiæ, aut Mygdonias opes.

Quomodo Servius citat in illud secundo Æn. *Trojanas ut opes:* credo, quia non altera, quàm illa Macedoniæ Mygdonia, toto mari Ægeo, & ultrà, dissita à Phrygia, animo nobilis Grammatici obversaretur. Mygdoniæ matris meminit Valerius Flaccus lib. iii Argonaut.

— Ancipitem lymphaverat urbem
Mygdoniæ Pan jussa ferens sævissima matris.

Quemadmodum & per *Mygdonios planctus* sacra Phrygia intelligit lib. viii:

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætáque jam Cybele.

Claudianus de consulatu, quē Manlius Theodorus cùm Eutropio gessit:

Perfossique ruant populo pallente leones,
Quales Mygdonio curru frenare Cybelle
Optat.

Strabo in decimo, inter alia nomina, quæ Dea à Phrygiæ locis acceperit, etiam esse ait, quòd Πυλήνη vocarint. Quis locus dederit hoc nomen, nusquam dicit. In epitome * Strabonis pro eo est, Πυλήνη, καὶ Κυμήνη. Πυληναῖον in Phrygia agnoscit Ptolemæus.

* pag. 146.

Etiam

Etiam Phrygiæ est mons Αγδίστις, secundùm Pausaniam in Atticis. Indeque etiam Rhea *Agdistis*, vel *Agdestis*, est vocata; quemadmodum ait Hesychius *. Aliis non Dea, sed Attis, Cybeles amasius, *Agdestis* videtur nuncupatus. Sed de isto abunde dictum nobis lib. I, cap. XX.

* in Αγδίστις.

In Troade, quæ Phrygiæ minoris pars, sunt Ανδειρα oppidum, ac sub Anderis μητρὸς θεῶν Ανδειρηνῆς ἅγιον· *Anderenæ, matris Deorum, delubrum*; ut est apud Strabonem in XIII. Ac aliquantò pòst apud eundem legas, ut prope Pergamum sit civitas Ασπόρδηνον: quo in nomine quia audiri videtur obscena vox πορδῆς, *peditûs*, eò ab aliquibus vocari Ασπόρηνον: atque hic, inquit, est τὸ ἱερὸν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν Ασπορηνῆς· *fanum matris Deûm Asporenæ.*

Nec solùm à Phrygiæ, vel conterminis; sed aliis etiam, quibus coleretur, longéque dissitis locis, nomen Dea accepit. Vti cùm in Colchide dicta est *Phasiana*. Meminit Arrianus in periplo Ponti Euxini: Εἰσβαλλόντων δὲ εἰς τὴν Φάσιν, ἐν ἀριστερᾷ ἵδρυται ἡ Φασιανὴ θεός· Εἴη δ' ἂν ἀπόγε τῶν σχήματος τεκμαιρομένῳ, ἡ Ρέα. Καὶ γὰρ κύμβαλον μετὰ χεῖρας ἔχει, καὶ λέοντας ὑπὸ τῷ θρόνῳ, καὶ κάθηται ὥσπερ ἐν τῷ μητρῴῳ Αθήνησιν ἡ τῶν Φειδίου. *Intrantibus Phasin à sinistris Phasiana Dea apparet; quam, ex ejus specie atque forma, Rheam esse, conjicere licet. Manibus enim tenet cymbalum, leones habet sub throno, sedetque, ut illa Phidiæ Athenis in æde matris Deorum.*

Imò culta etiam Dea apud Cimmerios: unde Κιμμερὶς vocitata. Hesychius: Κιμμερὶς, ἡ μήτηρ τῶν θεῶν· *Cimmeris, mater Deorum.*

Atque hæc sunt nomina à locis, præcipuè Phrygiæ, imposita huic Divæ. Ex cæteris unum suffecerit dixisse, quia caussa ejus ex sacris Deæ petita est. Est hoc Κυβήβη, & Κυβήβα. Festus: *Cybebe mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur, quòd ageret homines in furorem, quod Græci κυβήβειν dicunt.* Nec est, quòd quis *Cybelen* legendum arbitretur. Nam continuò subdit: *Cybele verò eadem dicta à loco, qui est in Phrygia.* Etiam *Cybebe* agnoscit Eusebius in Odyss. B †: Κυβήβα διὰ τῶν α, ἢ Κυβήβη διὰ τοῦ η, ἡ Ρέα. *Cybeba per A, vel Cybebe per E, Rhea.* Etiam apud Hesychium legendum, Κυβήβη, ἡ μήτηρ τῶν θεῶν. *Cubebe, mater Deorum.* At perperam vulgo Κυβήκη. Vti & apud eum legas, Κυβῆκαι, θεοφορεῖται, κορυβαντιᾷ. Vbi malim, Κυβήβει. Sanè apud eundem est, Κύβεβις, γάλλος, κίναιδος. Nempe uti Dea ipsa Κυβήβη, ita sacerdos ejus Gallus κύβεβις, vel potiùs κύβηβις, pro quo κύβηβος est apud Eustathium, loco antè memorato: ac similiter Etymologus: Κύβηβος, παρὰ τὸ κύπτω, ὁ κατακύψας. Κυβήβειν, κυρίως τὸ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ῥίπτειν. Atque ad hoc κυβήβειν, quod notare ait *rotari in caput*, addit, matrem Deûm dictam esse Κυβήβην, quia Galli, qui ei ministrarent, furore correpti, capita vi jacerent, ut de Mænadibus loquitur Catullus ‡. Itaque & pro Κύβικος, puto Κύβιβος, vel κύβηβος, rescribendum esse in illis Hesychii verbis, ut nunc leguntur: Κύβικος, ὁ κατε-

† pag. 1431, edit. Rom.

‡ Carm. de Atti & Berecynthia.

χόμενος τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, κυβηλίκον τρόπον· *Cybicus, occupatus afflatusque à matre Deorum, ad morem Cybeliticum.* sive, *sacerdotum Cybeles.*

Atque hæc quidem de nominibus Deæ. Etsi verò in extrema demum operis hujus parte de simulachris Divûm agere animus sit: hoc tamen loco non refugiam memorare aliqua de effigie matris Phrygiæ, quæ vetustis in aris compâret. Multum enim inde lucis accesserit iis, quæ ad sacra Deæ pertinent.

Romæ ara est marmorea in ædibus, quæ fuere Cardinalis Cæsii. In ea est Cybele, capite turrito, insidens currui à leonibus vecto; dextrâ spicas ac milium, lævâ autem tympanum tenens; ac pedum habens à tergo. Inscriptio est, M. D. M. I. ET ATTINIS: ubi singulares literæ valent, *Magnæ Deum Matri Idææ*; ut dixi lib. 1. Subest verò inscriptio ista:

L. CORNELIVS. SCIPIO. OREITVS
V. C. AVGVR. TAVROBOLIVM
SIVE. CRIOBOLIVM. FECIT
DIE. IIII KAL. MART
TVSCO. ET. ANVLLINO. COSS.

Dextro latere binas est conspicere incisas faces transversas, unà cum crotalis; sinistro autem fistulas. Quorum omnium figuræ in Collectione Inscriptionum Gruterianâ exprimuntur pag. XXVII, num. III. Etiam Romæ, haut procul à Cæsia domo, est ara Cybeles; cujus prima facies habet inscriptionem: aversa facies, duas lances, poculum, lituum, aliud instrumentum ad cochlearis modum. In latere dextro est pinus, & sub ea taurus: appendent item tympanum, & fistulæ. In sinistro autem latere est pinus, & sub ea aries, atque appendent mithra, pedum, & quiddam simile lanci. Figuram etiam instrumentorum ibidem est videre expressam.

Item Romæ ædis Sancti Nicolai in Calcaria habet aram ingentem: inscriptum ei hexastichon Græcè, cujus initium antea adduximus: Latinè verò habentur ista:

PETRONIVS. APOLLODORVS. V. C
PONTIFEX. MAIOR. XV. VIR. SACR. FAC
PATER. SACR. DEI. INVICTI. MITHRAE
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO
VNA. CVM. RVF. VOLVSIANA. C. F CON
IVGE. XVI. KAL. IVLIAS. DD. NN
VALENTINIANO. ET. VALENTE. AVGG. III. COSS
ARAM. DICAVIT

In latere aræ dextro turrita est Cybele à leonibus vecta: adstat pinus, & sub ea taurus. In lævo latere habes mithratum Attin, bis cinctum: dextra

dextra tenet fistulas, & crotala; læva autem pedum. Superiùs est cernere tympanum; ponè autem pinum, & sub illa arietem: sub hisce seorsum est taurus. In parte aversa videas transversas tædas, lituum, pateram, guttum sive urceum, & sympinium. Habes apud Gruterum pag. XXVIII. Ac ibidem pluria reperias id genus.

Atque ex his inter alia videre est, qualis esse effingi soleat Cybele. Simulachrum hoc ejus circumgestabatur Romæ VI Kal. April. Quod fieri quomodo soleat, docet Dionysius Halicarnassensis lib. II Antiquit. Vbi sic de matris Idææ sacris scribit: Θυσίας αὐτῇ, καὶ ἀγῶνας ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος οἱ στρατηγοὶ κατὰ τοὺς Ρωμαίων νόμους· ἱερᾶται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ, καὶ γυνὴ Φρυγία· καὶ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύπους τε περικείμενοι τοῖς στήθεσι, καὶ καταυλούμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῷα μέλη, καὶ τύμπανα κροτοῦντες. Ρωμαῖοι δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις, οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως, ποικίλην ἐνδεδυκὼς στολὴν, οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν τοῖς Φρυγίοις ὀργιασμοῖς, κατὰ νόμον, ἢ ψήφισμα βουλῆς. *Quotannis enim Romani prætores sacrificant ei, ac ludos celebrant: sacrum autem faciunt Phryx, & Phrygia, Deamque per urbem circumferunt, stipem colligentes magnæ Deæ, ex more, imagines de pectore gestantes, & ad eorum, qui sequuntur, in honorem matris Phrygiæ, hymnos tibiâ concinentes, tympanáque pulsantes. Nullus verò est ex indigenis Romanis, qui matri magnæ stipem colligat, aut tibiâ canens per urbem incedat, variâ indutus veste, aut orgia ejus Phrygio ritu celebret: idque sic statutum lege, aut senatusconsulto.*

Etiam simulachrum hoc Deæ Almonis fluvii undis abluebatur. Ovid. IV Fast.

Est locus, in Tiberim quà lubricus influit Almon,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpureâ canus cum veste sacerdos
Almonis, dominam, sacraque lavit aquis.

Vbi non solam Cybelen lotam indicat; sed etiam sacra; uti leones; unde Claudianus:

Prælatoque lavas Phrygios Almone leones.

A cognominibus Deæ, & iis, quæ ad simulachrum ejus attinent, venio ad amasium ejus: in cujus nomine non conveniunt veteres. Plurimùm Αττης vocari solet: unde Pausanias in Achaicis, ὁ αὐτὸς Αττης *: &, Αττῃ πεποιημένων †: item, τὰ ἐς τὸν Αττην ‡. Apud Hesychium etiam est, Αττης *, τὸν Αττην φασὶ Λάκωνις. Aliis tamen Αττις. Harpocration: Αττις, Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος. Ο Αττις παρὰ Φρυξὶ μάλιστα τιμᾶται, ὡς πρόπολος τῆς μητρὸς τῶν Θεῶν. ATTIS, *de quo Demosthenes pro Ctesiphonte: Attis à Phrygibus maximè colitur, velut famulus matris Deorum.* Verùm hodie Demosthenis codd. habent Αττης. Sed alterum etiam rectum esse, liquet ex Suida, qui Αττις agnoscit; si standum editione Mediolanensi, Aldinâ, & postea consecutis: imò

* *ipse Attes.*
† *Attæ factum, dicatumque.*
‡ *illa Atten spectantia.*
* *Attes, sic Atten vocant Lacones.*

& in MSo sic reperit H. Stephanus. Interim suspectior est locus, quia non ordine suo vox ea ponitur; sed inter Ατίζω, & Ατίθασσον. Adducuntur ibidem verba hæc Demosthenis, orat. pro Ctesiphonte sive de Corona: Υης Ατλις, Ατλις Υης. Sed hodie apud Demosthenem ibi Ατλης legitur. Ac Strabonem quoque; qui & ipse in decimo †, ubi ista ex Demosthene adducit, Ατλης habet. Validius, quòd ibidem adferuntur hæc ex Theopompi comœdia, quæ Καπηλίδες ‡ inscribebatur: Κολάζομαί γε σὲ, καὶ τὴν σὸν Ατλιν· *Puniam te, tuumque Attin.* Vnde Suidas collegit, accusandi casu non Αττια dici, sed Αττιν. Ac habes hoc non semel apud Diodorum in tertio. Est igitur, ut ὄφις: ac gignendi casu Ατλιος, & Ατλεος facit. Vnde & in veteri ara, quæ est Romæ in æde Beati Nicolai:

† *pag.471, edit. Paris. an.1620.*

‡ Copæ, *sive mulieres cauponantes.*

Μητέρι τῇ πάντων Ρείῃ, τεκέων τε γενέθλῳ,
Ατλει θ' ὑψίστῳ καὶ συνιέντι τὸ πᾶν.
Omnium Opi matri, simul omni progeniei,
Attique excelso, quem nihil orbe fugit.

Accusativum ejus reperias in Latina etiam inscriptione:

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin.

Sed possit hæc forma etiam esse ab Ατλις Ατλιδος, ut dicimus, Πάρις τοῦ Πάριδος, τὴν Πάριδα, καὶ Πάριν. Sic τοῦ Ατλιδος σῶμα * est apud Diodorum Siculum loco antè memorato. Est quoque Romæ, in S. Luciæ, ara ingens marmorea; cujus inscriptio sic incipit †: DIS. MAGNIS. MATRI. DEVM. ET ATTIDI SEXTILIVS, &c. Similiter habes in veteri inscriptione aræ, quæ Romæ est in ædibus Colotianis ‡: M. D. M. ID. ET ATTIDIS MINOTVRANI *. Vbi priora, ut dictum, valent, *Magnæ Deum Matris Idææ.* In summo item aræ est: M. D. M. IDÆÆ. ET ATTIDI MINOTAVRO.

* *Attidis corpus.*

† *Collect. Grut. pag.28, num.2.*

‡ *ibid. num.4.*

* *Pro* Minoturani *rescribendum* Menotyranni: *ac inscriptione item proxima* Menotyranno *pro* Minotauro: *ut monitum Cl. Salmasio, notis in Lampridium.* Μηνοτύραννος *est mensium rex, & anni moderator: quod Soli convenit. At Attis est Sol: ut planius fiet cap.54.*

Imò & rectus est Αττὶν Αττῖνος. Nempe ut alia pleraque tum in Σ, tum in N exeunt: qualia ἀκτὶς, ἀκτὶν· δελφὶς, δελφὶν· Σαλαμὶς, Σαλαμὶν: & Latinis, *pollis, pollen; sanguis,* antiquè *sanguen.* Xiphilinus ex Dione in Nerone: Εκιθαρῴδησέ τε Αττῖνα, ἢ Βακχὰς ὁ Αυγουστος, *Augustus cecinit Attidem, & Bacchas.* Sic enim optimè in Catulli Gallijambum emendavit Scaliger: ubi in utraque Stephanica: Αττιν τινα, *Attin quendam.* Macrobii quoque est lib. 1 Saturn. cap.XXI: *Circa matrem Deum, & Attinem.* Item inscriptione aræ marmoreæ, quæ Romæ est in ædibus cardinalis Cæsii: M. D. M. I. ET ATTINIS; ubi singulares literæ quid valeant, nihil attinet toties repetere. Etiam Menoreæ in Hispania est fragmentum cum inscriptione hac:

M. BADIVS. HONO
ET. CORNELIVS. SILV
TEMPLVM. MATR. MA
ATTHIN DE. S. P.

Vbi

Vbi extrema valent, *Matri Magnæ, & Attini de sua pecunia*: vel, *de suo posuit*. Recto usus Cæsar Nero *:

— *Berecynthius Attin*,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

* *apud Persium sat. 1.*

Quæ cur Persius derideret, non magis caussa erat, quàm hoc ejusdem:

Sic costam longo subduximus Apennino.

Vel etiam:

Et raptum vitulo caput ablaturo superbo.

Ac imprimis illud:

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Vbi ob oculos habuit Nero illud Catulli de nuptiis Pelei, & Thetidos:

Multi rauciſonis efflabant cornua bombis.

Nec immeritò Seneca † disertissimum vocat versum illum Neronis:

Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ.

† *lib. 1 Natural. Quæst. cap. 9.*

Denique & Ατυς & Ατυος dixere; ut Φόρκυν Φόρκυνος, & Φόρκυς Φόρκυος. Imò & consonarum, quæ geminantur, alterâ abjectâ, *Atys, Atyos*. Vnde Galliambis in veteri editione ‡ Catulli inscriptio est, *De Berecynthia, & Aty*. Ac poeta ipse sic carmen orditur:

‡ *Regii Lepidi an. 1481.*

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

Et similiter toto poematio.

Quia verò Attis sese evirârat, ideo se apud Catullum vocat mulierem:

Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer.

Ita quoque est in editione prima; quæ Regii Lepidi prodiit anno cIↃ cccc LXXXI. Aliqui legunt *puber*: sed obstat, quod Attis pro temporis ratione conditionem suam recenset, ac per gradus ad pueritiam devenit: ut non potuerit pubertatis mentio fieri, nisi post adolescentiam. Sententia igitur est, nunc in mulierem sum conversus, qui antè adolescens, antè ephebus, imò ante puer eram. Sese autem vocat mulierem, uti pro *Gallos* inibi maluit dicere *Gallas*. Nihilo melius est *inuber*: quod duobus placuit eruditissimis viris. Nempe ut *inuber* sit ἀπογάλακτος, sicut *sububer* ὑπομαζιος, ut veteres glossæ interpretantur. Nec enim *inuber* eâ significatione dicitur: sed longè aliâ; idque ab *uber* pro *pingui*: quomodo Agellius * *ostreas inuberes* dixit, quæ senio Lunæ factæ sunt macilentæ.

* *lib. 20, cap. 8.*

CAPVT LIII.

Sacerdotes matris Phrygiæ vocati Curetes; *sed distinguendi Curetes Ætolici, Phrygii, ac Cretici. Vnde* Curetes; *ac eâdem, unde* Acarnanes *dicantur. Nec* Curetes *solùm, sed &* Corybantes *appellatos, &* Cabiros, *&* Telchines, *&* Gallos, *& eorum antistites* Archigallos; *ratioque horum adducta nominum. Sacerdotes Cybeles Samiâ eviratos testâ, tanquam aliis cotibus acutiori: nec propterea rectè putasse Nonium,* Samium *idem esse ac* acutum. Gallantes, *pro* furentibus. *Vestis Gallorum diversicolor. Caput iidem rotabant; unde* tremuli *dicuntur B. Hieronymo. Inungebant capillos; faciem candidâ velabant bysso; mulierum instar formabant gressum suum; ut Deam sanguine suo placarent, lacertos cruentabant; denique à populo mendicabant æra. Sacra Deæ vocata* Μητρῷα. *Sacros Deæ ludos vocari Megalenses; à quibus diversos esse ludos Magnos, sive Romanos. Quis auctor sit Megalensium. Dea Phrygia à leonibus gestata. Aries ei mactatus, unde* Criobolia *dicta: item taurus, ex quo nomen* Taurobolio; *quod &* vulgo Tauropolium. *Pinus in his sacris gestata; quæ cæsa ex luco Cybeles. In iisdem sonuisse lituum, crotala; præcipuéque cymbala, tympana, tibias. Edisse se jactabant ex tympano, bibisse ex cymbalo: deque variis, unde biberent, vasis; item aliis sacrorum instrumentis.*

DE variis matris Deûm nominibus, & simulachro ejus; de amasio item Attine; hactenus vidimus. Accedo ad secundum; quod est de sacerdotibus, & sacris. In sacerdotibus duo considerabimus; tum nomina, quibus variè sunt appellati; tum ritus, qui eos propiùs tangunt.

Sacerdotes Rheæ quàm multa sortiti sint nomina, docet his verbis Strabo in x: Οἱ παραδιδόντες τὰ Κρητικὰ, καὶ τὰ Φρύγια, ἱερουργίαις τισὶν ἐμπεπλεγμένοι *, τῶν μὲν μυστικαῖς, ταῖς δ' ἄλλως, περί τε τὴν τοῦ Διὸς παιδοτροφίαν τὴν ἐν τῇ Κρήτῃ, καὶ τοὺς τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ὀργιασμοὺς ἐν τῇ Φρυγίᾳ, καὶ τοῖς περὶ τὴν Ἰδὴν τῶν Τρωικὴν τόποις. Τοσαύτη δ' ἐστὶν ἐν τοῖς λόγοις τούτοις ποικιλία, τῶν μὲν τοὺς αὐτοὺς τοῖς Κουρῆσι τοὺς Κορύβαντας, καὶ Καβείρους, καὶ Ἰδαίους Δακτύλους, καὶ Τελχῖνας ἀποφαινόντων· τῶν δὲ, συγγενεῖς ἀλλήλων, καὶ μικράς τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς διαστελλόντων †· ὡς δὲ τύπῳ εἰπεῖν, καὶ κατὰ τὸ πλέον ἅπαντας ἐνθουσιαστικούς τινας, καὶ Βαγχικοὺς, καὶ ἐνοπλίῳ κινήσει, μετὰ θορύβου, καὶ ψόφου, καὶ κυμβάλων, καὶ τυμπάνων, καὶ ὅπλων, ἔτι δ' αὐλοῦ καὶ βοῆς ἐκπλήττοντας κατὰ τὰς ἱερουργίας ἐν σχήματι διακόνων τε, καὶ τὰ ἱερὰ τρόπον τινὰ κοινοποιεῖσθαι· ταῦτά τε, καὶ τῶν Σαμοθρακῶν, καὶ τὰ ἐν Λήμνῳ, καὶ ἄλλα πλείω, διὰ τὸ τοὺς προσπόλους ‡ λέγεσθαι τοὺς αὐτούς· Ea sic reddidit interpres: *Qui Cretenses res tradunt, Phrygiásque, ii quibusdam sacris ministeriis implicant Curetes, cùm arcanis, tum aliâs Iovis in Creta educationi puerili, & Matris Deum sacrificiis in Phrygia ac locis circa Idam Trojæ montem. Ingens est diversitas istarum*

* MSus ἐμπεπλεγμένοι.

† MSus διαστελλομένων.

‡ MSSi προπόλους.

rum narrationum : alii eosdem cum Curetibus ponunt Corybantas , Cabiros , Idæos Dactylos, Telchines : alii cognatos inter se , & exilibus distinctos differentiis. Vt in summa dicam, ab omnibus furore quodam divino correpti, & bacchantes describuntur; qui armatâ saltatione cum tumultu & strepitu, tintinnabulis, tympanis, armis, tibiâ, & clamore , in sacrificiis perterreant homines sub administrorum specie. Atque hæc sacra quodammodo communia habere pleraque censentur cum Samothraciis, Lemniis, aliisque compluribus ; ideo quòd iidem omnium famuli perhibentur. Hactenus Strabo. Κουρῆτες unde dicti sint, non convenit. Cujus caussa est, quòd triplices sint Curetes ; Ætolici , Phrygii, & Cretici. Ætolici inhabitarunt Chalcidem: cumque priùs comam alerent, sed ab iis, quibuscum de Lelanto campo decertarent, capillis apprehenderentur in pugna, noluere deinceps pugnare intonsi : atque ex eo dicti Κουρῆτες , quia κουρὰ est *tonsura :* uti contrà, qui trans Acheloum habitarent, vocati *Acarnanes,* quia non tonderentur, ex α στερητικῷ, & κείρειν, sive καρεῖν, quod est *tondere :* unde & nomen *carminis,* non ejus quod canitur , sed quo carminatur. Ab his igitur Chalcidis Curetibus censent Curetas Phrygiæ matris administros esse ortos : ac propterea nomen, quod secum attulerant, retinuisse. At Curetas Creticos sic nominatos censent, vel ab ætate, quia κοῦροι, sive κόροι, hoc est, adolescentes forent : (tales enim erant , qui in armis saltarent) vel à ministerio , quia Iovem κόρον, hoc est, puerum, educassent. Aliis tamen placet , Rheam partui propinquam è Phrygia arcessivisse Curetas in Cretam : quomodo vetus nominis ratio & in his habuerit locum. Et favet huic opinioni Euripides in Bacchis; ubi Curetas magnæ matris, & Iovis alumnos, pro iisdem habet. *Corybantes* dici putarunt, quia κορύπτοντες βαίνοιεν, hoc est, *saltantes incederent.* Cumque de Curetibus ambiguum sit, num origine sint Chalcidenses, an Phryges : de Corybantibus magis convenit, eos esse αὐτόχθονας * , & Aborigines Phrygum. *Cabiros* ajunt vocatos à Cabiro, Berecynthiæ monte. *Idæos Dactylos* , dictos quidem *Idæos* ab Ida monte , ad cujus pedem habitarent : *Dactylos* autem , quia quinque essent numero, ac totidem haberent sorores : ut juncti repræsentarent numerum τῶν δακτύλων, sive *digitorum.* Denique *Telchines* appellatos , quia novem numero Rheam è Rhodo comitati essent in Cretam : quæ priùs *Ophiusa,* postea *Telchinis* † , uti incolæ *Telchines.* Nec tamen de istis veteres omnes convenere : sed alii alias adduxere caussas : quas apud Strabonem legere est. Planéque est verisimile Καβείρους potiùs ab Hebræo fonte esse ; ut diximus cap. XXXI.

* *indigenas.*

† *Strabo in l. 4.*

Sacerdotes quoque Deæ hujus *Galli* vocabantur. De nominis caussa diximus antea ‡ . Nunc itaque contentus sum Herodiani illo lib. I : Εν δὲ τῷ προειρημένῳ Πεσσινοῦντι πάλαι μὲν Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραῤῥέοντι , ἀφ' οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ Θεῷ τομίαι ἱερωμένοι . *Pessinunte eo quem diximus ,*

‡ *lib. I. cap. 20.*

diximus, Phryges olim celebrabant Orgia, juxta fluvium Gallum : à quo etiam evirati Deæ sacerdotes nomen suum obtinent. Præcipui eorum dicebantur *Archigalli :* uti Plinio lib.xxxv,cap.x, Tertulliano in Apologetico cap. xxxv, veteri Iuvenalis interpreti in sat. IX *, & in vett. inscriptionibus : ubi legas †, IVLIANI ARCHIGALLI : sed imprimis illustris illa ‡ : C. CAMERIVS. CRESCENS. ARCHIGALLVS. MATRIS. DEVM. MAGNÆ. IDÆÆ. ET. ATTIS. POPVLI ROMANI. VIVVS. SIBI. FECIT.

* *vers.62.*

† *Grater. Collect. pag.* 30, *num.*2.

‡ *p.*308, *num.*7.

In hisce sacerdotibus,ac famulis Deæ Matris,novem ista præcipuè spectantur ; eviratio,furor,vestitus multicolor,capitis jactatio,capillorum inunctio, mollities incessus, lacertorum sectio, ejulatus, & æruscatio.

Solitos evirari,idque ad tibiæ cantum, ostendimus lib.I, cap.xx. Fiebat autem id testâ Samiâ. Caussam adfert Plinius lib.xxxv, cap.XII : *Samiâ testâ Matris Deûm sacerdotes,qui Galli vocantur,virilitatem amputant; nec aliter citra perniciem, si M. Cælio credimus; qui linguam sic amputandam objecit gravi probro.* Gallorumque exemplo quidam simplicis homo ingenii, ut sese ulciscceretur de uxore, Samiâ testâ sibi, & penem, & coleos demessuit. Quâ de re sic Lucillius in VII Sat.

Hanc ubi vult male habere, ulcisci pro scelere ejus,
Testam sumit homo Samiam, sibique illico telo
Præcidit caulem, testesque una amputat ambo.

Adducit Nonius in *Samium :* quod Grammaticus ille exponit *acutum :* ridiculè planè, cùm coticulæ quidem sectioni maximè accommodatæ è Samo peti soleant : eoque *samiare* dixerint pro *Samia cote acuere :* at non propterea gladium, rostrum, vel saxum, Samium pro acuto liceat dicere. Verba autem Lucilii adduxi, uti corrigit Hadr. Iunius. At pro istis, *Sibique ilico telo,* in membranis Nonii nostri MSSis est, *Ibi an uno telo inquit :* in aliis autem pro *an uno,* est *anulo.* In vulgatis etiam pro *præcidit,* est *præcessit.* Ac Victorius lib. XVII, cap. XVII ait, *Animadvertendum illic à præcido præteritum tempus præcessit formatum esse.* Sed nunquam à *præcido,* fit *præcessi :* & in optimis,quas dixi,membranis nostris, clarè *præcidit* legitur : quæ absque dubio vera est lectio.

Alterum erat de furore Gallorum : de quo item plusscula diximus lib.I, cap.xx. Suffecerit igitur hoc loco, quòd inde *gallare* dicantur, qui gallorum imitantur insaniam. Varro Eumenidibus * :

Nam quæ venustas hic adest gallantibus † ?
Quæ casta vestis ?

Vbi & mentio vestis : quæ tertium ex novenis erat. Hæc multicolor fuit. Ποικίλῳ στολῇ * vocat Dionysius lib.II Antiq. Vnde Fulgentius in Mythol. *Ideo &* (sacerdotes Cybeles) *multiplici veste,quod omnis potentia ornata sit.*

* *apud Nonium in* Castum.

† Gallatibus *est in Aldina, & MSo nostro. Sed* gallantibus *jam olim recti editum in Mediolanensi anni* 1500.

* *variam stolam.*

De

De capitis jactatione itidem diximus *. Ac meminit ejusdem Naso in IV Fast. — *molleſque miniſtri*
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Et Lucanus lib. I †: — *Crinemque rotantes*
Sanguineum populis ululârunt triſtia Galli.

* *lib. I, cap. 20.*

† *vers. 565.*

Ac ad hanc capitis rotationem, non, uti Eraſmus putabat, ad Divæ anilitatem, pertinet, quod *tremuli* dicuntur apud B. Hieronymum epiſt. ad Marcellam: *Hiſtrio nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelen.*

Crines etiam aromatis erant dilibuti. Præterea vultum candidâ velabant byſſo. Sic molles iſti, corporibus luxurie diffluentibus, femineum in morem incedebant. Quæ tria, inter alia, complexus eſt B. Auguſtinus lib. VII de Civit. Dei cap. XXVI: *De mollibus eidem Matri Magnæ, contra omnem virorum mulierumque verecundiam, conſecratis, qui, uſque in heſternum diem, madidis capillis, facie dealbatâ, fluentibus membris, inceſſu femineo, per plateas, vicoſque Carthaginis, etiam à populis, unde turpiter viverent, exigebant.* Madidis quippe capillis dicit, ut Iarbas de Ænea, ad Cybeles comites alludens, IV Æn. ait:

Et nunc ille Paris, cum ſemiviro comitatu,
Mæonitâ mentum mitrâ, crinemque madentem,
Subnixus, rapto potitur. —

Vbi Servius, *madentem* exponit, *unguentatum. Facie dealbatâ* idem ac *linteæ veſtis candore puro luminoſi*; ut pro eo dixit Appulejus XI Met. * Fluentia membra cum inceſſu femineo adſignat; uti de Mæcenate dixit Velleius in ſecundo: *Otio, & mollitiis, penè ultra feminam fluens.* Quomodo item Martialis ait lib. V, epigr. XLII:

* *pag. 201, edit. Raphel.*

Spadone cùm ſis eviratior fluxo.

Et tam molles tamen quædam maſculè videbantur agere. Nam, inſpectante populo, lacertos ferro cruentabant: partim ad placandam Deam, quia ſanguine, ac præcipuè humano, propitiari numina credebantur: partim ob cauſſam naturalem, quam inferiùs dicam. Hoc de ritu ſic Statius Papinius in decimo Thebaidos:

Sic Phryga terrificis genetrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferro *Scire vetat.*

Appulejus lib. VIII Metam. *Diuque capite demiſſo, cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes, & nonnunquam ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod ferebant, ſua quiſque brachia diſſecant.* Tertullianus Apologet. cap. XXIV: *Archigallus ille ſanctiſſimus ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat.* Prudentius Paſſione S. Romani:

Cultrum in lacertos exſerit fanaticus,
Sectiſque Matrem brachiis placat Deum.

Sidonius carm. XI, sive Epithalamio Ruricii, & Iberiæ :

Hic &, Sigæis specubus qui Dindyma ludit,
Iam sectus recalet Corybas.

Quem locum non satis cepit doctissimus Savaro : nam *sectus* interpretatur, sincipite tonsus, unde κυρῆτες vocati. Atqui longè est verisimilius, eum respicere ad illud, quòd Corybantes in sacris Cybeles brachia secarent ferro. Nisi simplicius videatur, *sectus* exponere *eviratus, castratus*, ἐκτετμημένος τὰς ὄρχεις, qui & simpliciter ἐκτομίας. Possis etiam ad hanc sectionem referre Ovidii, & Tibulli locos, quos adduxi lib. I, cap. XX.

De ejulatu ac planctu Gallorum, ibidem legi.

Stipem quia cogerent mendicando, eò dicti μητραγύρται, hoc est, *ærusca-tores magnæ matris*. Vidimus de eo Oratoriarum Institut. lib. IV, cap. VI, sect. IV. Ac infrà, cùm de Idæa matre agetur, ostendam, hoc commune fuisse Rheæ, & Isidi. Romæ autem nonnisi ad paucos, eosque præfinitos dies, colligere stipem licuit : idque ne implerent animos superstitione : quam rationem adfert Tullius in secundo de Legibus. Atque hæc æruscatio etiam Carthagine obtinuit B. Augustini temporibus : ut cognoscere est ex verbis superiùs * adductis.

* Ect ipso capite.

A sacerdotibus Cybeles, venio ad sacra ipsa : ubi ut priùs dicta sint, videndum : deinde considerabimus rem ipsam. Sacra hæc, quia fierent in honorem matris Idææ, eò Μητρῶα vocabantur : unde Μητρωακὴ βίβλος † Procli Lycii : quo de opere inferiùs ‡ loquar. Quia verò eadem Dea appellaretur Μεγάλη θεὸς, ἢ μήτηρ, eò & sacra ejus Μεγαλήσια dicebantur : unde & Latinis *Megalenses ludi* : nempe quia in honorem Magnæ Matris fierent. Hoc liquidò testantur Cicero de Haruspicum Responsis, Varro lib. V de L. L. Livius lib. XXIX. At valde fugit ratio sive Donatum, sive Asperum, vel alium, cujus de Comœdia & Tragœdia quædam vitæ Terentii, à Suetonio Tranquillo perscriptæ, subjiciuntur. In iis legere est : *Megalenses, magnis Diis consecrati*. Quod longè aliter est. Nam magnis Diis, quales tres illi, Iupiter, Minerva, Iuno, consecrati erant ludi Romani, sive Magni : quod clarè dicit M. Cicero lib. V Act. in Verrem. Atque hos instituit Tarquinius Priscus ; ut est apud Livium lib. I. At Megalenses demum inducti, ubi Mater Magna Pessinunte advecta est Romam : quod contigit anno Vrbis Io XLIX, M. Cornelio Cethego, & P. Cornelio Tuditano coss. Hunc antiqui illius Grammatici errorem secutus etiam eruditus Hispanus, Antonius Goveanus : eoque nomine reprehendi meruit à disertissimo Mureto *.

† de sacris magnæ matris.
‡ cap. sequenti.

* Muret. in Terent.

Hæc de nomine sacrorum matris Idææ. Nunc de re dicendum : ubi quinque hæc occurrunt. Primùm de auctore. Deinde de animantibus ad sacra

sacra Deæ pertinentibus. Hinc de arbore, quæ in sacris ejus gestabatur. Exinde de sacris Musicis, quorum iis usus. Denique de poculis, facibus, aliisque instrumentis, quæ in iisdem sacris usurparunt.

Sacra Cybeles primus instituit Dardanus; ut ait Clemens Alex. Admonitione ad gentes. Sed Attes Lydus, de quo tam multa antè diximus, primus eorum auctor statuitur à Luciano de Dea Syria. Multum verò honori eorum detractum est temporibus Constantini Magni; qui Dindymenen matrem, unà cum leonibus utrimque simulachro appositis, in forum transtulit Byzantinum; ut à Zosimo in secundo Historiæ novæ proditum est.

Proximum est, videamus de animantibus, quæ cernere erat in sacris Cybeles. Hujusmodi erant leones, vehendæ Deæ: item aries, & taurus, ut mactarentur. De leonibus, ex Arriani periplo locum antea adduximus, cùm de Phasianâ matre ageremus. De iisdem Zozimus loco proximè memorato. Item Claudianus lib. 1 de R. P. — *Blandique leones*

Submisere jubas, aditis gavisa Cybelle
Exilit, & pronas intendit ad oscula turres.

Ab ariete, qui & in vett. lapp. conspicitur, dictum sacrum κριοβόλιον: cujus in iisdem mentio fit. Is aries arbori alligabatur, priusquam mactaretur. Quod Iulius Firmicus tractum ait ab exemplo Abrahæ patriarchæ. *Vide*, inquit, *quid sibi ludibriosius hostis invenerit. Abrahæ immolaturo filium jussu Dei aries supponitur, & in vicinæ arboris radicibus immolatur.*

Itidem taurus, quem in iisdem aris videmus, nomen sacro dedit taurobolio, ibidem memorato. Imò ut criobolii, sic taurobolii quoque mentio est apud eundem Firmicum, secundum certissimam doctissimorum hominum * emendationem. Quare cognomen hoc ταυροβόλα variis convenit Deabus. Nam & Minerva Ταυροβόλος in Andro insula colebatur, teste Suida: & Diana quoque vocata est ταυροβόλος, quia confecerit telis suis taurum à Neptuno immissum Hippolyto, ut fabulantur. Simplicius sanè dixeris, id nomen tributum Dianæ, ut Deæ venatrici.

* *Ioa. Wouweri, & aliorum.*

Cæterum apud Hesychium, & Suidam, etiam ταυροπόλη, & ταυροπόλιον: atque itidem in Collectione Inscriptionum Gruteriana non solùm *Taurobolium*, sed etiam *Tauropolium* legitur. Quid mirum? quando & Diana non modò ταυροβόλος, sed etiam ταυροπόλος nuncupatur. Hoc nomen ei Ister † in III Miscellan. datum putabat, quia taurum illum Hippolyto immissum in varias egerit terras. Apollodorus autem malebat ex eo esse nomen, quia Dea ipsa tauri instar cuncta circumeat: quod Græcè est πολεῖν. Simplicissime dixeris, Lunam, quæ est Diana, jure vocari ταυροπόλον, quia corniculata, eoque tauri referens cornua, cursu suo diu noctuque omnem lustrat terrarum orbem.

† *apud Suidam in* ταυροπόλος.

De pinu libro primo diximus, ut ea in medio continens simulachrum Attinis, ac lanis circumvoluta, & ramis coronata violaceis, gestari soleat in sacris. In gestatione ea cum planctu & ululatu illidebant pectus suum: unde Statius Papinius *, versibus ex parte antea memoratis:

* lib. 10 Thebaidos vers. 165, & segq.

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, consumtaque brachia ferro
Scire vetat: quatit ille sacras in pectora pinus,
Sanguineosque rotat crines.

Vbi extrema verba videntur expressa ex isto Lucani lib. 1, paullo ante nobis adducto: — *Crinemque rotantes*
Sanguineum populis ululârunt tristia Galli.

Sic enim pro *Sanguinei* rescripsi, partim Papinii loco impulsus, partim vett. editt. atque etiam MSSis: in his illo, quem habeo comitate Amplissimi, & veteri amicitiâ, atque affinitate, junctissimi, Davidis de Ruyter, in Brabantica Fœderatæ Belgicæ Curia Senatoris.

De pectore autem in pinum illiso similiter Claudian. lib. 1 in Eutropiũ:

Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abscindere cultris.

Ea pinus cædebatur ex luco pineo Cybelæ sacro: de quo sic Dea ipsa IX Æneidos:

Pinea sylva mihi multos dilecta per annos
Lucus in arce fuit summâ.

Et Prudentius in martyre Romano:

An ad Cybelles ibo lucum pineum?

Instrumenta musica, quibus in sacris Cybeles uterentur, varia erant. In his etiam lituus, & crotalum: ut ex vett. aris superiùs vidimus. Sed præcipua fuerunt cymbala, tympana, & tibiæ: cymbala ex ære, tympana ex tergo animantis, & tibiæ ex buxo. Vnde Statius Papinius in VIII Thebaidos: — *Gemina æra sonant, Idæaque terga,*
Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Ac eopse etiam ordine junxerat Catullus carmine sæpius memorato:

— *Sequimini*
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deæ.
Vbi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Itidem tria hæc, ac præterea cornua, expressit Lucretius lib. II:

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentis.

Sæpius

Sæpius duo ex his jungere contenti ſunt poetæ. Vt tibiam, & cymbalum, Claudianus lib. 1 de R. P.

Non buxus, non æra ſonant. —

At tympana, & cymbala, lib. 1 in Eutropium:

— *Habeas pro Marte Cybellen,*
Rauca Celenæos ad tympana diſce furores,
Cymbala ferre licet.

Sæpe etiam unius ſolùm meminere. Vt cymbali Maro III Æn.

— *Corybantiáque æra.*

Vnde dea dicta Χαλκόκροτος. Heſychius: Χαλκόκροτος, ἡ Ῥέα, διὰ τὰ κύμβαλα· *Æriſona, Rhea, propter cymbala.* Tympani item mentio in hoc Catulli de Attine: — *Cepit manibus leve tympanum*

Leve tympanum Cybelle, tua mater initia.

Atque alibi Varronis locum adducimus ὄνος λυρας. Ad tibiam pertinet illud in Ciri:

Ictave barbarico Cybeles antiſtita buxo.

Et Papinii hoc, quincto Thebaidos:

— *Cùm ſacra vocant, Idæáque ſuadet*
Buxus. —

Porrò ex tympano etiam comediſſe, ex cymbalo bibiſſe, arguit Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes: ubi commemorat, ut initiati ſacris Atyos, Cybeles, & Corybantum, ſoleant dicere: Ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὴν παστὸν ὑπέδυον· *Ex tympano comedi, ex cymbalo bibi, craterem geſtavi, ingreſſa ſum thalamum.* Iulius Firmicus hanc formulam ſic refert libro de errore profan. relig. *De tympano manducavi; de cymbalo bibi; & religionis ſecreta perdidici: quod Græco ſermone dicitur:* ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. Ita ille.

Poculis etiam variis uſi. De cymbalo, unde biberent, jam vidimus. Variæ etiam formæ vaſa referunt aræ vett. ſuperiùs memoratæ: quæ poculi, pateræ, gutti ſive urcei, & ſympinii vocabulis nuncupant editores.

Alia quoque inſtrumenta in iiſdem repræſentantur: ut mitra, faces, lances, pedum. Ferrum etiam geſtabant. Lucretius lib. II *: * verſ. 621.

Telaque præportant violenti ſigna furoris.

Vbi ſignificat cultros, quibus lacertos ſive brachia vulnerabant; ut aliquanto antè vidimus.

CAPVT LIV.

Per Matrem Phrygiam significari principium Naturæ passivum, præcipueq; Lunam ac Tellurem: sive vim generatricem, quatenus à Luna derivatur, à Terra autem recipitur. Cur dicta Mater tum Deorum, tum hominum. Cur vocetur Μαῖα, Δημήτηρ, Φερέφατ[illegible]α. *Attis notat tum fruges, tum Solem. Procli Lycii* Μητρῳακά. *Quid significarint per Gallorum castrationem, per lacertorum cruentationem, per Deæ ablutionem, per caput ejus turritum. Cur* Ορεία *dicta. Vnde sit, quòd feminæ Cilissæ, ac Mysicæ, caput velent tegmine, quod turrim referat. Quid in sacris Cybeles signarint faces, tympanum, cymbalum: quid item Attinis fistula, & virga. Cur aer terram vehere dicatur. Cur Rheæ cor sacrarint.*

QVæ hactenus attulimus de Cybeles sacris, ea partim adducta, ut meliùs veteres intelligantur scriptores; partim ut animadversa cæcitate gentilium, gratiores erga Deum simus, Christumque ejus; qui Euangelii luce tenebras de mentibus dispulit nostris. Nunc ad alterum venio caput, quomodo pleraque omnia eorum, quæ hactenus enarravimus, rerum adumbrarint naturam.

Ab ipsa ordiar Dea. Hæc si attendatur, prout numen est naturale: quemadmodum per Saturnum intelligitur principium naturæ activum, ac cælum imprimis, inque cælo potissimùm Sol: ita quoque per uxorem ejus capere oportebit principium naturæ passivum, ac præ naturæ cæteris, in cælestibus quidem Lunam, in elementis autem Tellurem. Itaque Hesychius, cùm priùs dixisset, Κυβήβη (sic enim apud eum esse legendum, diximus antea) subjungit, eandem esse Rheam, per quam nunc Luna intelligitur, vel Tellus; nunc junctim vis Lunaris, & Tellus eam recipiens, utraque ut rerum omnium generatrix. Addit Hesychius, eandem esse Βένδιν: nempe quia hoc nomine comprehendebant Lunam, & Tellurem; ut pleniùs dicetur, cum de Thracum cultu agam. Sed utcunque Rhea, & Bendis, tum Lunam, tum Tellurem signet; hic loci solùm consideramus, quatenus Tellurem designat; unde & *Rhea* dicta est. Nec enim Ῥέα est ἀπὸ τοῦ ῥέειν, quod est *fluere*, sive quia sit caussa pluviæ; quam rationem adducit Phurnutus: sive quòd per eam intelligatur fluxus naturæ seminalis; prout tradit Epiphanius in Ancyroto: sed ut gentium sacerdotes pro ἀὴρ maluêre, literis trajectis, Ηρα: ita iidem pro ἔρα, quæ est *Terra*, mysterii ergo maluere ῥέα. Hanc dixere *Matrem magnam*, quia matris est párere, & uberibus nutrire. Tellus autem est omnium hominum materies, & alimonia. Ac omnium quidem Deorum mater vocatur, quatenus designat principium totius Naturæ passivum; ut Saturnus, maritus ejus, activum; quod antea paucis

paucis attigi, & pluribus postea demonstrabitur. Sed prout hominum omnium mater dicitur, intelligi per eam debet Terra, communis omnium nostri mater. Quò pertinet illud Lucretii in secundo * : * vers. 657.

Concedamus, ut hic terrarum dicat & orbem Esse Deûm matrem.

Et passim se alia offerunt id genus. Contentus igitur ero hoc Iulii Firmici, sive Villium malis dicere : prout in plerisque codd. exaratum esse, Lilius innuit Gyraldus in suo de Diis syntagmate †. Ejus Firmici verba † de Rhea p. 35, vers. ult.
sunt : *Phryges, qui Pessinuntem incolunt, circa Galli fluminis ripas, terræ cæterorum elementorum tribuunt principatum : & hanc volunt omnium esse matrem.* Propterea etiam Μαῖα est nuncupata ; ut Proclus in Timæum † testatur : sed addit, & Nocti id nomen datum ; ut in isto : † pag. 294, edit. Basil.

Μαῖα θεῶν ὑπάτη νὺξ ἀμβρόλε, πῶς τάδε φράζεις ;
Maja suprema Deûm, Dea Nox, qui talia faris ?

Sanè & Somnus nos alit ; imò, ut creditur vulgo, glires eo pingueſcunt. Μαῖα autem τροφὸς, *nutrix*. Verùm cùm Rheæ id nomen tribuitur, non solùm *nutricem*, sed & *matrem* liceat reddere. Nam, Eustathio * teste, μαῖα etiam *genetrix*, atque adeò *avia*. Vtraque appellatio optimè convenit Rheæ, sive Telluri : unde & Δημήτηρ, (quæ quasi Γῆ μήτηρ dicitur, estque frugum productrix) etiamque Περσεφόνη sive Φερέφαττα, quatenus eadem, ac Δημήτηρ, habetur : Μαίας nomine nuncupatur. Vtrumque nemo nos meliùs docuerit Porphyrio in quarto de Abstinentia animalium : Τῆς δὲ Φερεφάττης, ὅθεν τὸ φέρβειν τὴν φάτταν, φασὶν οἱ πολλοὶ τῶν θεολόγων. ἱερὸν γὰρ αὐτῆς ἡ φάττα. διὸ καὶ αἱ τὰ Μαίας ἱέρειαι, ταύτην αὐτῇ ἀναλίσκουσι. Μαῖα δὲ ἡ αὐτὴ τῇ Περσεφόνῃ, ὡς ἂν μαῖα τῆς τροφὸς οὖσα. Χθονία γὰρ ἡ θεὸς, καὶ Δημήτηρ ἡ αὐτή · *Multi ex theologis ajunt, nomen Pherephattæ, quæ Proserpina est, esse constatum ex φέρβειν, alere* (nisi legendum, φέρειν, ferre) *& φάττα palumbus : quoniam palumbus ei sacer. Ideo &, quæ sacerdotes sunt Majæ, palumbum ei offerunt. Maja autem est Proserpina, quæ verè* Μαῖα, *sive nutrix. Terrestris enim Dea est, ac eadem quæ Ceres.* Et fortasse eadem est Romanorum Dea Maja : de qua inferiùs dicetur. * Iliad. α, pag. 10, Rom. edit. & alibi.

Nunc videamus, quid significetur per amasium Cybeles, ab ea castratum, hinc mortuum, sed qui postea revixerit ; uti fabulantur. De isto sic Iulius Firmicus † scribit : *Etiam hæc sacra physicâ volunt esse ratione composita. Amare terram volunt fruges : amatum verò hoc ipsum volunt esse, quod ex frugibus nascitur : pœnam autem, quam sustinuit, hoc volunt esse, quòd falce messor maturis frugibus facit. Mortem ipsius dicunt, quòd semina collecta conduntur. Vitam rursus, quòd jactæ semina annuis vicibus reconduntur.* Aliter tamen hæc interpretatur Macrobius lib. 1 Saturn. cap. XXI : ubi per Atyn, non fruges capit, sed Solem ; cujus adspectu nihil est jucundius terræ. Nempe ut par ratio sit, ac est fabulæ de Venere & Adonide : ubi itidem Venus est Terra, Adonis autem † lib. de errore profana religionis.

Sol.

Soi. Nihil igitur mirum, si inscriptione eâ, cujus initium superiùs apposuimus, omnia toto orbe dicatur Attis nosse. Quid enim fugiat Solem?

— *Videt hic Deus omnia primus:*

ut de eo cecinit Naso *. Sed facilè ista conciliaveris; quando, ut dictum †, & Venus, & mater Phrygia, non solum sunt Tellus, sed etiam Luna. Quatenus Luna intelligitur, Sol amatur: quatenus Tellus capienda, & Sol amatur, & fruges.

* *Met. 4, fab. 5.*
† *cap. 27. hujus lib.*

A Cybele, & Attine, venio ad sacra eorum; de quibus præclarè olim disseruerat Proclus Lycius; is cujus commentarium in Timæum, deque Platonica Theologia opus, & tot alia habemus. Μητρωακὴν βίβλον inscripserat, de quo ita Suidas: Εγραψε Πρόκλος μητρωακὴν βίβλον, ἣν εἴ τις μὴ χεῖρας λάβοι, ὄψεται ὡς οὐκ ἄνευ θείας κατακωχῆς τὴν περὶ τὴν θεὸν θεολογίαν ἐξέφηνεν ἅπασαν. ὥστε μηκέτι θράττεσθαι τὴν ἀκοὴν ἐκ τῶν ἀπεμφαινόντων θρήνων· *Scripsit Proclus librum de Magna Deorum Matre: quem siquis sumserit in manus, videbit, ut, non sine inspiratione divina, omnem de illa Dea theologiam manifestârit; ne aures hominum amplius turbentur ob lamenta, & planctus, qui in sacris Deæ exhibentur.* Postquam verò insigne hoc opus injuriâ temporum periit; non abs re erit, si & de sacris istis præcipua mysticè exponamus. Præit autem Varro lib. XVI rerum divinarum, apud Augustinum lib. VII de Civit. Dei ‡: *Eandem dicunt matrem magnam: quod tympanum habeat, significari esse orbē terræ: quod turres in capite, oppida: quod sedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipsam non moveri; quod gallos huic deæ, ut servirent, fecerunt, significare eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere; in ea quippe omnia reperiri: quod se apud eam jactant, præcipitur, qui terram colunt, ne sedeant; semper enim esse, quod agant. Cymbalorum sonitus, ferramentorum jactandorum, ac manuum, & ejus rei * crepitus, in colendo agro, quid sit †, significat. Ferramenta illa erant ‡ ideo ex ære, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum esset inventum. Leonem adjungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant, esse nullum genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subigi, colique conveniat.* Pleraque istorum illustrabimus: etiam superaddam aliqua hîc intacta.

‡ *cap. 24.*

* *fort. pro* ejus rei, *leg.* æris.
† *pro* quid sit *fortasse leg.* quod sit.
‡ *Verba hæc* Ferramenta illa erant, *in quibusdam codd. desiderari, monet Vives.*

Ac primùm videamus, cur, ut pluribus veterum testimoniis antea ostendimus, sacerdotes virilia resecuerint, cur lacerarint lacertos, cur fluvio laverint simulachrum Deæ. Primum respicit segetem, quæ demetitur. Est autem in messe vis seminalis. Nam ut vis prolifica est à verendis, sic semina à segete. Vt semina hæc terræ mandentur in novæ segetis spem, aratro scindendus est ager. Hoc aratione lacertorum repræsentabant. Sed non sufficit ager, nisi irrigetur, vel flumine, vel pluviâ. Itaque simulachrum Deæ die solemni abluebatur. Ita hæc sacra interpretatos esse gentiles, docet Tertullianus adversus Marcionem lib. I, cap. XIII: *Ipsa quoque vulgaris super-*

*superstitio communis idololatriæ, cùm in simulachris de nominibus, & fabulis veterum mortuorum pudet; ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus suum ingenio obumbrat, figurans Iovem in substantiam fervidam *, & Iunonem ejus in aerem †, secundùm sonum Græcorum vocabulorum: item Vestam in ignem; & Camenas in aquas, & Magnam Matrem in terram seminalia demessam, lacertis aratam, lavacris rigatam.*

* quia Ζὺς, à ζῆν, hoc est, fervere, dici credebatur.

† quoniam Ἥρα ex ἀὴρ καὶ μῆτις.

Cur turrim Dea capite gerat, exponit Lucretius in secundo:

Muralique caput summum cinxere coronâ,
Eximiis munita locis quod sustinet urbis.

Nisi cũ Giffanio, & optimis membranis nostris, malis *eximis*; quod valebit *planè imis*: ut *ex* sit αὐξητικὸν, quemadmodum in *edurus*, & similibus. Eandẽ caussam adfert Servius in III Æn. * *Quòd autem turritam gestat coronam, ostendit, superpositas terræ esse civitates, quas insignitas turribus constat.* Atque idem tradit in X Æn. † Item Phurnutus his verbis: Πυργωτὸν δὲ (ἡ Ῥέα) πλέκεται στέφανον, ἤτοι διὰ τὸ κατ' ἀρχὰς· ὅτι τὸ ὀρῶν τίθεσθαι τὰς πόλεις ὀχυρωτάτης ἕνεκεν, ἢ ἐπεὶ ἀρχηγὸν ὄντι τὸ πρώτης, καὶ ἀρχετύπου ὑσίας τὸ κόσμου· *Turritam circumdata est coronam, vel quia antiquitus in montibus ædificarentur urbes, quò essent munitiores: vel quoniam esset caussa, & origo principalis mundi substantiæ.* Sed prior ratio est simplicior: ut turrita dicatur, quia Tellus turres & oppida habet: unde & Maro *;

* verſ. 113.

† verſ. 254.

* lib. 10, verſ. 252.

Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes.

Ex eo autem, quòd Dea gestaret turrim, factum est, ut feminæ Turcicæ hodiéque gaudeant tegumento turrim imitante: velut oculatus testis P. Gillius. Verba eruditissimi apponam viri è lib. II de Bosporo cap. XIX: *Templum Phrygiæ Deæ, matris Deorum, Rheæ nuncupatæ, in clivis debuit potius esse, quàm in maritima planitie; ex eo, quòd montibus gaudeat, ideóque* Ὀρεία † *appelletur, & Turrita Dea; quia olim arces, quibus Rhea patrocinatur, in montibus sitæ essent, ob loci robur. Rheam, habentem caput turritum, mulieres Cilices, & Turcicæ, & Mysiæ, imitantur, ferentes capitis tegmen, turris similitudinem gerens.*

† Diodorus Siculus lib. 3, & Phurnutus cap. de Rhea.

Faces notabant fulmina; tympana autem, & cymbala, signabant tonitru. Est hæc sententia Phurnuti: qui eò magis inclinavit, quia Ῥέαν ἀπὸ τοῦ ῥέειν, quod est *fluere*, dici putaret; atque eo respici, quòd imbres cælo mittantur. Atqui, inquit, οἱ ὄμβροι ὡς ὀπιπολὺ μετὰ βροντῶν καὶ ἀστραπῶν συμβαίνει γίνεσθαι· διὰ ταύτην παρεισάγουσι τυμπάνους, καὶ κυμβάλους, καὶ περαυνοῖς, ἢ λαμπαδοφορείοις χαίρειν· *Imbres enim ut plurimùm cum tonitru, ac fulmine, continguntur. Quare eam inducunt, ut gaudentẽ tympanis, ac cymbalis, & fulminibus, sive facibus gestatis.*

Cur fistulâ Attis ornetur, & virgâ, optimè exposuit Macrobius loco proximè memorato. Nempe virga symbolum est regiæ potestatis, quam Sol obtinet omnium moderator. Fistulâ verò significatur ventus, sive aër,

qui terram ambit, imò etiam vehit ac sustinet : ut loquitur, non Lucanus modò, qui à Cæsare quoque Scaligero * reprehensus, propter illud † :

— *Dum terra fretum, terramque levabit*
Aër : —

sed etiam Claudianus, cujus est :

Et qui perpetuò terras ambitque, vehitque,
Nec premat incumbens, nec cesserit ignibus aër.

Imò Plinius ipse, qui lib. 11, cap. v, de aëre sic scribit : *Hujus vi suspensam, cum quarto aquarum elemento, librari medio spatio tellurem.* Atque aëris hujus, qui terris subest, & hunc terræ & aquæ globum vehit, symbolum etiã sunt leones, vehentes currum matris Pessinuntiæ. Vnde Lucretius in 11 :

Hanc veteres Grajûm docti cecinere poetæ
Sublimem ‡ in curru bijuges agitare leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.

Et Macrobius loco antea memorato : *Hæc Dea leonibus vehitur, validis impetu ac fervore animalibus : quæ natura cæli est ; cujus ambitu aër continetur, qui vehit terram.*

Quia item omnia è terra nascuntur, eò & cor illi sacratum, quod vitæ fons est. Phurnutus in Rhea : Καρδίαν δ' ἀναλιθέασιν αὐτῇ, παεις άνλες, ὅτι ἀιτία ἡ ζωογονίας ἄυτη ἐγίνετο · *Cor ei consecrant, indicantes eam esse caussam generationis animalium.* Quamquam & simpliciùs possis interpretari, quòd corde, tanquam affectus symbolo, toto sese ipsos animo devoverint.

* *in 6 de Poetica, qui Hypercriticus inscribitur.*

† *lib. 1, vers. 88.*

‡ *Lambinum secutus sum. Optimæ tamen membranæ nostræ habent,* Sedibus.

CAPVT LV.

Acceditur ad Syros : quo nomine strictiùs uti Scripturas, laxiùs autem scriptores externos. Venenum *pro colore. Venus Byblia tum Luna est, tum Terræ & Aquæ globus. Per Adonidem ab apro interemtum denotari Solis in hiberna signa ingressum. Itidem per Deam Syriam, sive Hierapolitanam, seu Iunonem Assyriam, unà cum Luna intelligi Tellurem, omnemque naturam Lunæ subditam. Variæ ex Luciano opiniones de eo, qui condiderit Deæ Syriæ templum. Similiter per Atergatin, sive Derceto, unà cum Luna Tellurem indicari.*

DIu multumque institimus Idææ Deûm matri : unde plurimum lucis capient alia aliarum gentium numina, itidem ad Tellurem reducenda : in quibus propterea futuri sumus breviores.

Ordiar (ut primùm intra Asiam me contineam) à Syris ; inde in Ægyptum abiturus. Syriæ autem nomine non jam Scripturæ more utor ; ubi *Aram* : (quam Syriam reddunt interpretes LXX) tum de Mesopotamia dicitur,

dicitur,quæ vocatur *Aram Nahemaim*,& *Padan Aram* : tum de Cœleſyria, unde legas *Aram Dammaſek*, hoc eſt, Syria Damaſcena : item *Aram Zoba*, hoc eſt,Zophena,ut vocat Ioſephus,& ita in aliis. Itaque eædem Sacræ literæ nomine Aram diſtinguunt Syriam à Phœnicia,& Palæſtina; ut videre eſt Iud.x,6, & 11 ſive IV Reg. XXIV,2. Laxiùs igitur Phœnices etiam complectimur; idque more Græcorum,ac Romanorum : quibus & Aſſyriorum,ac Syrorum nomina confunduntur. Vnde Ciceroni * Sardanapalus Syriæ rex,& eidem † Chaldæi in Syria ſtatuuntur : Maroni ‡ item *Aſſyrium venenum* pro *Phœnicio*. Tyriam enim purpuram intelligit : quam *venenum* vocat exemplo tum Græcorum , quibus itidem φάρμακον pro *tinctura*; tum illo Cn. Mattii * ,

* *Tuſcul.5.*
† *lib.1 de Divinat.*
‡ *Georg.3.*

Quos concha purpurâ imbuens venenavit.

* *apud Agell. lib.20, cap.9.*

Phœnicibus Venus Byblia magno in pretio erat. Lucianus de Dea Syria : Εἶδον γὰρ ἐν Βύβλῳ μέγα ἱρὸν Αφροδίτης Βυβλίης , ἐν τῷ καὶ τὰ ὄργια ἐς Αδωνιν τελέουσι · *Vidi & Bybli templum magnum Veneris Byblicæ : in quo & ſacros ritus in Adonidis honorem celebrant.* Quibus ceremoniis hic cultus conſtiterit , ex eodem Luciano, & aliis, diximus cap. IV. Eſt verò Venus Byblia aggregatum ex Luna, & globo Terræ ac Aquæ,quatenus ab iis generantur omnia , quibus genus nutritur humanum : ut ſatis appoſitè *Venus* dicta ſit , quia per eam vis generatrix intelligitur. Etſi verò & Venus Byblia ſit Luna : ſi tamen fabulam de ea, & Adonide, penitiùs conſideremus; parebit, magis omnia ad Terram , ſive Terræ & Aquæ globum , quàm ad Lunam pertinere. Atque hoc etiam Macrobius oſtendit ; cujus verba ibidem † adduximus. Eamque interpretationem etiam in primo Vraniæ ſequitur Iovianus Pontanus. Nam cùm fabulam iſtã enarrâſſet,ſubjungit deinde :

† *cap.4.*

Terra etenim Solem queritur deſerta cadentem,
Invidit quem triſtis hyems, cui ſævior apri
Horret cana gelu facies. —

Sol cadere dicitur,quando planè eſt auſtralis,terraſq; noſtras radiis ferit maximè obliquis. Id fit,Sole ingrediente ſignum Capricorni. Tum vitalis calor terras maximè deſtituit : unde Adonis,id eſt,Sol,dicitur occidi ab apro,hoc eſt,hieme,quæ apri inſtar ſævit; vel Capricorno,quandoquidẽ Græcis eſt κάπρος,qui nobis κατ' ἀφαίρεσιν *aper*. Tota igitur hieme luget Venus,hoc eſt,terra, ſive terræ vis generatrix. At quarto poſt menſe incipit ſe Venus erigere , quia Sole Arietem ſubiunte , vernus terras calor aperit, ac laxat, eaſque fœcundat, inſtar mariti. Vnde ibidem Pontanus :

Ipſa Venus, poſtquam lachrymæ effluxere, geniſque
Defecit liquor, & capiti coma longa revulſa eſt,
Ter menſem exanimis jacuit. vix denique quarto

Lucem hausit, vultus & adhuc suspirat amatos.

Et postea :

Ergo ubi Sol imo victor convertit ab Austro;
Tum gravidos aperitque sinus, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quà succus in herbas,
Et tandem complexa suum lætatur Adonim.

Quod verò de Venere Byblia diximus, idem statuendum videtur de ea, cujus templum in Libano, unius diei à Byblo itinere, à Cinyra, rege antiquissimo, erat exstructum ; teste Luciano *.

* de Dea Syria.

Nec Astarte tantummodo Luna, sed & Tellus intelligenda ; ut dictum cap. XXI : ubi fusè de hac egimus.

Itidem Syris, sive Assyriis, Dea Syria non solùm Luna est ; sed etiam Terra. Idem enim numen sunt, ἡ δ' Συρίας θεὸς, Ηρη ἡ Ασσυρία, καὶ ἡ ἐν τῇ ἱρῇ πόλει θεός· *Dea Syria, Iuno Assyria, & Dea Hierapolitana.* De hac exstat erudita Luciani dissertatio : quam sic orditur : Ἐστιν ἐν Συρίῃ πόλις, ἀπὸ πολλὸν δὲ τοῦ Ευφρήτεω ποταμοῦ· καλέεται δὲ ἱρὴ, ἔστιν ἱρὴ δὲ Ηρης Ασσυρίης· *Est in Syria civitas non longè ab Euphrate fluvio ; vocatur autem Sacra, & est sacra Iunoni Assyriæ.* Nec quòd Dea Syria sit Iuno, obstare ei existimandum, quòd Tellurem signare dicebamus. Nam Iuno Orienti est aggregatum ex Luna, & omni natura Lunæ subjecta; Aëris dico, & Terræ, atque Aquæ elementis : qua de re inferiùs agetur. Quocirca probè hoc convenit cum eo, quod Lucianus ibidem refert, audisse se ex sapiente viro, Deam hanc Hierapolitanam esse Rheam. Quod deinde his verbis confirmat : Σημεῖα δὲ ἡ θεὸς τὰ πολλὰ ἐς Ρέην ἀπικνέεται· λέοντες γὰρ μιν φέρουσι, καὶ τύμπανον ἔχει, καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορέει, ὁκοῖοι Ρέαν Λυδοὶ ποιέουσι· *Multa signa adsunt Deæ, quæ faciant, ut Rhea videatur. Nam & leones ipsam ferunt, & tympanum habet, & coronam in capite turritam gestat : qualem & Lydi Rheam effingunt.* Postea autem aliud etiam subdit, in quo itidem conveniat hæc Dea cum Rhea. Nam ut Galli Rheæ, sic & Hierapolitanæ Deæ sacerdotes castrari solent, exemplo Attinis.

Divæ hujus Hierapolitanæ simulachrum tota mulier erat. Plinius † tamen, de Bambyce, sive Hierapoli, loquens, Deam hanc prodigiosam vocat : atque eò hoc superiore retulimus libro *, quòd, eodem Luciano auctore, in Phœnicia coleretur Dea quædam figurâ semimulieris, & semipiscis. Sed hanc fuisse imaginem Atergatidis, sive Dercetûs, de qua mox dicemus, credamus sane Plinio, ac Luciano. At parùm fit verisimile, Assyriam Iunonem sic Bambyce sive Hierapoli effictam : neque id temere aliquis dixerit, qui de Syria Dea legerit Lucianum, hominem non modò doctissimum, sed præterea Syrum, testemque omnium oculatum ; qui & cuncta

† *lib. 5, cap. 23.*

* *cap. 23.*

cuncta ex sacerdotibus ipsis, atque aliis, se exquisiisse profiteatur.

Templum hoc Hierapolitanæ seu Syriæ Deæ condidit Stratonice, Antiochi Σωτῆρος noverca, & uxor, quæ Combabum perditè adeò amavit. Sed vetus illius templum à quo exstructum sit, ob antiquitatem ejus non convenit. Aliqui tribuêre Libero, cum in Orientem suscepisset expeditionem. Alii Attini Lydo ex Phrygia in Syriam profecto. Alii Semiramidi, cujus & imago ad siniſtram templi erat, dextrâ ædem demonstrans, ut ostenderet, non se, sed Deam Hierapolitanam, coli oportere. Semiramidis autem fuisse imaginem, argumento erat columba aurea in vertice: quod symbolum non alterius, quàm Semiramidis fuisse, liquet ex iis, quæ libro superiori * diximus. Alii denique tribuêre Deucalioni Scythæ: quo nomine non illum Mosis æqualem, sed Noachum signari: liquet ex iis, quæ eruditus ille Syrus narrat † de antiquis hominibus universali diluvio sublatis, & λάρναξι sive arca, qua Deucalion cum uxore, & liberis, & omnis generis animantibus, fuerit servatus.

* *cap. 23.*

† *lib. de Dea Syria.*

Deæ Syriæ sæpius mentio est in Collectione Inscriptionum Gruteriana pag. LXXXVI: unde & discere est, quomodo soleat effingi. Nempe, velata caput tiarâ, sive diademate lunato, ac dextrâ tenens noctuam, lævâ autem quiddam non absimile cochleari, parte pectoris nuda, reliquâ verò laciniosâ veste contecta.

Præterea Tellus intelligebatur ab Assyriis per Atergatin: quæ & Derceto, κατ' ἀφαίρεσιν: nempe uti ab *asparagus*, *sparagus* *, *trux*, ab *atrox*, & ita in similibus. Numen hoc bifariam consideratur; ἰσοδυνάμως, ut est mater Semiramidis; quomodo spectavimus libri superioris cap. XXIII: & φυσικῶς, prout est Rhea, hoc est, ἔρα, sive Tellus; quo pacto exponit Phurnutus περὶ θεῶν, ut ibidem diximus. Ac similiter Macrobius lib. I Sat. cap. XXIII: *Assyrii Deo, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt: subjungunt eidem Deam nomine Adargatim: omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes.* Et mox: *Simulachrum Adad insigne cernitur radiis inclinatis: quibus monstratur, vim cæli in radiis esse Solis, qui demittuntur in terram. Adargatis simulachrum sursum versus reclinatis radiis insigne est; monstrando radiorum vi supernè missorum, enascì quæcunque terrâ progenerat. Sub eodem simulachro species leonum sunt, eâdem ratione terram monstrantes, quâ Phryges finxere matrem Deûm, id est, terram, leonibus vehi.* Idem eo comprobatur à nobis, quòd Virgo, quæ Erigone dicitur, eadem credatur ac Atergatis, aut Ceres, eò quòd spicas teneat; ut testis est Bassus, sive alius, commentario in Germanici tralationem Aratcam, ubi de Virginis signo tractat. Multum interea eò inclino, ut Atergatim non solam existimem terram; sed omnem naturam Soli subjectam: quæ-

* *Varro apud Nonium in Sparagos.*

partim cæleſtis, ut Luna; partim elementalis, uti Aër, & Terra. Tria enim hæc Solis lumine illuminantur. Et ſanè receptæ eſt convenientius opinioni, radios dare Lunæ, quàm Terræ. Nec credibile eſt, Aſſyrios, quibus in ſummo honore duo erant dii, Adad, & Atergatis, eos Terram quidem alterutrum putâſſe numen; Lunam verò, quæ regina cæli dicitur, prorſus præteriiſſe. Denique alios etiam in Oriente videmus, uno eodemque numine Lunam, Aërem, Terramque, comprehendiſſe: uti Hieropolitanos; de quibus jam diximus.

CAPVT LVI.

Iſis cur Τιθήνη, & Πανδεχὴς, *vocitata. Sacra ejus fiebant in honorem tum Lunæ, tum Telluris. Eadem Iſis, ac Ceres: unde & ſacra utriuſque conveniebant repræſentatione luctus. Eſſe hoc ab Amythaone, qui ſacra Cereris ex Ægypto detulit in Græciam. Ori Ægyptii natales, & quid per eum ſignificetur. Et Cybelen eſſe eandem, ac Iſidem: atque hinc provenire, quòd in utriuſque ſacris uterentur cymbalo, ac tympanis; item pane abſtinerent, ſtipem mendicarent, ferro ſeſe cruentarent. Eum qui totam atque integram ſacrorum gentilium cauſſam ſcire volet, & in hoc de Iſide negotio, & cæteris, attendere oportere, nec ad ſolam hiſtoriam, nec naturam ſolam, ſed ambarum convenientiam. Iſis maximè culta Bubaſti, & Copti, urbe Thebaidos vetuſtâ, Ægyptiorum & Arabum emporio; à qua &* Αιγυπτος, *quaſi* ἀπὸ Κόπτος *nuncupata.*

AB Aſia magna in vicinam proficiſcor Ægyptum: ubi ſummus Iſidis honos fuit. Hoc nomine Lunam intelligi, oſtendimus cap. XXIV. Nec eò minus ad Tellurem reducitur; unde dicta Τιθήνη, *nutrix*, & Πανδεχὴς, *ſuſceptrix*: ut ex Platone monitum Plutarcho *. Idem aliter monſtrabimus. Antea diximus, genti Ægyptiæ in cælis principium boni effectivum eſſe Solem; ſub cælis, Nilum: utrumque Oſiridis nomine contineri. Similiter verò principium in cælis paſſivum erat iis Luna, quia à Sole illuminatur: ſub cælis verò Terra, quia Nili ſive Oſiridos defluxus eam aquâ fœcundat: utraque autem, & Luna, & Tellus, Iſidos nomine comprehenditur. Ac de Terra, cujus de numine agere jam nobis propoſitum eſt, arguit Servius in VIII Æn. & ex eo Iſidorus lib. VIII, cap. XI: *Iſis*, inquiunt, *linguâ Ægyptiorum eſt Terra; quam Iſin volunt eſſe.* Macrobii quoque eſt lib. I Saturnal. cap. XX: *Iſis junctâ religione celebratur, quæ eſt vel terra, vel natura rerum ſubjacens Soli: hinc eſt, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne denſetur, quia terræ, vel rerum naturæ altu nutritur univerſitas.* Sed imprimis illuſtris eſt locus apud Iulium Firmicum de errore profan. relig. Verba ejus, malâ interpunctione laborantia, adducam prout cenſeo diſtingui opor-

* *lib. de Iſide & Oſir.*

oportere : *Defensores eorum volunt addere physicam rationem, frugum semina Osirim dicentes esse, Isin terram, Typhonem calorem. Et quia maturatæ fruges calore ad vitam hominis colliguntur, & à terræ consortio separantur, & rursus, appropinquante hieme, seminantur : hanc volunt esse mortem Osiridis, cùm fruges reddunt : inventionem verò, cùm fruges, genitali terræ fomento conceptæ, nova rursus cœperint procreatione generari.*

Præterea hoc inde cognoscitur, quòd Ceres sit terra frugifera ; ut inferiùs fiet planius : Isis autem sit eadem ac Ceres ; quemadmodum locuples testis est Herodotus in Euterpe : Ισις δέ ἐστι, κατὰ τὰ Ελλήνων γλῶσσαν, Δημήτηρ · *Isis verò secundum linguam Græcorum est Ceres.* Et postea : Αιγυπτιστὶ δὲ Δημήτηρ Ισις ἐστί · *Ægyptiâ linguâ Isis est Ceres.* Eadem mens Apollodori bibliothecæ libro secundo : Ἱδρύσατο δὲ ἄγαλμα Δήμητρος, ὃν ἐκάλεσαν Ισιν Αιγύπτιοι, & τὴν Ἰὼ Ισιν ὁμοίως προσηγόρευεν · *Constituit autem* (Io) *statuam Cereri, quam Ægyptii Isidem vocarunt : ac Ionem similiter nominarunt Isidem.* Plutarchus quoque, libro de Isíde & Osiride, hanc firmat sententiam : imò & Minervam Saitidem eandem ac Isidem esse, disertim tradit. E nostris eadem de Cerere, & Isíde, mens est B. Augustini, lib. VIII de Civit. Dei cap. XXVII. Verba ejus adducebamus lib. I, cap. XXVII. Vbi & illud monitum nobis, Isin Ægyptiam, & Cererem Atticam, magno distare temporum intervallo ; ut satis liqueat, quando eædem dicuntur, id capiendum de iis, quatenus non ad historiam veterem, sed ad rerum pertinent naturam. Quomodo & eædem sunt Cedreno. Sic enim scribit * : Ως καὶ Δήμητρα λέγεσθαι εὑρεῖν τὸν σῖτον, καὶ τὴν κριθήν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ παρ' Αιγυπτίοις τιμωμένη Ισις. *Sic & Ceres dicitur reperisse frumentum, & hordeum. Hæc est, quæ Isidis nomine colitur ab Ægyptiis.* * pag. 24.

Quod si eadem Isis, ac Ceres, quemadmodum tot scriptoribus convenit : nihil mirandum, si ut in Isidis, ita in Cereris ac Proserpinæ sacris, luctus divæ soleat repræsentari. Quippe ad rationem naturalem, prout ex Firmico vidimus, luctus uterque referendus. Atque id eo de Cereris etiam sacris verisimilius est, quoniam ea ab Amythaone ex Ægypto translata sunt in Græciam ; teste Clemente Alexandrino Admonitione ad Gentes.

Etsi verò Isis, ac Ceres, idem sint numen; non tamen universa per Isidem terra signatur; sed, ut Plutarchus † ait, ea quam Nilus fœcundat. Eoque ex Nili, & Isidis concubitu, Orus nascitur. Vti enim ex cælesti Osiride, ac Isíde, genitus est Orus, quatenus eo notatur annus, vel tempus; sicut Hesychius, & Erotianus, interpretantur : ita ex subcælesti illo Osiride, & Isíde, hoc est, Terræ à Nilo irrigatione, fit Orus subcælestis ; quo indicatur tum aëris, tum terræ temperies, rebus producendis apta. Dicitur que is Orus, ut docet Plutarchus ‡, apud Butum educatus à Latona; quia † lib. de Isíde & Osiride. ‡ lib. de Isíde & Osiride.

quia terra illic irrigua est, &, quæ talis est, magis emittat vapores, quibus siccitas etiam aëris ad temperiem revocetur.

Etiam Isidem esse Tellurem, comprobatur ex convenientia sacrorum Isidos, & Rheæ; quam Tellurem esse convenit. Tale est, quòd ut in sacris Cybeles, quemadmodum vidimus *, ita & in sacris Isidos cymbala, & tympana obtinebant; imò & sistra. Ausonius epist. XXV:

* cap. 53.

Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu
Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis.
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.

In utrisque etiam sacris, ad luctum indicandum, abstinebant pane. Hinc Tertulliani † ille locus, alibi etiam nobis adductus ‡: *Sed bene, quod in nostras xerophagias blasphemias ingerens, casto Isidis, & Cybeles, eas adæquas.* Ac similiter junxit hæc sacra B. Hieronymus; cujus verba itidem * retulimus.

† de Jejuniis.
‡ lib. 1, cap. 20.
* ibidem.

In utrisque etiam sacris, & Isidos dico, & Cybeles, mendicando stipem quærebant. Vnde Ovidius lib. 1 de Ponto eleg. 1:

Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Iactantem Phariâ tinnula sistra manu?
Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit, exiguæ quis stipis æra negat?

Vbi videmus, ex vulgi opinione, sociari Isidem, & Cybelen, ut diversa numina: nec tamen ignorasse poetam, utrumque reduci ad unum, ostendit, quòd continuò subjungat:

Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ.
Vnde tamen vivat, vaticinator habet.

Nam & Isidem, & Cybelen, συνεκδοχικῶς uno complectitur nomine Dianæ: idque eo præcipuè motus, quòd, ut ex Macrobio antea vidimus, tam Isis, quàm Cybele, significent Naturam Solari subditam potestati, ubi præcipuè in considerationem veniunt Luna, & Tellus.

Sunt & alia, quæ sacrorum arguant convenientiam. Quemadmodum etiam in sacris Cybeles, quod superiùs † ostensum, pectus tundebant, & brachia ferro vulnerabant: ita & in illis Isidos. De quo sic Maternus Firmicus lib. de errore prof. relig. *Hæc est Isiaci sacri summa. In adytis habent idolum Osiridis sepultum: hoc annuis luctibus plangunt: radunt capita, ut miserandum casum regis sui, turpitudine dehonestati defleant capitis: tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum resecant cicatrices; ut annuis luctibus, in animis eorum, funestæ ac miserandæ necis exitium renascatur.* Vbi caussam sacrorum ab veteri arcessit historia. Sed integram si caussam poscimus, ea fuerit historiæ veteris, ac naturæ imitatio: ut quemadmodum de aliis sacris, toto penè opere docemus; ita hîc etiam non simplex sit adducenda ratio, sed duplicanda.

† cap. 53.

plicanda. Quippe ſacerdotes, hiſtoriæ, ac naturæ gnari, attendebant in re geſta, quid ſimile foret in natura: ac pro utroque formabant ſacra ſua, ut ita miſcellaneo cultu rei geſtæ memoriam, & rerum celebrarent naturam: illam, ad honorem principum defunctorum, ac ſolatium ſuperſtitum: hanc, ad inſtitutionem initiatorum, qui eâdem & ſacrorum ceremonias, & naturæ ſcientiam addiſcebant. Sed qui pleniùs ſacra Iſidos noſſe avet; inter alios Appulejum adeat poſtremo Mileſiarum libro.

Magnopere Iſis culta eſt Bubaſti: ubi & ei templum illuſtre in medio inſulæ Delta: ut eſt apud Herodotum in Euterpe. Etiam culta eſt Copti. Papinius lib. 1 Thebaidos:

Melius votis Mareotica fumat
Coptos, & æriſoni lugentia flumina Nili.

Vbi ſic vetus interpres: *Coptos, civitas Mareotica Ægypti; in qua Io verſa in Iſidem colitur, cujus ſacris ſiſtro celebratis Nilus exæſtuat.* Hujus urbis vetuſtatem ex eo cognoſcimus, quòd regina Iſis iſtic nuncium acceperit de nece mariti ſui Oſiridis, præque dolore abſciderit capillos: quo exemplo Iſiaci erant calvi; unde Iuvenalis ſat. VI:

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

Imò & urbi, ubi hoc cognovit Iſis, hinc Κόπλος, vel Κοπλὼ, nomen eſſe datum, putarunt Græci, quia κόπλειν * ſignificat διάιρεσιν & τομὴν, ut ait Euſtathius. Sed alii ex eo hoc vocabulum Vrbi impoſitum exiſtimant, quia cùm in ea degeret, privata ſit Oſiride: nam *Copti* vocem linguâ Ægyptiâ privationem notare. De utroque ſic Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride: Τὴν δὲ Ισιν αἰσθομένην, κείρεσθαι μὲν ὀπίσω τῆς πλοκάμων ἕνα, καὶ πένθιμον στολὴν ἀναλαβεῖν, ὅπου τῇ πόλει μέχρι νῦν ὄνομα Κοπτώ· ἕτεροι δὲ τὸ ὄνομα σημαίνειν οἶον στέρησιν· τὸ γὰρ ἀποστερεῖν, κόπτειν λέγουσι. *Iſin, ubi hoc perſenſit, cincinnorum alterum reſecuiſſe, ac veſtem induiſſe lugubrem, iſtic, ubi eſt urbs nomine hodieque dicta Copto. Alii verò putant, vocem eam notare privationem: nam quod privare eſt nobis, id Ægyptiis eſſe* COPTEIN. Itaque & illic inclytum fuit Iſidos templum: quemadmodum indicat Ælianus de Animalibus lib. x, cap. XXIII. Item Pauſanias in Phocicis: ubi cùm retuliſſet, ut Ægyptii tum celebrent Iſidis feſtum, cùm Oſirin lugent, & quia tum Nilus incremento augeri anniverſario incipit, ſic vulgo eſſe perſuaſum, id provenire ab lachrymis Iſidos, ſuum lugentis Oſiridem; poſtea in hunc modum ſcribit: Τότε ὧν τῶ Ρωμαίων, ὃς ἐπετέτραπτο Αἴγυπτον, ἄνδρα ἔφη χρήμασιν ἀναπείσαντα ἐς τὸ ἄδυτον καταπέμψαι τῆς Ισιδος τὸ ἐν Κόπτῳ. & ὁ ἐσπεμφθεὶς ἀνέστρεψε μὲν ἐκ τοῦ ἀδύτου· διιγησάμενον δὲ ὁπόθεν ἐθεάσατο, καὶ τοῦτον αὐτίκα ἐπινδανόμων τελευτῆσαι. *Tunc temporis ab homine Romano, qui provinciam nactus eſſet Ægyptum, quendam auro perſuaſum miſiſſe in adytum Cereris, quod Copti erat: atque illum quidem re-*

* *ſcindere, recidere.*
† *diviſionem ac ſectionem.*

versum esse: sed mox, ubi visa sibi exposuerat, vitâ excessisse cognovi. Hæc ostendunt, Coptum fuisse urbem & antiquissimam, & vetustâ Isidos religione celebrem. Vetustatem ejus quoque indicat Geographia Nubiensis, climatis secundi parte IV, ubi agens de urbe Ægyptia *Cus* dicta, subjungit, (ut ex Arabico reddidere duo Maronitæ) *est hæc de antiquioribus urbibus, ædificata primis Coptitarum temporibus.* Vt planè iis assentiam, quibus Coptos toti Ægypto creditur nomen dedisse. Nempe ut Αἰγυπτος dicatur quasi αἴα Γύπτος, sive Κόπτος, vel ὁ Κόπτης. Atque hanc opinionem admodum firmat Ignatius, patriarcha Antiochenus, vir reconditæ eruditionis, epistolâ eâ, quam Arabicè perscripsit ad summũ virum, Iosephum Scaligerum. Verba illius Arabicè adducit in quincto de Emendatione Temp. capite eo, quod inscribitur, *De epocha Ægyptiorum Diocletianea.* Ac ibidem Arabica sic Scaliger ipse reddidit Latinè *: *Præterea quæsiviſtis super æra martyrum usitata ab Ægyptiis, quænam illa sit, & ob quam causſam ita appellata. Scito, ejus initium esse ab anno Regis Diocletiani impii (ἀθέου) decimo nono; in quo auxit persecutionem contra Christianos, cùm edixisset, eorum ecclesias destruere; item, ut quicunque idolis non sacrificaret, interficeretur. Quocirca hoc edicto martyrio affecti sunt (ἐμαρτυρίσθησαν) fidelium terræ ὁ Κόπτης, sive Ægyptiæ, centum quadraginta quatuor millia; septingenta autem in fugam dissipata. (διεσκορπίσθησαν) Ab eo tempore incipit æra Elcupti, (sive æra Coptia) quam vocant* ÆRAM MARTYRVM; *eorum nempe, quorum sanguinem profudit Diocletianus.* Vbi clarè videmus, terram Elcupti, sive Copti, eandem dici, ac terram Ægyptiam. Strabo lib. XVI urbem vocat Κοπτὸν ὁ Θηβαΐδος †, ac libro proximo appellat πόλιν κοινὴν Αἰγυπτίων τε & Ἀράβων *: ac ut paullo post dicitur, eo deferebatur ὁ Ἰνδικὸς φόρτος ἅπας, καὶ ὁ Ἀραβικὸς, καὶ ἡ Αἰθιοπικὴ ὁ τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ καταπομιζόμενος. *mercimonium omne Indicum, & Arabicum, & Æthiopicum etiam, quod Arabico sinu advehitur.* Pluraque ibidem de hac urbe reperias. Ab ea dicitur præfectura sive Nomos Coptites, Plinio lib. V, cap. IX. Quem & vide lib. VI, cap. XXIII. Ptolemæus constituit sub XXVI latitudinis, LXII longitudinis gradu. Athenæus lib. II Δειπνοσοφ. iis, qui calidioribus vexãtur morbis, imprimis commendat vinũ Thebaicum circa Coptum nascens. Atq; hæc de Copto; quæ, ut diximus, Isiacis sacris inclyta fuit, & universæ regioni Ægyptiæ nomen dedit.

* pag. 465, edit. Raphelengiana.

† Coptum Thebaidos.

* communem urbem Ægyptiorum, & Arabum.

CAPVT LVII.

De Samothracum sacris acturi, primùm exponimus, unde insula hæc nomen acceperit: tum, quis sacra ea instituerit primus: inde, ut aliis duo fuerint Samothracum Dii, Tellus, & Cælus; qui Græcis Θεοὶ Συνάλοι, Latinis Dii Potes: *aliis autem tres; Iupiter, Minerva, Iuno; & ut hæc opinio rerum naturæ accommodetur: aliis quatuor*

quatuor Cabiri; Axieros, Axiocersa, Axiocersus, & Camillus : quorum tres priores reducuntur ad Terram ; quartus eorum est minister : atque hoc tum propriâ Camilli *sive* Casmilli *significatione variis è scriptoribus comprobatur ; tum etymo vocis, quod è fonte arcessitur Chaldæo. Nec aliud à* Camillo *esse* Cadolum ; *cujus vocabuli itidem ratio adfertur. Etsi verò Mercurius per Camillum sive Cadolum, significetur : non utrumque tamen capiendum, sed tantummodo Mercurium Terrestrem ; cui sacrarant* Κάτρους, *sive Ollare festum : eundem haut alium esse à Charonte; quæ vox itidem profecta ab Hebræis. A Diis Samothraciis acceditur ad Deos Thracum : à quibus* Θρησκείας *vocabulum. Inter gentis ejusce Deos, præter Plestorum, & alios, fuisse, cùm Dianam Orthesiam, cujus nominis ratio adlata : tum Bendin ; de qua expositum, cur gemina illi vis, una cælestis, terrestris altera, tribuatur : item ut sacrum Deæ,* Bendidia *dictum, etiam receptum fuerit ab Athenien sibus.*

A Phrygibus, Syris, Ægyptiis, magnum iter proficiscor ad insulam Thraciæ finitimam, Dardaniam priùs vocatam ; sed postquam Samii, imperante apud hos Leogoro, seu Proclis *, seu potiùs Patroclis † filio, ab Ephesiis expulsi eò concesserunt, nomen & ipsam Sami indeptam, attamen cum discrimine hoc, ut *Thracum Samos*, sive *Samothrace* diceretur : unde Maro in VII magni operis :

Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Hic primùm sacra, quæ inde *Samothracum* vocantur, instituit Eetion ; ut est apud Clementem Alexandrinum, Admonitione ad Gentes. Culti hac insulâ Terra, & Cælum, sive, ut potiùs in sacris dicti, Tellus, & Cælus. De iis sic Varro lib. IV de L. L. *Terra, & Cælum, ut Samothracum initia docent, sunt Dei magni, & hi, quos dixi, multis nominibus. Nam neque, quas ante portas statuit duas virileis species aheneas, dei magni ; neque, ut vulgus putat, hi Samothraces dii, qui Castor, & Pollux : sed hi, mas, & femina ; & hi quos augurum libri scriptos habent sic,* DIVI POTES: *& sunt pro illis, qui in Samothrace* Θεοὶ Συνάλοι. Subjicit mox : *Hæc duo, cælum, & terra : quod anima, & corpus; humidum, & frigidum.* Vbi pro *frigidum* puto *aridum*, vel *calidum*, rescribendum.

Nec multùm abierunt, qui tres Samothracum Deos statuêre : nempe eos ipsos, qui in Capitolio juncti sunt templo; Iovem, Minervam, & Iunonẽ. Nam his medius & imus æther cum summo aëre est Iupiter: supremus æther, Minerva : medius, & imus aër cum terra, Iuno. Quâ de re sic Macrobius lib. III Saturn. cap. IV : *Varro, Humanarum secundo, Dardanũ refert Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Troja in Italiam detulisse. Qui sint autem Dii Penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit : sed qui diligentius eruunt veritatem, Penates esse dixerunt, per quos penitùs spiramus ; per*

* *Pausanias in Achaicis.*
† *Strabo lib. 14. Nisi idem utrumque sit nomen ac* Procles *ex* Patrocles *contractum ; cujus generis propria multa affero lib. 4 Institut. Orat. lib. 4, cap. 1, sect. 5.*

quos habemus corpus; per quos rationem animi possidemus. Esse autem medium æthera, Iovem; Iunonem verò, imum aëra cum terra; & Minervam, summum æthe-ris cacumen. Et argumento ntuntur, quòd Tarquinius, Demarati Corinthii filius, Samothraciis religionibus mysticè imbutus, uno templo, ac sub eodem tecto, numina memorata conjunxit. Atque ex his liquet, quomodo, sive duos, sive tres statuere visum sit Samothracum Deos; Tellus in iis suum obtineat locum.

Aliis quatuor sunt Samothracum Dii, qui & *Cabiri* iis dicuntur: sed sic quoque, uno excepto, cæteri ad Terram pertineant. Audiamus veterem Apollonii interpretem in primum Argonauticôn: Μυῆσθαι δὲ ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις· ὧν Μνασέας φησὶ καὶ τὰ ὀνόματα. τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸ ἀριθμόν· Αξίερος, Αξιόκερσα, Αξιόκερσος, Κάσμιλος. Αξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ· Αξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη· Αξιόκερσος δὲ ὁ Ἅιδης· ὁ δὲ προσιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος· ὁ Ερμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. *Initiantur verò in Samothrace Cabiris: quorum & Mnaseas nomina memorat. Sunt autem quatuor numero: Axieros, Axiocersa, Axiocersos, Casmilus. Et Axieros quidem est Ceres; Axiocersa, Proserpina; Axiocersius autem Pluto: qui verò quartus apponitur Casmilus, is Mercurius est: quorum meminit Dionysodorus.* Hinc colligo, ex Cabiris, sive Samothracum diis, Axieron esse terram frugiferam: interiorem autem terram, ratione virtutis activæ, dici Axiocersum; ratione passivæ, Axiocersam: at virtutem famulantem numini, cælitus homini ac terris se insinuantem, Casmilum vocari; uti Græcis Ερμῆν, Romanis *Mercurium.* Sed an, uti Tellus, ita & ministra cæli virtus, sit in magnis Samothracum Diis, meritò in dubium vocetur. Scrupulum his verbis injicit Varro in VI de L. L. *In Medo Ennius:* *Cælitum camilla exspectata, advenis? salve hospita.*

Qui glossemata interpretati, dixerunt, Administram. Addi oportet, In his, quæ occultiora. Igitur dicitur in nuptiis Casmillus, qui cummerum fert; in quo quid sit in ministerio, plerique extrinsecus nesciunt. Hinc Camillus nominatur, in Samothraces mysteriis, Deus quidem administer Diis magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poëmatis ejus inveni. Videmus, hîc à Varrone Casmilum non reponi in Diis magnis, qui & *Cabiri* vocabantur à magnitudine sive potentia; ut antea relatum nobis *: sed eorum dici administrum. Nempe erat quidem in Diis Samothraciæ: sed non classicis ac primi ordinis Diis, cùm, qui aliis famulantur, in summis esse non possint; nisi latè eorum numerum extendas: uti à Romanis factum in Diis Consentibus, qui XII numero; sive Selectis, qui numero XX: in utrisque enim est Mercurius. Sed quid hoc ad Samothracum Deos? ubi ex Mnasea, & Dionysodoro, tria vidimus Numina ad Terræ vim pertinentia. Hisne, Iove ipso præterito, quartum apponi, credibile est, cujus opera omnis sit, ut tribus illis administret? Porrò Casmilum hunc esse Mercurium, nec nisi ministrum

* cap. 13, hujus. libri.

ſtrum Deorum magnorum, etiam Dionyſius Halic. oſtendit in ſecundo Antiq. Rom. Οἷα δὲ παρὰ Τυῤῥηνοῖς, καὶ ἔτι πρότερον κατὰ Πελασγοῖς, ἐτέλουν ἔτι τε Κουρήτων, καὶ Μεγάλων θεῶν ὀργιασμοῖς οἱ καλούμενοι πρὸς αὐτῶν Κάδωλοι, ταῦτα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπηρέτουν τοῖς ἱερεῦσιν οἱ λεγόμενοι νῦν παρὰ Ρωμαίων Κάμιλλοι· *Quæ autem apud Hetruſcos, ac prius etiam apud Pelaſgos, in Curetum, & Magnorum Deorum myſteriis peragebant ii, qui vocabantur Cadoli, hæc miniſteria eodem modo ſacerdotibus præſtabant, qui nunc à Romanis dicuntur Camilli.* A Iuba etiam traditum eſt, Plutarcho teſtante in Numa, κάμιλον appellatum τὸν ὑπηρετοῦντα τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα· *puerum patrimum, & matrimum, ſacerdoti Iovis miniſtrantem.* Feſti quoque eſt: *Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus, & matrimus, qui flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat. Antiqui enim miniſtros camillos dicebant.* Item in *Cumera: Sacrorum miniſtrum κάμιλλον appellabant.* Macrobius lib. III Saturn. cap. VIII: *Statius Tullianus de vocabulis rerum lib. I ait, dixiſſe Callimachum, Tuſcos Camillum appellare Mercurium; quo vocabulo ſignificant præminiſtrum Deorum. Vnde Virgilius ait, Metabum Camillam appellaſſe filiam, Dianæ ſcilicet præminiſtram. Nam & Pacuvius, cùm de Medea loqueretur:*

Cælitum Camilla exſpectata, advenis? ſalve hoſpita.

Romani quoque pueros, & puellas, nobiles & inveſtes, Camillos & Camillas appellant, flaminicarum & flaminum præminiſtros. Quæ iiſdem verbis apud Servium legas in illud XI Æn. — *Matriſque vocavit*

Nomine Caſmillæ, mutatâ parte, Camillam.

Niſi quòd apud Servium pro *Callimachum* corruptè eſt *Callimadium*: & pro *Thuſcos* perperam eſt *Thebanos*. Videmus præterea, ut Macrobius, Serviuſque, verſum illum Pacuvio tribuant, quem ex Ennii Medo citat Varro: ut aut memoria fugerit duos nobiles grammaticos, aut verſum illum ex Ennio exſcripſerit Pacuvius. Addam poſtremò, tum ex gloſſis Philoxeni; *Camilla*, ἱέρεια: tum vetus carmen ruſticum, à Servio adductum in I Georg. * *Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.* Sic igitur ſtatuendum, ut veteres dixere *pœna*, & *pœſna*; *Camenæ*, & *Caſmenæ*; *dumus*, & *duſmus*: ita etiam extuliſſe *Camillus*, & *Caſmillus*. *Camillus* autem à fonte venit Chaldæo. Nam (ut Schindlero annotatum) בָּמָר, quod Chaldaicè כּוּמָר eſt *camillus*, ſive *ſacerdos*, ſeu *ſacrorum miniſter*, præſertim idolorum, ac ſacrorum gentilium. Habes II ſive IV Reg. cap. XXIII, 5: *Et abolevit*, ſive *ceſſare fecit* כְּמָרִים, *kemarim*: hoc eſt, *camillos*. LXX reddidere, Καὶ κατέκαυσε τοὺς χωμαρίμ. Etiam uſurpat Hoſeas X, 5. Vt à *lapis, lapillus*; à *pugnus, pugillus*; ſic à *camir, camirus, camillus*. Nempe, quia non ſacerdotes ipſi, ſed miniſtri eorum, ſignarentur, eò placuit forma diminutiva. Vti & in *Cadolus* factum. Nam à קָרוֹשׁ, eſt *cadus*, unde *cadolus*. *Cadoli* verò, Hetruſcâ linguâ, (quæ

* verſ. 100.

(quæ fere à Syris habet cuncta ſacrorum nomina) iidem vocati, qui Romanis *Camilli*: ut teſtis eſt Halicarnaſſeus, verbis iis, quæ ſuperiùs adducebamus.

Quærat aliquis, quo miniſterio inter Deos Samothracum fungatur Caſmilus, ſive Mercurius. Hoc meliùs intelligetur, ſi conſtet, duplicem eſſe Mercurium; Ολύμπιον, ſive Cæleſtem, & Χθόνιον, ſive Terreſtrem: quos, ut pleraque in argumento hoc tam vario, confundere vulgò ſolent. At optimè diſtinxit Ariſtophanis ſcholiaſtes ad Ranas, de χύτροις, ſive ollari feſto agens: Επειδὴ θύειν αὐτοῖς ἔθος ἦν, Ολυμπίων μὲν θεῶν ἐδενὶ τὸ παράπαν· Ερμῆ δὲ Χθονίῳ. *Hinc ſacrificare iis mos erat, Olympiorum quidem Deorum nemini; Mercurio autem Terreſtri.* Is Mercurius, qui Camillus trium erat numinum terreſtrium, ipſe etiam terreſtris fuit: atque ejus munus creditum, deducere animas ad Orcum; ut eſt apud Plutarchum in Quæſtionibus Romanis. Sanè mortui animam ab eo ſuſcipi, uti corpus à terra; indicat & Homerus in Odyſſea, & Lucianus in dialogis. At alter ille Mercurius, quem Ολύμπιον ſive Cæleſtem dicebamus, medius putabatur inter homines, & Deos ſuperos: unde Maro eum inducit nuncium Iovis ad Æneam. Nihil igitur apertius, quàm alium eſſe Mercurium, qui ab Olympo provolat ad Æneam; ut eſt in quarto Æneidos: alium autem, qui de terra deſcendit ad inferos, & *animas*, ut ibidem legas,

— evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit;
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Poſterioris hujus meminit idem ſcholiaſtes ad Acharnanes: ubi ex Theopompo narrat, ut cùm Deucalionæo diluvio genus deperiiſſet humanum: ſuperſtites omne ſeminum genus in olla coxerint Mercurio Terreſtri, quo mortuis eum redderent propitium: neminem verò ex olla hac guſtare auſum: atque illud eſſe initium feſti ejus, quod Χύτροι, ſive *ollare feſtum* diceretur. Alius interim Mercurius hic, quàm Pluto, ſive Dis. Potiùs cenſeo, Mercurium Olympium eſſe Solem noſtrum: Terreſtrem autem eſſe illum Antipodum. Hinc igitur duplex miniſterium: de quo & Horatii, ac Claudiani verſus adduximus cap. XIII. Nec dubium, quin Hippocrates de Somniis, quando nominat Deos Χθονίους, ſive *Terreſtres*, non Plutonem modò, & Proſerpinam; ſed infernum hunc etiam Mercurium intelligat. Planè item eò inclino, ut Charon Græcus, ac Romanus, non alius ſit quàm Mercurius ille inferus, de quo diximus. Et nomen fortè, à חרון, *ira*, quia miniſter ſit iræ divinæ. Vt proprie ſit angelus malus animas malas deferens ad loca ſuppliciis deſtinata. Sanè Pſal. LXXVIII, 49, habes hanc vocem. Latinè eſt: *Miſit eos in iram* (חרון) *naris ſuæ, excandeſcentiam, & furorem,*

rem, & anguſtiam, immiſſionem angelorum malorum. Vbi Rabbini ex eo, quod ſubjicitur de angelis malorum, colligunt, Iram, Excandeſcentiam, Furorē, & Anguſtiam, eſſe nomina ſpirituū, quibus Deus utitur in malis puniendis.

Atque hæc de diis Samothracum: qui cur *Cabiri* dicantur, diximus antea *. Nunc ſuffecerit, quamque ex ſententiis tribus, ſuperiùs adductis, Tellurem referre in diis Samothraciis. Nec tamen ignoro, quod ab Apollonii interprete proditum eſt, eſſe qui duos ſtatuant Cabiros; ſeniorem unum, Iovem; juniorem alterum, Dionyſum, ſive Liberum. Sed de Dionyſo parum credibile eſt, niſi non de Thebano, ſed φυσικῶς ſumas nobiſcum; ut pro ſummis habuerint numinibus, calorem, & humorem, quæ duo ſunt generationis omnis principia. Sic, fateor, Telluri in Cabiris non fuerit locus.

* *libri hujus cap. 31.*

E Samothracia quò potiùs iter mare per undoſum faciamus, quam in Thraciam ipſam? præſertim quando ab Orpheo Thrace ſua Græcis ſacra eſſe traduntur: unde & religio ipſa θρησκείας nomen creditur accepiſſe. Quod non modo apud Suidam, & Euripidis ſcholiaſtem, atque etymologum, legere eſt: ſed Plutarchum quoque in vita Alexandri.

Thraces, præter πλείσωρον, ἐπιχώριον θεὸν †, de quo teſtis Herodotus in Calliope; præter item Mercurium, per quem ſolùm jurabant, & à quo ſe oriundos prædicabant; ut idem ait in Terpſichore; præter item Martem, & Liberum, ut ibidem legere eſt; coluere inſuper Dianam: eamque, ut in Melpomene eſt, dixere *Ortheſiam*: nempe ἀπὸ τοῦ ὀρθοῦν *, quia parturientes, imò mortales univerſos, elevet, & adjutet. Sed & eandem, teſte Heſychio, vocarunt Βένδιν. Attamen non hoc nomine Lunam duntaxat ſignarunt; ſed etiam Terram; more priſco, quo Lunam, & Terram, eodem cultu complectebantur; ut ſæpius diximus. Per Βένδιν autem intelligi Terram, oſtendunt hæc verba Heſychii: Μεγάλη θεὸς· Αριστοφάνης ἐφη τὴν Βένδιν. Θρακία γὰρ θεός· *Dea Magna. Sic Ariſtophanes dixit Bendin. Thracum enim Dea eſt.* Eandem verò Lunam eſſe, teſtis eſt Palæphatus, ubi agit de filiabus Phorcynis: item Suidas, Phavorinus, & ante utrumque Heſychius: Βένδις, ἡ Αρτεμις, Θρακιστὶ· τῇδε δὲ Αθηναίοις ἑορτὴ Βενδιδία· *Bendis, Diana, linguâ Thracum: Athenienſibus verò feſtum Bendidium.* Habes & in Κυβήκη hanc Thracum Βένδιν. Sed memorabilis imprimis locus in Δίλογχον, hoc eſt, *binas geſtans lanceas*: ubi eruditus ille Grammaticus ſic ſcribit: Τὴν Βένδιν ὕτω Κρατῖνος ἐν Θρᾴτταις ἐκάλεσεν· ἤτοι, ὅτι δύο τιμὰς ἐκληρώσατο, οὐρανίαν τε, καὶ χθονίαν· ἢ, ὅτι δύο λόγχας φέρει, κυνηγετικὴ γάρ· οἱ δὲ, ὅτι δύο φῶτα ἔχει, τὸ ἴδιον, καὶ τὸ ἡλίου. τὴν γὰρ σελήνην Βένδιν, καὶ Αρτεμιν, νομίζουσιν· *Sic Bendin vocavit Cratinus in Threiſſis. Videlicet, quia geminum ſortita ſit honorem, cæleſtem, & terreſtrem: vel quia gerat duas lanceas, utpote venatrix: vel quoniam geminum habeat lumen,*

† *Pleſiorum, indigenam Deum.*

* *erigere, ac dirigere.*

lumen, proprium, & solare. quippe Lunam Bendin, & Dianam, vocant. Vbi quod Bendis dicitur duplicem adepta honorem, cælestem, & terrestrem : id sic interpretor, in Diis habitam cælestibus, quippe Luna quæ esset : & insimul in terrestribus, quia eadem foret Rhea sive Tellus. Porrò à Thracibus cultus hujus divæ Athenas translatus. Festum Βενδίδεια dixere. Meminerunt ejus Xenophon in secundo Ἑλληνικῶν, Plato in primo de Rep. & ex hoc Strabo in x : Proclus item commentario in Timæum. Sed & apud Livium lib. XLVIII, *Bendidiorum templum*, non *Mendidiorum*, legi oportere, jamdiu observatum Lilio Gyraldo Syntagmate de Diis XII.

CAPVT LVIII.

Cælus, & Tellus, Athenienſibus connubiorum præſides; quibus iccirco ante nuptias ſacrificabant. Vnde dicta Δημήτηρ, *& cur ei ſacrum fecerint ſcrophâ grævidâ. Rheæ* ἔτυμον. Tellumonis *ac* Telluris *diſcrimen. Vnam Telluris ædem exſtructam in area, quæ fuerat Spurii Caſſii : alteram autem non abfuiſſe longè à Carinis. Ab Ope Romana diſtinguendam Græcorum* Οπιν *ſive* Οὔπιν, *vel* Ωπιν : *quomodo nunc Diana ipſa, nunc una ex nymphis ejus dicebatur. Servius ſemel iterumque emendatus. Vnde Tellus dicta ſit Ops, & à quo primùm ei templum ſtatutum. Ædem eam parum Romanè dici* Rheæ *pro* Opis ; *utcunque poeta* Idæam Opem, *pro* Rhea *dixerit.* Opalia. Opiconſiva *unde nuncupata.*

HInc jam ad Græcos proficiſci ordine pergamus ; mox ad Romanos relaturi orationem. Vtriſque Tellus culta eſt, partim eo nomine, quo vulgo hoc dicitur elementum; partim appellatione aliâ à ſacerdotibus impoſitâ. Græcis elementum hoc eſſe cultum nomine vulgari, ex eo elucet, quod Athenienſibus Οὐρανὸς, & Γῆ *, Dii fuerint Γαμήλιοι †. His enim, qui connubio jungerentur, ſacra illa faciebant, quæ προτέλεια γάμων dicebantur. Vnde Proclus in Timæum Platonis, Comment. V : Καὶ ἔοικε δι' ταῦτα καὶ Οὐρανῷ τούτῳ & Γῇ προσήκειν ὁ γάμος, ὡς ἐκεῖνον ὑρανὸν, καὶ γλῶ ἐκεινῳ ἐνεικονιζομένοις. ὃ δὴ καὶ οἱ δεσμοὶ τῶν Αθηναίων εἰδότες, προσέταξαν, Οὐρανῷ καὶ Γῇ προτελεῖν τὸς γάμους. *Ac videntur iccirco & Cælo illi, & Telluri, convenire nuptiæ, quia in his imaginem ſit videre Cæli hujus, & Telluris. Cujus gnaræ Athenienſium leges ſtatuerunt, ut ante nuptias Cælo, & Telluri, ſacra fierent.*

* *Cælum, & Terra.*
† *nuptiales.*

Leviculâ etiam immutatione elementi nomen habes in Δημήτηρ : ut quæ ſic dicatur, quaſi Γῆ μήτηρ. Id Ioannes Tzetzes, Heſiodi interpres, factum ait more Dorum, qui pro γ ponunt δ : ut δνοφερὸν pro γνοφερὸν, *caliginoſum.* Ac favet etymo Orpheus, ſive Onomacritus :

Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα·
Terra mater omnium, Ceres datrix divitiarum.

Saltem

Saltem hoc verisimilius illo, quod est apud Platonem in Cratylo *: Δημήτηρ μὲν φαίνεται, καὶ πλὴν δόσιν τοῦ ἐδωδῆς, διδοῦσα ὡς μήτηρ, Δημήτηρ κεκλῆσθαι. *Ceres videtur ob alimenti donationem* DEMETER *vocari, quasi dans mater.* Sed ut de prima vocabuli parte fallatur; rectè interim docet, *matrem* vocari ab effecto, quia fœta bonis sit ad nos alendos. Hæc & causa est, cur porca ei fœta sacrificaretur. Arnobius in VII: *Si quia virgo Tritonia est, iccirco ei convenit virgines hostias immolari; & quòd Tellus est mater, consimiliter gravidis accipienda est scrofis* &c.

* p. 404, edit. H. Steph.

At paullùm elementi nomen est immutatum in *Rhea.* Nam Ῥέα καὶ μελάθεσιν ex ἔρα: uti hoc ex Hebræo ארץ, *erets*; unde & Belgicum **eerde**; quorum singulis terra denotatur.

Vti verò apud Græcos Γῆ, sic apud Romanos, tum elementi, tum numinis appellatio erat *Tellus*: quæ & *Tellumo.* Nempe quia in Terra non solùm attenditur vis activa, sed etiam passiva; eò coluere illam, tum ut marem, quomodo *Tellumo* vocabatur; tum ut feminam, quâ ratione dicebatur *Tellus.* Varro in XVI rerum divinarum, apud Augustinum in VII de Civit. Dei cap. XXIII: *Una eadem terra habet geminam vim; & masculinam, quòd semina producat; & femininam, quòd recipiat, atque nutriat: unde à vi feminina dicta est Tellus; à vi masculina Tellumo.*

Telluris ædis, quæ Romæ prima memoretur, ea est, quam exstruxere in area Spurii Cassii, publicatâ anno CCLXVIII. Meminit Cicero pro domo sua, & Valerius Maximus lib. VI, cap. III. Anno quoque CCCCLXXXV P. Sempronius Sophus ædem Telluris vovit; cùm, acie jam instructâ adversus Picentes, terra contremuisset, eaque res ingentem incussisset horrorem Romanis, sic ut ad pugnandum vix possent compelli. Auctores Florus lib. I, cap. XIX, & Orosius lib. IV, cap. IV. Etiam Deæ hujus ædem memorat Plinius lib. XXXIV, cap. VI. Non multùm abfuisse à Carinis, indicat Suetonius de illustribus Grammaticis; quo loco agit de Lenæo, Pompeji M. liberto. Item P. Victor, qui in quarta collocat Vrbis regione, itidem non procul à Carinis.

Ab eâdem causa *Ops* nominatur: quæ vox vim sive potentiam auxiliatricem significat; unde *inops*, & *cops*, quasi *coops*, à quo *copiæ.* At alia ut plurimum est Græcorum Ὀπις, prout communi linguâ dicitur, quæ Ionicè Οὖπις, velut apud Callimachum; & Doricè Ωπις, unde *Opim* priori porrectâ reperias apud Maronem in XI. Id nunc nomen est unius è virginibus Dianæ, ut loco Maronis memorato; nunc ipsius Dianæ, ut apud Callimachum ‡. Ex cujus interprete antea * geminam adduximus rationem, cur Diana sic vocetur. Vna erat, quia parturientes ὀπίζει, hoc est, curat. Nam ὄπις, *cura.* Eámque nominis rationem adfert quoque Etymologus †.

‡ *hymno in Dianam.*
* *lib. 2, cap. 29.*
† *in* Οὖπις. *Vide & Ὀπίζεσθαι apud eundem.*

Altera fuit, quia Diana hoc nomen assumserit amore virginis Hyperboreæ, *Opis* nuncupatæ: quæ sacra Apollinis, & Dianæ, ἱεροῖς δράγμασιν, ut Callimachus vocat, hoc est, (ut apud Servium * est) *in sacris mergitum* occultata, pertulerit in Delum. De discrimine Opis Romanæ, ac Grajæ, verba sunt ista Servii in VI Æn. *Cùm terram dicimus, hæc Ops facit: si nympham dicamus, hæc Opis: si divitias, hæ opes, numero tantùm plurali.* Et in XI: *Opim quando dicimus, Nympham significamus: si autem dicamus Opem, auxilium intelligimus. Opes verò numero plurali, census accipimus. Nam Ops uxor est Saturni, quam Græci Rheam vocant.* De illo autem Dianæ cognomento *Opis*, continuò adjungit: *Sanè hoc nomen ipsius Dianæ fuisse ab Ephesiis dedicato templo ei impositum, Alexander Ætolus poeta in libro, qui inscribitur Musæ, refert.* Idemque ex Alexandro hoc memorat Macrobius lib. I Saturn. cap. XXII; ubi & versus ejus poetæ adfert. Postea hæc subdit: *Quidam dicunt, Opim, & Hecaërgon, primos ex Hyperboreis sacra in insulam Delon occultata in fascibus mergitum pertulisse. Alii dicunt, Opim, & Hecaërgon, nutritores Apollinis, & Dianæ, fuisse. Hinc itaque Opim Dianam ipsam cognominatam; Apollinem verò, Hecaërgon.* Apud Servium nunc legitur, priori quidem loco *Opimeticaergea*: & *Opimeticaergon*. Quæ disjunctim scribenda, & sic corrigenda, Οπιν, & Εκάεργον. Vt satis liquet ex Callimacho, & ejus scholiaste: cujus verba adduximus libri hujus cap. XXIX. Nec primò id nobis observatum, video ex iis, quæ ὁ πάνυ Salmasius annotavit ad Consecrationem templi in agro Herodis Attici triopio. Porrò, pòst allata, ibidem apud Servium inter caussas, unde Opis dicatur, etiam hæc adfertur, *quòd proxima luna, quæ Dianæ terris facile conspiciat quoniam inta.* Sic enim corruptissimè hæc leguntur. Vide, an non scripserit Servius: *quòd proxima Luna terris, quæ Diana, facilè conspiciat omnia elementa.* Nempe ut Ωπις sit ab ὦπες, id est, *oculi*, sive inde derivato, ὠπίζεσθαι, vel ὠπάζεσθαι, quod Hesychius interpretatur, σκοπεῖν, ὁρᾷν, *conspicere, videre.* Satis hæc ostendunt, utcunque Ωπις eadem sit ac Ops, quatenus Ωπις est Diana; Lunaque, & Tellus, uno eodemque cultu à multis colerentur: propriè tamen aliam esse Ωπιν Græcam, aliam Opem Latinam: illam esse solam Dianam, vel nympham, unde nomen hoc Diana acceperit; hanc solam esse Rheam, sive Tellurem: Dianam dictam videri *Opim*, vel ab ὀπίζεσθαι, quod est *curare*, quia curam gerat parturientium; vel ab ὠπίζεσθαι, *conspicere*, quia videat omnia Lunæ subdita, præcipue Terras: Tellurem vocatam *Opem*, quia ope ac beneficio ejus vivamus. Varro duriusculè deduxit ab *opus*. Sic enim ille lib. IV de L. L. *Terra Ops, quòd hic omne opus: & hac opus ad vivendum.* Veriùs idem ille, cur *mater* dicatur. *Ideo*, inquit, *dicitur Ops mater, quòd terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes dedit, & resumit denuo, quæ dat cibaria; ut ait Ennius.* De eadem sic antea

* 6 Æn. Verba mox adducam.

antea dixerat : *Principes in Latio* (Dii) *Saturnus, & Ops.* Ac mox Saturnum quidem Cælum, Opem autem interpretatur Terram.

Primus Opi ſtatuiſſe ædem traditur Titus Tatius, qui cum Romulo regni Romani conſors fuit. Auctor Varro in IV de L. L. & Dionyſius Halicarnaſſ. lib. II Antiqu. Rom. ubi id conditum ait τῇ Ῥέᾳ. Hoc uterque interpres, Lapus, & Portus, *Rheæ* reddiderunt. Mallem *Opi* dixiſſent ; more Romano : unde Auſonius in Monoſyllabis :

— *Poſt hanc Rhea, quæ Latiis Ops.*

Sed ut templum *Rheæ* pro *Opis* non legatur apud Romanos : Tibulli tamen eſt de Phrygia matre lib. I, eleg. IV :

Idææ currus ille ſequatur Opis.

Et Macrobius lib. I Saturn. cap. X, Philochoro proditum ait, à Cecrope primùm in Attica aram fuiſſe conſtitutam Saturno, & Opi. Vbi Philochorus ſine dubio *Rheæ*, non *Opi*, ſcripſerat. Feſtum ejus *Opalia*, teſte Feſto. Ea incidebant die III poſt Saturnalia ; ut eſt apud Varronem in V de L. L. hoc eſt, XIV Kal. Ian. ut Macrobius auctor loco memorato.

Dea hæc etiam particulare cognomen habuit *Conſivæ*, à *conſerendo*. Feſtum ejus *Opiconſiva* incidebat in VIII Kal. Sept. ut liquet ex veteri Kalendario. De eo ſic Varro in V de L. L. *Opeconſiva dies ab Dea Opeconſiva, cujus in regia ſacrarium ; quod ideo actum, ut eò præter Virgines Veſtales, & ſacerdotem publicum, introeat nemo. Is, cùm eat, ſuffibulum haut habeat.*

CAPVT LIX.

Veſtam eſſe Tellurem, & cur Euripides eam dicat in aëre conſidere : ut item à Platone comparetur foco domiciliorum ; vel, ſi vulgatos Ciceronis codd. ſequamur, domicilium Deorum *ſtatuatur : & quomodo idem videri & numen poſſit, & locus Deorum. Veſtæ etymon. Vt pariter Tellurem, & Ignem, coluerint templo Veſtæ : & cur id fuerit rotundum. Per Iunonem etiam terram quandoque ſignari : & quàm variè* Iupiter, & Iuno, *φυσικῶς ſumantur : & quomodo conciliari poſſit, quod tum mater Ops, tum filia Iuno, terra eſſe dicantur. Imò & Cererem eſſe terram, ſed frugiferam ſolùm : & unde* Ceres *dicta, quæ & Γῆρυς. Duplicem eſſe Cererem ; Cæleſtem unam, hoc eſt, Lunam : Subcæleſtem alteram, hoc eſt, Terram ; cujus Cereris feſtum* Χθόνια *dictum. Cur Ceres dicta* Legifera, *& feſtum ejus* Theſmophoria : *fuiſſéque hæc Cereri, & Proſerpinæ, communia. Cur in utriuſque hujus Deæ feſto Syracuſis circumgeſtarint naturæ muliebris figuram. Vnde ſit, quòd per Venerem etiam intelligatur Terra, ſive vis ejus generatrix. Vt* Ἀδωνις, *&* Ἀιδωνεὺς, *reducantur ad Solem Antipodum. Cur aliqui dixerint,*

idem esse numen Veneris, & Vestæ: etsi hac nihil castius, illâ nihil lascivius haberetur.

POrrò Tellus non modò Rhea, vel Ops, dicitur; sed etiam Vesta, & Iuno, & Ceres, & Venus. De Vesta testis Suidas in Γῆς ἄγαλμα: &, cujus potior auctoritas, Euripides his versibus:

Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
Βροτοὶ καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι·
Et Terra mater, Vesta quæ sapientibus
Vocaris, ipso considens in æthere.

Vbi Vestam ait considêre in Æthere sive aëre, quia undique aëre, ac æthere, ambitur. Per Vestam itidem Terram intellexit Plato; ut indicant illa in Phædro sive de Pulchro *: Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος· τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη. Μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη· *Magnus igitur dux sive auriga in cælis Iupiter, volucrem agens currum, primus incedit, omnia administrans ac procurans. Hunc sequitur Deorum Dearumque exercitus sive cœtus undenas in partes distributus. Nam Vesta in domo Deorum manet sola.* Vbi per domum Deorum intelligitur totius mundi compages. In hac choragus, ac præsultor, statuitur Iupiter: undecim Deorum chorus hunc sequi dicitur. At unica, inquit, Vesta pedem non movet, sed quasi incluſa domi semper sistit. Hæc sanè nulli meliùs conveniunt, quàm Telluri: unde hæc *habitatio Deorum* dicitur. Idem Plato in XII de Legg. † Τῇ μὲν οὖν, Ἑστιάτε οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν· *Terra quidem, Vestaque, omnibus Diis sacrum est habitaculum.* Eò inclinat Iustus Lipsius ‡, distingui à Platone inter Terram, & Vestam. Magis mihi placet, copulam hîc esse ἐξηγητικὴν, quasi dicat, *Tellus*, sive *Vesta*; vel *Vesta, sive Focus domicilii*, aut *domiciliorum*. Præit ad hanc sententiam M. Tullius in II de Legg. *Platoni*, inquit, *prorsus assentior, qui, si interpretari potuero, his fere verbis utitur: Terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra Deorum omnium est.* Ita enim est in MSSis, quibus usus Turnebus; item istis, quibus Ianus Gruterus noster. In vulgatis est, *domicilium sacrum Deorum est.* Sed prius est convenientius verbis Platonis: etsi & vulgata quodammodo possit excusari. Dicat aliquis, non satis convenire, ut Dea sit Deorum domicilium. Verùm & Cælus est inter Deos; licet Cælum sit sedes Deorum. Nimirum Cælum, & Tellus, bifariam considerantur, ut loca sunt, quibus contineantur corpora cætera: atque ut ipsa sunt corpora, & quidem generationis omnium principia. Priori modo sunt domicilia, ac sedes Deorum hominumque: tellus Deorum, & mortalium; cælum, Deorum primævorum, & indigetum: quo

* T. 3, pag. 246, & 247. edit. H. Steph.

† pag. 950, edit. H. St.

‡ lib. de Vesta cap. 1.

quo pacto Dii non sunt. Posteriori ratione, si omnes Naturæ partes Dii sint; longè magis hæ duæ prænobiles nomen Deorum possident.

Præterea, Vestam esse Terram, ex vocabuli origine colligebat Phurnutus *: ut qui dicat, ταύτην διὰ τὸ ἑστάναι διὰ πάντων προσηγόρευσαν οἱ παλαιοί· ἢ διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς, ὡσανεὶ ἐπὶ θεμελίου, τὸν ὅλον ἑστάναι κόσμον· *Hanc* ESTIAN *à Græco* ESTANAI, *quod est stare, sistere; quia stet per res universas, veteres dixere: vel quòd super illo, tanquam fundamento, insistat totus mundus.* Ac Latinum ajunt *Vestæ* etymon convenire. Vnde Ovidius †:

Stat vi Terra suâ; vi stando Vesta vocatur.

Et Arnobius in tertio: *Terram nonnulli Vestam pronunciant, quòd in mundo stet sola, cæteris ejus partibus in mobilitate perpetuâ constitutis.* Alii (ut ex Servio videre est 1 Æn.) sic dictam putant, *quòd variis vestita sit rebus.* Hoc quoque Terræ optimè convenit. Sed de etymo, tam Græco, quàm Latino, planè eos ratio fugit. Nam Εστία sive *Vesta*, propriè idem est ac ἐσχάρα sive *focus*: nec Telluri ea attributa est appellatio, nisi prout est ignifera: hoc est, quatenus continet focum universi, ac calorem vitalem, quo plantæ generantur, & animantia: ut pleniùs exponam, ubi deventum erit ad Ignem, qui & ipse per Vestam, ac propriè magis, intelligitur. Vno interim templo Romæ sub Vestæ nomine & Tellus, & Ignis, colebantur. Vnde est, quòd Ovidius Vestam, nunc Terram, nunc Ignem, dicat: & de Igni arguit sempiternus ignis ab virginibus custoditus Vestalibus: de Terra autem, quòd templum Deæ, ut in nummis etiam Neronis videas, erat rotundum; idque ut repræsentaret terræ pilam. Ovidius VI Fast.

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ:
Et paries lento vimine textus erat.
Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuisse
Dicitur: & formæ caussa probanda subest.
Vesta eadem est, & Terra: subest vigil ignis utrique:
Significant sedem terra focusque suam.
Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa
Aëre subjecto tam grave pendet onus.
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus: à pluvio vindicat imbre tholus.

Festus Pompejus *: *Rotundam ædem Vestæ Numa Pompilius, Rex Romanorum, consecrâsse videtur, quòd eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit; eamque in pilæ formam esse, ut sui simili templo Dea coleretur.*

Accedo ad Iunonem; per quam itidem signatur Terra. Nam Iuno est natura Iovi subdita: ac pro multiplici Iovis acceptione variat etiam Iunonis significatio. Interdum *Iupiter* est æther, sive cælum: atque ita *Iuno*

* cap. de Cerere, & Vesta.

† 6 Fast.

* in Rotundam.

ſit aër. Interdum *Iupiter* eſt aër : & hoc pacto *Iuno* eſt tellus. Interdum *Iupiter* eſt cælum cum aere ſuperiori : quo pacto *Iuno* eſt aër inferior cum terra ; ut Iunonem interpretatur Macrobius lib. III Saturnal. cap. IV. At perperam Ludovicus Vives ad Auguſtinum de Civit. Dei lib. IV, cap. X ait, Iunonem eſſe terram, & aquam ; ejuſque rei teſtem laudat Servium. Nam pro *aqua aëra* dicere, ſi non voluit, ſaltem debuit. Vt *Iuno* pro aëre ponatur univerſo, inferiùs dicetur. Pro terra verò ea, ut *Iupiter* pro aëre, ſumitur à Marone verſibus iſtis * :

* 2 Georg.

Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit. —

Vnde expreſſum hoc in Pervigilio Veneris :

In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis.

Porrò non de poëticis figmentis, ſed de philoſophorum libris, à Virgilio hoc prolatum eſſe, meritò dicit B. Auguſtinus lib. IV de Civit. Dei cap. X. Qui & ibidem, cùm Saturnum monuiſſet eſſe temporis longitudinem, iſta ſubjungit : *Quid indignum dicitur, cum Iupiter, & Iuno, nati dicuntur ex tempore, ſi cælum eſt ille, & illa terra, cum facta ſint utique cælum & terra? Nam hoc quoque in libris ſuis habent eorum docti atque ſapientes.* Sed, ſi Terra eſt Iuno, & hæc ſoror ac conjux eſt Iovis ; quomodo Terra quoque eſt Rhea, uxor Saturni, mater Iovis & Iunonis ? His occurritur diverſâ conſideratione Telluris. Nam aliter ea attenditur, cùm vocatur *Ops*, & dicitur uxor Saturni : aliter cum nominatur *Iuno*, & ſtatuitur ſoror, atque uxor Iovis. Priori modo conſideratur, quatenus in ea præcipuè conſpicimus vim univerſæ naturæ paſſivam : uti in æthere imprimis attenditur naturæ totius vis activa. Hinc Varro in IV de L. L. *Principes Dei, Cælum & Terra. Hi Dei iidem, qui in Ægypto Serapis, & Iſis ; qui ſunt Taautes, & Aſtarte, apud Phœnicas ; ut iidem principes in Latio, Saturnus, & Ops.* Et poſtea ſubdit, Cælum Terramque eſſe, ut marem, & feminam ; ut animam & corpus; atque, ut legendum antea diximus, ſicut humorem, & calorẽ. Vbi, ut apertum puto, Terra non conſideratur nudè, prout pars eſt univerſi infima : ſed κατὰ συνεκδοχὴν totius, quatenus in ea maxime relucet vis naturæ receptrix, & ſeminatrix. Hoc vel ex iis cognoſcere fuit, quæ de Iſide, & Aſtarte, diximus. Oſtendimus enim, Lunam quoq; per eas intelligi. Imò, univerſa fortaſſe ſidera lumen ſuum recipiunt à Sole : quod minimùm de Venere, & Mercurio, ſtatuendum, propter earum eclipſes, noſtro ſeculo, uti & in Iove, obſervatas ; quemadmodum dixi cap. XXXI. At quando Tellus ſive ſola, ſive unà cum imo aëre, Iuno nominatur, ac Rheæ ſive Opis filia, Iovis autem dicitur ſoror & uxor : ſpectatur hoc elementum, ut infima pars univerſi. Nam ut naturæ vis activa, & paſſiva, attenduntur,

tanquam

tanquam mas, & femina; ita partes ejus considerantur, ut liberi: ac tres dicuntur mares; Iupiter, sive æther, Neptunus, sive aqua, Pluto, sive terra inferior: tres item feminæ; Iuno, ut aer imus, vel is unà cum terra supera; Ceres, ut terra frugifera: Vesta, ut eadem ignifera. De Iove, Neptunoque, in aëris, & aquæ elemento, videbitur: de Vesta, in Igni. Nunc quia de Iunone satis dictum est, de Cerere acturi sumus.

A nomine initium capiemus. *Ceres* multis sic videtur nuncupata quasi *Geres*, quia fruges gerat. Olim enim C pro G scripsere; ut vel ex rostrata Duilii columna constat. Hoc etymon, ut Varroni *, Tullioque, ita & Arnobio placuit in tertio. Sed si *Geres* prius dixere, potiùs sit à גרשׂ †, quod est frumentum contusum, sive contritum. Nam, priusquam molerent, fruges pistillo comminuebant. Atque etymon hoc placuit socero meo Fr. Iunio ‡. Fueritque ab eadem origine Γῆρυς. Hesychius: Αχερὼ, Ὦπις, καὶ Ελλὴ, Γῆρυς, καὶ Γῆ, καὶ Δημήτηρ, ἡ αὐτή. *Achero, Opis, Helle, Gerys, Tellus, & Ceres, eadem.* Nec inepte tamen deduxeris Ceres a חרשׁ, *arare*: quia (ut poeta ait:)

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro.

Vel, ut Servio visum in 1 Georg. à creando, quia frugum creatrix. Nam *cereo* olim idem ac *creo*: unde in carmine Saliari apud Festum * est *cerus manus*, quod idem exponit *creator bonus*.

Est verò, ut dictum cap. XXVII, duplex Ceres, cælestis ac terrestris. Cælestis est Luna: terrestris autem est tellus frugifera; hoc est, terra pariter, ac fruges; unde & μειλωνυμικῶς à poetis pro *frugibus* accipitur. In Cerere se ratio habet similiter, ac in Iside: quæ, quia omnia germinant beneficio Lunæ, ac Telluris, eò utrumque numen comprehendit. Hoc nos docet Plutarchus lib. de Iside, & Osiride: ubi tradit, qui Ægyptiis est Osiris, hunc esse Græcis Bacchum sive Liberum: quæque Ægyptiis Isis, hanc Græcis esse Cererem: ac Osiridem quidem esse Solem, & Humorem aqueum; Isidem autem Lunam, & siccitatem terrestrem. Hinc cognoscimus, cur ἡ Χθονία θεὸς † sit Ceres: & festum Cereris dicatur Χθόνια ‡, ut est apud Pausaniam in Corinthiacis, & Ælianum de Histor. Animal. lib. XI, cap. XII. Etiam eâdem liquet, cur subterranea haberetur. Nam ut cælestes Dii in cælis, ita terrestres habitant in terris, sive sub terris. Hoc nugandi occasionem præbuit illi, qui cum Cerere se apud inferos collocutum diceret: ut legimus apud Origenem lib. II adversus Celsum. Verba ejus sunt *: Ραμψίνιτον ἐν Αιγύπτῳ συγκυβεύειν ἐν Αδῃ τῇ Δήμητρι, καὶ ἀνελεῖν δῶρον παρ' αὐτῆς χειρόμακτρον χρυσοῦν φέροντα. *Rampsinitum Ægyptium aleâ lusisse apud inferos cum Cerere, & ab ea dono abstulisse aureum mantile, quod secum ferret.* nempe ut certissimum & itionis suæ ad inferos, & reditus ab iisdem, argumentum.

Ceres

* *lib. 5 de L. L.*

† *Levit. 2, 14.*

‡ *in elogio linguæ Sanctæ, & lexico Hebræo, hactenus inedito.*

* *in Matrem.*

† *Dea Terrestris.*

‡ *Terrestris.*

* *pag. 96, edit. August. Vind.*

Ceres hæc dicta quoque θεσμοφόρος : ut Maroni IV Æn. *Legifera* : ac sacra ejus apud Athenienses θεσμοφόεια, quasi *divinæ legis latio.* Nam θεσμὸς, νόμος θεῖος * , ut Hesychius exponit. Vrbibus quidem ab ea leges latas, etiam Callimachus hymno in Cererem ait. Rationem ex Servio appono ad IV Æn. *Leges Ceres dicitur invenisse. Nam & sacra ipsius Thesmophoria, id est, legum latio, vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante frumentum inventum à Cerere, passim homines sine lege vagabantur ; quæ feritas interrupta est, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura.* Vti autem per *Cererem* signatur terra frugifera, & cum his fruges : ita per filiam ejus, quam dixere Περσεφόνην, sive *Proserpinam*, denotantur semina, quæ terræ mandantur. Itaque θεσμοφόεια erant sacra non Cereri modò, sed & Proserpinæ : ac quamquam majori colerentur castimoniâ, quàm Eleusinia ; Syracusis tamen in hoc festo utrique Deæ ferebant μυλλούς. Athenæus lib. XIV : Ἡρακλείδης ὁ Συρακούσιος ἐν τῷ περὶ θεσμῶν φησὶ τοῖς παλαιοῖς τῶν θεσμοφορίων ἐν συσάμῳ καὶ μέλιτος κατασκευάζεσθαι αἰσχρὰ γυναικεῖα· ἃ καλεῖσθαι καὶ πᾶσαν Σικελίαν μυλλούς, καὶ περιφέρεσθαι ἐπὶ θεαῖς. *Heraclides Syracusius, libro de vetustis & sanctis moribus, scribit, apud Syracusios in extremis Thesmophoriis ex sesamo & melle fingi pudenda muliebria, quæ* MVLLOI *per totam dicebantur Siciliam, ac circumferebantur Deabus.* Flagitiosus mos, symbolicus tamen. Nam ut in Osiridis, & Bacchi sacris, phallus est circumgestatus ad signandam generandi vim activam ; quæ est in Sole, & Humore : ita in Syracusanis Thesmophoriis circumferebatur μυλλὸς, ad significandum principium generationis passivum.

* Thesmos, *Lex divina.*

Sed quomodo, si Rhea, sive Ops, mater Cereris, sit Tellus ; etiam Ceres, ejus filia, Tellurem signet ? Non est operosum hunc nodum exsolvere ex iis, quæ de Rhea, & Iunone, diximus. Nam & Iuno est Rheæ filia, ut & Vesta, Ignis præses : quæ nihilominus sunt filiæ ; juxta illud Ausonii † :

† Idyll. 4, *sive grypho ternario.*

Iuno, Ceres, & Vesta, secus muliebre sorores.

Quamobrem sic statuendum, non terram omnem dici Cererem, sed frugiferam duntaxat : Opem autem, sive Rheam, esse terram universam. Hæc igitur est mater ; Ceres filia : quia terra est totum ; frugiferum solum, pars ejus : terra item fert fruges, ut mater liberos.

Præterea ad Terram refertur Venus. Quippe ut aliàs, vel Luna est, vel Hesperus ; ita subinde est vis Naturæ generatrix : quæ ut cælis proficiscitur, ita ab aquis, ac præcipuè terra, recipitur, inque hac potissimùm elucet. Hinc Macrobius lib. I Saturn. cap. XXVIII : *Physici superius hemisphærium terræ, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt : inferius verò hemisphærium terræ Proserpinam vocaverunt.* Quod autem diximus antea, per Adonin, amasium Veneris, intelligi Solem, hoc non modò locum habet, si per Venerem capiamus Lunæ, aut Luciferi sidus : sed etiam si Tellurem intelli-

intelligamus. Nam & Tellus Solem desiderat, ut femina marem. Sed imprimis deperit absentem, hoc est, cum ad Antipodas concessit. Quomodo Adonis quidem Sol erit; sed ille inferius illustrans hemisphærium. Vnde apud Ausonium Epigramm. XXVIII:

Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοισιν Ἀδωνεύς·
In vivis Bacchus, sed Adonis lumine cassis.

Sic sanè Græcum versum legit Mariangelus in Diatribis: ac similiter reperio in Veneta anni ɔIɔ ɔɔɔɔ XCIV. In aliis tamen codd. est:

— ἐνὶ φθιμένοις Ἀιδωνεύς. Vt Latinè possis reddere:
Bacchus sum in vivis: in defunctis Aïdoneus.

Ἀιδωνεὺς autem est Ἅιδης sive *Pluto*. Quæ sententia non repugnat priori, modò per Plutonem intelligas Iovem Stygium, hoc est, Solem inferiori illucentem telluri: quem cum cardine australi, secundùm poetam *, * 1 Georg.

Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.

Cùm autem Venus sit Terra, atque eadem, quatenus ignifera est, (ut antea orsi eramus dicere, & pleniùs postea explicabitur) etiam Ἑστίας sive Vestæ habeat nomen: non obscura est ratio, cur eandem aliqui Venerem, & Vestam, esse dixerint. Vnde B. Augustinus lib. IV de Civ. Dei cap. X: *Quis ferat, quod cum tantum honoris, & quasi castitatis, Igni tribuerint, aliquando Vestam non erubescant etiam Venerem dicere?* Nempe gentilium isti, quos signat, respexere Vestam matrem, quæ eadem ac Tellus; non Vestam filiam, quæ est Ignis, ac focus Vrbis publicus.

CAPVT LX.

Per Proserpinam intelligi Tellurem. Græcis dici Περσεφόνη, *seu* Περσεφόνειαν, *& unde id nomen esse credatur. Eandem esse* Πολύβοιαν. *In Hesychio conjectura. Nullam esse pugnam in istis, ut Proserpina sit terra frugifera, & eadem nihilominus filia sit Cereris, quæ itidem frugiferum solum designat. Frequentiùs interim per Proserpinam intelligi tum semen, tum interiorem terram: unde, quia tellus ea furva, & ipsa Diva* furvæ *habuit cognomen, ac eidem furvæ mactabantur hostiæ. Divitias, à quibus* Pluto *nomen accepit, triplices esse: quasdam alimoniæ, quam terra producit: alias cadaverum, & aliorum, quæ tellus recipit, ubi corrupta sunt: alias præterea metallorum, quæ tellus intus gignit, & donec effodiantur, continet. Dubitatum, an Latinis sit nomen* Dis *ab iisdem divitiis, an ex eo, quia Iupiter Græcis dicatur* Ζεύς, *& Pluto sit, ut Maro appellat, Iupiter Stygius.* Ετυμον *Orci,* Ἅιδου, *Erebi, Acherontis, Erythræi maris, Attinis.*

POstremò ostendam loco, Tellurem etiam intelligi per Proserpinam, & maritum ejus Plutonem. De Proserpina sic Isacius Tzetzes in Lyco-

phronem * : Περσεφόνη δὲ ἡ Ἶσις, ἡ Γῆ, ἡ Ῥέα, καὶ Ἑστία, ἡ Πανδώρα, καὶ ἕτερα μυρία ὀνομάζεται· *Tellus Proserpina, & Isis, & Rhea, & Vesta, & Pandora, & innumeris aliis nominibus nuncupatur.* Idem clariùs elucet ex Περσεφονείας etymo, de quo Hesychius: Περσεφόνεια, ἡ τῆς Δήμητρος θυγάτηρ, ἡ φέρουσα τὸ ἄφενος, τυλέσι τὸ πλῆτον, δηλ. τὸ καρπὸν, ἀπὸ τοῦ φέρειν ὄνησιν· PHERSEPHONIA, *Cereris filia, divitias adferens, propter fructus, ex Pherein, hoc est, ferre, & Onesin, id est, utilitatē ac fructum.* Quod si Φλοιὰ sit *Proserpina*, hæc quoque Tellus erit. Favet Hesychius: Φλοιὰν, τὴν κόρην, τὴν θεὸν οὕτω καλοῦσι Λάκωνες· *Phlœam, Liberam deam sic vocant Lacones.* Nempe, ut Latinis *Liber*, Bacchus; *Libera*, Proserpina: sic Græcis *Liber*, Φλοιὸς; *Proserpina*, Φλοιά. De Libero indicant verba Plutarchi: Ἔνιοι δὲ θύουσι Διονύσῳ τῷ Φλοιῷ· *nonnulli sacrificant Libero Phlœo.*

Etiam vocata est Πολύβοια. Idem Hesychius: Πολύβοια, θεός τις. ὑπ' ἐνίων Ἀρτεμις, ὑπὸ δὲ ἄλλων κόρη· *Polybœa, Dea quæpiam, nonnullis Diana; aliis Libera, seu Proserpina.* Nempe à βόω, sive βόσκω, *pasco*; ut idem sit ac Homeri πολυβότειρα, *multos pascens*; aut παμβῶτις γῆ, *terra omnes pascens*; quod apud Sophoclem Philoctete. Ac fortasse similiter Heracleenses matrem ejus Cererem dixere Παμβότατον, quasi *omnium herbarum productricem.* Licet apud Hesychium nunc legatur: Πάμπανον, ἡ Δημήτηρ ἐν Ἡρακλείᾳ.

Sed ut superiùs de Rhea, & Cerere; ita hic de Cerere, & Proserpina, controversia est: quomodo eadem esse Tellus possit, eaque frugifera; cùm Ceres quidem mater, Proserpina autem sit filia. Verùm lib. II, cap. XVIII, Cererem, & Proserpinam, bifariam interpretabamur. Primùm, ut Ceres sit Luna; Proserpina autem vis Terræ frugifera. Sic Proserpinam esse Cereris filiam, satis liquet. Deinde ut Ceres est seges; Proserpina autem semen. Ac eâ quoque ratione Proserpina est filia Cereris, hoc est, segetis; sed sic, ut quodammodo etiam mater dici possit; quia & seges è semine, & semen à segete, matre pariente filiam, filia reddente matrem. Alii malunt dicere, segetem esse à semine, semen à terra. Non hæc pugnant: quippe terra est materies segetis aliquo modo permanens, quia elementorum formæ manent, sed fractæ: unde alia est mixti forma, quàm elementi: semen autem est materies periens, quia, adveniente formâ plantæ, recedit forma seminis.

Sed utcunque Proserpina etiam sit terra frugifera, ac seges: usitatiùs tamen accipitur pro semine, ejusque receptrice terrâ inferâ. Vnde & *furva*, hoc est, nigra dicebatur. Horat. lib. II, od. XIII:

Quàm penè furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum!

Vbi Acro: *Furva mystico nomine dicitur Proserpina.*

Itidem & quia infera loca luce destituuntur; eò furvas Diis inferis hostias

* pag. 203, edit. Basil.

hostias mactabant. Imò, ut Porphyrius docuit in opere de philosophia ex Apollinis responsis; quo inferiores essent Dii, eò tristiores, longiusque à colore albo recedentes, sacrificatæ sunt hostiæ; idque in foveis, non aris, uti Diis fiebat superis, & terrestribus.

Quemadmodum autem interior tellus, ratione virtutis passivæ, *Proserpina* nuncupatur: ita quoque ratione masculæ virtutis est Πλούτων, & Πλουτεύς. Atque idem apud Phurnutum legere est. Lucianus de Luctu sic vocari ait, quia omnia in terram recidant, mortuisque ditescat. Vt Pluto sit terra, quatenus est cadaverum receptrix. Itaque Horatio * sepulcrum vocatur *exilis domus Plutonia.* Interim & altera ratio est, eaque potior: puta quòd, ut idem Lucianus in Timone refert, sit πλουτοδότης, καὶ μεγαλόδωρος· *divitiarum donans, magnáque largiens.* Eamque caussam etiam adducit Plato in Cratylo †: imò & Tullius, in secundo de Natura Deorum, utramque caussam his complectitur verbis: *Terrena autem vis omnis, atque natura, Diti patri dedicata est; qui dives, ut apud Græcos* Πλούτων, *quòd recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Oriuntur autem è terris fruges, ac fructus cæteri. Sed & metalla illi debentur, quia effodiuntur terrâ. Quare, & per Plutonem capimus Tellurem, quatenus est metallifera.

* lib. 1, od. 4.

† pag. 403. edit. Steph.

Sed quod Tullius ait, ut Græcis Πλούτωνα, sic Latinis *Ditem* nuncupari: id quamquam per est verisimile, in dubium tamen vocari possit. Nam cur non putemus, Latinum *Dis* esse ex Græco Δὶς, hoc est, *Iupiter?* Nam sic Maro ‡ eum *Iovem Stygium* dixit. Sed priùs malim: quando & Tibullo *Orcus*, qui idem ac *Pluto*, *dives* nuncupatur. Sic enim cecinit lib. III, el. III:

‡ 4 Æn.

Dives in ignava luridus Orcus aqua.

Eundem verò esse, ac Plutonem, etiam origo indicat. Nec enim id nominis vel ab *urgendo* est; uti Varro credidit in IV de L. L. nec item, quod Verrius putabat, contractum ex ὑραγὸς, quo *caudam agens*, hoc est, *extremi agminis ductor* significatur: sed neque ab ὅρκος, hoc est, *Iuramentum*, quia Dii per Stygiam jurarent paludem: verùm ab Hebræo אֶרֶץ, *terra*: ut usurpat prophetes Ieremias X, 11.

Idem Ἅιδης dicitur nominatus ἀπὸ τὸ ἀειδὲς, hoc est, *inconspicabile*; quia tenebricoso agat loco: qui & propterea dicitur Ἔρεβος: nempe ab עֶרֶב, *ereb:* quod vesperam vel noctem signat. Vt in Scripturis *Tenebrarum* nomine notatur Matth. XXII, 13: ubi eum, qui sine nuptiali advenerat veste, conjici Rex jubet εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· *in tenebras exteriores.* Ac similiter *Acheron* dicitur ab אַחֲרוֹן, h. e. *ultimum, extimum*, sive, quod longissimè abest.

Nec tamen hæc controversia carent: præsertim quod de Ἅιδης etymo dicebamus: etsi, vulgo ita ferri, apud Platonẽ legimus in Cratylo *. Multis enim partibus verisimilius censeo, vocari Ἅιδην ab אַדָמָה, *Adama*, hoc est,

* pag. 304, edit. H. St.

terra. Quod ab אדם, *rubuit*, quia terra inculta rubet. Vnde אָדָם, *homo*, quasi dicas, *terrenus*. Absque ה semper est appellativum; cum eo, proprium. Atque eâdem origine אֱדוֹם, *Edom*, hoc est, *rufus*: qui est Esau: unde Ἰδυμαῖοι, *Idumæi*, q. d. Esavitæ, vel rufi, aut rubri; ut mare Ἐρυθραῖον, hoc est, Idumæum, dicitur rubrum, quemadmodum & alibi monui, ab Erythra sive Esavo, hoc est accolis, qui Edomi erant posteri.

Fortasse autem & ejusdem ac Ἄδης originis est Ἄττης, amasius Rheæ, sive Cybelles. Quantillum enim abeunt Ἄδης, & Ἄττης. Quod si placet, Ἄττης bifariam spectatur, vel ut Sol est; vel ut vis activa Terræ insita. Vtroque modo Rheæ, hoc est, Terræ, vel amasium, vel maritum dixeris.

CAPVT LXI.

Ad Tellurem varia referuntur nationum numina. Vti Maia, *cujus etiam nominis ratio adfertur*: Bona Dea; *cujus sacrum cur Damium diceretur, aliter exponitur, quam Festus putabat: adhæc non* Faunus *minus, quàm* Fauna, *quæ &* Fatua: *præterea* Flora, *ac* Pales: *sed &* Puta, Pomona, Sera, Segesta, *vel* Segetia, Tutulina, Nodinus, *vel* Nodina, Lactucina, *vel* Lactens, Patalena, Hostilina, Volutrina, Deverrona, Runcana, Spinensis, Robigus, Sterculius. *Sed Deam* Fornacem, *frumenti, quod torretur, præsidem, si frumentum quidem attendas, ad Cererem seu Tellurem frugiferam: sed quatenus id torretur, ad Vulcanum potiùs sive Ignem pertinere. Ejus festum* Fornacalia.

QVos Deos ad Terram proximè reduximus, tam cogniti fuere Romanis, quàm Græcis. Sed fuere præterea numina, vel saltem nomina, quæ fugerent Græcos. Cujusmodi seu numen, seu inane nomen, tum *Majæ* fuit, tum *Bonæ Deæ*. Sic enim de utraque proditum à Cornelio Labeone libro de Diis, & ex eo à Macrobio lib. 1 Saturnalium cap. XVI. De Maja quis dubitet, quin, ut Labeo ait, sit Magna Mater? Sed non æquè liquet, num inde nomen impositum sit, quia *majus* veteri Romanorum linguâ idem sit, ac *magnus*: unde Iupiter *Deus Majus*; & *majestas* pro magnitudine, & fortasse comparativus *major**: an potiùs acceperimus hoc à Græcis; quando & illis Μαῖα est mater Deûm: imò & vocabulum hoc Græcis, tum *nutricem*, tum etiam *matrem* sonat; ut antea dictum.

* *de que dictum nobis lib. 2 de Analogia cap. 24.*

Vtcunque de Maja sit, saltem Romanum est numen *Bonæ Deæ*. Ejus festum, Pompejo teste, *Damium* appellabatur. Δάμιον autem Doricum est, ac Tarentinum, pro Δήμιον, hoc est, δημόσιον, sive *publicum*. Sed caussam cur *publicum* diceretur, non satis perspexit idem Festus. Credebat ille, *publicum* dici, quasi *minimè publicum*: eò quòd viro nulli liceret ei interesse. Nos abunde omnem ἀντίφρασιν explosimus Oratoriarum Institutionum libro

bro quarto cap. XIII, §. X. Veráque nominis ratio est, quòd pro populo fieret: ut ibidem pluribus ostendi. Quod autem diximus de Bona Dea, idem locum habet in Fauno, Fauna, & Fatua Dea. Nam *Faunus* est Tellumo: *Fauna* sive *Fatua* est Tellus, seu Bona Dea: ut observatum nobis libro primo hujus operis cap. XII. Atque ibidem etiam multis monstravimus, *Floram*, quæ præstare credita, ut arbores plantæque omnes meliùs floresçant, numen esse non animale, sed naturale. Nempe & ea est Tellus plantifera, ac præcipuè florifera, ut Ceres frugifera.

Quod si *Ceres*, ac *Flora*, sint Tellus, etiam *Pales* terra erit. De hac ita Servius in Georg. III: *Pales Dea est pabuli: quam alii Vestam, alii matrem Deûm vocant. Hanc Virgilius genere feminino appellat. Alii, inter quos Varro, masculino genere, ut hic Pales. Huic sacra solvuntur* XI *Kal. Majas, die, quæ Palilia vocatur.*

Quodque de Cerere, ac Pale, & Flora, vidimus, idẽ censendum de cunctis numinibus, quæ plantarum curæ præfecerant Romani. Qualis *Puta*, cui nomen ab arboribus putandis: & *Pomona*, pomorum præses. Adhæc *Sera* à serendo sic dicta: itẽ *Segesta*, nomen hoc sortita à segete, Plinio teste lib. XVIII, cap. II. Vtriusque simulachrum in Circo. Nec alia à *Segesta* videtur *Segetia*, quam cernere est in nummo Saloninæ, uxoris Gallieni Cæsaris. Par ratio *Tutulinæ*, quæ tutatrix segetis: *Nodini*, vel *Nodoti*, sic vocati à nodis, & geniculis plantarum: *Lactucinæ*, vel *Lactentis* Dei, à lactenti frumento: *Patalenæ*, cùm segetes & folliculi patescunt: *Hostilinæ*, cùm in segete aristæ novæ aliæ alias hostiunt, hoc est, æquant: *Volutrinæ*, involucris segetis præfectæ, de qua ex Augustino etiam Papias: *Runcanæ* Deæ, cum runcanda frumenta: *Spinensis* Dei, ab evellendis spinis: *Deverronæ* à deverrendo, quo in coacervandis frugibus opus: *Robigi*, robiginem à segete arcentis, cujus festum *Robigalia*; ut est apud Varronem in V de L. L. Verrium sive Festum in Robigalia, & Plinium lib. XVIII, cap. XIX. Si, voles, his numinibus accedat *Stercutius*: uti dixere Deum, cujus beneficio feliciter succederet agrorum stercoratio. In cujusmodi numinis cultu non stercori res fiebat divina; sed Telluri, fimo lætanti, vel Naturæ virtuti, qua plantæ, post fimum agro adspersum, feliciter provenirent.

At Dea *Fornax* fortasse potiùs ad Ignem referenda, quàm Terram. Nam præerat quidem Fornax frumento: sed cùm fornacibus torreretur. Atqui, ut frumentum Cereris nomine intelligatur, quæ est Tellus frugifera: quatenus tamen torrebatur, ad Ignem refertur. Maro I Georg.

— Frugesque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Quo & pertinet illud in Servio Fuldano *, ex Accii Troadibus: * pag. 28, edit. Paris.

Nocturna saxo fruges frendes torridas.

Ita enim legendus is locus. Perperam ibi *Nocturnam*, pro *Nocturna*. Sermo enim est ad Troadum aliquam. *Nocturna* pro *noctu*, ut Maro de lupo dixit III Georg. * — *nocturnus obambulat.*

* *vers.* 538.

‡ *In* Fremere, & Frendere.

Pro *franges* autem, ut apud Servium est, repono *frendas*, Nonium ‡ secutus. *Frendere* idem, ac *frangere*, unde *faba fressa*. *Torridas* valet, quod Maro ait *flammis tostas*.

Deæ hujus festum *Fornacalia*; de quibus Festus. Miratur vir eruditissimus *, in lexico veteri Fornacem statui Deam. Nempe non veniebat ei in mentem Ovidii illud in erudito de Fastis opere lib. VI:

* *in lexico philologico.*

Et Fornacali sunt sua sacra Deæ.

Item hoc ejusdem in secundo:

Facta Dea est Fornax: læti Fornace coloni
Orant, ut vires temperet illa suas.

CAPVT LXII.

Tellus etiam culta Gallis, sub nomine Ditis; *unde & genus se ducere jactitabant: item Germanis, sub nomine* Herthæ: *&, an inde* Heroes *dici putarit Capella, adversus Lipsii opinionem, discussum: adhæc ut Scythis culta sit sub nomine* Apiæ; *item Kyrgessis in Tataria veneratione fuerit, & cujusmodi id symbolo testatum fecerint: insuper Peruanis, quibus dicta* Pachamama. *Divinus quoque honos attributus terræ partibus: ut montibus apud Cappadoces, & Dacos. Particulatim illud de Carmelo assertum, & unde is cultus promanârit: item ut hic montium cultus etiam apud Peruanos sit repertus. In Vrbibus quoque Roma erat pro numine.* Genios magnos *dici, qui Vrbibus ac Regionibus præessent.* Nemestinus, Collina, Vallina. *Paucula adversus Telluris cultum.*

NEc ex Europæis gentibus solùm cùm Thraces, tum Græci, & Romani, coluere Tellurem: sed etiam Galli, Germani, ac Scythæ. Gallis quippe DIS maximè in pretio fuit: imò ad Ditem originem sui generis referebant: ut est apud Cæsarem in VI de bello Gallico. Credo, eò spectabant, quòd omnes è terra originem ducimus. Nam terrena omnis vis, atque natura, Diti patri dicata est; ut ait Cicero in II de Natura Deorum.

De Germanis auctor nobis Tacitus in libro de Germania: ubi tradit, huic genti cultam esse *Hertham*, quam Terram interpretatur. Sane Terra Germanis *êrde*, uti Anglis *earth*: quæ ejusdem originis ac Græcum ἔρα: nempe ut ante diximus, ab Hebræo ארץ, quod idem signat. Martianus Capella lib. II ait, *Heroës* dici ab *Hera*, id est, terra. Suspicatur Lipsius, eò respe-

respexisse, quòd Germanis *êrde*, sive *êrth* sit terra. Non arbitror, id Afro illi constitisse : nec, ut sciisset, inde deduxisset vocem Græcam. Potiùs censeo, in animo ei fuisse ἔρα, unde Πία deducebamus. Nam sic dixisse veteres, ostendunt ἔραζε, *humi*, sive *in terram* : ἔνεροι, οἱ καταχθόνιοι, *inferi, mortui*, quia sint ἐν τῇ ἔρᾳ, hoc est, γῇ.

Scythis dea Tellus vocabatur Ἀπία : ut testis est Herodotus in Melpomene. Verba ejus inferiùs adducimus.

Tartaris quoque, sive Tataris potiùs, Tellus pro numine erat : proque symbolo ejusce venerationis erat terræ cultus cum lacte, sanguine, & fimo, admixtis. Qua de re sic Alexander Gaguinus in Sarmatia Europæa, eâ parte, ubi Tatariam describit : *Kyrgessi Tartari catervatim in campis degunt, habentque ritum gentilem hujusmodi. Sacrificus ipsorum, quo tempore rem divinam peragit, tunc sanguinem, lac, & fimum jumentorum, terrámque sumit, commixtionéque insimul factâ, in vas quodammodo infundit, & unà cum hoc arborem adscendit, ad populumque circumstantem concionatur. Concionéque peractâ, in stultam plebeculam, prædictam commixtionem spargit : populus verò in terram pronus provolvitur, adsperziunculamque hanc* PRO DEO *colit, firméque credit, nihil esse perinde salutare humano generi, ac terram, pecus, armentáque.* Ex postremis interim verbis liquet hoc, quod sic venerarentur, partem magnam symbolicum fuisse. Videlicet, quod terræ erat admixtum, id fuit signum totius elementi : at lac, sanguis, fimus, pecoris, & armentorum erant figura. Ex symbolis igitur istis de elementi ipsius cultu colligimus.

Et cur non aliquid alterius orbis addam? ubi Peruanis Terram esse cultam, atque ab iis dici *Pachamama*, refert Iosephus Acosta lib. v, cap. xv.

Quæ hactenus adduximus, ea totam respiciunt Tellurem, vel saltē interiora terræ universa, aut superioris regiones cunctas. Verùm exiguæ etiam Terræ portiones honore affectæ sunt divino. Quomodo montes pro Diis habuere Cappadoces, & Daci : ut in Oratoriis Institutionibus * ostendi ex Strabone, & Maximo Tyrio. De Carmelo monte sic Tacitus in secundo Historiarum : *Est Iudæam inter, Syriamque, Carmelus. ita vocant montem, Deumque. nec simulacrum Deo, aut templum : sic tradidere majores : aram tantum, & reverentiam.* Suetonius in Vespas. cap. v : *Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem.* Et longè his antiquior Scylax Caryandensis : Κάρμηλος † ὄρος, ἱερὸν Διὸς · *Carmelus mons, Iovis delubrum.* Significat montem, & Deum esse, & Dei sedem ac fanum. Nullum enim in eo templum, ut Tacitus indicat; sed ipse mons Carmelus quasi templum erat numinis : imò & corpus ejus. Nam Carmelus Deus constabat genio loci, & vasto montis corpore. Verisimile autem est, hanc opinionem paullatim irrepsisse ex eo, quòd Elias Thisbites hîc habitârit, scholamque habuerit : ut quidem

* *lib. I, cap. 5, sect. 39.*

† *Vox hæc in Scylace supplenda.*

pro-

* *de institutione primorum monacherum sub veteri lege, &c.*

prodidit Ioannes Hierosolymitanus patriarcha *. Prope sanè eum sacerdotes Baal ab Elia occisos, legimus I seu III Reg. XVIII. Ac Eliæ discipulum Elisæum hic aliquamdiu sedem fixisse, cognoscimus ex IV Reg. cap. II, & IV. Quia igitur prophetæ tanti hunc locum elegere ad incolendum, sacraque præstanda : eò diu ille pro sancto habitus est, gratioremque in eo fore numini cultum, judicatum. Nondum tamen mons ipse pro Numine habebatur : non magis sanè quàm lapis ille fastigiatim assurgens instar montis credebatur Deus ipse Elagabalus : qui symbolum ejus solùm habebatur. Nam *Elagabalus* quidem *Deum montem*, vel *montis Deum* signat : sed eo nomine non mons, intelligebatur; verum Sol, cujus delubrum in monte Emesseno erat : quemadmodum diximus cap. V. Similiter igitur non montem primò, sed sancti montis numen coluere : ac credibile est, itidem id Solem putasse. Tandem tamen ipse Carmelus mons habitus pro Deo : idque occasione ea, quam ex Tacito dicebamus.

Quàm altè autem opinio hæc de montium cultu radices in animis egerit humanis, argumento illud erit, quòd etiam montes pro Diis culti sint Peruanis : quemadmodum refert Iosephus Acosta lib. V, cap. II.

A montibus ad urbes transeo : quomodo Romanis, & Græcis, Roma habebatur Dea. Vnde Martialis lib. XI, ep. VIII :

Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Et Frontinus de aquæductibus lib. II : *Regina & domina orbis, quæ terrarum Dea gentiumque consistit, cui par nihil, & nihil secundum.* Quod non κατὰ μεταφορὰν solùm, sed propriè etiam accipere possumus : cum sit, ut Claudius Rutilius in primo Itinerarii sui ait,

Inter sidereos Roma recepta polos.

Itaque & templum Deæ Romæ erat : cujus meminere Livius, & alii multi : uti pluribus dictum mihi Oratoriarum Institutionum lib. IV, cap. VI, sectione V.

Cæteroquin Romani non tam loca habuere pro Diis, quàm locis quibusque suos præfecere genios. Qui & Vrbium erant, ac Regionum. Atque hi vocabantur *Dii Magni*. Vt inscriptione ea, quæ Puteolis reperta : DEO MAGNO, GENIO PVTEOLANORVM, ET PATRIÆ SVÆ. Nempe διακεκριμένως †. Nam genius quidem, in cujus tutela quisque erat ab nativitate sua, ἁπλῶς dicebatur *genius* : sed ille totius patriæ nuncupatus est *Deus magnus*. Ac possis non modo ad terræ partes, sed ad genios etiam referre, tum masculum numen, *Nemestinum*, nemorum Deum : tum femineum, *Collinam*, collium; *Vallinam*, vallium Deam. Ac par est similium ratio.

† *discriminis caussa.*

Atque

Atque hæc de cultu Telluris, & ejus partium : cujus in eo præcipuè ratio constitit, quòd Terra nos producat, & nutriat, eoque meritò vocetur *mater* : cui quin pietas debeatur, minimè in ambiguo est. Sed neque materna pietas est divina ; neque terræ debemus idem, ac parentibus : quandoquidem, quod barbarè dici solet, figurativam non esse argumentativam, id hic etiam locum habet ; quia tralaticia est locutio, Terram vocare matrem. Quod Lucretius non malè admonet lib. II :

Heic siquis mare Neptunum, Cereremque vocare
Constituet fruges, & Bacchi numine abuti
Mavolt, quàm laticis proprium proferre vocamen :
Concedamus, ut hic Terrarum dictitet orbem
Esse Deûm matrem, dum re non sit tamen apse.

Mirum autem, potuisse pro Deo coli, quod vulgo omnes pro corpore haberent inanimo : eoque ligonibus fodicare, calcare pedibus, cibi etiam retrimentis, & humore obsceno conspurcare, non vererentur. Stultitiam hanc videbant prudentiores. Itaque dixere, Tellurem esse animal, vel partem magni animalis, quod Mundum dicimus. A qua sententia nostro seculo non abhorruisse summus videtur Mathematicus Keplerus. Nam non contentus dicere, Tellurem diurno circumagi spatio, ait hunc motum ab sua anima habere : eandem siderum & cometarum esse intelligentem, eoque exhorrescere, cùm inde cognoscit, instare motus, vaporesque eò præ horrore summo exsudare. Audiamus eum loquentem libro de cometis anni post millesimum & sexcentesimum septimi, atq; item duodevigesimi : *Facultas mundi sublunaris cometam* PERSENTISCIT, ET OBSTUPESCIT, *unaque facultates cæteræ omnium rerum sublunarium.* Ac postea : *Facultas telluris, insolenti Cometæ apparitione* CONSTERNATA, *uno terrestris superficiei loco multum exsudat vaporum, pro qualitate illius partis sui corporis. hinc diuturnæ pluviæ, & eluviones.* Quæ referre est refellere. Quare diluendis illis in re tam aperta non insistam.

CAPUT LXIII.

A Terræ cultu ad illum Ignis acceditur. Origo proverbii, A Vesta ordiri. *Elementum nullum majorem habere vim agendi, quàm Ignem : atque in eo etiam convenire cum natura cæleſti, quòd non putrescat ; &, ignium cælestium instar, lucem de se fundat : imò plus nos debere Igni, quàm Terræ, quia ab hac quidem sit brutum corpus, ab illo autem calor vitalis. Igni inesse vim purgandi : ob quam à gentibus Vulcano, & Luæ, cremari soleant arma hostium devictorum. Quid signarint linguæ igneæ, quæ Pentecostes festo conspiciebantur in Apostolis. Cur*

Deus dicatur ignis consumens. *Vnde* Seraphim *vocentur. Particulatim actum de igne subterraneo: quem esse ex montibus ignivomis elucet: atque inde etiam conjecturam capi de aliis, qui, occluso meatu, non erumpant: humanique id corporis similitudine illustratum. Vnde sit, quòd canes venatici feras odorentur longè etiam remotas. Cur fumet terra hieme effossa, ac nix ei incidens citius liquefiat: & unde major feracitas Campaniæ, Siciliæ, agri etiam Somersetensis apud Britannos. Præterea unde sit, quòd in tantum aquæ adscendant, ut in jugo etiam montium oriantur fontes.* Alembici ἔτυμον. *Vnde ex aquis, tum quæ de planitie soli, tum etiam è montibus emanant, aliquæ existant calidæ, odoremque ac saporem habeant sulfureum. Ab sulfure esse, quòd faces quædam non exstinguantur aquis tinctæ; quin aquæ aliquæ flammam rapiant; oleum etiam frigidæ inditum sic ferveat, ut manu nequeat teneri. Cur aqua calce incalescat. Quàm celeriter in locis sulfureis terra in sulfur vertatur. Vnde aquæ fontanæ sæpius sint frigidæ, licet origo omnibus sit ab ignibus subterraneis. Cur utcunque etiam ignes perpetui sint, alii tamen fontes exarescant, alii non item. Ab ignibus jam memoratis caussam esse terræ motus, variisque hoc argumentis monstratum: & obiter dictum, quis docuerit primus, pulvere pyrio cuniculis immisso militaribus, evertere arces, cunctaque munimenta. Atque ex hisce conclusum, etiam ventos suam igni huic originem debere.*

A Tellure transeo ad Ignem: unde ex elementis primò ordiri animus erat: ut hic quoque locum haberet adagium vetus, ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος, *à Vesta incipiens.* Cujus dicti caussa est, quia primitias offerrent Vestæ: ut est apud Hesychium, Eustathium Odyss. H, & Zenobium Centur. 1, Proverb. XL. Vestam autem esse ignem, postea parebit, cùm de Græcanico, & Romano Ignis cultu, dicam.

Et profectò si præstantiam elementorum spectemus, ab Igni initium ducere oportuerat. Nam quo quid majorem habet vim agendi, eo est excellentius. Atqui, ut Simplicius ait in 1 φυσικ. ἀκροάσ. comment. LI *, ineft igni τὸ δραστικὸν, *agendi vis:* ac propterea μᾶλλον αὐτὸ εἴδει ἀναλογῦν, ἀλλ' οὐχὶ ὕλῃ· *magis respondet formæ, at non materiæ.* Hinc τὸ πῦρ τεχνικὸν † dicebat Zeno *. Etiam ignis longè similior cælo. Nec enim putredini est obnoxius, dum in natura sua permanet, contrà quàm in cæteris fit elementis. Cumque tellus sit opaca, ignis est pellucidus, caussaque lucis ac splendoris. Nec eo principatus debetur terræ, quia nos nutriat. Quippe majus hoc, quòd vitalis calor sit ab igni. Nec tellus à se hoc habet, quòd alat hominem; sed à mixtione aliorum; tum etiam à vi cælesti. Notum illud Catulli ‡ de flore in secretis nascente hortis,

Quem mulcent auræ, mulcet Sol, educat imber.

Alia

* *fol. 44, b. vers. 3.*

† *ignis artificiosus.*

* *apud Laertium.*

‡ *Carm. 63.*

Alia etiam, quæ hanc de caloris atque ignis principatu opinionem firment, haurire est ex iis, quæ fusè disserit Balbus apud M. Tullium in secundo de Natura Deorum. Et potuerat inde etiam petere argumentum, quòd vim habeat purgandi. Vnde & apud inferos, sicut ait Maro in VI magni operis;

— *Aliis sub gurgite vasto*
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Ideo ad expiandas cædes arma cremabant, tum Marti, & Vulcano, tum Minervæ, & Luæ. Nempe Marti, & Minervæ, ut Diis bellicis; Vulcano, ut armorum fabro; Luæ propriâ ratione, quia *Lua* idem ac *purgatrix*; quemadmodum inferiùs dicetur. Ac ne in solis gentium numinibus consistam; etiam verum numen, quod colimus, cùm festo Pentecostes mitteret Apostolis Spiritum Sanctum, symbolum ignearum elegit linguarum: linguarum nempe, & quidem dissectarum, propter prædicationem Euangelii in varios populos dispergendam: ignearum autem, quia Spiritus S. purgat ac renovat corda nostra. Quamquam & in aliis symboli ejus ratio consistit. Nam ut ignis illuminat aëra, ita Spiritus S. pellit tenebras intellectus nostri: & ut ignis ferrum, ita Spiritus S. mollit dura hominum corda: ut item ignis ligna, ita Spiritus S. accendit in cordibus nostris fidem, spem, & charitatem. At aliam habet caussam, cur Deus à Mose *, & divino epistolæ ad Hebræos † scriptore, dicatur ignis consumens. Nam hoc pertinet ad significandum judicii divini zelum: quemadmodum & ab hac caussa potissimùm est, quòd angeli, per quos Deus iratus se vindicat, vocentur שרפים, *seraphim*, quasi accensi ardore justitiæ divinæ. Hanc præcipuam esse nominis ejus rationem, satis parebit attentius consideranti Iesaiam cap. VI: quo loco in uno *Seraphim* memorantur, idque ut executores eorum, quæ Deus præcipit, quando considet in solio justitiæ suæ, ac secundùm eam genus judicat humanum.

* Deut. 4.
† Heb. 12.

Sed universas elementalis ignis vires commemorare si velim, tempore atque otio abutar, in re etiam vulgo, vel saltem iis, qui pedem paullùm extra inscitiæ lutum ponere cœperint, neutiquam obscurâ. Propterea non hærebo in iis, quæ universè ignem attinent, & clarè perspiciuntur ex igne focorum, & fornacium: qui profectò quantilla est portio ignis elementalis! Sed neque differam de igne aliquo, qui inter æthera, & aëra, proprium occupet locum: qualem non ratio magis evincit, quàm sensus comprobat; ut multis jam aliis solidè ostensum. Potiùs in hoc nunc operam insumam, ut perspiciamus vim ignis elementalis ex eo, qui terris permixtus, ac maximè, qui eò, quod terris sit abditus, ut oculorum aciem rarò subit, ita propemodum ignoratur; atque adeo, si perpaucos excepcris, vel præteriri, vel perfunctoriè solùm attingi ab iis solet, qui elabora-

runt in assignando elementorum numero, & memorandâ multiplici eorum vi, ac potestate : ob quam divino hoc elementum honore coluit vetustas.

Esse autem ignes subterraneos, eosque plurimos, & maximos, satis cognoscitur ex Ætna, Vesuvio, Hecla, & aliis montibus ignes ingenti copiâ eructantibus. De quibus, præter alios, vide sis Aristotelem, sive alium, libro Mirabilium Auscultationum, & Vitruvium lib. II, cap. VI. In America itidem reperti ejus generis montes valde sublimes : ut legere est apud sæpius nobis memoratum Iosephum Acostam lib. III, cap. XXIV. Amœnum autem est, quod de avaro quodam subjungit, eum opinatum esse aurum imò excoqui monte ; eoque lebetem in caminum ferreâ dimisisse catenâ : sed eum operâ ridiculâ perdidisse lebetem : quippe momento penè temporis fuisse conflatum, absumtumque. Porrò per est verisimile, ejusmodi ignes plurimis etiam terrarum locis non erumpere ; sed solùm per meatus diffundere calorem suum quaquavorsum : uti in animantibus usu venit : ubi calor nativus à corde dispergitur per omnia viscera, ac corporis membra : ac quia halitibus, & fuliginibus inde excitatis, non sufficerent os, & nares, grandiora & apertiora spiracula, etiam undique pertusa est cutis, ut poris ejus fiat transpiratio : cujus odore, & dominos suos internoscunt canes, & quà se feræ receperint. Nam odor is non aëri modò, qui vehementi vento facilius difflatur, sed ipsis etiam vestigiis imprimitur.

Alterum hujus caloris ab ignibus subterraneis argumentum est, quòd fumare soleat terra, si hiberno effodias tempore : quodque citò liquefiat nix, quæ agro ceciderit recens inarato. Inque extimâ etiam terræ superficie calorem hunc leviter persentiscerемus, nisi pori terræ ab aëre ambiunte stiparentur, sic ut vapores non inveniant exitum ; ad modum fere, quo tempore hiberno in nostris fieri corporibus sentimus. Quare, etsi verissimè doceat Aristoteles, exhalationes à Sole, & sideribus, educi è terris, & aquis : cùm tamen nec calor Solis, nec aqua pluvia, de qua Seneca * testis, nec arborum altissimarum radices, ultra decem pedes, sive passus duos, subeant terram : omnino, præter Solem illum cælestem, quendam agnoscere oportet quasi ἀντήλιον, sive Solem vel ignem adversum : unde cæcos per meatus calor se undique diffundat. Ac quanquam ad plantarum generationem cælestis calor terras subiens plus pollet : magna tamen etiam vis est illius ex ignibus subterraneis : ut vel fidem fecerit fecunditas Campaniæ, in qua Vesuvius ; item Siciliæ, quæ horreum erat populi Romani, ubi Ætna. In Anglia item magna est fertilitas agri Somersetensis ; ubi aquæ calidæ Bathonienses.

* *lib. 3 Nat. Quæst. cap. 7.*

Tertium

Tertium nobis argumentum ignium istorum sunt, quòd fontes in summis oriantur montibus. Nam, utcunque causſæ plures concurrant, videtur tamen principem in iis locum obtinere, quod, ob ignes iis suppositos, vapores per venas se varias diffundentes, inque unam decurrentes tandem, & intermedio spatio tum naturâ suâ, tum frigore locorum, per quæ commeant, in naturam aquæ conversо, tandem unâ ebulliant venâ. Nempe comparatum hîc, sicuti in destillationibus; ut fons se habeat velut caput vasis ejus, quod voce hybridâ, *Alembicum* vocant; nempe ab Græco ἄμβιξ, quod Hesychius χύτραν, λάδον *, exponit, & præfixo Arabum articulo *al*, quem in *Alchymia* etiam, & *Almagestus*, & *Almanach*, & aliis, videmus. Hoc enim in vase planè idem usu venit. Quin similiter quoque in nobis vapores è stomacho adscendentes frigore cerebri condensantur, posteaque in os, & aures, & aliò, depluunt.

* ollam, cadum

Quartum pro ignibus hisce subterraneis, & eorum vi, argumentum præbent thermæ, è terræ planicie, quandoque etiam erumpentes è montium jugis. Imò lacus quoque, ac, inter cæteros, calidis nonnullos aquis, in Peruanis montibus reperiri, memoriæ prodidit Iosephus Acosta lib. III, cap. XVI. At unde quæso hoc, nisi ab ignibus, qui subsunt, provenire credamus? Præsertim quando calidæ hæ aquæ præcipuè iis sunt locis, ubi montes, aliave loca, ignem eructant: uti in Campania, & in Peruana. Adde quòd thermæ istæ & saporem, & odorem, habent bituminis, ac sulfuris: hæc verò constat pabulum esse ignis; sic ut in ipsis flagrent aquis; quod non ignorabant Romanæ illæ, de quibus sic Livius lib. XXXIX: *Matronæ Baccharum habitum crinibus passis, cum ardentibus facibus, decurrisse ad Tiberim, demissasque in aquam faces, quia vivum sulphur cum calce inesset, integrâ flammâ extulisse.* Ac Fallopius tradit, thermarum aquas in agro Parmensi continuò ad se rapere ignem; nec posse, nisi vento, vel panno, exstingui: quod ob bitumen, ac naphtham ei admixtam, fieri, dubium non est. Etiam Anselmus Boethius, Cæsareus, dum viveret, medicus, libro II de Gemmis cap. CCXCIII, cum dixisset, calorem calcis vivæ inesse sali ejus, ac si aquam vel frigidissimam infuderis, ob subitam contrariorum pugnam, calorem latentem in actum deduci; subdit deinde, similiter, *oleum sulphuris verum, si aquæ misceatur frigidæ, tam calidum in vitro reddi, ut id manu vix teneri possit.* Nec periculum, ne si ignes subterranei perpetuò flagrent, brevi bitumen & sulphur deficiant. Nam sunt ex eorum natura, quæ facilè regenerantur. Itaque in agro Mutinensi, si locum, post sulphur effossum, terrâ repleveris, ea annum intra quartum, vel circiter, in sulphur convertitur; ut observatum Fallopio. Sic igitur colligimus, calorem aquæ fontanæ clarè testari, esse ignes subterraneos. Nec propterea existimandum, fontes

frigidos non provenire ab ignibus. Nam, ut antea diximus, frigidi etiam fontes ignibus istis originem debent. Sed tum calorem suum aqua retinet fontana, quando laxiori currit venâ. Siquidem si vel venâ fluat angustiore, vel per ambages, ac mæandros, longius latiusque discurrat; nihil mirum, si calorem deponat. Vnde & causſam videmus, cur locis vicinis, aquarum, quas ab eadem origine manare est verisimile, aliæ fervidæ, tepidæ aliæ, quædam etiam frigidæ sint. Videlicet à vena angustiore, aut laxiore, item longiori, aut propiori fluxus intervallo, omne hoc est discrimen. Porrò quòd fontes isti tum calidi, tum frigidi, sæpe nec pluribus exaresçant seculis, vel etiam nunquam, id provenit pro copia aquarum. Nam si magni sint lacus subterranei, nihil mirum, si ob suppositos ignes perpetui sint vapores, atque hi, unà cum aëre admixto, in aquam commutati, novoque aere foris prioris in locum ad implendum spatium per meatus alios semper transeunte, fontem gignant & æstate ac hieme perpetim manantem. Et tamen ejusmodi quoque interdum exaresçunt, sive quia meatus terræ aliquâ concussione, sive alia de causſa, obturentur. Vbi verò non subsunt vasti lacus, sæpius id usu venit: quomodo videmus in grandi æstu deficere fontes, quia non juvantur pluviæ, aut nivalis aquæ, accessu.

Quinctum pro ignibus istis argumentum à terræmotu petere licet. Nam & hi sunt ab ignibus subterraneis; qui sæpe subsunt maris fundo, ac montium insularumque radicibus; profundeque adeo latent, ut longe lateque maximas & plurimas undique concutiant regiones. Ab ignibus his exhalat spiritus sulfureus, & igneus: unde & subinde, dehiscente terrâ, ignes emicant. Etiam aquæ puteanæ, paullo ante tremorem terræ, solent sulfureum habere odorem, eo quòd spiritus hujusmodi jam elevare se, & fundo putei miscere cœperint. Atque huc pertinet illud Plinii lib. 11 Histor. Nat. cap. LXXIX: *Perhibetur & Pherecydis, Pythagoræ doctoris, alia conjectatio; sed & illa divina; hausſtu aquæ è puteo præsensisse ac prædixisse ibi terræ motum.* Nec leviter hæc illo comprobantur, quòd ea maximè loca terræ motui sunt obnoxia, quæ montes habent ignivomos: ut Campania, Sicilia, alia; etiam America, de qua testis Acosta. Itaque constat, priusquam Vesuvini illud montis incendium foret, quod Plinium Veronensem absumsit, præcessisse motum terræ. Hodieque minùs Sicilia terræ motui obnoxia est, quàm olim, quia, effracto carcere, meatum nunc laxum habet, quo ignes & spiritus erumpant. Suntque hæc satis etiam consentanea Peripateticis: quia & Aristoteles, etsi rarius ignium subterraneorum faciat mentionem, in hoc tamen argumento pronunciat*, terræ motum fieri, τ῀ γῆς ὑπὸ τ῀ ἡλίου, καὶ τ῀ ἐν αὐτῇ πυρὸς, θερμαινομένης, *terrâ à Sole, & igne, qui inest terræ, calefacto.* Et sanè veterum aliquos hunc ignibus assignâsse terræ

* *lib. 2 Meteorolog. cap. 8.*

tum

tum tremorem, tum pulsum, etiam apud Senecam legas in sexto Natur. quæst. cap. XI. Nec lucem modò, sed robur quoque, his addit, quòd similiter disrumpantur nubes à fulmine. Atqui, ut Plinius ait lib. II, cap. LXXIX, *Non aliud est in terra tremor, quàm in nube tonitruum.* At tonitru est sonus nubis ruptæ. Rumpitur autem nubes ab incluso spiritu igneo, qui, ut ibidem dicitur, *luctatur, & ad libertatem exire nititur.* Itidem hæc illustrantur, & firmantur, cuniculis militaribus; quibus immissus pulvis tormentarius, atque accensus, disjicit propugnacula, & arces, & maximas montium rupes. Cujus artis primus, sed à Francisco Georgio Senense edoctus, experimentum prope Neapolim in arce Luculliana, quæ *Ovi* dicitur, fecit Petrus Navarrus Cantaber: uti obscurum neutiquam erit, ea conferenti, quæ de Senensi quidem Georgio Cardanus in secundo Subtilitatum *; at de Cantabro Petro Guicciardinus retulit lib. VI † Historiarum sui temporis. Ac similiter ea ante nos conciliabat in Pyrotechnia sua Vannocius Birungucius Senensis: ut de uno altero præterea taceam.

* pag. 63, edit. Lugdun. an. 1580.

† pag. 539, edit. Basil. an. 1567. ex tralatione Celsi Sec. Curionis.

Quod si spiritus ille terram sic concitans sit ab ignibus occultis: consequi etiam videtur, non Solem modò, sed eosdem ignes quoque, causam esse ventorum, qui aera nostrum perflant. Nempe ut tum halitus isti præcipuè oriantur, cum ignis ille terram adurit humentem, & poros ejus laxando, viam aperit halitibus; qui continuò, ut poeta * ait,

Quà data porta vuunt, & terras turbine perflant.

* 1 Æn.

Denique ad fossilium etiam generationem concurrere hunc ignem subterraneum, verisimile est. Videlicet, ut materies eorum à calore igneo excernatur, & percoletur; posteaque, si parum aquei habeat humoris, ab eodem compingatur calore, & induretur. Sin multum ejus obtineat humoris, frigore condensetur; eóque & postea calore igneo liquescat. Atque ex his facile est ea conciliare, quæ cùm Aristoteles, & Theophrastus, tum etiam Georgius Agricola, diligens & eruditus scriptor, de hoc argumento tradiderunt.

Hæc tot elementalis ignis bona, & mirandos ejus effectus, eò commemoravimus hoc loco, ut magis in amorem & admirationem rapiamur numinis cælestis; longè iis absimiles, qui vel eorum, & similium ignorantiâ, propemodum obbrutescunt, vel, inani speculatione contenti, naturæ potiùs mystæ facti sunt ac sacerdotes, quam illius, qui hominum causâ sic condidit naturam.

CAPUT

CAPVT LXIV.

A Nemrodo credi primò institutum Ignis cultum. Sitne Nemrod idem ac Belus, uti putabat Chronici Alexandrini scriptor. Sacerdotes Ignis nomen dedisse civitati Camarinæ, sive Vr, vel Vroë, uti & regioni Orchoë. Fabella de Abrahamo ab igne Chaldæorum divinitus liberato, Harane autem in eo combusto. Persas sacrificâsse Igni. Quid Maximo Tyrio sit ἄγαλμα ἐφήμερον. Etiam Ignem à Medis cultum, & aliis Asiæ gentibus, item Macedonibus. Ignem sacrum Persarum regibus in publicum prodeuntibus prælatum, atque eundem, rege exstincto, exstingui solere. Cappadocum gens Persas in cultu ignis imitata: & de eorum Pyræthis, ac Pyrætheis. Cultum quoque Phrygibus. Imò & ætate Benjamini Tudelensis in insulis Chenerag obtinuisse. Ægyptiis Vulcanus credebatur utrumque sexum habere, uti & Minerva: ac cur idem ab iis Solis filius diceretur.

PRimus autem, ut ajunt, ignem colere Nemrod jussit; quem aliqui Ninum arbitrantur. Chronici Alexandrini scriptor *: Αὐτὸν Νίνον τὸν Νεβρὼδ οἱ Ασύριοι προσηγόρευσαν· Οὗτος διδάσκει Ασυρίους σέβειν τὸ πῦρ. Ενθεν δὲ πρῶτον αὐτὸν βασιλέα μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐποίησαν οἱ Ασύριοι τοῦτον, ὃν μετωνόμασαν Νίνον· *Nemrodo autem cognomen Nini imposuerunt. Hic pro Deo ignem colere docuit. Vnde primum eum, post diluvium, Assyrii regem fecere, Nini cognomine imposito.* Mihi tamen non paullo verisimilius videtur, Nemrodum esse eum, qui gentibus dicitur *Belus*, hoc est, *dominus*: ex eo autem prognatum esse illum, cui nomen ex re *Nini*, hoc est, *filii*, datum. Abunde de istis actum nobis lib. I, cap. XXIV.

* p. 64.

Credibile verò est, ab eo, quem diximus, cultu, *Vr* vocatam Babyloniæ urbem; quæ aliter *Vrie*, & *Camarina*; ut ex Eupolemi opere de Iudæis Assyriis traditum est Eusebio lib. IX Præpar. Euang. cap. XVII: Εν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἣν τινας λέγειν πόλιν Ουρίην· εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην, Χαλδαίων πόλιν· *Camarinæ, quæ Babyloniæ civitas est, ac quam nonnulli Vrien dicunt, id autem significare Chaldæorum civitatem.* Nempe eò spectat, quòd sacerdotes Chaldæorum κατ' ἐξοχὴν Græcis dicerentur Χαλδαῖοι: Chaldæis autem כוּמְרִין, *Cumerin*; ut Hebræis גְּמָרִים, *Cemarim*. Vnde & quartus ex diis Samothraciis, qui Axiero, Axiocersæ, & Axiocerso, ministraret, nominatus est *Camillus*, sive *Casmillus*; ut ostendimus cap. LVI. Ab eadem igitur origine est *Camarina*, quia in ea degerent *Cumerin*, id est, sacerdotes, ac philosophi gentis, vulgò vocati Χαλδαῖοι, quomodo Abraham dictus reperisse τὴν Χαλδαϊκὴν, hoc est, Chaldæorum philosophiam. At eadem civitas *Vr*, & *Vroë*, nuncupata, quia, ut dixi, Ignis in ea coleretur, sive cultus is proprius fuerit, sive symbolicus. Sanè & regio tota ab eadem causa Ορχόη dicta

dicta Ptolemæo. Et puto etiã, inde *Vr* nomen caſtello eſſe Perſico. Nam Perſis maxima in veneratione Ignis fuit; ut mox oſtendam. At uti אור Or, *lux, lumen, Sol*; (unde Ægyptium Ωρος, & ἄυειον, *cras*, q. d. ubi Sol iterum illuxerit; item *aura* pro *ſplendore* apud Maronem *; ſed & *aurum*, & *aurora*) ſic אור ur, eſt *flamma, ignis, focus*; à quo Latinum *uro*, & Græcum πῦρ, ac Germanicum vuer, & vier. In civitate Vr natum Abraham, eſt veriſimile; quando ex ea dicitur profectus †, & Haran fratrem ibi mortuum ‡ conſtat. Imò & de eo fabellam hanc apud B. Hieronymum reperias, quæſtionibus ſive traditionibus in Geneſin *: *Pro eo, quod legimus, In regione Chaldæorum* (ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων) *in Hebræo habetur*, אור בשדים, VR CHASDIM, *id eſt, in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi, ex hac occaſione, iſtiuſmodi fabulam, Quod Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne profugerit. Quod in ſequentibus ſcribitur, egreſſum eſſe Tharan cum ſobole ſua de regione Chaldæorum: pro eo, quod in Hebræo habetur, de incendio Chaldæorum: quòd videlicet, ignem nolens adorare, igne conſumtus ſit.* Habes fabulam eam in Medras Haggada: ac referunt etiam Salomon Iarchi, & Moſes Gerundenſis.

* 6 Æn. 204.

† Geneſ. cap. 11, 31.

‡ ibid. verſ. 28.

* ibid.

Sed quicquid de Chaldæis ſit, illud conſtat, Perſis Ignem pro numine fuiſſe. Cauſſam refert Iulius Firmicus lib. de err. prof. relig. *Perſæ, & Magi omnes, qui Perſiæ regionis incolunt fines, ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi.* Ac primò quidem Ignem coluere, ut Dei ſymbolum; ſed ſic, ut paullatim penè apud omnes, vulgum ſaltem, ſymbolicus ille in proprium tranſiret. Ad proprium hunc cultum retuleris, quòd Lucianus in Iove tragœdo ait, Perſas πυρὶ θύειν, *igni ſacrificare*. At ut ſymbolicum interpretabatur Maximus Tyrius diſſertatione XXXVIII: Τὸ βαρβαρικὸν ὁμοίως ἅπαντες μὲν ξυνετοὶ τοῦ Θεοῦ· καλέσαντο δὲ αὐτοῖς σημεῖα ἄλλοι ἄλλα· Πέρσαι μὲν πῦρ, ἄγαλμα ἐφήμερον, ἀπόρεστον καὶ ἀδηφάγον· *Barbari omnes pariter Deum eſſe intelligunt. conſtituêre interim ſibi alia, atque alia ſigna. Ignem Perſæ, imaginem, quæ unam duret diem, vorax quid, & inſatiabile.* Ita eum reddere locum malim, quàm ut ἄγαλμα ἐφήμερον ſit *elementum quotidianum*; quod placuit viro ſummo. Nam id, puto, voluit Tyrius ille, cùm in Græcia, & aliis in terris, ſimulachra Deorum ad annos durent multos, quandoque etiam aliquot ſeculis: Perſas, ut Mithræ ſive Solis ſymbolum, colere ignem, ſimulachrum unius dieculæ. Ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis cultum hunc fuiſſe apud Perſas, tradunt etiam B. Ambroſius, ſive potiùs Hilarius, diaconus Romanus, in 1 ad Corinth. cap. IX, & Iſidorus Origin. lib. XIV, cap. III. E Græcis, Theodoretus lib. V Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XXXVIII, & Socrates Hiſtoriæ ſuæ lib. VII, cap. VIII: quo loco pulcrè narrat, quâ fraude Magi in ſpecu, ubi ignem colerent, hominem occulta-

rint ad decipiendum regem Isdegirdim, atque ut dolum hunc detexerit Maruthas, Mesopotamiæ episcopus. Sed ante eos cultum illum prodidere etiam Clementes duo; unus, qui dicitur Romanus, in IV Recognitionum libro *; alter autem Alexandrinus, in Admonitione ad Gentes: ubi non modò Persas Ignem veneratos testatur; sed etiam Medos, atque alias gentes, quæ Asiam incolerent; imò & Sauromatas, de quibus postea dicam; atque adeo Macedonas quoque, secundùm Diogenem in primo Persicorum. Qua ratione autem Persæ sacra fecerint Igni, exponit Strabo in XV; ubi eâdem ostendit, diversum fuisse modum, quo Aquæ sacrificaretur. Ignis hic etiam præferebatur regibus Persarum; idque sacrariis quibusdam, quæ πυρεῖα, & πυραιθεῖα, Græci vocant. Ammianus Marcellinus lib. XXIII de Magis: *Feruntque etiam, si justum est credi, ignem cælitus lapsum, apud se sempiternis foculis custodiri: cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis regibus dicunt.* Exstinguere tamen hunc ignem solebant, si rex moreretur: ut est apud Diodorum Siculum lib. XVII.

* fol. 57, b. edit. Paris.

A Persis hunc ignem sacrum accepere Cappadoces: de quo sic Strabo lib. XV: Ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ πολύ ἐστι τὸ τῶν μάγων φῦλον, οἱ καὶ Πύραιθοι καλοῦνται· πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά· *In Cappadocia est maxima magorum multitudo, qui Pyræthi vocantur, & multa Persicorum Deorum templa.* Ab his Pyræthis (pro quo in vulgatis Πύρεθοι) dicta πυραιθεῖα: de quibus ibidem mox legas: Εἰσὶ δὲ καὶ πυραιθεῖα (vulg. πυραθεῖα) σηκοί τινες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσος βωμὸς, ἐν ᾧ πολλὴ τε στοδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι· *Sunt & Pyræthea septa quædam ingentia, in quorum medio ara est: in eâ magi & cinerem multum, & ignem perennem, servant.* Narrat deinde, quomodo in Pyrætheis sacra faciant: sed hoc jam expositum nobis cap. IX hujus libri; ubi de Omano tractamus.

Nec Cappadoces tantummodo in eo æmuli fuere Persarum, sed etiam Phryges: si, ut à scriptoribus accepimus Romanis, Phrygum, unde originem ducerent, exemplum secuti sint Lavinienses; hos autem propago eorum Albani, uti Albanos coloni illorum Romani; de quibus inferiùs demonstrabitur.

Hactenus de Asiaticis antiquis. Quantopere verò in Asia radices egerit insana hæc religio, documento erunt, quæ in itinerario suo prodidit Rabbi Benjaminus; qui ab Abrahamo Zacutho † vixisse dicitur anno mundi quater millesimo nongentesimo nonagesimo tertio (is à Christi fuerit natali CIↃ CLXXIV) ac ab Aria quidem Montano, viro summo, Latinè redditus; sed beneficio nobilis, & amicissimi in Leidensium Academia nuper collegæ mei, Constantino L'Empereur, Hebraicè primùm lucem vidit, ac nova tralatione, & pereruditis illustratus notis fuit. Is Benjaminus

† in Jonchasin sive Chronico.

minus * narrat, ut in Chenerag, insulis Asiaticis, ad quas se ex Haaulam, hoc est, Zeilam, navigâsse scribit, incolas repererit ignis cultores, vocarique *Dugbijim*: ac sacerdotes ejus numinis sic præstigiis cæteros orbis exsuperare, ut æquiperari hac parte possit nemo. De modo etiam cultus complura adjungit, quæ apud illum legi malo. * pag. 108.

Habemus de Asia: videamus nunc de vicina Ægypto. Vulcanus, per quem partim ignis, partim ejus artificium intelligebatur, in Diis erat Ægyptiorum: qui duos solum habuere Deos ἀρσενοθήλεις, *masculofeminas*, Vulcanum, & Minervam: quemadmodum prodit Orus Apollo lib. 1, cap. XIII. Nec hoc malè convenit cum eo, quòd poetæ Vulcanum fingunt marem, sed mulierosum; Minervam mulierem, sed viraginem.

Dicunt autem Ægyptii, Vulcanum esse patrem Solis, quia sidera sint ignea. Chronici Alexandrini scriptor †: Μετὰ δὲ τὸν τελευτὸν Ηλίου τοῦ βασιλέως, ὃς Ηφαίστου, ἐβασίλευσεν Αιγυπτίων Σῶσις· *Post obitum Solis regis, filii Vulcani, imperavit Ægyptiis Sosis.* Vbi quidem non de corporibus inanimis, sed antiquis Ægyptiorum regibus, sermo est: sed reges vetustissimi, & Dii naturales, iisdem vocabantur nominibus; si credimus iis, quæ Manethos prodidit Ægyptius, atque ex iis, qui supersunt, Diodorus Siculus libro primo bibliothecæ, & exinde Eusebius in secundo Præparationis Euangelicæ cap. 1. † pag. 106.

CAPVT LXV.

Ignem esse à Græcis cultum philosophis, uti Hippaso, & Heraclito: item sacerdotibus tum Græcis, tum Romanis; idque sub nomine Vestæ: sed hîc juniorem intelligi Vestam, non matrem idem nomen habentem. Servius emendatus. Vestam, & Ἑστίαν, propriè esse focum publicum; idque etymo utriusque vocabuli ostensum. Cur nomen ignis proprium sit communicatum telluri, triplex ex antiquis ratio adducta. Servius iterum correctus. Trifariam creditum corpora purgari; aëre, aquâ, terra: sed terræ hanc vim tribui, quatenus est ignifera: igniferam autem intelligi, partim ratione materiæ ustilis, quam continet; partim quatenus per terram diffunditur calor, tum naturalis, tum alienus. Refelluntur, qui alienum quidem calorem esse elementalem, sed nativum duntaxat cælestem esse, arbitrantur. Datam esse operam, ut focus Vestæ foret sempiternus; ac quomodo, si exstingueretur per imprudentiam, Romani eum instaurarint; quomodo item Græci. Romanos Vestæ sacra accepisse ab Albanis. Cur parum sit verisimile, à Romulo hæc sacra esse instituta. Nec è Tullio ultrà colligi quicquam, quàm ea esse, vel à Romulo, vel Numa. Albanos autem sacra ista didicisse à Lavinienſibus, hos à Trojanis, vel, si Prudentium audimus, fortasse ab Athenienſibus. Cur Romani custodiendo igni

ſacro præfecerint virgines : Græci autem viduas, & quidem jam natu grandes. Obtinuiſſe hæc ſacra non Delphis modò, & Athenis : ſed aliis etiam Græciæ locis : & unde πρυτανεῖος, ubi ſacer ille ignis aſſervaretur, fuerit nomen.

AB Aſia, & Ægypto, iter ad Græcos capeſſo, & Romanos. Vbi quid mirum, ſi Ignis à vulgo haberetur Deus, quando & eum pro Deo coluere Hippaſus Metapontinus, & Heraclitus Epheſius : ut apud Clementem legimus Admonitione ad Gentes. Sed de philoſophis alius ſe offeret dicendi locus : præſertim ubi Stoicorum de Natura opinionem explicabimus. Nunc videamus de religione publica, tum Græcorum, tum Romanorum. Vtriſque Ignis nunc erat Ἑστία, ſive *Veſta*; nunc Ἥφαιστος ſive *Vulcanus*. De priori ſic Ovidius VI Faſt.

Nec tu aliud Veſtam, quàm vivam intellige flammam.

Eſt hæc Veſta junior, ſoror Cereris, & Iunonis; filia autem ſenioris illius Veſtæ, quæ aliter *Rhea*, vel *Ops*, dicebatur. Hinc Servius in illud II Æn. — *Manibus vittas, Veſtamque potentem,*

*Veſtam, Deam ignis, quæ, in medio mundo librata, vi ſuæ * vaſtet, & ignem intra ſe habeat.* Vbi lego, *quia, in medio mundo librata, ſua vi ſtet.* Idem mox in illud,

Æternumque adytis effert penetralibus ignē : Ecce ipſe expoſuit, quid eſt Veſta.

Nempe *æternus ignis*. Atque hæc ſignificatio magis etymo convenit. Nam *Veſta* eſt ex Ἑστία, ut ab ἵς, *vis*; ab ἑσπέρα, *veſpera*. Servius in illud I Æn. *Cana Fides, & Veſta : Veſtam Religionem dicit, quia nullum ſacrificium ſine igne eſt, ipſaque in omnibus invocatur. Veſta autem dicta ἀπὸ τῆ Ἑστίας, ut digammos ſit adjecta : ſicut* Hρ, *Ver*; Ενετὸς, *Venetus*. Ἑστία autem *focus* : ſed cum pro Dea ſumitur, intelligitur κοινὴ πόλεως · *focus urbis publicus* : ut vocat Dionyſius *. Vnde Cicero in II de Legg. *Virgines Veſtales in Vrbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.* Item III de Legg. *Cumque Veſta quaſi focum urbis, ut Græco nomine eſt appellata, complexa ſit.* Et II de Nat. Deor. *Veſtæ nomen ſumtum eſt à Græcis; viſque ejus ad aras, & focos pertinet.* Quod ſi propriè Ἑστία referatur ad aras, & focos publicos : valde eſt veriſimile, cum pleraque omnia vocabula ſacra ſint ab Oriente; etiam *Veſta* ſive Ἑστία eſſe ab אֵשׁ, id eſt, *ignis*, & יְ uno ex Dei nominibus : ut אֵשׁ יְ λέξιν ſonet *ignis Deus*, vel potiùs *ignis Dei*; eoque propriè ſymbolum potiùs numinis, quàm numen ipſum, ſonet.

* *lib. 2 Antig.*

Sed hæc ſi ſunt, jure quæratur, unde hoc Ἑστίας ac *Veſtæ* nomen etiam Telluri ἁπλῶς, quàm Rheam, Opem, Deûm matrem, nuncupant, fuerit attributum. De iſtoc ne inter veteres quidem convênit. Triplicem autem rationem invenio. Prima eſt, quia cæleſtes ignes, quæ ſidera dicimus, alantur vaporibus, quos terra emittat. Hanc cauſſam adducit Dionyſius

Halic.

Halic. lib. II Antiqu. Εςίᾳ δ' ἀνακεῖσθαι τὸ πῦρ νομίζουσιν, ὅτι γῆ τε οὖσα ἡ θεὸς, καὶ τὴν μέσον κατέχουσα τοῦ κόσμου τόπον, τὰς ἀνάψεις τοῦ μεταρσίου ποιεῖται πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς· *Vestæ autem dicatum esse Ignem putant, quòd, cùm Dea hæc sit Tellus, mediumque teneat mundi locum, ignes illos in sublimi ex sese accendat.* De ea autem veterum opinione, quòd tellus pabulum ignibus præbeat cælestibus, varios antea laudavimus scriptores: ac pertinet eò quoque, quòd dixerunt veteres, *Vestam nutricem Iovis*; ut est apud Martianum Capellam *.

Altera opinio est, ut eo Tellus vocetur Εςία, hoc est, *Focus*, quia ignes continet subterraneos. quos arguunt apertè Ætna, Vesuvius, Hecla, alii montes; etiam in America reperti, de quibus Iosephus Acosta Historiæ Indicæ lib. III, cap. XXIV: imò ignes hosce præcipuam esse caussam eorum, quæ ex terra & aquis exhalant, contendit doctissimus Georgius Agricola †: ac argumentis sat validis, & multis, hanc antea sententiam adstruximus. Eam de Vesta opinionem sequitur Servius in I Æn. *Vesta dicitur esse Terra, quam Ignem habere, non dubium est; ut ex Ætna, Vulcanoque, datur intelligi.* Quomodo & hunc locum adducit I. Lipsius ‡. Sed pro *Vulcano* legere *Vesuvio* malim: imò planè sic restituendum, indicat MSus Fuldensis; quia in eo post *Vulcano* subjicitur, *& aliis locis ardentibus.*

Tertia, & quæ maximè arrideat, ratio est, quòd ignis elementum sit permixtum & aquis, & aëri, & imprimis terræ. Vnde est, quòd terrâ etiam purificari corpora hominum putarent. Siquidem Servius in VI Æn. ea trifariam dicit purgari; terrâ, aquâ, aëre: terrâ, quæ terrestri; aquâ, quæ marino; aëre, quæ aërio jungerentur corpori. Nec obstat, quòd terra potiùs sordes afferat, quàm purget: quippe, ut ait, quæ terrâ purgantur, ea purgationem debent igni, quem terra continet. Verba ejus, inter alia, sunt: *In terra* (animæ) *purgantur, quæ nimis oppressæ sordibus fuerint, deditæ scilicet corporalibus blandimentis: id est, transeunt in corpora terrena: & hæc igni dicuntur purgari. Ignis enim ex terra est, quo exuruntur omnia. nam cælestis nihil perurit.* Vbi quod ignem ex terra esse ait, eò respicit, quòd ignis sit è lignis, quæ terra producit. Ac magis hoc dixisset Servius, si cogitasset, Thesprotios cremâsse carbones fossiles, teste Theopompo *; vel si constitisset illi de ustilibus terræ apud Batavos tessellis. Sed nec in ignis materie sistendũ. Quippe non per ea solùm, quæ ustilia sunt; sed terram per omnem se ignis diffundit; ut argumento est proprius mixtorum calor: qui si mediocritatem servet, naturalis vocatur, ac rem conservat: sin mediocritatem excesserit, alienus nuncupatur, non quasi aliunde sit, quàm naturalis (uterque enim est ab eodem ignis elemento) sed quia, quatenus modum non retinet, à natura mixti est alienus: quippe quam corrumpat, & absumat, ut fit in febricitantibus. At valde eos ratio fugit, qui existimant, calorem nati-

* lib. I de Philolog.

† lib. de caussis subterraneorum.

‡ lib. de Vesta & Vestalibus cap. 1.

* apud Antigonum Carystium Histor. Mirab. cap. 186.

vum esse cæleſtem : alienum ſolùm ab igni esse : atque id, quia, ut ajunt, ignis noſter diſſipet cuncta, ac perdat. Nam & noſtrum ad rerum generationem conferre, argumento cùm alia ſunt multa, tum quòd in Ægypto hodieque obtinet, ut ab lento & moderato igni ex ovorum vel tribus millibus & amplius, furno ſuppoſitis, pulli excludantur : quod artificii genus in Galliis etiam à Neapolitano quodam esse patrum ſuorum, hoc eſt, avorum noſtrorum ætate exercitum, Brodæus refert in tertio Miſcellaneorum cap. xxv. Quare exiſtimandum, cum calore illo interno, quem ab ignis elemento diximus provenire, ſic esse comparatum, uti cum calore illo ignis externo, ad quem carnes aſſamus. Nam mediocris eas temperat, ac coquit : immoderatus ac diuturnus exſiccat nimis, ac tandem adurit.

Sed talis eſt Veſta, prout per eam intelligitur ignis tribus elementis ad rerum generationem & conſervationem infuſus. Redeo ad appellationem Veſtæ, quatenus particulatim ſignificatur ignis ille in focis publicis. Is cæleſtium erat ignium, Solis imprimis, ſymbolum. Vnde Florus lib. II, cap. II : *Imprimis* (Numa) *focum Veſtæ virginibus colendum dedit, ut ad ſimulacrum cæleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret.* Itaque jugi erat, & aſſiduâ opus curâ, ut ſemper luceret. Ac ſi exſtingueretur, non ab igni noſtro accendere fas fuit, ſed Romanis quidem (ut Feſti † utar verbis) *mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Græcis autem in fomentis vaſculo cavo impoſitis, & Solis radiis in ejus centro exceptis, flammam concipere conſuetudo erat, Plutarcho * teſte.

† *in* Ignis Veſtæ.

* *in Numa.*

Romani hunc Veſtæ cultum accepere ab Albanis : unde Livius lib. I : *Virgines Veſtæ* (Numa) *legit, Albâ oriundum ſacerdotium, & genti conditoris* (Romuli) *haut alienum. His, ut aſſiduæ templi antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuit : virginitate, aliiſque ceremoniis, venerabiles fecit.* Romulus quo minùs id ſacerdotium inſtitueret (utcunq; ei Plutarchus †, & Propertius ‡, tribuant) in cauſſa illud erat, quòd non videret, quomodo honeſtè ſatis perpetuam exigeret virginitatem, quando mater ſua Ilia, quæ & ipſa Veſtalis erat virgo, cum Marte, hoc eſt, Martis ſacerdote, vel Martiali quopiam, ac militari homine, rem habuiſſet; quo ex concubitu natus ipſe foret. Rationem hanc etiam Dionyſius adducit. Cicero quò abeat, non ſatis eſt apertum. Oratione de Haruſpicum reſponſis ait : *Quod ſacrificium tam vetuſtum, quàm hoc* (Veſtalium) *quod à regibus æquale huic Vrbi accepimus?* Videri poſſit à Romulo deducere, quia dicat, *æquale Vrbi ſacrificium.* Sed cùm addat, à regibus acceptum; nihil impedit, quo minùs παχυλῶς * capiamus, ut æquale ſit Vrbi, quod à duobus eſt regibus primis; quorum alter imperium condiderit diſciplinâ, ac legibus; imprimis iis, quæ ad belli

† *in Romulo.*
‡ *lib. 4, el. 4, qua eſt de Tarpeja.*

* *pingui Minerva.*

artes

artes pertinerent; alter pietatẽ inſtillando, quo faciliùs pareretur. Nec enim pauciora Patres religione conſecuti ſunt à plebe, quam legibus: imò extrema quaſi anchora ſæpe iis erat religio; quâ animis injectâ, ſubinde potuerunt, quod nulla extorſiſſet potentia humana. Albani autem, quos & ſacrum hoc, poſtquam tranſlatum Romam fuit, retinuiſſe conſtat, habuere illud à Lavinienſibus: quorum urbs, Dionyſio teſte, xxx annis exſtructa fuit, priuſquam ab Aſcanio Alba Longa conderetur. Lavinienſes idem accepiſſe traduntur ab Ænea Phryge: de quo Maro in II, ut antea dictũ:

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Hinc Ovidius Faſt. VI:

Vidimus Iliacæ transferri pignora Veſtæ.

Nam *Iliacam* nuncupat, quia Ilienſes eam, duce Ænea, intulerint Latio. At tranſlatam refert, quia, cùm antea Veſtæ ſacra forent in regia Numæ, Auguſtus ea, ubi factus eſſet Pontifex, traduxerit in domus ſuæ partem, quam publicavit, ac donavit Veſtæ: quemadmodum eſt apud Dionem lib. LIV. Atque haſce tres civitates, Albam, Lavinium, ac Ilium, in animo habuit B. Auguſtinus, quando ait lib. III de Civit. Dei cap. XVIII: *Sacra illa fatalia* (Veſtæ) *quæ jam tres, in quibus fuerant, preſſerunt civitates.* Ambigit tamen Prudentius, an non ea Romani acceperint ſacra ab Athenienſibus. Verba ejus ſunt in II adverſus Symmachum:

— In his quoniam Veſtalis origo favillæ
Vrbibus, ut memorant, primo de fomite ſumta eſt:
Sacravitque focos, aut Phryx, aut Grajus, alumnos.

Nempe ut hauſerint ea Romani à legatis ſuis anno Vrbis trecenteſimo in Græciam miſſis, quò de Draconis, ac Solonis, legibus cognoſcerent.

Hunc Ignem cuſtodiebant Romæ virgines, ex eo dictæ *Veſtales*. Ex Plutarcho colligunt, virgines iccirco ſacro eſſe igni præfectas, quia ut ignis abſumit ligna, ex quibus is exſtruitur, ut hæc materies, & quaſi parentis inſtar videantur: ita virgo, ſi manſerit intacta, quodammodo ſuos occidat parentes: quippe per quam ſtet, quo minùs poſt fata etiam in ſuis vivant hæredibus. Sed quanto ſimplicius eſt, veriuſque, eò id factum, quia ut purus ignis, ſic pura virgo: atque ut nihil generat ignis extra mixtionem, ita nec virgo. Vnde ipſe Plutarchus in Numa: Νομᾶ δὲ τὼν ἱερὼν τὰ πλεῖστα δόξαν παρθένων καθιέρωσιν, ὅλως τὼ θεὸ τὸ πῦρ τὸ ἀθάνατον, ὃ φυλάττουσιν αὗται, θεραπείαν τε καὶ τιμὼν ἀποδιδόασιν, εἴτε ὡς καθαρὰν καὶ ἄφθαρτον τὼν τ' πυρὸς οὐσίαν ἀκηράτοις καὶ ἀμιάντοις ἀφθαρσίαις ἐνδεμένα * σώμασιν, εἴτε τὸ ἄκαρπον καὶ ἄγονον τῆ παρθενίᾳ συνοικειῶντος ‡. *Numæ Veſtalium virginum conſecrationem, omnemque æterni ignis, quem adſervant hæ, cultum ac honorem adſignant: ſive puram & incorruptam*

* *ſic reponendum pro* ἐνδεμένα, *ut vidit Muretus.*

‡ *ubi perperam vulgo, etiam in Stephanica, & Pariſina anni* 1624, συνοικειῶντος.

ruptam Ignis naturam integris & inviolatis credidit corporibus ; ſive ſterilem & infecundam virginitati quaſi contubernio conjunxit. Ac ſimiliter Ovidius VI Faſt. & ex eo Lactantius lib. I, cap. XII. Adde quòd virgines ſint immunes à rei domeſticæ curis : eoque faciliùs, & certiùs, advigilent ad ſacri ignis cuſtodiam : qui ſi exſtingueretur, Vrbi grave credebatur periculum portendi. Quam rationem etiam Tullius adducit in ſecundo de Legg. *Veſtæ*, inquit, *colendæ virgines præſunt, ut advigilent facilius ad cuſtodiam ignis.* Et eâdem de cauſſa viduæ in Græcia præfectæ, & quidem ætate provectæ : nempe quia nuptæ non poſſint ſatis advigilare ignis cuſtodiæ ; quia ſint mariti, & rei domeſticæ curâ, diſtrictæ : uti neque nupturientes, quippe aliò applicantes animum. Hac de re ſic Plutarchus in Numa : Τῆς Ἑλλάδος ὅπου πῦρ ἄσβεστόν ἐστιν, ὡς Πυθοῖ, καὶ Ἀθήνησιν, ἡ παρθένοι, γυναῖκες δὲ πεπαυμέναι γάμων, ἔχουσι τοῦτο ἐπιμέλειαν· *In Græcia ſicubi ſit ignis æternus, ut Delphis, & Athenis ; non virgines, ſed viduæ, quarum ætas ad iterum nubendum præteriit, curæ ejus præfici ſolent.* Sed parùm cautè ſic loquitur Plutarchus, quaſi Delphis, & Athenis ſolùm, Veſta à Græcis coleretur. Nam itidem Tenediis, Argivis, Naucratitis, ſacrum fuiſſe hunc ignem, jam antea vidimus : atque idem de Rhodiis, Cyzicenis, Mileſiis, Epheſiis, Naxiis, atque aliis, diximus in Oratoriis * ; oſtenſumque id fuſius Caſaubono in XV Athenæi.

* *Inſtit. Orat. lib. 4, cap. 6, ſect. 4.*

Hujuſmodi viduæ vocabantur πρυτανίτιδες, quia viverent ἐν πρυτανείοις. Πρυτανεία autem dixere loca Veſtæ ſacrata : nempe, ut apud Pindari ſcholiaſten eſt, quaſi πυρὸς ταμεῖα, quoniam in iis ignis, hoc eſt, lucerna ardens, cuſtodiretur diu noctuque, ne defectu olei exſtingueretur. Pindari Nem. od. XI, quæ eſt honori ſcripta Ariſtagoræ, Prytanis Tenedii :

Παῖ Ῥέας ἅτε πρυτανεῖα λέλογχας Ἑστία,
Ζηνὸς ὑψίστου κασιγνήτα, ἃ ὁμοθρόνου Ἥρας.
Filia Rheæ, cui ſortitò obvenere Prytanea, Veſta,
Iovis altiſſimi ſoror, & eodem ſolio conſidentis Iunonis.

Vbi ſic ſcholiaſtes, Πρυτανεῖα φησὶ λαχεῖν τοῦτο Ἑστίαν, παρόσον αἱ πόλεων ἑστίαι ἐν τοῖς πρυτανείοις ἀφίδρυνται· ἔστι δὲ τὸ ἱερὸν λεγόμενον πῦρ ὅπερ τούτων ἀπόκειται· *Ajunt, Veſtam obtigiſſe Prytaneis, quoniam foci publici conſtituti ſunt in Prytaneis ; inque iis reponitur Ignis, qui ſacer nuncupatur.* Poſtea geminum adducit etymon *Prytanei* ; ac repetit, quod dixerat, ἵδρυται ἐν τοῖς Πρυτανείοις τοῦτο Ἑστίαν· *conſtitui in Prytaneis Veſtam.* Hoc prytaneum Æſchylus Supplicibus vocat βωμὸν, καὶ ἑστίαν χθονὸς ‡ : ipſumque regem nuncupat πρύτανιν ἄκελον, hoc eſt, ἀνυπεύθυνον *. Sed verba chori ad regem integra apponamus † :

‡ *aram ac focum terræ.*
* *qui nulli rationem reddere habeat neceſſe.*
† *pag. 320, edit. H. St.*

Σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον
Πρύτανις ἄκελος ὤν, κρατύνεις βωμὸν ἑστίαν χθονὸς
Μονοψήφοισι νεύμασι σέθεν.

Tu

Tu populus, tu omnis populi potestas,
Rector nullius judicio subditus, moderaris aram focumque regionis Argivæ
Vnius tui decreto, ac nutu.

Dionysius Halicarnass. in II Antiq. Ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς πρυτανείοις, ἑστία κοινὴ πᾶσι φράτερσιν. *In Græcorum prytaniis communis est focus omnibus curiis.* Etiam ex secundo Hermiæ de Apolline Gryneo refert Athenæus in quarto, solitos Naucratitas ἐν τῷ πρυτανείῳ δειπνεῖν ἡμεδαπίοις Ἑστίας πρυτανίτιδος· *in prytaneo convivium celebrare die natali ejus, quæ Vestæ sacris præesset.*

Cætera, quæ ad Vestam, & Vestales, pertinent, veterum nemo fusiùs ac diligentiùs est persecutus Dionysio Halicarn. Antiquit. Rom. lib. II: operæque iis jungere, quæ habet Agellius lib. I, cap. XII: juniorum autem, ut aspernanda non est erudita opera Lilii Gyraldi; ita nullus ea meliùs illustravit Iusto Lipsio, peculiari de Vesta & Vestalibus syntagmate.

CAPVT LXVI.

Vulcani nomine designari Ignem, non æthereum quidem, qui in sideribus relucet, ac Iovis *potiùs nomine intelligitur; sed elementalem, & unde hic* Ηφαιστος *nominetur: imò ab elementali etiam igne excipi illum foci publici, qui Vestæ est sacratus: Vulcano autem attribui illum è nubibus, vel montibus, erumpentem: item istum in sacrificiis, vel laternis, ac præcipue in operâ fabrili; unde Deus is cum malleo, aut forcipe, effictus. Festum ejus* Χάλκεια, *vel* Πάνδημον. *Primo hoc sacrum fuisse Minervæ, inde dictæ* Ἐργάνη. *Virùm convenientiùs Vulcano, an Minervæ, Deo, an Deæ, ignis, & ars fabrilis, tribuantur. Quomodo Vulcanus sit Iunonis filius, sive per Iunonem aëra, sive terram, intelligas. Cur Vulcanus fingatur claudus, ratio adlata, tum juxta poetarum fabulam, tum secundum rerum naturam, quæ fabulâ adumbratur. Cur Venerem dicant poetæ uxorem Vulcani. Etiam Vulcanum esse cultum à Germanis; falli autem, qui Solem, aut Martem, per eum intellexisse arbitrantur. Sarmatis quoque Ignem fuisse pro Deo, & inter alios Lituanis, quibus* Znicz *dicebatur.*

PRæterea Ignis dicebatur Ηφαιστος, Latinis *Vulcanus*; qui in Valeriani Imperatoris nummo VOLKANVS. Sanè per Ηφαιστον nec Zeno aliud, quàm τὸ τεχνικὸν πῦρ *, intelligebat: quemadmodum ex Laertii lib. VII antea dictum. Sed non omnis Ignis censetur Vulcanus. Quippe alius ignis cælestis, alius sub cælis. Prior ille, qui purior, ex Phurnuti sententia, est Iupiter, & creditur vulgo Ζεὺς vocatus ἀπὸ τοῦ ζέειν, quod est *fervere.* At eidem noster ille, qui impurior, nominatus est Ηφαιστος ἀφὰ τὸ ἥφθαι, quod est *accensum esse.* Sed neque omnis iste sub cælis Vulcanus est habendus. Nam, ut suprà vidimus, Vesta est ignis ille in focis, præsertim

* *ignem artificiosum.*

publicus terebratione ligni felicis, vel de cælo, & fortassis aliâ etiam ratione accensus, curâque humanâ perpetuus. Sed Vulcanius non terebrationi, aut cælo debet originem; nec in publico asservatur foco, ut cæleſtis ignis symbolum: sed partim in nubibus exardescit; unde Vulcanus Iovi dictus fulmina fabricare: partim est sub terris, unde & subinde erumpit: quippe est hæc (ut Cornelius Severus in Ætna canit) *fallacia vatum*, sive opinio malis poetarum, si ex carmine de eorum sensu judicandum,

— tumidis è faucibus ignem
Vulcani ruere, & clausis resonare cavernis
Festinantis opus.

Partim etiam in sacrificiis Deorum conspiciebatur: unde & Papinio Thebaidos primo *, *ignis*, qui sacrificaretur Nocti, vocatur *Vulcanius*. Partim privatis usibus illucebat; ut qui laternis circumgestatus: unde Plautus Amphitryone †;

* *vers.* 508.

† *Act.* 1, *sc.* 1.

Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?

Partim denique in fabrorum fornacibus armis inserviebat cudendis, & aliis è metallo apparandis. Atque hic ignis potissimùm Vulcani nomine capiendus. Itaq; & Deus iste à gentibus cum malleo pingebatur: quod Arnobio quoque traditum in VI. Ac in L. Cæsii nummo cum forcipe spectatur. Et Athenis ei sacra Χάλκεια ‡: quæ etsi & ab opificum aliis, celebrarentur; unde hoc festum Πάνδημον * vocarunt: præcipuè tamen id à fabris fiebat. Primitus interim hæc Minervæ erant sacra: quia omne opificium sit Sapientiæ inventum. Atque hinc Minerva dicta est Ἐργάνη. Sed Phanodemus, ut auctor nobis Harpocration, Vulcani festum ait. Videlicet, cùm omnium haberetur opificum, Minervæ vocabatur: at, credo, quia in opificibus fabri ferrarii primas ferrent, ac præcipuè hoc sibi festum vindicarent; solius haberi cœpit Vulcani; cui iccirco etiam tribuit Pollux. Quæras, utrius potiùs numinis hoc artificium videatur, si ex philosophorum opinione judicium sit ferendum. Censeo Minervæ, si per eam intelligas sapientiam divinam. Rectè tamen etiam tribuas Vulcano, si hoc capiatur juxta historiam veterem, ut sit Tubalcainus, fabrilis artis inventor; velut ex Mose diximus lib. I, cap. XVI. Sed si φυσικῶς malis considerare; sic quoque ratio se offert, cur numen masculum, quale Vulcanus, huic præficerent arti. Nam Vulcanus, ut ostendimus, est ignis fabrilis. At is instrumentum est artis: instrumenta autem non ad materiem pertinent, quæ à *matre* sic dicta est; sed ad efficientem caussam, qualis pater. Adde quòd duri artis fabrilis labores molli mulierum sexui minus conveniant. Atque ista, credo, spectarunt, cùm Deo potiùs, quàm Deæ, hoc inventum tribuerunt.

‡ *Æraria.*

* *totius populi.*

Deus

Deus hic Iunonis filius habebatur. De quo sic Apollodorus lib. I: Ἥρα δὲ χωρὶς ἐυνῆς ἐγκύμονος Ἥφαιστον· ὡς δὲ Ὅμηρος λέγει, καὶ τοῦτον ἐκ Διὸς ἐγκύμονος· *Iuno citra cujusquam concubitum peperit Vulcanum. Sed, ut Homerus ait, & hunc ex Iove conceperit.* Hæc quoque rerum naturam adumbrant. Iuno enim subcælestis vel aër est, vel terra. Si aëra capias, rectè Servius in VI Æn. eam adducit rationem, quòd ignis noster constet de ligno, & aëre. Nam quid aliud est flamma, quàm aër, vel fumus ardens? Nempe aër calore æthereo, quem per Iovem intellexere, accenditur; ut idem frigore concrescit in aqueum humorem. De qua elementorum conversione ita Lucretius in primo:

Et primùm faciunt ignem se vertere in auras
Ætheris, hinc imbrem gigni, terramque creari:
Ex imbri, rursusque à terra, cuncta reverti;
Humorem primùm, mox aëra, deinde calorem.

Sin, ut sæpe fit, per Iunonem designatur terra; appositа magis ratio petetur ex illis, quæ Servius eodem tradit libro. *Ignis,* inquit, *ex terra est, quo peruruntur omnia. Nam cælestis nihil perurit.* Hoc est, quod philosophi dicunt, ignem nostrum esse excessum caloris in elemento alieno.

Nec indignum consideratione de claudicatione Vulcani. Prius fabulam videbimus. Apollodorus, loco antè memorato, refert, ut cum Vulcanus Iunoni, matri suæ, à marito de cælo suspensæ, vellet opem ferre, à Iove de cælo præceps datus sit in terras; ac à Themide quidem servatus sit; sed postea ex casu illo claudicârit. Vnde apud Homerum †, eum mater ipsa, vocat Κυλλοποδίονα ‡. Hoc durè aspereq; videretur dictum non cogitanti, vitia corporis nulli esse probro vertenda: quam rationem etiam adducit Plutarchus. Et eò attendit quoque Alcamenes, levi cum aliqua Deum claudicatione effingens: ut testis est nobis Tullius, in primo de Deorum natura. Atque hæc ostendunt, qualis sit fabula, & ut, si ratione morum eam cogites, alioqui, ob claudicantem Deum, satis absurdam; planè, ut de talibus loquitur B. Hieronymus *, honesta videatur oratio.

† *Iliados φ.*

‡ *pedibus claudum.*

* *in Chronico Eusebii.*

Nunc videamus, quomodo hæc ad rerum pertineant naturam. Vulcani claudicatio notat ignis nostri imperfectionem. Nec enim ætherei instar ignis, perpetim vivit; sed, nisi ligna ac materiem apposueris, perbrevi tempore exstinguitur. Quam rationem ejus fabulæ Heraclides quoque Ponticus adducit. Sed alteram etiam reperio, quia flamma, præsertim vento agitata, claudicantis instar, nunc in hanc, nunc in alteram se vertat partem. Neque hoc nostrum esse commentum, sed ex mente dici gentilium; indicio erunt verba illa B. Augustini contra Faustum lib. XX, cap. IX, *Ad naturam rerum interpretari conantur, Vulcanum claudum, quia Ignis terreni motus ejusmodi est.*

Ibidem etiam addit, *Venerem credi Vulcani uxorem, quia ex calore voluptas necessariò nascitur.* Nec, quatenus calor ab igni, verisimilius occurrit.

His de Græcis, Romanisque, aliquid subdam de gentibus Europæ, quas barbaras dixere; nec universis tamen, sed contentus nunc ero Germanis, & Sarmatis. Vulcanum sive Ignem esse cultum Germanis, auctor est Cæsar in VI de bello Gallico: imò, ut idem ait, præter Solem Lunamque, cultus est illis solus. Vnde etiam elucet, distinxisse vulgo à Sole: utcunque eundem, ac Solem, existimet Philippus Cluverius in primo Germaniæ antiquæ. Potiùs igitur Vulcanus Germanis fuerit Iupiter, sive aëris potestas, tonitrua ciens ac fulgura. Quomodo & Etrusci Vulcanum ajunt Iovis ignem è nubibus jaculari *. Neque caussæ satis video, cur idem vir eruditissimus Germanis eundem censeat Vulcanum, ac Martem. Romanos saltem distinxisse, argumento est, quòd Marti devota potuerint suspendi in templo: vota Vulcano, comburerentur. Vnde Livius lib. XXX: *Magna vis armorum capta. ea omnia imperator, Vulcano sacrata, incendit.*

* *Servius in I Æn. vers. 46.*

A veteribus etiam Sauromatis ignem esse cultum, refert Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes: deque eo testem laudat Nymphodorum in libro de legibus barbaricis. Eoque magis fidem facit, quia à Lituanis, gente Sarmatica, priusquam Christum amplecterentur, quod contigit circa annum CIↃ CC XXX, honore divino cultum esse Ignem, quem dixere *Znicz*, scribant, qui de Sarmatia Europæa egere: ut Alex. Gaguinus cap. de prisca Lituanorum religione.

CAPVT LXVII.

Acceditur ad Aquam: cujus multiplex utilitas ostenditur. Quibus de caussis gratia Spiritus sancti Aquæ comparetur in Scripturis. Quanta sit latitudo aquæ, si cum terra comparetur: deque eo opinio apocryphi Esdræ rejecta, imò & illa Cæsaris Scaligeri. Quanta maris sit profunditas. Fusius paullò contra receptam opinionem ostensum, Deum non tertiâ die, sed secundâ, discreviisse aquas à terris: ac de eo verba Mosis in historia creationis aliter, ac fieri solet, declarata. Cur Deus aquas secreverit à terris: cur item montes opposuerit litoribus. Falsò credi, mare esse altius terrâ.

EGimus de Terra, & Igni: quorum illa ex elementis vim habet minimam; hæc maximam; intermediæ autem potestatis sunt Aqua, & Aër. Ac Aër quidem cum Igni unâ convenit qualitate; nempe calore: alterâ cum Aqua, puta humore: ut faciliùs Ignis convertatur in Aëra, quàm Aquam. Proclivius enim unius fit immutatio, quàm duorum. Et quid flamma aliud, quam aër ac fumus ardens? Antiquior interim cultus

est

est Aquæ, quàm Ignis. Quare hanc temporis magis, quàm illam naturæ rationem, secutus, de Aëre posteriùs dicam: nunc autem quasi ab Igni descendam in Aquas. Quod si ullo in elemento, in hoc Aquæ profectò, magnopere divina se exseruit providentia. Nam sine illâ foret, nulla fieret simplicium concretio. Quippe & Aquæ frigore temperari opus calorem Ignis: & ejus humore necesse est molliri duritiem Terræ. Ac propterea sunt & aquæ in venis, ac meatibus subterraneis: quæ sese quovis, quandoque etiam in altum, diffundunt; cujus rei caussam antea adduximus. Sunt item aquæ cæleſtes; quibus depluentibus, terra irrigatur. Absque iis esset, inidonea foret tellus ad cibos animantibus producendos. Nec terram solùm, sed hæc etiam terrestria animantium corpora, potu irrigari fuit necesse: unde & Græci Neptuno nomen dedere, ut inferiùs exponam. Plurimum item aquæ conferunt ad purgationem, & mundicias: unde huic Latini dederunt nomen, ut itidem postea referam. Iam quid dicam de aquarum usu ad navigandum quaquavorsus, ac brevi sæpe spatio perveniendi ad terras longissimè dissitas? Vt jure optimo principem Olympiorum odam Dircæus ille vates hoc pacto ordiatur, Ἄριστον μὲν ὕδωρ· *Optima quidem aqua.* Sed Plinium quoque audiamus facundo sic ore præstantiam aquæ prædicantem lib. xxxi, cap. i: *Hoc elementum cæteris omnibus imperat: terras devorant aquæ, flammas necant, scandunt in sublime, & cælum quoque sibi vindicant, ac nubium obtentu vitalem spiritum strangulant. Quæ caussa fulmina elidit, ipso secum discordante mundo? Quid esse mirabilius potest aquis in cælo stantibus? At illæ, ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eò secum piscium examina. Sæpe etiam lapides subvehunt, portantes aliena pondera. Eædem cadentes omnium terrâ nascentium caussa fiunt, prorsus mirabili naturâ, siquis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fruticesque vivant, in cælum migrare aquas, animamque etiam herbis inde vitalem deferre; justâ confessione, omnes terræ quoque vires aquarum esse beneficii.* Et profectò ob tot bona Aquarum Deus ipse in Verbo suo gratiam Spiritus S. cum aquis maximè comparavit. Præcipuè tamen, quia ut aqua fluidâ suâ densitate sordes abluit exteriores, imò etiam viscidum illud venis adhærens deterget; sic & gratia divina abluat animam nostram à peccatis: & ut aqua refrigerat stomachi, ac viscerum ardorem; ita Spiritualis gratia exstinguat ardorem iræ, libidinis, & aliarum perturbationum: ut item aqua humectat ariditatem faucium, ac ventriculi; sic Spiritus S. expleat desideria animæ Deum sitientis: ac denique ut aqua vehiculum est cibi, & tum animantium, tum plantarum etiam venas replet succo ad præstandos actus vitales; sic gratia Spiritus S. influat in animam, eique vires infundat ad actus veræ pietatis; qui soli habent promissionem vitæ æternæ. De hac spirituali aqua

* cap.4,v.14. sic Samaritanæ ait Christus apud Ioannem * : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De eadem est apud Iesaiam LV,1 : & hinc illud Apoc. XXII, 17 : *Qui sitit, veniat ; &, qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Infideles † 2 epist. cap.2. autem, quia gratiâ spirituali carent, dicuntur propterea ab Apostolo Pe- ‡ Ioann.4,15. tro † *fontes sine aqua.* Votum igitur hoc addamus cum Samaritana ‡ : *Domine, da nobis hanc aquam, ut non sitiamus.*

Atque hæc universè de bono aquarum dicta sint. Nunc, ut meliùs divina in elemento hoc bonitas ac providentia intelligatur : primùm videbimus de mirandis Oceani, & maris interni : postea considerabimus aquas pluvias, fontanas, fluviales, cæteras.

In mari tum externo, tum interno, imprimis animo se offerunt, quantitas, qualitas varia, & motus.

In quantitate attenditur tum longitudo, & latitudo ; tum profunditas.

Longitudo, & latitudo ejus, par, aut suppar, est magnitudini telluris non obtectæ mari; si ex orbe cognito judicium faciendum. Adeò vastum esse Oceanum, Alexander Piccolomineus est testis *, qui cum cura est dimensus. Vt valde fugerit ratio apocryphum illum scriptorem, cujus liber vulgo *quartus Esdræ* inscribitur. Nam tradit ille, sex telluris partes aquis esse obrutas, septimam verò aquis nudam. Contrarium errorem errat Scaliger adversus Cardanum Exercit. XXXVIII ; ubi ait, tertiam modò terræ partem esse extra aquas; cætera ejus mari premi.

* lib. de magnitudine terræ, & aquæ.

Profunditas maris, judicio eorum, qui ætatem navigationibus trivere maritimis, rarò dimidium ultra milliare Italicum pertingit ; si gurgites aliquos exceperis, quibus ad milliare integrum se extendit, & pauca loca, ubi nullâ fundus bolide attingitur ; ut plurimùm fit circa insulas Flandricas : idemque experti sunt Hollandi circa aliquas Pacifici maris insulas.

Tantum mari alveum Deus die tertiâ excavavit, ex sententiâ communi ; vel potiùs secundâ, ut verisimilius mihi videtur, Mosaica verba attentiùs consideranti. Sanè primus dies propriè creationis fuit, quia eo Deus è nihilo res fecit : proximus secretionis, quia facta distinxit : cæteri ornatus, quibus sic facta & distincta instruxit. Tertio enim die terram vestivit plantis, in his etiam paradiso. Quarto cælum illustravit sideribus. Quincto aër aves, aqua pisces accepit. Sexto terris data animalia terrestria ; tum ratione carentia, ut pecora, & jumenta ; tum prædita hac, ut homo. Distinctio autem, quæ secundâ fiebat die, duplex fuit : una, ut dixi, aquarum superiorum ab inferioribus ; altera aquarum inferiorum à terra. Vtrumque est secretionis opus, eoque uni eidemque diei conveniens. Eruditissimi tamen homines malunt posteriorem tribuere diei tertiæ :

tertiæ : ut tum ſecretio terræ ab aquis , tum plantarum productio, eidem competant diei. Sed hos ſi ſequamur, fateri cogimur, die tertio bis dici de bonitate operis ; ſecundo autem nec ſemel ejus fieri mentionem. Nam in LXX quidem ; at non in Hebræo, Chaldæove codice, vel Latino etiam interprete, legas, *vidiſſe Deum, quòd bonum erat ejus diei opus.* Iam olim eos, quibus non alia præter receptam cognita erat ejus loci interpretatio, valde hic ſcrupulus punxit : unde varia illi evellendo ſunt commenti. B. Hieronymus dicebat, ideo ſecundâ die illud de bonitate operis præteriri, quia binarius myſticè eſt malus. Quam rationem meritò ridet Lyranus. Quomodo enim homo dicat, binarium eſſe malum : cùm Deus ipſe dicat, non eſſe homini bonum , ut ſit ſolus , eoque uxorem ei dederit adjutorium ? Iudæi igitur malunt dicere, eo Moſen non appoſuiſſe de bonitate operum diei ſecundæ , quia Deus tum fecerit etiam gehennam : hæc autem homini mala ſit, nec Deo per ſe grata. Nam ſi non delectetur morte hominis temporali : multo minus voluntate antecedenti velle mortem ejus æternam. Gehennam autem ſecundo eſſe die factam , comprobare conantur ex Ieſajæ XXX, 33 : ubi heſternâ die (id *ſecundam* interpretantur) תָּפְתֶּה, *Taphthe*, dicitur creatum. Sed longè aliam ejus eſſe loci ſententiam, liquet ex interpretum multis : cumque Moſes dicat, creatum tunc cælum, illi ajunt, creatam tum gehennam ; quæ nimium quantum diſtant. Tertia eorum opinio eſt , qui eò omiſſum à Moſe de bonitate cæli arbitrantur , quia cælum adhuc eſſet imperfectum; quippe necdum ſideribus ornatum. Sed ſi terra potuerit bona dici ſine plantis, aqua ſine piſcibus, aër ſine avibus; cur non & cælum ſine ſideribus ? Quarta nonnullorum eſt Rabbinorum ſententia , quorundam etiam Chriſtianorum ; in his doctiſſimi Petri Picharelli * : qui credidere (& rectè meâ quidem ſententiâ) Geneſios cap. 1 , verſum nonum , & decimum , ad ſecundæ die opera referri : quomodo verba hæc verſus decimi, *Et vidit Deus, quod eſſet bonum*, pertinebunt ad diem ſecundam : ac pro eo, quod nunc eſt verſu IX , *Et dixit*, reſcribi ſit ſatius, *Et dixerat :* quandoquidem ſatis conſtat, vocem hanc Hebræam, & ſimiles, nunc præteriti perfecti, nunc pluſquamperfecti habere ſignificationem. Vel argumento fuerint illa ſequenti capite verſ. ſeptimo, octavo, nono : ubi videas, non perfecto, ſed pluſquamperfecto, tranſferri , *formaverat hominem, plantaverat hortum, & germinare fecerat.* Quare ſic colligimus , geminam aquarum ſecretionem diei ſecundæ à Moſe eſſe attributam ; unam ſuperiorum ab inferioribus ; alteram inferiorum à tellure : ac proinde ſingulis diebus, &, quotus is foret, apponi, & bonitatem operis ab ipſo commendari Deo. Hæc mihi maximè ſententia probatur. Nolim tamen de eo ferram reciprocare cum hominibus eruditiſſimis :

quorum

* *paraphraſi, & annotationibus in Coſmopæjam.*

quorum promeritis lubens laudibus adsurgo. Sive autem tertiâ, sive, ut putamus, secundâ die hæc à Deo facta est excavatio alvei marini: in ea omnino sapientia ac bonitas elucet divina. Nam quis ignorat, terram naturâ graviorem esse aquis? quod particula terræ compactioris injecta aquis satis probat. Proinde naturâ aquæ circumfunderentur terris; ut primo die factum esse, Moses docet. At nunc illis quidem locis terra est depressior, ut aquæ innatent, in tantum quandoque, quemadmodum dixi, ut fundus non deprehendatur: aliis verò locis terra longissimè supra aquas eminet, altissimis in montibus imprimis. Nempe divina sic jussit ratio, ut pars terræ esset in sicco, propter homines, & animantia, quæ in aquis vivere non possunt; pars item terris incumberet, unde nobis piscium esset alimentum.

In eo quoque Dei conspicimus providentiam; quòd montes marinis opposuerit fluctibus. Plerique id factum ajunt, quia mare altius sit terrâ. Sed hoc si foret, nautæ magnâ difficultate adversus gibbum aquæ velificarentur, nulloque æstu, aut vento, decurrerent in portus. Quare verius est, terram, & mare, unum constituere globum, communéque habere centrum. Vt potiùs Deus mari obduxerit montes ob periculum à tempestatibus. Cujus ergò, illis in locis, ubi non constituit montes, maria voluit aggeribus arceri. Quod & aliquibus in locis Belgicæ, præcipuè Hollandiæ, fit; ubi revera terra est mari depressior. At ubi abunde exstat solum, istic nec Deus montes, nec humana industria aggeres opposuit. Vt de campis Venetis, Ferrarienſibus, & Appulis, Iulius Scaliger est testis Exercitatione XXXVIII adversus Cardanum: ubi & videas illum non fuisse ignarum ejus, quod de Hollandia nostra dicebamus.

CAPVT LXVIII.

Acceditur ad maris salsedinem, & amarorem: ab illa salum *dici, ab hoc* mare; *sed origine Hebræâ, unde* amarus. *De variis salsedinis caussis. Perperam Scaligerum putare, mare in imo esse dulce. Præcipuam salsedinis caussam proficisci à bitumine ac sulfure, & ignibus subjectis. Cur mortuum mare, &* mortuum, & mare, *dicatur; item* mare salis; *& ut homines vincti, si huic injiciantur lacui, non mergantur, & quæ ejus sit rei caussa. Etiam fervorem maris provenire à bitumine, ac sulfure. Et cur naves onustæ, transmisso mari, quandoque mergantur in flumine.*

PRogrediamur hinc ad alia Numinis miranda, qualitates Maris considerando; præcipuè duas illas, salsedinem, & amarorem, quas gustu experimur. Ac à salsedine quidem *salum* vocatur poetis, vel etiam *sal*: ut in

ut in illo *, —*spumas salis ære ruebant.* * Æn. 5.

Ob amarorem autem dictum est *mare*. Nam & *mare*, & *amarus*, veniunt ab Hebræo ים, quod notat *amarum esse*. Salsedinem hanc Deus indidit mari, tum plurimorum piscium ergo, quibus nonnisi in sale vivere datum est: tum adversus putredinem aquarum stagnantium, quas recipit. Ad conservationem autem salsedinis, aliquid conferre putandum, quòd Sol continuò ex superficie ejus tenuiores dulcioresque educit vapores, relictis crassioribus; qui cùm per se salsi sint, salsiores redduntur, sole eos adurente. Vnde æstate, ac sub zona torrida, mare est salsius. Quam Solis, & aquarum naturam cum attenderent Ægyptii, è Nilo ad diurnum potum noctu potissimùm hauriebant aquam, priusquam Sol, quod tenuius dulciusque foret, extraxisset: ut est apud Plutarchum in Symposiacis lib. VIII, quæst. V. Sed quod propterea cum Aristotele credidit Cæsar Scaliger †, in fundo maris aquas esse dulces, ac urinatores vitreis aquarum vasis è fundo dulcem attollere aquam: id meritò ridetur à Batavis nostris Argonautis. Nam ne placido quidem mari, si vasculum fune in profundum demittas, cujus orificium postea aperias, utcunque celerrimè vas attollas, eò minor fuerit salsedo, quàm aquæ illius in summo mari. Quin contrà credibilius est, aquam in fundo magis esse salsam; quandoquidem sal gravius est aquâ; unde si in aquam, aut vinum, sal conjectes, confestim fundum petit. Quare, nisi mare continuò agitaretur; nulla, vel exigua, in summo foret salsedo: præsertim mari angusto, ubi dulces fluvii incurrunt. Nam quod ad Solis adustionem, id exiguum est: cùm nec minuti, nec maximi etiam fluvii, eò reddantur salsi, quia perpetuò exponantur Soli. Sed hoc meritò in disquisitionem venit, an non illo primæva maris salsedo cum amarore maximè conservetur, quòd maris fundus abundet bitumine, & sulfure: unde ab ignibus suppositis, de quibus in elemento Ignis satis diximus *, exeant halitus salsi, & amari, perque mare sparsi simili illud imbuant sapore, vel potiùs eo jam à mundi incunabulis imbutum, adversus impluentium, & influentium aquarum dulcedinem conservent. Compluria hanc sententiam confirmant.

† *adversus Cardanum Exercitat.* 51.

* *cap.* 63.

Primùm quòd variis in locis bitumen innatet mari. Vt quibusdam temporibus fit in mari Thracio juxta montem sacrum: quemadmodum prodidit Eudoxus; & ex eo Callimachus Cyrenæus opere de Peloponnesi, & Italiæ admirandis: ex Callimacho autem Antigonus Carystius historiarum Mirabilium cap. CXLIV. Qui & cap. CLXIX ex eodem Eudoxo tradit, picem è lacu efferri Zacynthio. Perpetuum verò hoc in mari est mortuo, sive lacu Asphaltite; de quo sic Iustinus lib. XXXVI: *In ea regione lacus est, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur.*

Nam neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur; neque navigationis patiens est, quoniam omnia vitâ carentia in profundum merguntur; nec materiam ullam sustinet, nisi quæ alumine illinatur. Mare hic lacus dicitur, tum ob magnitudinem, more Hebræo; tum etiam ob amaritiem. Nam longè esse amarissimum, traditur quoque in Itinerario Hierosolymitano. Etiam salsedinem arguit, quòd Hebræis inde *mare salis*, sive, ut vulgatus reddit interpres, *salsissimum* nuncupetur Num. XXXIV, 1, & Iosuæ XII, 3, ac XV, 2. Idem *mortuum* vocatur, quia reses sit, ac immobile; nempe quia flos innatat bituminis, quod sequaci ac lentâ naturâ picem vel resinam refert: unde maris hujus aqua, quemadmodum ait Galenus, tanto crassior est marinâ, quanto marina spissior est fluviali. Estque hujus crassitiei argumentum, quòd etiam natare nescii, si vinctis à tergo manibus injiciantur, fluitent, nec mergantur: uti Vespasianum etiam expertum refert Iosephus lib. v de bello Iudaico cap. v. Porro bituminis, ac nitri florem, duntaxat innatare; indicio est, quòd limosior pars innatare non possit; sed mergatur, uti in alumine ac nitro experimur. Porrò salsuginem quoque hinc esse, arguit, quòd Ægyptiis pro sale sit Nili aqua in nitrarias immissa, inque nitrum à Sole excocta; haut aliter ac aqua marina ahenis indita, ubi ignem iis suppoſueris, & partes evaporarint superiores, in salem excoquitur: ut si non, quemadmodum loquuntur, formaliter, saltem quod ad materiam, salem mari inesse, satis sit apertum.

A bitumine etiam esse existimandum, quòd mare circa Æoli insulas ad spatium duorum jugerum sic ferveat, ut ob æstum intrare hoc nemo valeat: quemadmodum ex Theophrasto narrat Carystius Histor. Mirabil. cap. CXL.

A bitumine itidem esse videtur, quòd marina aqua sit pinguior, nec exstinguendis æquè flammis idonea: cujus rei exemplum habemus apud Dionem lib. L; ubi narrat, ut in pugna Actiaca milites Antonii marinâ aquâ nequierint exstinguere ignem à Cæsariano milite navibus injectum: imò incendium etiam auxerint, quia minutis aquam infunderent situlis, &, ut trepidantes solent, semiplenis.

Quia item bituminosa, ac salsa, eò & densior, graviorque. Ac densitatis argumentum est, quòd naves in mari non altè adeò immergantur, quàm in flumine: unde & quas naves sustinuit mare, quandoque merguntur in flumine.

CAPVT

CAPVT LXIX.

De triplici maris externi motu, & ejus cauſſis: ac primùm de illo aſſiduè hinc inde litora flagellante: quò pertinent fluctus decumani: ſed rejecta opinio illa, qua putarunt, & ovum, & fluctum decimum, prioribus eſſe novenis majorem. Deinde de motu illo ab Septentrione in Auſtrum; deque eo doctiſſimi Valleſii opinio rejecta. Denique de tertio, qui eſt ab Ortu in Occaſum: eum non eſſe à motu cæleſti, ſed à venti Orientalis conſtantia. Triplex maris interni motus, & cujuſque cauſſa. Refellitur fabella de iſthmo ab Hercule perfoſſo, ubi nunc eſt fretum Gaditanum. Cauſſam motus diurni, Veniliam,& Salaciam, *comprehendentis, rectè jam olim à Poſidonio expoſitam. Interim, cur obtineat etiam, cùm Luna adverſum illuſtrat hemiſphærium, difficulter percipi, niſi gurgites ſtatuantur de hemiſphærio uno in alterum pertingentes. Ab Luna quoque eſſe incrementa, & decrementa maris menſtrua. Quid Saxones vocarint* Malinas,& Lidunas, *vel* Ledonas; *deque origine eorum nominum, & ut jam Theodoſianis temporibus uſurpata ſint ab iis, qui Romanâ uterentur linguâ. Eſſe & incrementum maris annuum, quod Poſidonius ſe à Gaditanis didiciſſe profiteatur. Hoc ſecundùm Plinium, & Tacitum, à ſidere æquinoctii provenire.*

DE qualitatibus maris quoniam, quod ſatis eſt, dixiſſe me puto, nunc convertam ſermonem ad ejus motum. Qui ut à variis eſt cauſſis, ita varius ipſe, ac multiplex. Nihil attinet dicere de illo exlege, qui pro venti ratione ſe habet; unde nunc tempeſtatibus horret mare; nunc, ut Ovidius epiſtolâ Canaces ait,

— ſit tremulum, tenui cùm ſtringitur aurâ.

De cæteris videbimus: ac ſingulorum etiam apponam rationem: quò ex Naturæ admirandis non bonitas modò, vel potentia; ſed ſapientia etiam eluceat divina.

Ac primùm eſt alterna ac aſſidua à litore ad litus adverſum reciprocatio. Ad quam reſpexit, ut puto, Ieſaias cap. LVII, 2, cùm ait: *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Nam ſignificat, ſic animos impiorum perpetuò jactari, uti ſæpiùs intra horam, mari quoque placido, utrimque litoribus alluditur, mareque nunc in hoc, nunc in illud litus, loripedum inſtar, vacillat. Hanc quaſi flagellationem litorum provenire putandum ab fluminibus undique in mare irruentibus, & propellentibus partes propinquas; à quibus mox protruduntur aliæ atque aliæ, donec ab alio flumine fluctus alius vim prioris planè infringat, aut imminuat.

Ad hunc motum pertinet opinio de decumo quoque fluctu majore. Nota Feſti verba: *Decumana ova dicuntur, & decumani fluctus, quia ſunt magni.*

Nam & ovum decimum majus naſcitur, & fluctus decimus fieri maximus dicitur. Sed uti illa de ovis decumanis opinio eſt nugatoria : ita & altera de fluctibus decumanis : quos nihilo majores eſſe cæteris, non ſemel ad mare obſervavi, cùm per familiares, ac comites meos, majoribus animum intendere non liceret. Veriùs à decumis decumanos dixeris fluctus, quos decumis ſuis in Belgica, paullo ante me natum, Dux Albanus, occulto Dei judicio, concitavit. Quibus motibus factum, ut tot ſontes, inſontes, ſummæ, imæ, mediæ ſortis homines, ſolum verterent, ac mihi quoque inter tot millenos, pro dulci Belgica, magnæ, nec unquam pudendæ Germaniæ natale obtingeret ſolum.

Alter motus eſt maris, quo perpetuò ac conſtanter, vel ſaltem ut plurimùm, de uno cæli cardine verſus alterum fertur. Talis eſt ille à Septentrione verſus Auſtrum : cujus indicium eſt, quòd faciliùs à Septentrione verſus Auſtrum navigatur, ut à Norvegia, vel Dania, in Hollandiam; quàm contrà. Id Valleſius in ſuo de ſacra philoſophia * opere fieri putabat, quia, ut Varro † loquitur,

* *cap. quinquageſimo.*
† *Marcipore, apud Nonium in Syrus.*

Phrenetici Septentrionum filii,

frigore & craſſitie ſuâ faciliùs ſcindant, ac penetrent, tepidum & tenuem meridionalem aëra : quomodo & faciliùs ex Flandria in Hiſpaniam navigatur, quia Boreas frequentiùs adſpirat. Sed magis hæc placeret ſententia, niſi conſtaret, etiam vento ſecundo difficiliorem eſſe navigationem verſus Septentrionem. Quare non paullo veriſimiliùs eſt, hoc partim fieri, quia fundus maris Septentrionalis ſit altior, ſive naturâ loci, ſive limo à fluminibus advecto : partim etiam contingere ob vim tot fluminum, quæ in frigida illa Zona ex nivibus majori impetu ruunt in mare Septentrionale. Poſteriorem rationem non leviter fulcit, quòd quandoque etiam mare vehementiùs fertur Septentrionem verſus. Nempe ut fluminibus hinc è Scandinavia, inde ex Iſlandia & Groenlandia, in Oceanum Septentrionalem invectis, non poteſt non agi is auſtrum verſus : ita & mari Balthico fluminibus aucto, hinc è Scandinavia, inde è Germania, Sarmatiaque delatis, & Oceano poſtea ſuperfuſis, neceſſe planè eſt eum agi verſus Septentrionem. Prius cùm fit, nautæ Danici vocant Nordenwaſſer, q. d. aquam Septentrionalem : alterum ſi contingat, iidem nuncupant Sudenwaſſer, q. d. aquam auſtralem : uti traditum, Dano doctiſſimo, Bartholino, Enchiridii lib. IV, cap. VIII.

Præterea in Oceano conſiderandus eſt motus ab Oriente in Occidentem. Nam è Moluccis inſulis facilis eſt navigatio ad promuntorium Bonæ ſpei : at difficilis ea, ac longi temporis eſt, quando à promuntorio illo tenditur ad Moluccas. Similiter ab Hiſpania in Americam intra menſem perve-

pervenitur : at vix ternis inde, aut quaternis, in Hiſpanias reditur. Cauſſam plurimi collocant in motu cæli diurno, qui raptus vocatur. Cenſent enim à cælo rapi mare in occaſum. Sed id ſi eſſet, multò magis nubes ſemper raperentur ab ortu in occaſum. Quod cum non fiat, parum eſt credibile, motum illum raptus pertingere uſque ad mare, ac attrahere tantam aquarum vim. Veram autem rationem experientiâ ſunt edocti nautæ noſtri Hollandici. Obſervarunt enim, hunc motum provenire à conſtantia venti Orientalis iis maris locis, quæ diximus. Quod verò non eadem in terris eorum ſit conſtantia, hoc præcipuè à montibus, ventos repellentibus, provenire eſt exiſtimandum.

Et hæc de motu Oceani. Venio ad motum maris mediterranei, & aliorum, quæ in illud influunt; uti pontus Euxinus, & ſinus Adriaticus. In mediterraneo etiam obſervatur motus ab ortu ad occaſum. Multò enim celeriùs, pari licet vento, ex Ægypto, aut Phœnicia, navigatur in Hiſpaniam, quàm reditur. Cujus cauſſa eſt, quòd tanta aquarum vis ex Mæotide, Ponto Euxino, Propontide, in mare influat Ægæum, indéque in Mediterraneum : quæ adverſis Africæ littoribus illiſa, quia rectà redire nequit, fertur obliquè, partim verſus mare Adriaticum, cujus unda litora Dalmatiæ, & Liburniæ, alluit; unde Venetias appulſa, litora præterfluit Italiæ, donec ab Apulia in Ortum tendat : partim verò fertur verſus litora Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, quod imprimis faciliorem, ut dixi, verſus Hiſpaniam navigationem ab Oriente facit : partim denique delata in fretum Gaditanum, exundat in Oceanum : abſque quo freto foret, periculum eſſet, ne terræ, quas diximus, copiâ aquarum, ex Septentrione affluentium, obruerentur : ut hîc quoque magnum habeamus argumentum providentiæ divinæ : faciléque eorum refellatur opinio, qui iſthmum olim fuiſſe inter Hiſpaniam, & Africam, eumque ab Hercule perfoſſum, arbitrantur. Sanè *Herculeum* quidem illud fretum dicitur; ſed ab Hercule Phœnicio, qui, eò miſſus, in Gadium inſula, & vicina Hiſpania, coloniam duxit : ut expoſuimus libro primo hujus operis cap. XXXIV.

Oſtendi cauſſam motus pro locis, & cæli cardinibus variantis. Deinceps dicam de motus differentia ratione temporis : quo pacto motus maris alius eſt diurnus, alius menſtruus, alius annuus. De ſingulis eorum ex Poſidonio agit Strabo lib. III.

Diurnus, qui Græcis ἡμερήσιος, eſt reciprocum ac quotidianum maris incrementum ac decrementum : quorum illud Romani *Salaciam* dixere, quia unda in ſalum redit : hoc *Venilia*m, quia eadem venit ad litus. Ejus rei rationem jam olim Poſidonius petiit à Lunæ circuitu. Nam ubi, inquiebat, Luna ſupra horizontem cœpit elevari, intumeſcit mare, uſque

dum pervênit Luna ad cæli fastigium. At, eâdem tendente hinc ad occasum, ubi mare antea tumuerat, ibidem detumescit. Postquam autem Luna infra horizontem concessit, attollitur mare, quod ab horizonte est usque ad punctum meridiei oppositum : subsidit ibidem, ubi Luna à medio illo cæli infra terram pertigerit usque ad ortum, unde ejus apud nos refluxus. Hæc Posidonii ratio, ob manifestam experientiam, ab omnibus comprobatur : solùm ambigitur, utrùm Luna mare attollat subjectum lumine suo, illud rarefaciendo; an potiùs facultate propriâ, qua sic attrahat aquas, uti magnes ferrum. Illud etiam parùm est exploratum, quomodo cùm antipodas illustrat, ex altero hemisphærio nostrum quoque sustollat. Non absurdè fortassis hinc colligat aliquis, compluribus terram locis pertusam esse, ac perforatam ; non quidem per diametrum, ac centrum ; sed tamen de hemisphærio uno in adversum ; perque gurgites ejusmodi, expertes fundi, agere Lunam in aquas utriusque hemisphærii. Ac probabilem utcunque hanc sententiam reddunt voragines non paucæ, ubi nullis funium spiris ad fundum hactenus potuerit pertingi. In Septentrionali quidem mari, ad cautes præcipuè, tales assignat Olaus Magnus in secundo rerum Septentrionalium cap. duodecimo.

Nunc videamus de motu maris menstruo : de quo sic Strabo ex Posi-
* lib. 3. donio * : Τὸν δὲ μηνιαῖον (περίοδον λέγει) ὅτι μέγιστοί μὲν αἱ παλίρροιαι γίγνονται περὶ τὰς συσόδους · εἶτα μειοῦνται, μέχρι διχοτόμου · πάλιν δ' αὔξονται, μέχρι πανσελήνου · καὶ μειοῦνται πάλιν, ἕως διχοτόμου φθινάδος · εἶθ' ἕως τῆς συσόδων αἱ αὐξήσεις · πλεονάζειν δ' ἀμφω, καὶ τάχει, τὰς αὐξήσεις. *Menstruum porrò* (circuitum dicit Posidonius) *quòd maximi refluxus fiant circa novilunia : posteaque minuantur, usque dum luna sit dimidiata : iterum hinc augeantur, usque ad plenilunium : ac tum imminui rursum, donec decrescens dimidiâ parte luceat : postea ad coitum usque augeri : ea autem incrementa exsuperare & tempore, & celeritate.* Confirmat hæc experientia, quæ docet, maximè intumescere mare in plenilunio, aliquanto minùs in interlunio, minimè omnium, cùm luna est dimidiata. Hæc incrementa, & decrementa, vocabulis jam olim distinxere Saxones, & eorum exemplo Anglosaxones in Britannia. Nam maris recessum, hoc est, quando detumescit, *Lidunam* dixere : at accessum ejus, sive cũ intumescit, *Malinam* nuncuparunt. Vt quod in diurno motu sunt *Salacia*, & *Venilia*; hoc in menstruo sint *Liduna*, & *Malina:* quemadmodum liquet ex Bedæ de ratione temporum libro cap. XXVIII †, ubi sic scribit : *Imitatur Lunæ cursum mare, non solum communi ‡ accessu, & recessu : sed etiam quodam sui status profectu, defectuque; ita ut non tardior solum perenni; quàm pridie, verùm etiam major, minorve quotidie redeat æstus : & crescentes quidem* MALINAS, *decrescentes autem placuit appellare* LEDONES (in aliis Bedæ codd. est LEDONAS) *qui, alternante*

† *Ac similis apud Bedam locus libro de Natura rerum cap.* 39.
‡ *diurnum intellige.*

ternante per septenos octonosve dies successu, mensem inter se quemque quadriformi suæ mutationis varietate dispertiunt: sæpe quidem æquâ uterque sorte septenis diebus ac dimidio cursum consummantes: sæpe vel ventis impellentibus, aut repellentibus, vel aliâ qualibet accedente, sive naturali vi cogente, tardiùs, citiusve venientes, aut minùs ampliusve solito ferventes; ita ut aliquoties, ordine turbato, Malina plures sibi æstus hoc mense, pauciores vindicet in alio: unde uterque motus, nunc vespertino nasci, nunc matutino consuevit in æstu. Et siquidem æstu vespertino, vel novilunio, vel plenilunio instante, Malinam nasci contigerit, idem æstus quotidie per VII *Malinæ dies subsequentes fit major, & violentior, æstu matutino. Similiter matutino, si fuerit Malina orta sub æstu; matutinus jam majori per dies contegit æquore terras. Porrò vespertinis finibus, quos matutinus æstus cœperat, contentus, ulterius cursum extendere negligit: quamvis quibusdam in mensibus uterque æstus in dissimili per omnia cremento proficit. Quanto autem plus æstus major litora terrasque contexerit, & fluvios ac freta compleverit; tanto latiùs recedens, eadem litora maris exhaurire, atque enudare, consuevit.* Quem ad locum † annotavit Ioannes Noviomagus, dici *Ledonam*, quasi *læsam undam*: satis ridiculè, cum vox sit Saxonica, ac Danica: veraq; sit sententia doctissimi Olai Worm, Dani, in Fastis * suæ gentis: ubi ait, *Magle* Danis esse magnum, & inde maris incrementum vocari *Malina* pro *Maglina*: at *Liden* iisdem esse parvum, atque inde *Lidun*, & *Lidunas*, vocari maris imminutionem. Porrò *Malinæ*, & *Lidunæ*, voces trecentis & quinquaginta ante Bedam annis reperias apud Marcellum Empiricum: qui ostendet, homines superstitiosos ad medelam alias herbas legere solitos tempore Lidunæ, alios in Malina, quasdam absq; eo discrimine collegisse.

† uti & ad Bedam de Natura rerum cap. 39.

* lib. 1, cap. 11.

Supereſt motus annuus: de quo ſic ex Poſidonio Strabo lib. III: Τὰς δ' ἐνιαυσίους παλίρροιας ἐν Γαδείροις πυθέσθαι φησί· λεγόντων ὡς κατὰ θερινὰς τροπὰς μάλιστα αὔξοιντο, καὶ αἱ ἀναχωρήσεις, καὶ αἱ ἐπιβάσεις. Εἰκάζει δ' αὐτὸς, ἀπὸ τῶν τροπῶν μεῖσθαι μὲν ἕως ἰσημερίας· αὔξεσθαι δὲ ἕως χειμερινῶν τροπῶν· εἶτα μεῖσθαι μέχρι ἐαρινῆς ἰσημερίας· εἶτα αὔξεσθαι μέχρι θερινῶν τροπῶν. *Annuos verò maris (circuitus) se à Gaditanis (Poſidonius) accepiſſe ait: quippe qui dicant, circa æſtivum ſolſtitium maximè augeri acceſſu, & receſſus maris. Conjecturam autem capit, eoſdem exinde imminui uſque ad æquinoctium; ac rurſum accreſcere uſque ad brumam; ab hac decreſcere uſque ad æquinoctium vernum; ac poſtea augeri uſque ad ſolſtitium æſtivum.* Sed Plinius aliter lib. II, cap. XXVII: *Æquinoctiis maximè tumentes, & auctumnali amplius, quàm verno: inanes verò brumâ, & magis ſolſtitio.* Ex Plinii igitur mente, non ſolſtitii tempore (quo nomine veteres ſolùm intelligunt æſtivum) ſed tempore æquinoctii eſt incrementum maris; ac majus quidem auctumnali, quàm verno. Straboni ſive Poſidonio etiam fidem derogat Tacitus in primo Annalium: *Sidere*, inquit, *æquinoctii, quo maximè tumeſcit Oceanus.*

CAPVT

CAPVT LXX.

Transitur ad aquas, quæ bibuntur. Scientiæ naturalis finem ultimum non esse, ut sciatur; sed partim pietatem, ut Deus, ex operibus cognitus, ardentiùs colatur; partim præsidium hujus vitæ, ut diutiùs & commodiùs vivatur. Quinque aquarum, quæ bibantur, genera. Anapus & Crimisius, Siciliæ amnes, in summo frigidi, in imo calidi. De calidis aquis Mytistrati, paludis prope Mylas, lacuum Palicorum prope Leontinos. Mira tenuitas aquæ Cubali, Sidis, Boristhenis, Phasidis. Quantopere aquæ varient colore, & unde hæc diversitas. De fluviis saporis dulcis, salsi, amari, acidi. De aliis graveolentibus, & unico boni odoris in Mesopotamia.

AB aquis marinis, & salsis, venio ad potabiles; quarum bona, miranda quæ, deinceps percurram. Nam ut naturæ universæ, ita horum etiam notitia, ad pietatem in hominibus accendendam, augendamque, plurimum confert. Neque ignoro, ita vulgo esse persuasum, scientiam naturalem esse θεωρητικὴν * , non πρακτικήν † . Verùm pulcrè B. Bernardus ait super Cantica serm. XXXVII : *Scire velle eo fine tantùm, ut scias, curiositas ‡ est. Sed scire velle, ut ædifices, charitas est. Scire velle, ut ædificeris, prudentia est.* Hoc igitur iis, qui rerum exquirunt naturam, propositum esse debet, non ut in curiosa ejus indagatione consistant, scire contenti : sed partim ut hinc Deum discant magis amare, ac ardentiùs colere, quod est pietatis cælestis opus : partim ut meliùs, & commodiùs, tueri valeant valetudinem, & vitam; quod prudentiæ est humanæ : quomodo pertinet ad medicinam, agriculturam, architecturam, vestiariam & artes cæteras.

* *speculativam, ac scientia conventam.*

† *activam, sive cujus scientia pro fine habeat actionem.*

‡ *imò* turpem curiositatem *vocare ibidem Bernardus non veretur.*

Aquarum, quæ bibantur, varia ex Rufo genera complexus est Aëtius de re medica lib. III, cap. CLXXV * : Τῶν πινομένων ὑδάτων πέντε εἰσὶν αἱ καθόλου διαφοραί· ὄμβριόν τε γὰρ, καὶ πηγαῖον, καὶ φρεάτιον, καὶ ποτάμιον, καὶ λιμναῖον· *Aquarum, quæ bibuntur, quinque in universum sunt differentiæ; pluvia, fontana, putealis, fluvialis, & è stagnis.* Ad pluvias refert illas etiam è nive, & glacie; quia itidem sunt è vaporibus in cælum elevatis. Sub stagnantibus autem comprehendit lacustres, & palustres.

* *fol. 62, b. edit. Ald.*

In tot aquarum generibus primùm considerabo qualitates παθητικὰς, sive quæ sensum adficiant : deinde exponam δυνάμεις φυσικὰς, *potentias naturales* : denique de motu earum dicam.

Qualitatum, quæ sensum adficiunt, aliæ percipiuntur tactu, aliæ alio sensu. Tactiles vel primæ sunt, vel secundæ. Primæ, ut calor, & frigus. Vtcunque enim aquæ naturâ suâ frigeant, quædam tamen calent : quod contra naturam evenire, exinde cognoscimus †, quòd quas inde aquas hauseris, ad naturam redeundo, paullatim frigefiant. Quædam verò non calent modò,

† *Vitruvius lib. 8, extremo pene capite.*

modò, sed etiam fervent; imò & ardent nonnullæ. Cùm superiùs * age- * cap.63.
remus de elemento Ignis; causſam istorum esse ostendimus bitumen, & ignes subterraneos. Nihil attinet hîc, ubi de Aquis agendum, eadem reponi. Suffecerit nunc, si indicta nobis paucula aquarum ejusmodi exempla adferamus. Lycus Butheras Rheginus in historia Siciliæ, & ex ea Antigonus Caryſtius in hist. mirab. † prodidere, in Sicilia duos esse fluvios, † cap.148.
Capæum, & Crimisium, vel potiùs Anapum, & Crimisum; qui in summo frigidi, in imo sint calidi: nempe in summo eos destituit calor; ut qui sit prope fundum, ob vicinum bitumen. Ab eodem Lyco, & Antigono ‡, ‡ cap.154.
traditum est, in Sicilia esse fontem Cystritatum, vel potiùs Mytistratum, (quomodo rescribi oportere, v. cl. Io. Meursius annotavit) qui à Plejade usque ad Arcturum de die ferveat, ac fumet; noctu autem etiam inflammetur. Item & Lycus, & Antigonus *, retulerunt, prope Mylas Si- * cap.170.
ciliæ esse paludem, in cujus medio, ut frigidæ, sic calidæ etiam scaturiant aquæ. Item ab duobus his traditum, in Sicilia apud Leontinos esse lacus ‡ Antigonus
duos tanti fervoris, ut elixorum nihil sit calidius. Intellige Palicorum la- cap.175.
cus; quos incolæ vocant κρατῆρας, & Δείλλας: ut indicat Macrobius Saturn. lib. v, cap. xix: qui & testem laudat Calliam in vii rerum Sicularum.

A qualitatibus primis venio ad secundas. Quales ex tactilibus duæ imprimis attenduntur; levitas, & gravitas. Sunt autem quædam aquarum ita tenues ac leves, ut baculum, vel lapidem, in sua repræsentent figura, citra refractionem ullam. Quod de aqua Cubali inter Patavium, & Vincentiam, proditum est Vitellioni lib. x, theorem. xlii. Quædam etiam aquæ, præ tenuitate nimiâ, non sustinent navium onera. Qualis Sides, sive, secundùm codices alios, Sideris. De hoc Plinius † sic: *Ctesias tradit, Siden vo-* † lib.31, cap.2.
cari stagnum in Indis; in quo nihil innatet, omnia mergantur. Est item in Sarmatia Europæa *Borysthenes, omnium*, ut idem Plinius ‡ ait, *aquarum tenuissi-* ‡ lib.31, cap.5.
mus; ideóque innatans Hypani: in quo & tenuitatis argumentum aliud est, quòd nullum halitum, non modò nebulam, emittat. Arrianus tamen, in periplo Ponti Euxini, censet, Phasin omnium, quos nôsset, fluviorum esse levissimum: atque hoc non modò colligit ex eo, quòd supernatet Ponto; sed etiam ex pondere. Sed de levitate aquarum mox dicam pluribus; ubi de earum salubritate erit agendum.

Confero me nunc ad qualitates eas, quæ alio, quàm tactus sensu, percipiuntur. Vti visu discernimus earum colores. Discrimen istoc, & causſam ejus pleniùs, & breviùs prioribus, complexus est Philander *. *Colorem*, in- * ad Vitruvii
quit, *nanciscuntur à succis, terris, ramentisque saxorum, quibus inficiuntur. Inde albi* lib.8, cap.3.
sive lactei coloris, Nar, Vmbriæ fluvius; lutei, Ochra Saxoniæ; flavi, Tyberis; fulvi,

Acidula Sueviæ prope urbem Goppingam ad Vilsum fluvium ; sanguinis fere colore Telephus fons, juxta Pateras; punicei, Rubicon; viridis, Neusola in Carpatho monte ; glauci, Thermopylarum, juxta lavacrum, quod Chytros muliebres vocant; cærulei, Isara Norici fluminis; nigri, Galesius Calabriæ; nigerrimi, Allera Saxoniæ, qui in Visurgim influit; & siquæ sunt alius coloris aquæ. Nam qui ob alvei terram, arenam, calculos, saxa, stirpes etiam ripis inhærentes, induntur, proprii non sunt aquarum; sed eos videntur habere.

Nunc ponam de discrimine, quod gustu deprehenditur. Vitruvius lib. VIII, cap. III : *In Sicilia flumen est Himera, quod à fonte cum est progressum, dividitur in duas partes : quæ pars profluit contra Ætnam , quòd per terræ dulcem succum percurrit, est insitâ dulcedine : altera pars, quæ per eam terram currit, salsum habet saporem.* Atque idem traditum Antigono Mirandorum cap. CXLVIII. At deceptus est Solinus cap. XI; cùm pro *salso* ait *amarum*. Nam experientia hodieque reclamat. Sequitur deinde apud Vitruvium : *Item Parætonio, & quò est iter ad Hammonem, & Cassio ad Ægyptum, lacus sunt palustres; qui ita sunt salsi, ut habeant insuper se salem congelatum. Sunt autem & aliis pluribus locis, & fontes, & flumina, & lacus ; qui, per salsifodinas percurrentes, necessariò salsi perficiuntur.* De amaris fontibus , & fluminibus , postea subdit : *Sunt ex amaro succo terræ fontes exeuntes, vehementer amari; ut in Ponto est flumen Hypanis , qui à capite profluit circiter millia quadraginta sapore dulcissimo : deinde, cum pervênit ad locum , qui est ab ostio ad millia centum sexaginta , admiscetur ei fonticulus oppido quàm parvulus. Is cùm in eum influit, tunc tantam magnitudinem fluminis facit amaram ; ideo quòd per id genus terræ & venas , unde sandaracha foditur, ea aqua manando perficitur amara.* De amarore Hypanis, testis quoque Mela lib. II, cap. I, & Solinus cap. XXIV. De acidis aquis sic Vitruvius ibidem : *Sunt nonnullæ acidæ venæ fontium : uti Lynceslos , & in Italia Virena ; Campana Teano, aliisque locis plurimis.* Alia deinde addit de vi aquarum ejusmodi ; quæ inferiùs adducam.

Nec colore modò, vel sapore; sed odore etiam distinguuntur. Vnde sic ibidem Vitruvius * : *Sunt odore, & sapore non bono, frigidi fontes ; qui, ab inferioribus penitus orti, per loca ardentia transeunt, & ab his, per longum spatium terræ percurrentes, refrigerati perveniunt supra terram, sapore, odore, colorèque corrupto : uti in Tyburtina via flumen Albula, & in Ardeatino fontes frigidi eodem odore, qui sulfurati dicuntur, & reliquis locis similibus.* Hæc ad odorem malum pertinent. At, ut Plinius ait lib. XXXI, cap. III : *Vnus in toto orbe traditur fons aquæ jucundè olentis in Mesopotamia Caburæ. Fabulæ rationem afferunt, quoniam eo Iunо perfusa sit. De cætero aquarum salubrium sapor odorve nullus esse debet.*

* *lib. 8, cap. 3.*

CAPVT

CAPVT LXXI.

De vi aquarum quarundam in res inanimas : uti injecta immutandi in lapidem ; vel se ipsas sic durandi, ut ex iis lapides fiant structuris idonei. Varia istorum exempla adferuntur, & ratio eorum naturalis. Non mereri fidem, quod à Muciano ter-consule proditum est, in Andro insula fontem Liberi septem diebus fluere vino. Vt quædam aquæ alii supernatent ; imò & innatantes inungant : & quæ hujus rei ratio sit. Aquæ variæ, colorem inde bibentium mutantes ; præsertim in pecudum pilis ; alicubi etiam in hominum cute.

STrictim dixi, quæ ad qualitates sensum afficientes attinent. Nunc breviter exponam, quæ attingunt φυσικὰς δυνάμεις *. Quarum aliæ tantummodo pertinent ad res inanimas : aliæ autem vel solùm, vel æquè, tangunt animata. * *vires naturales.*

Prioris generis est, quòd quædam eam habeant vim, ut injecta possint λιθοῦσθαι, sive *in lapidem vertere* : ut Muabus in Pamphylia, teste Carystio Histor. Mirab. cap. CL. Simile profert exemplum Vitruvius lib. VIII, cap. III : *Est in Cappadocia in itinere, quod est inter Mazacam, & Tuanam, lacus amplus ; in quem lacum pars sive arundinis, sive alii generis, si demissa fuerit, & postero die exemta ; ea pars, quæ fuerit exemta, invenietur lapidea : quæ autem pars extra aquam manserit, permanet in sua proprietate.* Item Plinius lib. XXXI, cap. II : *In Perperonis fons est, qui, quacunque rigat, lapideam facit terram : item calidæ aquæ in Eubœæ Delio. Nam quà alluit rivus, saxa in altitudinem crescunt. In Eurymenis dejectæ coronæ in fontem, lapides fiunt. In Colossis flumen est, in quo lateres conjecti lapides extrahuntur. In Scyretico metallo arbores quæcunque flumine alluuntur saxa fiunt cum ramis.* Addam illud, in Cepusio Daciæ, quas aquas hauseris, & urceis infuderis, ex parte unam intra noctem in lapidem immutari : uti testis nobis Georgius Agricola lib. IV de ortu & caussis Subterraneorum cap. XI.

Atque hæc de vi aquarum immutandi ea in lapides, quæ receperint. Sed præterea & ipsæ, ubi desinunt agitari, lapides fiunt. Antigonus quidem Carystius, Historiarum Mirabilium cap. CLXXVII, refert ex Eudoxo, apud Coos rivum esse omnes, per quos fluxerit, aquæductus in lapides commutantem. Etiam ex Eudoxo, & Callimacho, addit, theatrum esse apud hos exstructum è lapidibus sic in lapidem inde induratis. Vitruvius quoque lib. VIII, cap. III, tradit, aquam Hierapolitanam apud Phrygas in crustam lapideam sic indurari, ut inde faciant in agris septa. Caussam addit, *quòd in his locis, & ea terra, quibus is nascitur succus, subest coaguli naturæ similis.* De hac aquæ ejus natura etiam apud Strabonem est lib. XIII. Alia hujusce

generis adducit Plinius lib. xxxv, cap. 11 : *At Nonacrin Arcadiæ putant nimio frigore esse noxiam : utpote cùm profluens ipsa lapidescat.* Et paullo pòst : *Destillantes quoque guttæ in lapides durescunt in antris Coryciis.* Acosta quoque est testis, in Peruvia esse fontem calidum, qui sic in rivo induretur in rupem, ut inde lapides exscindantur ædificiorum structuris idonei.

Nec operosum adeò est rationem reddere, tam aquarum, quæ vicina, vel injecta, in lapides vertant ; quàm quæ ipsæ in lapidem concrescant. Priores illæ habent succum lapidescentem, aquis permixtum ; qui se per meatus inserit corporibus injectis, aut propinquis; & quia, iis contentus, non amplius agitatur, sed quiescit, eò frigore constringitur; corporaque, quibus se insinuavit, lapideæ reddit naturæ. Quod verò aquæ ipsæ in alveo suo lapidescant, ex eo est, quia & aquæ istæ succo admodum crasso, & lento, constent : &, alveis receptæ, desinant agitari; ideoque ab aëris ambeuntis frigore densentur ; haut secus fere, ac coralium, è fundo maris exstractum in aëra, hujus mox frigore induratur.

Sed verumne, abire aquas etiam in vinum ? Id de fonte in Andro insula retulit Plinius ex historiis Licinii Muciani ter consulis ; qui Neronis, & Vespasiani vixit temporibus. Verba Plinii * sunt : *Mucianus Andri è fonte Liberi patris, statis* (ait) *diebus septenis ejus Dei vinum fluere; si auferatur è conspectu templi, sapore in aquam transeunte.* Omnino sacerdotum, vel figmentum, vel fraus, erat : nisi concurrisse malis dæmonum imposturam. Nolim diffiteri, aquarum aliquas vineum habere saporem, etiam mentem tentare, ac pervertere. Sed fidem non meretur, sic naturâ esse comparatum, ut hoc statis fiat diebus septenis, Libero sacris : ne quidem si inde effugium pares, non Liberi hoc virtute contigisse; sed gentiles propterea dies illos Libero sacrâsse.

* lib. 31, cap. 2.

Ab virtute aquarum, quæ se in gignendis lapidibus, ac, si sic videatur, in vino etiam, utrâque re inanimâ, exserit; venio ad ea, quæ vel æquè, vel tantummodo, res spectent animatas. Videor mihi ista ad duo posse genera revocare; quorum utrumque sit bipartitum. Nam vel externa tangunt, vel interna. Illa prioris generis, vel superinducunt aliquid superficiei, vel eam quoque immutant. Posterioris quæ sunt generis, vel valetudinem corporis, vel animum attingunt.

Ex quatuor istis primi est generis, quòd aquæ nonnullæ vim habeant quasi oleo inungendi. Sanè pingues esse fluviorum nonnullos, indicio erit Titaresius †, Thessaliæ amnis, secundùm Strabonem in IX, & Vibium Sequestrum cap. de Fluminibus. Meminit & ejus Homerus in Bœotia ‡, & Lucanus in VI *. Aliter dictus *Europus*, ut est in Strabonis epitome †; vel *Eurotas*, ut est apud ipsum Strabonem lib. IX. Is fluvius, ut idem Strabo

† al. Titaressius.
‡ Iliad. B, vers. 752.
* vers. 376.
† lib. 7.

Strabo ait *, non mergitur, aut immiscetur Peneo; sed, olei instar, supernatat. Quod ipsum etiam Plinio proditum lib. IV, cap. VIII: *Accipit amnem Euroton, nec recipit; sed olei modo supernatantem, (ut dictum est Homero) brevi spatio portatum abdicat; pœnales aquas, diriscque genitas, argenteis suis misceri recusans.* Pro *Euroton* tamen *Orcum* est apud Vibium his verbis: *Titaressus Thessaliæ, qui & Orcus, in Peneum decidit; nec ei miscetur, quia super eum funditur.* Imò apud Plinium quoque pro *Euroton, Orcum* legas in nonnullis MSSis, & veteri editione Parmensi †. Sed rem videamus. Nempe uti succi graves multum obtinent terrestris: ita succi leves, (tales autem sunt pingues) multum habent aërei: unde supernatant aquis. Sed si non admodum sint pingues, innatant quidem, at non inungunt. Ad quod opus, ut admodum pinguibus erumpant venis. Qualibus & originem debent sulfur, bitumen, succinum, gagates. De hujuscemodi aquis ita Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Alii* (fontes, flumina, & lacus) *per pingues terræ venas profluentes, uncti oleo erumpunt: uti Solis (quod oppidum est Ciliciæ) flumen nomine Liparis, in quo natantes, aut lavantes, ab ipsa aqua unguntur.* Vbi per *oleum* intellige bitumen liquidum. Est enim hoc pingue: quippe multum habens aërei, & ignei; unde & facilè adeò accenditur. Etiam bitumen istoc capiendum in iis, quæ idem Plinius de Æthiopiæ lacu, & Indiæ, & fonte Carthaginis, subjungit. Posteaque apud eundem legas de fontibus Zacynthi, Dyrrachii, & Apolloniæ; qui (ut ait) *picis magnam multitudinem cum aqua vomunt.* Item de lacu Iudææ; qui eò quòd (verba iterum Plinii retineo) *habeat supernatans liquidum bitumen*, quod ἄσφαλτος dicitur, Ασφαλτὶς nuncupatur. Ibidem legas, Ioppen in Syria, & Arabiam Numidarum, *emittere bituminis maximas moles.* Atque hoc mirandum negat; quia *crebræ sunt ibi lapicidinæ bituminis duri. Cum ergo per bituminosam terram vis erumpit aquæ, secum extrahere bitumen.*

* lib. 9.

† anni 1476.

Alterum est aquarum genus, quæ & extrinsecus immutent; sive alium pilis inducendo colorem, sive etiam cuti. Quod à Varrone esse proditum, testis nobis Solinus cap. XXXIII. *Vltra Pelusiacum ostium Arabia est, ad Rubrum pertinens mare; quod Erythræum ab Erythra rege, Persei & Andromedæ filio, non solum à colore, appellatum Varro dicit; qui affirmat in litore maris istius fontem esse; quem si oves biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ, amittant, quod fuerint, usque ad haustum, ac furvo postmodum nigrescant colore.* Idem, sed præterito Varronis, ac Solini nomine, memorat Martianus Capella lib. VI, cap. de Ægypto. Pluraque ejus generis refert Seneca lib. III Natur. Quæst. cap. XXV: ac imprimis Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Sunt*, inquit, *Bœotiæ flumina Cephissus, & Melas, Lucaniæ Crathis, Trojæ Xanthus, inque agris Clazomeniorum, & Erythræorum, & Laodicensium, fontes ac flumina, cùm*

pecora suis temporibus anni parantur ad conceptum partus, per id tempus adiguntur eò quotidie potum; ex eóque, quamvis sint alba, procreant, aliis locis leucophæa, aliis locis pulla, aliis coracino colore. Ita proprietas liquoris cùm init in corpus, proseminat intinctam sui cujusque generis qualitatem. Igitur quoniam in campis proximè flumen armenta rufa, & pecora leucophæa nascuntur, ideo id flumen Ilienses Xanthum appellavisse dicuntur. Similia adfert Plinius lib. xxxi, cap. 11: *Eudicus in Hestiæotide fontes duos tradit esse; Ceronem, ex quo bibentes oves nigras fieri; Melan, ex quo albas: ex utroque autem varias: Theophrastus in Thuriis, Crathin candorem facere.* Pro quo, *flavedinem conciliare* dicit Aristoteles de mirabilibus auditionibus: idemque ex Timæo prodit Carystius Histor. Mir. cap. CXLIX. Hinc sequitur apud Plinium: *Sybarim (facere) nigritiam bobus, ac pecori. Quin & homines sentire nigritiam eam. Nam qui Sybarim bibant, nigriores esse, durioresque, & crispo capillo: qui ex Crathide, candidos molliores que, ac porrectâ comâ. Item in Macedonia, qui velint sibi candida nasci, ad Aliacmonem ducere; qui nigra, aut fusca, ad Axium.* Idem Plinius sic alibi † de Clitumno, Vmbriæ fluvio: *Clitumni amnis aqua candidos boves facit.* Quod & Servius ex eo memorat in 11 Georg. Sed de isto pluribus agam, cùm particulatim dicetur de cultis à gente Romana fluminibus. Nec de candore magis, quàm nigritie, mirandum. Si enim senectus nos canos reddat, imò & anxia unius noctis follicitudo tantum valuerit in nonnullis *: cur non aquæ, longo tempore adsumtæ, sic temperiem possint immutare, ut candorem, aliumve inducant colorem?

† lib. 2. cap. 103.

* Scaliger adversus Cardanum Exercit. 312.

CAPVT LXXII.

Quæ aquarum salubberrimæ. Hirtius, & Aëtius, conciliati; quorum ille insalubrem, salubrem hic aquam dixerat Niloticam. Quercetani de aquis lutosis, ac pinguibus, opinio discussa. Quo discrimine, ratione salubritatis, distent aquæ pluviæ, & nivales, tum crudæ, tum decoctæ; item ex grandine, vel glacie liquefactæ. Etsi aquæ sint salubriores, quæ leviores, & levitas ea ponderando cognoscatur: subinde tamen leve adeo discrimen esse, ut ad alia recurrere indicia satius sit: quale est, quæ citius incalescant, aut frigefiant, & quarum accolæ melius valeant. Quàm variis morbis medeantur aquæ. Ecquæ sint, quæ juventutem instaurent. Vim etiam noxiam aquis inditam: ut inferendi sterilitatem, & varios morbos; imò & mortem: quod de Menaidos, sive Palicorum fonte traditum; aliter tamen, atque aliter, hanc rem narrantibus antiquis.

EXpediam nunc de tertio aquarum genere; quod salutares, vel noxias habet vires corporibus humanis.

Valetudini autem corporum salubres sunt aquarum illæ, quæ, ut Plinius

nius ait *, *aëri simillimæ*: hoc est, quæ maximè tenues, & pellucidæ. Vt hac parte videatur commendandus in Sabinis *Blandusiæ fons lucidior vitro*; velut de eo Horatius † ait. Cujusmodi non sunt aquæ Nili. Nam, ut Hirtius, sive quisquis auctor de bello Alexandrino, ait, *quæ Nilo flumine fertur aqua, adeò est limosa, atque turbida, ut multos varioſque morbos efficiat.* Quare commodè capiendus est Aëtius lib. III de re medica cap. CLXXV; ubi aquas omnes fluviales, ac stagnantes, vituperat, unâ exceptâ Niloticâ; quam pollere ait omni genere virtutis: ac virtutes eas deinde pluribus exponit. Conciliare autem ea cum Brodæo ‡ possis ex Galeno; qui & ipse lib. primo de simplicium medicamentorum facultatibus, ut & in VI Epidemiorum, aquam prædicat Niloticam, velut salubrem; sed addit, iterum, atque iterum, fictilibus percolandam vasis, usque dum planè fuerit defecata, ac limpida. Hodieque is apud Ægyptios mos obtinet, ut toto in testis triduo adservetur, donec penitùs subsederit limus. Quibus verò mora hæc morosior molestiorque videatur, injectis ei amygdalis amaris, & contusis eorum putaminibus, diem intra reddere solent puram, claramque. Hirtius igitur locutus est de aqua Nilotica, recentissimè hausta; ut fiebat à militibus Romanis, consuetudinis Ægyptiæ nescii. At Aëtio est sermo de aqua percolata; qualem etiam intelligunt juniores illi, qui sic eam laudant; ut Maurinus Sanutus *, Petrus Martyr ab Anglaria †, & alii magno numero. Propterea non per omnia assentio Iosepho Quercetano, qui in Diætetico polyhistorico cap. VII sic scribit: *Cum illud Nili flumen lutosius sit, quàm arenosius, à quo tota Ægypti regio, cum ab alveo suo excurrit, impinguatur: omnes fluviorum pingues aquas, pari modo, aliis ex torrente arenoso profluentibus esse præferendas.* Subjungit deinde: *Hinc fit, ut Sequanæ lutosa, & pinguis, Ligerinam aquam fabulosam bonitate superet. Non enim ex Ligeri exundante impinguantur arva; quæ potius adeò arenâ conteguntur, ut inde sterilescant. At cùm Sequana lutosam aquam, & pinguem, per opima arva transfluens, meliorem iccirco exhibet aquam; tum quòd onera ferat graviora, quàm alii Galliæ fluvii; tum quòd equos impinguet, leguminaque citius & celerius coquat: quæ aquæ bonæ certissima sunt indicia.* Quibus sic occurrimus. Quemadmodum aqua Nilotica arvis conducit, quæ inundans pinguia facit; at hominibus est insalubris, nisi percoletur: ita Sequanam quidem agros reddere pingues, sed non eo optimam esse, nisi percolatam. Et sanè favet nobis ex parte Quercetanus ipse, quando superioribus subjicit: *Hinc concludimus, inter optimas recensendas esse Sequanæ aquas, præsertim si ab hypostasi sua repurgatæ fuerint, aut in cisternas depurandæ infundantur.*

Sed neque aëri similes, hoc est, leves, & pellucidæ, sunt aquarum illæ, quibus miscentur exhalationes terræ. Nam hujus opacitate magis fiunt turbidæ,

* *lib.* 33, *cap.* 3.

† *lib.* 3, *cap.* 3.

‡ *lib.* 4 *Miscell. cap.* 29.

* *lib.* 2, *part.* 4, *cap.* 14.

† *legat. Babylon. lib.* 3.

turbidæ, & denſæ. Vnde conſequitur, minùs ſalubres eſſe. Fusè de iſto Plinius lib. xxxi, cap. iii, Aëtius lib. iii, cap. clxxv, ac tot alii ; ex junioribus etiam, inter cæteros, Ioannes Bruyerinus Campegius de re cibaria lib. xvi, præcipuè cap. ix, ac x ; ſed & reliquâ libri parte. Eſt tamen, in quibus inter ſe viri diſſentiant eruditiſſimi : eóque, puto, non abs re fuerit, ſi & ſententiam de eo noſtram conſignem. Mihi ſic videtur, & duces habeo, quos ſequar, homines ſeculi noſtri pereruditos, & in natura rerum longo uſu ſubactos, minùs ſalubres eſſe pluvias. Sunt illæ quidem leves ; imò, ut Celſus * ait, leviſſimæ; ac levitatem earum princeps prædicavit Hippocrates †. Verùm vapores, unde concreſcunt, habent aliquid admixtum halitus terreſtris ; qui interdum è terris educitur peſtilentibus. Decoqui igitur eas eſt opus. Ac minùs his ſalubres ſunt nivales, quia frigore includuntur halitus, quos dixi; unde Nero excogitavit artem (ut Plinius * ait) *decoquendi aquam, vitroque, demiſſam in nives, refrigerandi.* Nimirum, ut ibidem non obſcurè docet, quò halitu per cocturam expulſo, frigore autem retento, voluptas eſſet innoxia. Magis etiam nivalibus inſalubres illæ ex grandine reſolutæ. Plus enim terreſtris continent halitus. Meliores paullò glaciales, præſertim è ſumma glacie, quæ ex leviori aqua eſt. Nec tamen dixeris ſalubres prorſus, quia miſtæ ſunt imo aëri, qui ut gravior eſt, ſic impurior. Atqui, quo aqua tenuior, leviorque, eo magis idoneum eſt cibi vehiculum.

* *lib.* 2, *cap.* 18.

† *lib. de aëre, aquis, & locis.*

* *lib.* 31, *cap.* 3.

Ineſſe autem aquis hoc diſcrimen ponderis, certiſſimum eſt.

Namque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec merſi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent; non denique vina,
Quæ campi, aut colles, nuperve, aut antè, tulere.

Vt cecinit ſcriptor libri de ponderibus & menſuris ; ſive illi Remo Favino, ſive Remmio Fannio, nomen erat. Nam Priſciani non eſſe, utcunque in MSSis cum ejus opere grammatico jungi ſoleat, pro explorato habeo. De liquidorum autem diſcrimine in ponderando, vide Georgium Agricolam in tertio eorum, quæ de menſuris & ponderibus pereruditè, ut omnia, ſcripſit. Adi & experimenta clariſſimi quondam in Lugdunenſi Academia collegæ mei, Willibrordi Snellii in Eratoſthene Batavo lib. ii, cap. vi. Hac levitate commendabilis fuit amnis Eulæus, Suſianen ab Elymaide diſterminans : cujus cotyle Attica drachmam minùs pendebat, quàm illa Tigris, aut Euphratis. Itaque, ut Plinius tradit lib. vi, cap. xxvii, *reges Parthorum non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant.* Idemque de Choaſpe tradit lib. xxxi, cap. iii. Illud tamen ponderis argumentum difficile cenſet, & alia ſuggerit. Sic enim ibidem loquitur: *Quidam*

Quidam ſtaterâ judicant de ſalubritate, fruſtrante diligentiâ, quando perrarum eſt, ut levior ſit aliqua. Sed abunde occurrit Plinio Brodæus lib. IV Miſcellan. cap. XXVIII. Subjicit deinde Plinius: *Certior ſubtilitas, inter pares meliorem eſſe, quæ caleſiat refrigeretur que celerius.* Quod poſtremum indicium & Celſus refert lib. II, cap. XVIII. Nec obſcura eſt ratio. Quanto enim rarior eſt materies, eò citius calor abit; quò denſior, eò caloris eſt retinens magis: quod Hippocrati jam olim * obſervatum; Galeno item monitum in lib. V Aphoriſmorum comment. XXVI. Sed minimè interim negligendum, quòd Palladius etiam jubet attendere ad eos, qui fluvium accolunt. Qui ſi fiant longævi, nec nephritici ſint, vel pulmonibus laborent, aut ſimili vitio; non leve hoc ſalubris fuerit aquæ argumentum. Vide fuſiùs iſta enarrantem Palladium lib. I de R. R. Titul. IV, qui eſt de aqua probanda.

* aphoriſ. 26, lib. 1.

Plurimæ verò aquæ etiam medendi vim habent, calidæ imprimis. Qua de re generatim ſic Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Omnis aqua calida ideo eſt medicamentoſa, quòd in prævviis rebus percocta aliam virtutem recipit ad uſum. Namque ſulfuroſi fontes nervorum labores reficiunt, percalefaciendo exſugendoque caloribus è corporibus humores vitioſos. Aluminoſi autem, cùm diſſoluta membra corporum paralyſi, aut aliqua vi morbi, receperunt, fovendo per patentes venas refrigerationem contrariâ caloris vi reficiunt, & ex hoc continenter reſtituuntur in antiquam membrorum curationem. Bituminoſi autem interioris corporis vitia, potionibus purgando, ſolent mederi.* Eâdem mente Plinius lib. XXXI, cap. II: *Sunt,* inquit, *tepidæ egelidæque auxilia morborum conferentes, &, è cunctis animalium, hominum tantùm cauſſâ erumpentes. Nuſquam tamen largiùs, quàm in Bajano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ ſulfuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ bituminis, aliæ nitri, nonnullæ etiam acidâ ſalsâve miſturâ. Vapore quoque ipſo aliquæ proſunt.* Et poſt pauca, *Iam generatim,* inquit, *nervis proſunt pedibuſve, aut coxendicibus; aliæ luxatis, fractiſve. Inaniunt alvos. Sanant ulcera. Capiti, auribuſque, privatim medentur; oculis verò Ciceronianæ.* Nempe aquæ poſt exceſſum Tullii in Academia, Ciceronis prope Puteolos villâ, enatæ, ac à liberto ejus Laureâ Tullio celebratæ carmine, ut ibidem Plinius dicit, digno ubique, & non ibi tantùm legi. Extremam ſolum partem apponam:

Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope:
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Poſtea ibidem Plinius ſubjungit alia aliarum aquarum bona. *In eadem,* inquit, *Campaniæ regione Sinueſſanæ aquæ ſterilitatem feminarum abolere produntur. In Ænaria inſula calculoſis mederi.* Et mox: *Iuxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medentur, aptiſſimæ ſtomacho, nervis, univerſo corpori. Theſpiarum fons con-*

ceptus mulieribus repræsentat : item in Arcadia flumen Elatum. Custodit autem partum Linus fons in eadem Arcadia, abortusque fieri non patitur. Cydnus, Ciliciæ amnis, podagricis medetur : sicut apparet in epistola Cassii Parmensis ad M. Antonium. Tungri, civitas Galliæ, fontem habet insignem. Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Leucogæi fontes inter Puteolos, & Neapolim, oculis & vulneribus medentur.

Ophiusa item in Alo impetiginem delet; secundùm Eudoxum, & inde Antigonum Carystium *. Sunt & aquæ, quæ strumis medeantur. Vitruvius lib. VIII, cap. III : *Est aquæ frigidæ genus nitrosum ; uti Pinnæ Vestinæ, Cutiliis, aliisque locis similibus ; quod potionibus depurgat, per alvumque transeundo, etiam strumarum minuit tumores.* Idem tradit Plinius lib. XXXI, cap. III. Imò & Strabo lib. V : sed is aquas eas esse dicit ἐν Κωλισκολίαις. Verùm certum est, Κωλιλίαις rescribi oportere. Nam & sic Sotion vocat de Mirandis aquarum, & Dion lib. LXVI. E Latinis item *Cutilias* nominant Varro lib. IV de L. L. Seneca Nat. Quæst. lib. III, cap. XXV, Tranquillus in Vespasiano cap. XXIV, & Macrobius lib. I Sat. cap. VII. Quamquam non contenderim, si Κοτυλία malis ; ut est apud Dionysium Halic. lib. I Antiq. uti & ibidem Κοτύλῳ legas : imò *Cotylen* quoque est apud Festum Pompejum. Quod verò de Tungrorum fonte tradit Plinius, eum calculo mederi ; idem de aliis multis prodit Vitruvius ibidem. Sed & rem totam egregiè illustrat. Itaque de morbo, eruditis perfamiliari, non verebor totum adscribere locum : *Sunt nonnullæ acidæ venæ fontium, uti Lyncestos, & in Italia Virena* †; *Campanam Teano, aliisque locis pluribus ; quæ hanc habent virtutem, uti calculos in vesicis, qui nascuntur in corporibus hominum, potionibus discutiant. Fieri autem hoc naturaliter ita, ideo videtur, quòd acer, & acidus succus subest in ea terra, per quam egredientes venæ intinguntur acritudine : & ita, cùm in corpus inierunt, dissipant, quæ in aquarum subsidentia in corporibus, & concrescentia, offenderant. Quare autem discutiantur ex acidis eæ res, sic possumus animadvertere. Ovum in aceto si diutius impositum fuerit, cortex ejus mollescet, & dissolvetur. Item plumbum, quod est lentissimum, & gravissimum, si in vase collocatum fuerit, & in eo acetum suffusum, id autem opertum, & oblitum si erit ; efficietur, uti plumbum dissolvatur, & fiat cerussa.* Mox etiam docet, ut æs, & margaritæ, aceto dissolvantur : atque hinc ita colligit : *Ergo cùm has res ante oculos ita fieri videamus ; ratiocinemur, iisdem rationibus ex acidis propter acritudinem succi, etiam calculosos è natura rerum similiter posse curari.* Vtrùm autem acida, usque dum ad vesicam pertingant, vim istam retineant, vel quatenus reservent, alterius est loci. Particulatim verò *de balneis, quàm ea salubria sint, tum ad valetudinem tuendam, tum ad morbos curandos*, dialogum adversus medicos recentiores doctè scripsit Ioannes Franciscus Brancaleo Neapolitanus, dicavitque Paullo

* *cap.* 153.

† *de cujus situ Baptista Porta Magiæ naturalis lib.* 8, *cap.* 6, *sect.* 7.

Paullo III Pontifici. Quemadmodum & ejusdem Brancaleonis de Vini natura duo exstant libri, eruditè item, & cum cura exarati.

Sed nihil æquè, modò fidem mereatur, aquarum commendat naturam, ac illud apud Petrum Martyrem ab Angleria Mediolanensem de rebus Oceani, & novo Orbe, decadis II, libro X*: *Inter terras ad latus Hispaniolæ septentrionale repertas, ad leucas ab Hispaniola quinque ac viginti supra ter centum, unam esse insulam fabulantur, qui eam explorarunt ad intima, nomine Bojuca, alias Agnaneo, fonte perenni adeo nobilem, ut ejus fontis aquâ epotâ senes rejuveneſcant. Nec arbitretur tua Beatitudo, hoc dictum jocosè, aut leviter. ita seriò rem hanc per curiam universam ausi sunt spargere, ut populus omnis, & ex iis, quos virtus, aut fortuna, secernit à populo, non pauci rem esse veram arbitrentur.* Commemorat idem Gaudentius Merula lib. I Memorabilium cap. I. Item Cardanus lib. II Subtilitatum †: ubi constantem ait famam esse, fonte eo *senes restitui: non tamen canos mutare, nec tollere jam contractas rugas.* Subjungit hinc: *Oviedus constanter negat. Nos esse posse non dubitamus: esse haut fatemur.* Sed omnino pro fabula habendum. Ad quam non ætatem pertingerent novi orbis domini, si aqua esset ejuscemodi? Non repugno tamen; quo minùs quædam vel naturales sint aquæ, vel arte fiant, quæ multum corrigant vitia senectutis, partim purgando, & abstergendo sordes ex alimonia venis adhærescentes, & vitalem imminuturas calorem: partim suâ bonitate ex parte replentes & instaurantes humidum radicale, quod absumtum erat à calore nativo.

* pag. 202, edit. Colon. an. 1574.

† pag. 72, edit. Lugd. an. 1580.

Nec propter tot aquæ bona, quæ humanis præstant corporibus, eò putandum, non nocere corporibus. Iustus Deus multis aquarum etiam, in pœnam nostri, vim indidit noxiam, & causas ob alias; quas adduximus, de bono venenorum differentes lib. primo hujus operis, cap. v. Itaque non fæcunditatem solùm præstant aquæ, sed etiam adferunt sterilitatem: sive frigore nimio calorem exstinguendo; sive calore nimio humorem exsiccando. Vnde Plinius, loco sæpius memorato ‡: *E diverso in Pyrrhæa flumen, quod Aphrodisium vocatur, steriles facit.* Quod & prodiderat Theophrastus lib. IX Hist. Plant. cap. XX, & de causis Plant. lib. II, cap. VIII. Est verò *Pyrrhæa*, pars Thessaliæ, sic à Pyrrha, Deucalionis, ut ajunt, uxore, nuncupata; quod constat ex Stephani Ethnicis. Eò autem calori id tribuere malim, quia flumen hoc, sive palus exsiccata, ardeat: ut à Phania (credo, Eresio illo, Aristotelis discipulo) proditum fuit; teste Antigono Carystio cap. CLXI. Sed apud hunc Πυραίων, pro Πυράκων, legi debet: ut jamdiu observatum clarissimo, & amicissimo, Ioanni Meursio, magno non suæ modò Bataviæ, atque etiam Belgicæ universæ; sed jam Daniæ quoque, imò totius Reip. literariæ, ornamento.

‡ lib. 31, cap. 2.

Quam multos etiam corporibus afferunt morbos! de quo sic Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Vbi aurum, argentum, ferrum, æs, plumbum, reliquæque res earum similes fodiuntur, fontes inveniuntur copiosi; sed hi maxime sunt vitiosi. Habent enim vitia contraria aquæ calidæ, quam sulfur, alumen, bitumen emittit: quia per potiones, cùm in corpus ineunt, & per venas permanando nervos attingunt, & artus, eos durant inflando. Igitur nervi inflatione turgentes, ex longitudine contrahuntur, & ita aut neuricos, aut podagricos efficiunt homines, ideo quòd ex durissimis, & spissioribus, frigidissimisque rebus, intinctas habent venarum cavitates.*

Imò & vis inest letalis aquarum nonnullis: qua de re sic Vitruvius ibidem: *Etiam inveniuntur aquæ genera mortifera, quæ per maleficum succum terræ percurrentia, recipiunt in se vim venenatam: uti fuisse dicitur Terracinæ fons, qui vocatur Neptunius: ex quo qui biberant imprudentes, vitâ privabantur: quapropter antiqui eum obstruxisse dicuntur. Et apud Cychros in Thracia lacus; ex quo non solum, qui biberint, moriuntur; sed etiam, qui laverint.* Vbi pro, *& apud Cychros*, in editione Florentina *, quam Iucundus Veronensis exhibuit, omisso præverbio, legas, *& Cychros*. Inque aliis editionibus veteribus est, *& Chropsi*: quod Turnebus † probat propter illa Sotionis: Θεόπομπος ἱστορεῖ, κρήνην ἐν Χρωψὶ τῆ Θράκης, ἐξ ἧς τοὺς λουσαμένους παραχρῆμα μεταλάσσειν· *Theopompus refert, fontem esse Thraciæ, in quo qui laverint, continuò vitam morte commutent.* Apud Plinium ‡ tamen, in veteri etiam editione Parmensi *, itidem legitur, *Cychros*: ac licet Turnebus Plinium primò, & exinde etiam Vitruvium, fuisse corruptum arbitretur: non aspernanda tamen ea, quæ pro vulgata Plinii lectione ad hunc Hermolaus Barbarus annotavit. Inter letales aquas etiam est illa Menaidis, sive Paliceni fontis, seu craterum, aut stagnorum Palicorum: quæ in Sicilia fuere juxta Leontinos, & Menas, ac Palicam civitatem. De ea sic Fazellus dec. I, lib. III, cap. II: *Aquas hujus stagni si mane ante Solis exortum bruta potaverint, repentino prope interitu occidunt. nam licet frigidæ sint, turbidæ tamen, & dirum exhalantes odorem; qui ex sulfuris bituminisque materia, qua stagni fundus plenus est, ut bullæ aliquando ex eo enatæ indicant, generatur.* Sed hoc solùm ad muta pertinet animantia. At homines ipsos tangit, quod Macrobius narrat lib. V, cap. XIX, ab hoc Palicorum fonte, qui fideliter jurâsset, abisse illæsum: qui falsâ jurâsset conscientiâ, mox vitam amisisse. Quamquam metuo, ne hoc inter ea, quæ vulgò sic, sed falsò, ferrentur, possis numerare. Sanè paullò aliter Aristoteles de admirandis auditionibus, & Stephanus in Ethnicis: quorum uterque ait, juramentum solere inscribi tabellæ: quæ, si innatâsset, creditum verè jurâsse; falsò autem, si mergeretur, ac propterea hominem combustum. Diodorus verò Siculus lib. XI contentus est dicere, pejerantes repente solitos à numine puniri, ac nonnullos templo exisse oculis captos.

Eamque

* an. 1522.

† lib. 6 Adversar. cap. 13.

‡ lib. 31, cap. 2.

* anni 1476.

Eamque sententiam amplexi quoque Solinus cap. x, & Rhemnius Fannius : sed perperam uterque fontem eum in Sardinia ponunt : perperam etiam, quod uni veteres fonti, id pluribus hi adsignant. Solini sunt ista : *Oculis medentur, & coarguendis valent furibus. Nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat : ubi perjurium non est, cernit clarius : si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admissum tenebris fatetur.* Fannio autem scriptum :

Quod sanant ægros, pandunt damnantque nefando
Perjuros furto, quos tacto flumine cæcant.

Hæc verò de supplicio inconstantia veterum facit, ut existimem, eos, qui Palicorum fano præessent (id antiquitate, & religiosâ veneratione commendabatur) ad terrorem mentibus incutiendum humanis, superstitiosâ Siculos opinione implêsse, quasi ea esset aquæ divinitas, ut coargueret fures ac perjuros. Interim hoc boni consequebantur, ut qui criminis ejus sibi essent conscii, jurare apud Menaida formidarent : quod etiam ex Vibio Sequestro cognoscere est. Et fortasse justum Numen interdum, quod fidem conservari vult in gentibus, nec eas prorsus destituit, per angelorum ministerium aliorum quidem testabatur innocentiam ; de aliis autem, qui furti crimen falsis accumularent juramentis, pœnas in omnium sumebat conspectu.

CAPVT LXXIII.

Quantum aquæ etiam in animam possint. In dubium vocatum, an fons Cyzicenus amorem auferat, vel aquæ Sinuessanæ aboleant insaniam. De Mnemes & Lethes fontibus in Bœotia. Vtrùm Ciliciæ fons, Νῆς, an Αναξ, fuerit appellatus : deque proverbio, Habet, *vel,* Non habet Cesçum. *Suidæ locus emendatus. Fons Chius dementiam concilians : uti & Phrygiæ fluvius Gallus, & fons ruber in Æthiopia : aquæ aliæ vini instar inebriantes, ut fons Paphlagoniæ, & aqua Lynceſti : contrà Clitorio amne bibentes reddi abstemios. Cur fluviales aquæ palustribus præstent. Cur maximi orbis fluvii fere ab Septentrione fluant versus austrum. De aquis, quæ vel Oceani æstum æmulentur, vel motu ferantur contrario; & quæ causſa ejus rei videatur.*

SEd de corporibus hactenus : nunc ad animam transeamus. Nam & in eas magna est vis aquarum ; quædam noxia, alia salutaris. Quantum profectò est, quòd *in Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ insaniam abolere produntur* : ut ait Plinius *. Quanti & illud, quòd, ut idem † ait, *Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mucianus credidit.* Quamquam dum Plinius sic Mucianum addit credidisse, videri possit ipse non credi-

* *lib.* 31, *cap.* 2.
† *ibidem.*

disse. Non tamen, vel C. Plinio, vel Licinio Muciano, pertinaciter adversor. Nam quid si aquæ, ut inducunt sterilitatem, sic & lubidinem frigore suo exstinguant? Et si aquæ Sinuessanæ, eodem teste *, abolent insaniam: cur non & aliquæ medeantur amoribus insanis? Mirum interea, si hujusmodi sint aquæ in Campania; regionem eam, & totam Italiam, ab omni prope ævo tot luxisse funestos amantium casus. Cur enim agnati, & gentiles, aquis hujuscemodi non consulunt insano illo amore correptis? Vtcunque sit de isto; multùm aquas posse in sensum ac rationem; his verbis idem Plinius † docet: *In Bœotia, ad Trophonium Deum juxta flumen Orchomenon, duo sunt fontes; quorum alter memoriam, alter oblivionem affert, inde* (Μνήμης & Λήθης *) *nominibus inventis. In Cilicia apud oppidum Crescum rivus fluit* NOYΣ †: *ex quo bibentium subtiles sensus fieri, M. Varro tradit. At in Coa insula fontem esse, quo hebetes fiant.* Puto, pro *Crescus*, legendum esse *Cescus*: à quo tamẽ paullum abit vetus editio Parmensis ‡; ubi pro *Cescus* est *Iusgus*. Nec multum adeò recedit *Visgus*: quod in antiquo reperit chirographo Pintianus. Sed mirum, quod hic legas, Νῆν, hoc est, mentem, dici, quia sensus reddat subtiles, cum Suidæ dicatur Ανυς, quasi reddat hebetes. Sic enim scribit: Κέσκος ὢν πόλις ἐν Κιλικίᾳ, & παρ' αὐτὼ ποτᾰμὸς Ανυς ὄνομα. Διόπερ οἱ ποιηταὶ παίζοντες, τὸς νῦν ὐκ ἔχοντᾰς, κέσκον ἔχειν φασί. *Cescus erat urbs Ciliciæ, & juxta eam fluvius nomine* ANVS, (hoc est, EXMENS) *Quamobrem poetæ homines amentes, ludere volentes, dicunt, habere Cescum.* Multum metuo, ne sciolus aliquis locum corruperit: quia cum videret, dementes dici, Κέσκον ἔχειν *: planè sibi persuaserit, Cesco non fuisse nomen Νῦς, sed Ανυς. At cogitare debuerat, Suidam dicere, sic poëtas loqui παίζοντας †: hoc est, per ironiam. Vel hoc si displicet, legendum, Κέσκον ὐκ ἔχειν φασί· *Cescum non habere, ajunt.* Quam opinionem firmant ista Hesychii verba: Κέσκος, ποταμὸς Κιλικίας, ὅθεν καὶ παροιμία γέγονε, Πόλις Κέσκον ὐκ ἔχουσα. Εἰρη) δὲ ὅτι τῶν νῦν μὴ ἐχόντων. *Cescus, fluvius Ciliciæ, unde proverbium ortum: Vrbs non habens Cescum. Dictum verò de iis, qui dementes forent.* Nec alium fluvium, quàm memoratum, capio, cùm idem ait Hesychius: Νῦς, ψυχὴ, ποτᾰμὸς, καὶ ἡ μονάς· NOYS, *anima, flumen, & unitas.* Etsi non ignorem, & Nilum ab Ægyptiis esse vocatum Νῆν, atque hoc νέον significare: ut est apud Philippum, Ori Apollinis interpretem, lib. 1: quo loco agit de Nili adscensu, & exundatione. Verùm esto, ut Hesychius hic Nilum respexerit. Saltem fluvio isti Ciliciæ non fuisse nomen Ανυς, sed Νῦς, etiam indicant illa Eustathii in Odyss. A ‡: Παυσανίας γῦν φησὶν, ὅτι Κέσκος λιμήν τις, ᾧ ἐπιβάκει) ποτᾰμὸς Νῦς καλούμενος· *Pausanias ait, esse alicubi Cescum portum, cui vicinus sit fluvius, nomine* NOYS. Quæ tamen verba hodie frustra in Pausania quæras: ut videantur esse ex deperdito Asiaticorum opere.

* *lib.* 31, *cap.* 2.

† *ibid.*

* *Memoria, & Oblivionis.*
† *Mens.*

‡ *anni* 1476.

* Cescum habere.
† Iudentes.

‡ *pag.* 1392, *edit. Rom.*

Sed

Sed aliorum etiam fluminum vim in animos noſtros proſequamur. Vitruvii ſunt iſta lib. VIII, cap. III : *Eſt inſulâ Chio fons, è quo qui imprudenter biberint, fiunt inſipientes : & ibi eſt epigramma inſculptum, eâ ſententiâ : Iucundam eſſe potionem fontis ejus : ſed qui biberit, ſaxeos habiturum ſenſus.* Ipſum deinde epigramma Græcum ſubjungit. Similem memorat fluvium his verbis Plinius *, loco ſæpius memorato : *In Phrygiæ Gallo flumine potando neceſſarius modus, ne lymphatos agat : quod in Æthiopia accidere his, qui fonte rubro biberint, Cteſias ſcribit.* Iudicium hoc Cteſiæ de fonte Æthiopiæ apud Photium etiam habes cod. LXXII. Idemque refert Sotion †, his verbis : Κτησίας δὲ ἐν Αἰθιοπίᾳ κρήνην ἱστορεῖ τῷ χρώματι κιννάβαρι φαπλησίαν· τὰς δὲ πίνοντας ἀπ' αὐτῆς φρενοβλαβεῖν τὴν διάνοιαν· ὥστε καὶ τὰ κρυφίως πεφραγμένα ὁμολογεῖν. *Cteſias narrat, in Æthiopia eſſe fontem colore rubro referentem cinnabari; indeque bibentibus ſic mentem immutari, ut etiam confiteantur, quæ occultè commiſerunt.* Quin & Philo, qui navigationem in Æthiopiam, Strabone * teſte, conſcripſit, in memorato Æthiopicorum opere idem prodidit : ut eſt apud Antigonum Caryſtium cap. CLX. Videlicet aqua iſtæc ex halitu metallico vim habebat inebriandi. Quod de aqua Lynci, Epiroticæ urbis, etiam proditum Theopompo, & exinde eidem Caryſtio cap. LXXX. Ait verò, εἶναι ὕδωρ ὀξὺ· τὰς δὲ ἐκ τούτου πίνοντας, ὥσπερ οἴνου, ἀλλοιοῦσθαι· καὶ τοῦθ' ὑπὸ πλειόνων μαρτυρεῖσθαι· *aquam eſſe acidam : quique eam biberint, mente immutari, quaſi vinum bibiſſent, ejuſque rei complures eſſe teſtes.* Atque, ex eodem Theopompo, idem traditum Sotioni in Excerptis. De alia item aqua Vitruvii eſt lib. VIII, cap. III : *Sunt etiam fontes, uti vino mixti : quemadmodum eſt unus Paphlagoniæ : ex quo, etiam ſine vino, potantes fiunt temulenti.* At de Lynco ipſo hoc Plinii eſt lib. II, cap. CIII : *Lynceſtis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit.* Quare hiſtoricâ, non poeticâ fide, cecinit Naſo XV Metam.

Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis ;
Quem quicunque parum moderato gurgite † traxit,
Non aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

Continuò antè contrarium de Clitorio, Arcadiæ amne, præmiſerat :

Clitorio quicunque ſitim de fonte levavit,
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.

Quod & aſſertum Vitruvio lib. VIII, cap. III : *In Arcadia vero civitas eſt non ignota Clitori ; in cujus agris eſt ſpelunca profluens aquæ, quam qui biberint, fiant abſtemii.* Ac Græcum de eo epigramma ſubjungit lapidi inſcriptum : quod Latinè redditum reperias apud Philandrum. Atque hæc ſufficiant de aquis, ſeu corpori humano, ſeu animo, vel ſalubribus, vel noxiis.

Supereſt, ut antè in mari fecimus ; ita hoc loco de aquarum potabilium motu videamus. Hoc enim eſt tertium illorum, de quibus me dicturum

* *lib.* 31, *cap.* 2.

† *Opere de fluminibus, fontibus, ac lacubus.*

* *lib.* 2.

† *al.* gutture.

rum receperam. Porro ex hoc motu quoque bonitas elucet divina. Nam quæ aquarum moventur, difficiliùs putrescunt. Palustres igitur, & his similes, minimè sunt salubres : contrà fluviales, ob perpetuum fluxum, commendantur. Quomodo & citiùs senescere videmus plana cavaque inhabitantes loca, quàm qui in montibus degunt.

Nec ratione carere existimandum, quòd sic divina jussit providentia, ut motus in maximis orbis fluviis fere sit ab Septentrione versus Austrum. De istoc ita Vitruvius lib. VIII, cap. II : *Capita fluminum, quæ orbe terrarum chorographiis picta, itemque scripta, plurima maximaque inveniuntur egressa ab septentrione. Primúmque in India Ganges, & Indus, à Caucaso monte oriuntur : Syriâ, Tigris, & Euphrates : Asiâ, item Ponto, Boryſthenes, Hypanis, Tanais, Colchis, Phasis : Galliâ, Rhodanus : Belgicâ, Rhenus : citra Alpes, Timavus, & Padus : Italiâ, Tybris : Mauruſiâ, quam noſtri Mauritaniam appellant, ex monte Atlante, Dyris* ; (aliis * ipse Atlas est *Dyris* : sed, credo, monti cognominis erat fluvius) *qui ortus ex septentrionali regione, progreditur per occidentem ad lacum heptabolum, & mutato nomine dicitur Nigir.* Censeo autem, eo maxima flumina præcipuè ab septentrione profluere; quia si septentrionalem, & australem tractum, conferas, illum liquet frigidum esse, atque humidum; hunc, calidum, & aridum. Vt conveniens sit, capita quidem fluminum oriri in septentrione; at decurrere meridiem versus.

* *Strabo lib. ult. Plinius lib. 5, cap. 1, Solinus cap. 37.*

Admirationi etiam fuit, quòd ex aquis aliæ sequerentur æstum maris ; aliæ contrà augescente mari decrescerent, decrescente verò augerentur. Qua de re Polybii, Artemidori, Silani, & Posidonii sententiam, & suam simul, adducit Strabo lib. III. De eodem sic Plinius lib. II, cap. XCVII : *Gadibus, qui est delubro Herculis proximus, fons incluſus ad putei modum, aliàs simul cum Oceano augetur, minuiturque ; aliàs verò utrumque contrariis temporibus. Eodem in loco alter Oceani motibus consentit. In ripa Bætis oppidum est, cujus putei crescente æstu minuuntur, augescunt decedente, mediis temporibus immobiles. Eadem natura in Hiſpali oppido uni puteo, cæteris vulgaris.* Nempe maris æmula est aqua, cùm è mari propinquis ac rectis decurrit venis. At contrario afficitur modo, quoties longinquò à mari spatio fluit, vel varios per mæandros. Siquidem priusquam aqua in puteum devenerit, mare antea tumidum jam detumuit : posteaque, quod prius detumuerat, intumuit rursum.

CAPVT

CAPVT LXXIV.

Propiùs acceditur ad Aquæ venerationem. Cur, qui Salomonis Sapientiam scripsit, non ἁπλῶς Aquam, & Aëra, sed violentam Aquam, & celerem Aquam, divino affectam honore dicat. Aquam in summa fuisse veneratione Ægyptiis. Per Osiridem his aquam Nili intellectam; marinam autem, per Typhonem. Vnde Nili nomen. Qua mente Deus dixerit Abrahamo, se daturum illi terram usque ad Nilum. Cur idem flumen in Scripturis dicatur Schichor. *Per* Schichor, & torrentem deserti, *vel* Ægypti, *notari in Scripturis fluentum prope Rhinocoruram: atque hoc nomen propterea pro eo esse repositum à* LXX. *Cur Nilus priscis Romanis dictus sit* Melo. *Cur Osiris effingeretur niger. Conjectatum, unde* Osiris *nomen acceperit. Nilus aliter* Siris, *quod κατ' ἀφαίρεσιν ex* Osiris. *Vnde sidus Canis vocetur* Sirius. *Vnde σειρὰν sit. Eundem esse Ægyptium Osiridem, ac Græcorum* Διόνυσον, *sive Liberum: quòd cùm aliunde, tum phalli in utriusque sacris gestatione ostensum, & quid eo fuerit significatum. An rectè ὑὸς etymon adduxerit Plutarchus. De Canopo, & sacris Ægyptiorum hydriis.*

QVæ hactenus, tum universè de aquarum utilitate, tum particulatim de miranda quarundam natura, diximus: ea, si pauca exceperis, quæ longa dies docuit, minimè effugerunt vel oculos, vel animos gentilium: imò multo maximam partem ea ab iis ipsi accepimus. Sed cùm Deum propterea glorificare eos oporteret, honorem Numini debitum Aquis transscripserunt: quemadmodum etiam legas in libro Sapientiæ cap. XIII, 2. Vbi scriptor is appellat *βίαιον ὕδωρ, violentam aquam*: sive quia magna vis cuivis aquæ insit: sive non omnem aquam, illam etiam residem, ac cisternis concluſam, respexerit, sed duntaxat vasti maris, aut præterea fluminum magnorum. Quò enim major in corpore aliquo se vis exsereret, eò judicabant illi plus inesse divini. Ac propterea ibidem quoque non ἁπλῶς dicitur, aëra fuisse cultum; sed *ταχινὸν ἀέρα, celerem aëra*. Nempe quia, ob tenuitatem summam, facilè adeo & scinditur, & unitur, & ventis actus velocitate adeo provolat pernici.

Porrò cunctarum gentium præcipuè Aquam esse venerati videntur Ægyptii, & Persæ. De prioribus ita Plutarchus libro de Iside, & Osiride: Οὐδὲν ἔτω τιμᾷ Αιγυπτίοις, ὡς ὁ Νεῖλος· *Nihil in majore est Ægyptiis honore, quàm Nilus.* Et è nostris Athanasius, qui Ægyptius ipse fuit, orat. contra Gentes*: Αλλοὶ ποταμὺς & κρήνας, ἢ πάντων μάλιστα Αιγύπτιοι τὸ ὕδωρ προσετιμήσασι, & θεὺς ἀναγορεύσι· *Alii fluvios, & fontes, & omnium maximè Ægyptii, aquam præcipuè venerati, deosque appellant.* Similiter Iulius Firmicus de err. prof. relig. *Ægypti incolæ, aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis*

* pag. 20. edit. Commel.

 suppli-

ſupplicant, aquas ſuperſtitioſâ continuatione venerantur. Vide & Vitruvium in præfat. lib. VIII.

Cujuſmodi autem hæc fuerit veneratio, intelligitur ex iſtis, quæ antea diximus de corporum cæleſtium apud Ægyptios cultu. Par enim utrobique ratio eſt. Liceat igitur paucis nunc reponere, quod pluribus antea demonſtravi de duplici principio effectivo; uno boni, altero mali; atque ut illud boni *Oſiridem*; mali iſtud, *Typhona* nuncuparint. Oſtendimus autem, in cælis Solem, quatenus Lunam ſuo implet lumine, eſſe *Oſiridem*: ſed *Typhona* eundem eſſe, quatenus torret, & exurit. Lunam quoque conſiderari, tum quatenus lumen recipit à Sole; quomodo *Iſis* dicitur, & uxor eſt Oſiridis: tum quomodo, gravidata à Sole, agit in res ſublunares, & moderato calore, ac humore, res omnes producit: quo pacto, jam viri præſtans munia, *Oſiris* nominatur.

Ex iſtis lucem fœnerant, quæ hujus propria ſunt loci. Similiter enim ſub cœlis conſiderare oportet, tum principium boni activum; quod & hîc *Oſiris* vocatur: tum principium mali effectivum; quod & hîc *Typho* nuncupatur. Ac ut in cælis Sol, pro diverſo effectu, tum *Oſiris* eſt, tum *Typho*: ſic in ſubcæleſtibus Aqua, & *Oſiris* eſt, & *Typho*: *Oſiris* quidem, quatenus Nilus attenditur; *Typho* autem, ſi conſideremus mare. Quod ergo Clemens Romanus in x Recognitionum * aquam ait Oſiridi dicatam: id propriè capiendum de aqua Nili; non marinâ, quæ Typhonis, & mali principii nomine intelligebatur. Cautiùs igitur Plutarchus libro ſæpius memorato †, ac deinceps nominando, Οὕτω παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἰσιδι συνόντα τῇ γῇ· *Sic Ægyptiis Nilum eſſe Oſiridem, congredientem cum Iſide, quæ eſt Terra.*

* *fol.* 110, *edit. Pariſ. Sonn.*

† *de Iſide, ac Oſiride.*

Sed ut meliùs percipiatur, cur Nilus ſit principium boni activum, ac propterea *Oſiris* vocetur; mare autem habeatur principium mali activum, ac dicatur *Typho*: diſtinctè primùm agemus de Oſiride, ſive Nilo; deinde de Typhone, ſive mari Ægyptum alluente. De priori priùs exponam ea, quæ pertinent ad appellationes Nili præcipuas; eundemque eſſe Ægyptiorum Oſirin, & Græcorum Liberum, oſtendam. Hinc conſiderabo Nili naturam: ac ſacrorum inde rituum cauſſas diducam.

Qui vulgò Nilus, is in Scripturis gemino vocatur nomine: uno communi, altero magis proprio. Communis appellatio eſt נַחַל מִצְרַיִם, *nachal Mitzraim*: hoc eſt, *fluvius Ægypti*. Sanè *nachal* τοῖς ἑβδομήκοντα ‡ crebrò vertitur ποτα μὸς, *fluvius*; item χειμάῤῥους, *torrens*. Sed ut in Aſia per *flumen* κατ' ἐξοχὴν *Perath*, ſive *Phrath*, is, qui Græcis *Euphrates*, intelligitur: ita in Ægypto ſic dicebatur *Nilus*. Quomodo & R. Salomon, & R. Kimchi, exponunt Geneſ. XV: ubi Deus dicit, ſe Abrahamo daturum terras à fluvio Ægypti,

‡ *ſeptuaginta interpretibus.*

Ægypti, usque ad fluvium magnum Euphratem. Sed non hîc per fluvium intelligendus est integer Nili alveus, (nunquam enim Hebræi omnem Ægypti terram cis Nilum possederunt) sed usque ad initium Nili, sive rivum ex brachio Pelusiaco Iudæam versus procurrentem, indéque profluentem in mare Ægyptium, sive Phœnicium. Hoc enim fluentum terminus erat Palæstinæ. Meminit ejus Strabo in XVI: item Guilielmus Tyrius lib. XX, cap. XV: etiam Brocardus Monachus, & Leo Afer; ut alios mittam. Porrò pro *Nahal*, sive *Naal*, Syri, & Ægyptii, dixere *Neel*; ut Phœnices, & alii, pro *Bahal*, sive *Baal*, *Beel*: atque ut ex *Beel*, *Bel*, inde Βῆλος; sic ex *Neel*, *Nel*, vel *Neil*, unde Νεῖλος. Nec enim audiendi sunt Græculi, quando vocis Ægyptiæ originem arcessunt è Græcia. Et talis est communis appellatio; sed Ægypti fluvio, fluviorum regi, κατ' ἀντονομασίαν attributa. Ac similiter *Niger* fluvius, qui multum cum Nilo convenit, *Nuchul* nuncupatus: ut iisdem verbis legas apud Orosium lib. I, & Æthicum in Cosmographia. Mela etiam lib. III, cap. X, tradit, Nili fontem in Æthiopia ab incolis *Nuchul* vocari. Quid inde apertius, quàm & *Nuchul* esse ab *Nachal*, unde Νεῖλος antea deduximus?

Alterum Nili nomen in Scripturis est שיחור, *schichor*; ut Ies. XXIII, 3, & Ier. II, 18. Id ad verbum notat *nigrum*. Nam *denigrari* Hebræis שָׁחַר, *scachar*: unde & prisca Latinorum vox *scurus*, & cùm præpositione *obscurus*. Est verò Nilus turbidus, & subfuscus, ac nigricans: puta ob limum, quem advehit secum ex partibus ruens Austrinis. Altera quoque nominis ejus ratio est. Nam, terram humectans, eam reddit nigram: quomodo & in juvenibus nigricant capilli ob humorem; qui postea ejus defectu canescunt. Sed ut Genes. XV, 18, per *nachal Mizraim*; ita & Iosuæ XIII, 3, per *Schichor*, non Nilus integer capiendus; verùm illud brachiolum Nili, quod aliter *torrens deserti* vocatur Amos VI, 14. Perperam enim Vatablus signari putat mare mediterraneum: etsi non diffitear, torrentem hunc, ut è Pelusiaco brachio in desertum, ita inde in mare procurrere Ægyptium. Similiter *nachal* capitur Ies. XXVII, 12, *Percussis adversariis vestris, ab alveo fluminis, usque ad torrentem Ægypti.* Quod Hieronymus interpretatur, *usque ad Nilum*: hoc est, brachiolum Nili memoratum. LXX verò, ἕως Ρινοκορώρων, *usque ad Rhinocuram.* Nempe, ut ibi annotat B. Hieronymus, LXX *non tam verba Scripturarum, quàm sensum verborum, exprimunt.* Videlicet pro torrente Ægypti ponunt *Rhinocoruram*, sive *Rhinocoluram* (utroque enim modo exaratur) oppidum Cananitidis, sive Palæstinæ, torrenti illi proximum; uti & monti Casio, quem Herodotus propterea Ægypti, & Palæstinæ, terminum statuit. Quid mirum verò, si Scriptura *nachal Mitzraim*, & *schichor*, non solùm pro Nilo ipso, sed etiam pro rivo, etsi exiguo, & eapro-

pter ne navigabili quidem, usurpet: quando in homogeneis, qualis est aqua, idem esse soleat nomen totius, & partis? Nec veteres igitur errant, qui Nilum vertunt; nec recentiores, quando non ipsum ajunt Nilum, sed rivum ejus, intelligi. Optimè enim hæc duo conveniunt; ut vidimus.

Quemadmodum verò Nilus Hebræis ob nigricantes aquas, & quia, terram humectans, eam reddat nigram, *Sichor* sive *Sior*, hoc est, *Niger* dictus est: ita & Græcis eâdem de caussa vocatus est Μέλας; Plutarcho, & Eustathio, testibus. Indéque & Latinis veteribus appellatus est *Melo*; ut Festus, & Servius, tradidere. Qua de re pluribus dixi in Oratoriis nostris Instit. lib. IV, cap. XI, sect. V. Ex quibus etiam cognoscere licet, cur Ægyptii, Plutarcho teste, Osirin effingant nigrum. Nempe nigrum Nili colorem attenderunt. Et quid si dicamus, ipsum nomen *Osiris* esse ex *Schichor*, sive, ut molliùs pronunciant, *Sior*? Nam *Sior*, trajectis literis, sit *Osir*: unde, terminatione additâ Græcanicâ ac Romanâ, *Osiris*. Iam antè in vocabulis Ρεὰς, καὶ Ηρης, ostendimus, gentiles in Deorum nominibus istiusmodi trajectione gavisos, ne, si vulgata eorum retinerentur vocabula, haut aliud viderentur, quàm elementa.

Pro *Osiris* autem, truncato, ut in aliis multis, vocabulo, etiam dicebant *Sirin*. Nam sic Æthiopes, & Ægyptii, Nilum vocabant. Dionysius Περιηγητὴς:

Σῖριν ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεσθαι. —
Siris ab Æthiopibus vocatur. —

Per aliquot millia sic dici, ait & Plin. lib. V, cap. IX. Atque ab hoc Nili nomine etiam Canis sideri nomen datum Σείριος, quasi dicas Νειλαῖος. Puta, ob summam consprirationem inter Canem, & Nilum. Nam Caniculari bus diebus maximè exundat Nilus: ut pariter, & Canis in cælo, & Nilus æstuet in terris.

Nec ignoro, Græcos putare, σείριος esse ἀπὸ τῆ σειρᾶν, vel σειρᾶν: quod exponunt λάμπειν, ἀςράπτειν *. Sed si sic veteres eo fuerint verbo usi, potiùs σειρᾶν, vel σειρᾶν, sit à σείριος. Præterea si Σῖρις est ab Æthiopibus, & Ægyptiis, ὃ χρὴ ζητεῖν ἑλληνικὴν ἐτυμολογίαν αὐτῆ· *non oportet ejus quærere Græcanicam originem:* ut rectè censet Eustathius, Dionysii interpres.

* *splendere, coruscare.*

Nunc ad illud venio, quòd loco ponebam secundo, eundem esse Ægyptiorum Osiridem, ac Græcorum Liberum: quâ de re sic Herodotus in Euterpe: Θεοὺς δὲ τοὺς αὐτοὺς ἅπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονται, πλὴν Ἴσιός τε, καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι. τούτους δὲ ὁμοίως ἅπαντες σέβονται· *Non eosdem Deos similiter colunt universi Ægyptii, præter Isidem, & Osiridem, quem Bacchum esse ajunt. hos similiter colunt universi.* Vbi *Isis* est Luna, & Tellus: *Liber* autem est Sol, & Nilus: quemadmodum dictum. Etiam aliquantò antè sic idem Herodotus de incolis insulæ Meroës loquitur: Λέγεται δὲ αὕτη ἡ πόλις εἶναι μητρό-

μητρόπολις τῶν ἄλλων Αιθιόπων. οἱ δ' ἐν ταύτῃ, Δία θεῶν καὶ Διόνυσον μόνους σέβονται· τούτους τε μεγάλως τιμῶσι· *Dicitur hæc civitas* (Meroë) *metropolis aliarum Æthiopiæ urbium. Cujus incolæ solos Deorum colunt, Iovem, & Liberum; eosque magnopere venerantur.* Vbi *Iupiter* fuerit æther, sive aër cum æthere; unde sit spiritus noster, quia & is naturæ credatur æthereæ, ac siccæ. Per Liberum autem capiendus Nilus, ac universè Humor, quatenus ille ad generationem concurrit. Ad hanc interpretationem præit Plutarchus: Δία μὲν Αιγύπτιοι τὸ πνεῦμα καλοῦσιν, ᾧ πολέμιον τὸ ἀυχμηρὸν καὶ πυρῶδες. τοῦτο δὲ ἥλιος μέν οὐκ ἔστι, πρὸς δὲ ἥλιον ἔχει τινὰ συγγένειαν· ἡ δὲ ὑγρότης σβέννυσα μὲν ὑπερβολὴν τῆς ξηρότητος αὔξει καὶ ῥώννυσι τὰς ἀναθυμιάσεις. *Iovem Ægyptii spiritum vocant, cui sicca & ignea natura est adversa & inimica. ea verò non est Sol, sed quandam habet cum Sole cognationem. humor autem, exstinguens excessum siccitatis, auget, & roborat exhalationes, quibus spiritus alitur, & viget.* Et sanè Liberum esse Ægyptiorum Osiridem, eo idem Plutarchus probat, quòd Anticlides Isidem Liberi faciat uxorem: quòd item edera, quæ apud Græcos sacra erat Baccho, Ægyptiis dicatur *chenosiris*, hoc est, *planta Osiridis*: quòd denique gestatione phalli, & aliis tam multis, Græca Bacchi, & Ægyptia Osiridis sacra, conveniant. Nimirum utrisque in sacris phallus generationis erat symbolum. Eo igitur significabant, ab semine Dei, hoc est, humida natura, esse rerum omnium originem; ut idem refert Plutarchus. Qui & censet, eò ὑὸν dici ἀπὸ τοῦ ὕειν *, ut ejusdem sit originis, ac ὕδωρ †. Sed de etymo magis placet, ὑὸς esse ab יהוה, γίνεσθαι: quomodo Latini pro eo à *nascendo* dicunt *natum*, & fortasse à *generando*, *gnatum*, quasi *generatum*.

* à pluendo.
† aquam.

Canopus etiam Ægyptiorum numen erat: nec aliud per eum intelligebatur, quàm aqua. Quomodo verò Canopus, fraude sacerdotis Ægyptii, devicerit Ignem, deum Chaldæorum; refert Rufinus Histor. Eccles. lib. 11, cap. xxv 1, item Suidas in Κάνωπος. Historiæ illi accesserit lux, si constiterit, hydriam fuisse Canopi symbolum. Sed an eædem sacræ Ægyptiorum urnulæ? quæ ut soleant effingi, cognoscere est ex Appulei ultimo Milesiarum: *Vrna*, inquit, *faberrimè cavata fundo quàm rotundo, miris extrinsecus simulachris Ægyptiorum effigiata. Ejus orificium non altiusculè levatum, in canalem porrectum longè rivulo prominebat. Et aliâ parte multum recedens, spatiosâ dilatatione adhærebat ansa, quam contorto nodulo superstabat aspis squameæ cervicis stricto tumore sublimis.* Addam ritum insignem ex Vitruvii præfatione libri VIII: *Qui sacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum, ostendunt, omnes res è liquoris potestate consistere. Itaque cùm hydriam tegunt, quæ ad templum, ædemque, castâ religione defertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad cælum sublatis, inventionibus gratias agunt divinæ benignitatis.*

CAPVT LXXV.

Quantum Ægyptii debeant Nilo, ob ſoli malignitatem; cùm hoc flumine, quia pluviâ id non ſit, irrigetur; ac præterea, dum inundat, pingui obducatur limo. Nili fontes, de quibus res adeò controverſa fuit antiquis, eſſe in Gojomia, regione Abyſſini regis. Duplicem eſſe Æthiopiam; Orientalem, in Aſia magna, & Occidentalem, ſub Ægypto: ex priori fuiſſe conjugem Moſis; ut cum fuiſſe dicitur è terra Chus, Arabiſſa intelligatur. Longitudo Nili. Incrementi ejus, & decrementi tempus, ac cauſſa. Vnde promanarit mos hodieque uſitatus, tum orificio fontis, & aquæductus, tum ædium, ſacrarum præcipuè, clauſtris, leoninum apponendi caput rictum diſtendens. Cauſſæ quatuor, cur menſe Athyr lugeri ſoleat Oſiris. Per Typhonem intelligi mare. Cur Romani ſalis appoſitu crediderint ſacrari menſas; Ægyptiis contra religio fuerit, eum menſis inferre. Cur Ægyptiis exoſi nautæ; cur item piſcis odii iis fuerit ſymbolum; ſacerdotes verò eorum nec guſtare piſces ſoleant: & exinde collectum, Typhone nihil Oſiridi, vel Oro, inimicius creditum eſſe, quia vita noſtra in humido conſiſtat, ac ſalſa humorem depaſcant. Cur Typho fingeretur rufus, & ſubpallidus. Cur Ægyptii refugerint commercia cum rufis. Præterea Typhonem fuiſſe exoſum, quia mare ſit infeſtum Nilo. Cur dixerint Oſiridem oriri à læva, perire à dextra. Alia item cauſſa odii erga Typhonem; amoris erga Oſiridem, & Orum; quia cum antea Ægyptus mari occultaretur, (quod triplici oſtenſum argumento) terra ejus limo, quem Nilus apportat, paullatim altior evaſerit: atque hoc dixiſſe eos victoriam Ori de Typhone: occurſumque metuentibus, ne tellus, pluviæ neſcia, tandem etiam careat Nilo. Vt Oſiridis uxor Iſis, ita Typhonis Nephthys: & ut ex illis natus eſt Orus, ita ex his Anubis: atque ut Iſidis eſt terra ſupera, ita Nephthyos infera; Anubidis autem horizon; & cur hic per canem ſymbolicè notetur.

EXpoſuimus præcipuas Nili appellationes, & ut idem ſint numen, Oſiris Ægyptius, ac Liber Græcanicus: per utrumque enim aquam potabilem ſignari. Nunc ſeorſum referam Nili naturam, ac ut ea in ſacris Oſiridos ſoleat repræſentari. Erit verò doctrina hæc tripartita. Initio exponam, quantum Nilo debeat Ægyptus. Deinde dicam de Nili origine, ac magnitudine. Denique, quæ ad tempora pertinent incrementi ejus, & decrementi. Quippe & iſta auxere admirationam Nili: hæc autem ad majorem ejus cultum non leve attulit momentum.

Ad Nili bona quiſquis attenderit, mirari deſinet, nuſquam gentium majori in honore Aquas fuiſſe, quàm apud Ægyptios. Abſque enim Nilo foret, quid tota eſſet Ægyptus? Siquidem ſolum ejus eſt nitroſum, ac ſolibus aduſtum, & prope in modum lapidis induratum; multis etiam locis

sic hians, ut equitationi non sit idoneum. Nec malo huic medetur pluvia; quam Ægyptus nescit, si Alexandriam, & loca alia mari vicina, exceperis. At Nilus Ægyptio est solo pro Iove pluvio: unde, non Ovidius quidem, quod L. Seneca *, memoriâ lapsus, refert; sed æqualis ejus Tibullus †, cecinit:

Te propter, nullos Tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Iovi.

* lib. 4 Nat. Quæst. cap. 27.
† lib. 1, eleg. 7.

Parmenonis etiam Byzantii est apud Athenæum, Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε· *Ægyptie Iupiter Nile.* Philoni ideo, lib. de profugis, dicitur μονονὺκ ἀντίμιμος οὐρανοῦ· *tantumnon æmulus cæli.* Imò Heliodorus in IX ab Ægyptiis ait disertim, ἀντίμιμον τοῦ οὐρανοῦ * vocari: & rationem addit, quia absque pluvia irriget, & velut imbre humectet. Est hoc prius Nili beneficium. At parum esset, solum nitrosum, ac sterile, irrigari. Divinâ igitur providentiâ & alterum accedit, quòd *cùm recedit*, non *mollitos* modò, sed *& oblimatos relinquit agros*; ut est apud Cic. in II de Nat. Deor. pleniúsque de eo Seneca lib. IV Quæst. Nat. cap. II: *Nilus arenoso & sitienti solo, & aquam inducit, & terram. Nam cùm turbulentus fluat, omnem in siccis, atque hiantibus locis, fecem relinquit, &, quicquid pingue secum tulit, arentibus locis illinit; juvatque agros duabus ex caussis, & quòd inundat, & quòd oblimat.*

* imitatorem ac æmulum cæli.

Quod ad Nili originem, quam prorsus ignorari, multi & veterum, & juniorum, prodiderunt, rectè de ea Philostratus lib. I Icon. Νείλου μὲν Αἰγύπτιοι ἔχουσι τὰς ἐκβολάς, Αἰθίοπες δὲ τὰς πηγάς· *Ægyptii quidem habent exitus, ostiáque Nili; Æthiopes autem ejus fontes.* Nam ab asperis rupibus, qui Lunæ montes dicuntur, per Æthiopiam decurrit in Ægyptum. Quod rectè monitum Paullo Iovio lib. duodevigesimo historiarum sui temporis, & Hieronymo Osorio lib. IX de gestis Emanuelis. Prius tamen, de montibus præcipitans, ingentem efficit lacum: cujus & Pausanias meminit lib. V. Et veritatem ejus rei comprobavit experientia: ut videre est ex Nicolao Leonico lib. II de Var. Hist. cap. LVI. Regio, ubi oritur, dicitur *Goyome*: estque in ditione Regis Abyssini: qui & in titulis imperiorum, inter cæteros, scribit; *Rex de Goyome, ubi Nilus oritur.* Testis Rex Æthiopiæ, David, literis suis ad Emmanuelem, Portugalliæ regem: & exinde Damianus à Goes, Lusitanus. At, qui crediderunt fluere è paradiso, immane quantum aberrarunt. Nec obstat, quòd Gichon Mosi dicatur alluere terram Chus; quæ est Æthiopia. Nam Moses loquitur de Chus orientali, sive Arabia; non occidentali, quæ est Æthiopia sub Ægypto. Duplicem hanc Æthiopiam Homerus agnoscit, & ex eo Strabo lib. I, & Plinius lib. V, cap. VIII, Quando Mosis uxor *Æthiopissa* vocatur, *Arabissa* intelligitur. Erat enim Sephora filia Iethro, sacerdotis, vel principis in terra

terra Madian, quæ in Arabia. Aliisque etiam locis non paucis compâret, terram Chus fuisse Palæstinæ vicinam.

Decurrit hic fluvius per gradus xv. Et si mæandros etiam, atque ambages, annumeres, plusquam nongentorum fuerit milliarium Germanicorum.

Nunc spectemus, quando incipiat crescere; quando totam inundet Ægyptum; quando terris recedat. Crescere incipit mox à solstitio circa xv Kal. Quinctiles. Cujus caussa sunt perpetui imbres juxta circulum Æquinoctialem: ubi est hyems, quando æstas est illis, qui sub Tropico Cancri, & cis eum, habitant. His igitur imbribus Septentrionem versus confertim ruentibus, tota inundatur Ægyptus. Quod quia Leonis cælestis beneficium crederetur, eò Ægyptiis Leo erat exundationis symbolum: ac sic tubos fontium, & aquæductuum, formabant, ut aquæ è capite leonino patulo hiatu rictum diducente evomerentur. Eumque morem ab architectis Ægyptiis acceperre Græci, ac Romani: ab his nos, & gentes aliæ. Vti & ab iisdem fuit Ægyptiis ad nos derivatum, quòd claustris ædium, templorum imprimis, leonis capita, rictusque, apponamus. Audiamus Plutarchum de Isid. & Osir. Λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν, ὅτι πλημμυρεῖ Νεῖλος,

Ηελίῳ τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι.

Leonem venerantur, ac rictibus leoninis templorum fores exornant, quia Nilus exundat, Titanis primùm curru tangente Leonem.

Sed hic leo, ut Pierio quoque in Hieroglyphicis observatum, vigilantiæ potiùs, ac custodiæ symbolum videtur. Vt quod animal prope sit insomne, atque oculis dormiat semiapertis. Porrò cessantibus Æthiopiæ ejus, quæ sub Ægypto est, imbribus hibernis, Nilus etiam decrescit. Imò Sole in Virgine constituto, paullatim sic imminuitur, ut priusquam id signum exeat, jam se contineat intra ripas: ac quibus antea locis navigia ambulabant, equitem cernere sit numerosum. Itaque mense Athyr, qui posteriori parte nostro respondet Octobri, periisse Osiris dicitur, ac propterea lugetur, quæriturque. Tum enim Etesiæ deficiunt; Nilus decrescit; terra nudatur, stirpibus folia amittentibus; dies etiam noctu fiunt minores. Quæ quatuor luctûs esse caussam, ab eodem Plutarcho accepimus.

Habemus de aqua Nilotica: sequitur de marina: quam Græci *Neptunum*, Ægyptii *Typhona* nuncuparunt. Sed non eo Ægyptiis loco Typho fuit, quo Neptunus Græcis. Pelasgis enim in summa veneratione erat Neptunus, eumque cultum accepere à Libybus, qui semper hoc numen veneratione sunt prosecuti. Testis nobis Herodotus est in Euterpe. At Ægyptii, eodem auctore, Neptunum sic fatebantur, ut nullis dignarentur sacri-

ſacrificiis. Imò Typhone nihil inimicius vel Oſiridi putabant, vel Oro, Oſiridis ex Iſide filio. Hac de inimicitia nunc agemus.

Quemadmodum in cælis Sol eſt Typho, quatenus torret ille, & exurit: ita ſub cælis Mare eſt Typho, quia, quod ſalſum eſt, vim habet exſiccandi: unde & carnes ſalimus, ut ſal noxios depaſcat humores; atque ita putredinem arceat. Ob beneficam illam vim ſalis, Romani, Arnobio † teſte, credebant, ſacras fieri menſes ſalinorum appoſitu. Contrà ſacerdotibus Ægyptiis minimè erat moris, ſalem menſis inferre; quia, ut ajebant, Typhonis eſſet ſpuma. Sanè cum Libyes magno in honore haberent Neptunum; Ægyptii agnoſcebant quidem id numen, ſed nullo dignabantur cultu: ut eſt apud Herodotum in Euterpe. Quin verò etiam oderant Typhonem; ut argumento eſt, quòd propter mare, ut Plutarchus * auctor eſt, etiam averſarentur eos, qui uterentur mari: item quòd in ſcriptura hieroglyphica ſignarent odium per figuram piſcis, tanquam incolæ elementi ſibi maximè inviſi. Imò ſacerdotibus, ut eidem Herodoto ‡ proditum eſt, ἰχθύων οὐκ ἔξεστι πάσασθαι· *de piſcibus guſtare eſt nefas.*

† *lib. 2.*

* *lib. de Iſide, & Oſiride.*

‡ *in Euterpe.*

Cauſſam, cur Typho Oſiridem, & Orum, odiſſe diceretur, jam vidimus. Nempe quòd vita noſtra in calido, & humido; conſiſtat: ſal autem vim habeat exſiccandi: ſiccitas verò, & humor, contraria ſint. Nihil mirum igitur, ſi Mare non minùs, quàm Sol, dicatur Typho. Nam per Typhonem intelligitur ignea natura humorem ingenti ſuo depaſcens calore. At & Sol æſtu ſuo exſiccat, & idem aqua præſtat marina. Ob igneam iſtam Typhonis naturam, eum eſſe rufum & ſubpallidum, dictitabant: eumque eſſe colorem auctumni; qui, humorem ſubducendo, & plantis eſt inimicus, & morbos adfert homini. Quare nec lubentes Ægyptii cum coloris ejus hominibus converſari ſolent; ut monuit Plutarchus *.

* *lib. de Iſide & Oſiride.*

Sed, præter hanc odii cauſſam, altera quoque, eáque manifeſtior erat. Videbant enim Nilo, cui vitam ad unum omnes deberent, nihil inimicius eſſe, quàm mare: ut quod Nilum, quantum in ſe eſt, perdat. Siquidem Nilus ab Auſtrina parte, à Lunæ montibus, decurrit in Septentrionem, uſque dum, ſe in mare mediterraneum præcipitans, diſpergatur, ac pereat. Vnde & Oſiridem, hoc eſt, Nilum, oriri ajunt à ſiniſtris; perire à dextris. Faciem quippe Oſiridos ſtatuêre ab Oriente, quia idem eſt Sol, & Oſiris: Sol autem ab Oriente procedit: ut Septentrio ei ſit à dextris, Meridies à ſiniſtris.

Tertiam etiam odii cauſſam erga Typhonem; amoris erga Oſiridem, & Orum, invenio. Antiquiſſimis enim temporibus, vel Ægyptus necdum erat; ſed tota immerſa mari, vel magnam ſaltem partem obruta undis fuit. Cujus rei tergeminum à Plutarcho adfertur argumentum. Nam

& Homerus ait, Pharum diei unius cursu abesse ab Ægypto : at ea nunc pars est Ægypti, cùm terrâ, tum flumine id opplente, quod intermedium mare obtinebat. Præterea in montibus multa reperiuntur conchylia, veteris maris reliquiæ : quæ & Herodoti sententia est in Euterpe. Denique nunc etiam videmus, Nilo limum aggerente, terram fieri altiorem, ac mare paullatim recedere. Nempe, quia Nilus, uti dictum, dum Ægyptum inundat, limum advehat ex partibus austrinis, atque ita terra Ægyptia, (quæ si non tota, plurimis saltem locis, undis fuerat marinis contecta) sese progressu temporis supra undas quasi elevârit. Hoc terræ Ægyptiæ incrementum appellabant Ori de Typhone victoriam : eo signantes, partim antiquam illam victoriam, quâ post diluvium terra jam olim mari emersit : partim quotannis obvenientem, quia & nunc limus à Nilo aggeritur, eoque aggesto mare magis, & magis, terras fugit : adeo ut fortasse metus esse possit, ne plurimorum seculorum decursu in tantum se tellus tandem attollat Ægyptia, ut à Nilo non ampliùs inundetur. Sed de isto nos securi curam omnem committimus sapientiæ eorum, qui terræ illi præsunt, imprimis Patris cælestis, qui nutu suo temperat universum.

Vti verò Osiridi tribuêre conjugem Isidem, prolem Orum : ita Typhoni assignarunt uxorem Nephthyn, prolem Anubin. Ac Nephthyi dedêre partem terræ pedibus nostris adversam : uti Isidi eam, quæ horizonte nostro continetur. Ipsum horizonta Anubidis esse dixerunt. Ac huic dicarunt canem : quia ut canis diu noctuque videt, & domi custodit : ita Anubis & nostrum, & oppositum videat hemisphærium, & quasi custos sit utriusque. Maro *: *Omnigenumque Deûm monstra, & latrator Anubis.* Vbi Servius, Anubin dici latratorem, *quia capite canino pingitur.* Sed cur sic fingeretur, non addit. Caussa verò est, quam ex Plutarcho † diximus. Non igitur stultè adeo sapiebant sacerdotes Ægyptii, ut Deo suo putarent esse caput caninum : sed symbolo hoc aptè naturam horizontis exprimi credebant. Ibidem ait Servius : *Hunc volunt esse Mercurium, quia nihil est cane sagacius.* Potiùs censeo, Mercurium habitum, quia Mercurii terrestris, (de quo vidimus cap. LVII) esse munus crederetur, animas ad Orcum, hoc est, à terris superis ad inferum deducere hemisphærium, quod Nephthyi sacratum fuisse dicebamus.

* 8 Æn. 698.

† lib. de Iside & Osir.

CAPVT

CAPVT LXXVI.

Quantopere Aquas venerati sint Persæ. Herodotus manifesti de Xerxe mendacii arguitur. Per Atergatin Assyriam intelligi Lunam, & Mare, sive vim à Luna diffusam, & à Mari receptam. Eadem signari per Palæstinum Dagonem. Hebræos de eo loqui, ut numine masculo. Græcè non tam Σιτὼν *reddendum, ut factum à Philone Byblio, quàm* Ιχθυών. *Simulacrum ejus supernè fuisse semihominem: infernè semipiscem cum pedibus humanis. Itidem* Ωάννης *Babylonius, semipiscis: & Chaldaicus* Ωδάκων, *qui fortasse idem ac Dagon.* Ωης *corpore humano, pelle vestitus cetacei piscis.*

DE Ægyptiis satis, quibus & paucula de Libybus admista. Nam ex Herodoto diximus, iis impensè cultum esse Neptunum, atque ab his, non Ægyptiis, venerationem ejus ad Pelasgos perveniſſe. Nunc in Asiam tendo.

Hîc à Persis divinus Aquæ honos præstabatur: ut testantur inter alios Laërtius in procœmio operis sui, Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes, Arnobius lib. VI, Sidonius Apollinaris panegyrico Leon. Agathias lib. II. Imò Herodotus in I, & Strabo in XV, referunt, usque adeò flumina veneratos, ut religio iis esset in ea mejere, vel alvum exonerare, vel inspuere, vel cadaver, aut sordidum quid conjicere, atque adeò vel manus vivo flumine abluere. Itaque & in expeditione Xerxis, magi, ubi ad Strymonem deventum, albis ei equis litaverunt: ut refert idem Herodotus in VII. Tyridates quoque Euphraten cum Vitellio, & copiis, transmissurus, equum immolavit, ut flumen hoc haberet placatum: quemadmodum apud Tacitum est in VI Annalium. Idem Tyridates, de Armenis ad Neronem iturus, eo noluit navigare, quoniam (Plinii verba sunt lib. XXX, cap. II) *exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare eam naturam, fas non putaret.* Meritò autem Magi, & Persæ, Herodotum malæ fidei arguunt super eo, quòd scripserit, Xerxem, expeditione adversus Græcos susceptâ, & sagittis impetiisse Solem, & mari injecisse compedes. Nec enim ullo pacto verisimile est, tam irreligiosè Regem eum se gessisse, erga Solem, & Aquam, qui, more gentis, pro summis ea numinibus haberet.

Etiam Assyriorum Atergatis ad Aquas refertur. Nam, ut antea * dictum, per eam intelligitur, quicquid solari subditum est potestati. Hujusmodi autem in Cælis quidem Luna est: sub cælis autem Aër, Terra, Aqua. De Terra vidimus ex Macrobio. Sed Aquam non minùs per Atergatin signari, arguit, quòd Lunaris virtus vel maximè se exserat in hoc elementum: quemadmodum ostensum est supra †. Idem ex ejus figura

* *cap. 55, hujus libri.*

† *lib. hujus cap. 19.*

cognoscitur. Erat enim supernè mulier, inferiùs autem piscis: imò nomen *Atergatis, magnum* vel *excellentem piscem* sonat: & honori ejus elixos & assos pisces comedebant sacerdotes in Deæ conspectu. Quæ omnia libro primo * comprobavimus. At satis est apertum, pisces convenientius esse symbolum potestatis marinæ, quàm terrestris, vel aëriæ. Quare sic statuo, Atergatin φυσικῶς † esse potestatem à Sole in Lunam, à Luna in elementa tria, præcipuéque in Aquas, diffusam.

* *cap.* 23.

† *quatenus ad verum pertinet naturam.*

Itidem ad hanc in maria vim refero Palæstinorum Dagonem: ut complexu suo contineat, tum Lunam, sive Lunum, ut principium activum; tum Mare, ut passivum. Ratione prioris erat masculum numen Hebræis. Ac similiter LXX, 1 Sam. v, 4, Δαγὼν πεπλωκὼς ὀπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. Quasi dicas, *Dagon provolutus in faciem suam.* Et interpres Sanchoniathonis Philo, apud Eusebium in primo Præparat. Euang. Δαγὼν, ὅς ὅστι Σιτών. *Dagon, qui est Siton.* Ibidem unum ex quatuor Cæli filiis facit. Ac credit ei nomen esse à דגן dagan, hoc est, *frumentum:* eoque idem censet, ac Σιτὼν: quasi dicas, *Frumentivus*; nempe quâ formâ à *furtum* est *furtivus.* Sed de isto fallitur: quia planè est à דג dag, hoc est, *piscis:* ut meliùs dicturus fuerit Ιχθυὼν, q. d. *Piscio*, vel *Piscinus.* Vtramque sententiam etiam adduximus lib. 1, cap. XXII. Pro posteriori autem est figura ejus. Nam erat semihomo, ac semipiscis: unde R. David Kimchi, cùm in urbe Azoti simulachrum Dagonis sic corruisset, ut caput, & manus, à reliquo corpore avulsa in limine jacerent; *tantummodo piscis in eo formam relictam* ait. Cæterùm erant ei & pedes humani, quasi ad caudam adnati: unde LXX, loco è primo Samuelis adducto, verba ista habent, quæ frustra in Hebræo fonte quæras: ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα· *utræque pedum plantæ ei ablatæ.*

Etiam Babylonius Ωάννης semipiscis; ut pleniùs ex Beroso Alexander Polyistor, ex Alexandro Eusebius, ex illo ὁ πολυμαθέστατος Seldenus enarrat syntagmatis de Diis Syris cap. III. Ac ex eodem Beroso Apollodorus quatuor commemorat Oannes, quos Anendotos vocarunt. Hos ait è mari Erythræo enatâsse, figurâ partim hominis, partim piscis. Sed præterea ei temporibus Aedorachi, regis Chaldaici, ejusce figurâ fuisse dicitur Ωδάκων; qui fortasse ὁ Δαγών. Nam ut figuræ, ita etiam magna est nominis similitudo. Quin etiam Helladius in Chrestomathia, apud Photium in Bibliotheca *, refert, ut Ωης (fortasse vocabulum id ex Ωάννης contractum) hominis sic habuerit figuram, ut, quia pelle indueretur cetaceâ, etiam piscem referret. Pluribus de hisce, loco memorato, clarissimus Seldenus. Planè autem censeo, & figmenta hæc pertinuisse ad repræsentandam vim, tum Lunarem, tum Marinam.

* *codice* 279.

CAPVT

CAPVT LXXVII.

Vnde ὕδωρ, νῆϊς, & cognata quædam vocabula. Quàm variè tres Empedoclis versus de elementis legantur apud antiquos; quàm item variè ab iis exponantur. Aquæ ἔτυμον, *item* Acheloi; *& ut* Acheloum *pro quavis aqua dixerint veteres. Cur Oceanus fingatur antiquior Neptuno.* Oceanus *unde dictus.* Ωγῆνος, *&* Ωγηνίδαι. *Vtrùm Siracides voluerit fluvios ἀμέσως, sed per cæcos meatus, ortum ducere à mari; an potiùs ἐμμέσως, prout senſit Ariſtoteles: cujus judicio à mari ſunt vapores, è vaporibus fontes, ac fluvii. Quid per* benedictiones abyſſi *intelligat patriarcha Iacob, cùm Ioſepho benedicit. Veterum fuiſſe opinionem, ſidera paſci vaporibus è terra marique eductis: atque ut hanc opinionem ſecutus quoque ſit B. Ambroſius; imò Hippocrates etiam ratione ſubnixam putârit: ut item quorundam ſententia ſit, talium defectu vaporum fore tandem mundi exuſtionem. Cur Promethea amicum Oceani finxerint poetæ. Alexandrum Magnum ſacrificaſſe Oceano. Vnde* Ποσειδῶν, *&* Neptunus *vocetur. Cur dicatur* γαιήοχος, & ἐννοσίγαιος. *Quamobrem, ſi fuiſſet terræmotus, ferias quidem decrerint in honorem Dei, ſed incerti.* Nereus *unde appellatus. Quomodo idem nunc Neptuni, nunc Ponti filius, dicatur. Ponti nomen* κατ' ἐξοχὴν *Euxino tribui; non primò, propriéque.* Nerei ſimum pecus *de piſcibus, vel delphinis ſolis. Quamobrem Nereæ poetæ inducant vaticinantem: & quid per quinquaginta ejus filias ſignarint.*

VEnio ad Græcos, & Romanos: quorum illis elementum hoc ὕδωρ: ſed impropriè, cùm ſit ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod eſt *pluere*; eoque naturâ ſuâ *aquam* ſignet *pluviam.* Aptior vox νῆϊς, qua pro *aqua* uſus eſt Empedocles. Nam eſt id à νάειν, quod eſt *fluere*: ut apud Homerum Iliad. Φ*: atque inde item νήθειν, & Latinum *no*; uti ab ſupino hujus, *nato.* Sed & ejuſdem originis ſunt νῆσος, ναῦς, ſive νηῦς, *Naides*, & *Nereus*, de quo poſtea. Verſus Empedoclis, quos dixi, legas hoc pacto apud Plutarchum lib. 1 de Placitis philoſ. cap. III: * *verſ.* 197.

Τέσσαρα πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
Ζεὺς, ἀιθὴρ, Ηρη τε φερέσβιος, ἠδ' Αϊδωνεύς·
Νῆϊς θ' ἡ δακρύοις τέγγει κρήνωμα βρότειον·

Vtcunque ita expreſſeris:

Rerum cunctarum primordia quatuor audi:
Iupiter æthereus, Iuno vitalis, & Orcus,
Humanoſque rigans Neſtis lachrymando meatus.

Sic verò hæc ibidem exponit Plutarchus: Δία μὲν γὰρ λέγει τὸν ζέοντα, καὶ τὸν αἰθέρα· Ηρην τε φερέσβιον, τὸν ἀέρα· τὸν δὲ γῆν τὸν Αϊδωνέα· Νῆϊν δὲ, καὶ κρούνωμα βρότειον, οἷονεὶ τὸ σπέρμα, καί τι ὕδωρ. *Iovem enim dicit fervorem igneum, atque æthera:*

æthera; *Iunonem, vitalem aëra*; & *Orcum, sive Plutonem, terram: Nestin autem, & humanos canales seu scatebras, quasi semen & aquam.* Paullùm tamen variant in Empedoclis versibus Laërtius lib. VIII, & Athenagoras legatione pro Christianis. Nam pro Ζεὺς ἀιθὴρ, ponunt Ζεὺς ἀργῆς, *Iupiter candens.* Præterea apud Laertium versus postremus habet:

Νῆστίς θ' ἡ δακρύοις θλιπικροῖ ὄμμα βρότειον·
Et Nestis, lacrymis oculos quæ replet amaris.

Mirùm verò, cùm Plutarchus per *Iunonem* intelligat aëra, per *Plutonem* terram; Laertium contrà, & Athenagoram, per *Iunonem* capere terram, per *Plutonem* aëra. Plutarchus omnino convenientiùs Stoicis. Interea & verum est, aliis tum Ηραν esse terram; ut antea ostensum: tum Αιδωνέα sive *Plutonem* esse aëra caliginosum; de quo postea agemus.

Romanis hoc elementum *Aqua* nominatur ab Dorico ἀικὸς, hoc est, *æquus*, sive *levis*: qua de re alibi * dictum nobis. Etsi nec absurdè Cæsar Scaliger in primum Theophrasti de Plantis: ubi & Græcos sic appellâsse antiquitus, colligit ex nomine Αχελῶος. Nam *Aquæ* vox initio quodammodo auditur, & pars altera videtur Doricum λώειν, pro λύειν, *Lavare, abluere, mundare.* Sanè triplex maximè aquarùm est usus; in irrigando, in abluendo, in navigando. Et firmat hanc opinionem, quòd, Eustathio teste †, qui tamen aliam adducit * originem, Αχελῶον dixere pro quavis aqua: quod imitatus Maro, primo Georg. ait:

Poculáque inventis Acheloja miscuit uvis.

In numinibus Aquarum masculis principatus dabatur Oceano, & Neptuno: quorum ille notat Aquam, quatenus humor est principium rerum: hic eandem signat, prout est ex præcipuis mundi partibus. Non absurdè igitur Oceanum finxere Neptuno antiquiorem. Nam Oceanus, & Tethys, Cæli quidem, & Telluris, sunt liberi; parentes autem Saturni, & Opis; unde Iupiter, Neptunus, & Pluto, generati. Hoc nos docet Plato in Timæo: Γῆς τε, & Οὐρανοῦ, παῖδες Ωκεανός τε, & Τηθὺς, ἐγγυέσθων. Ἐκ τούτων δὲ Φόρκυς τὲ & Κρόνος, καὶ Ρέα, καὶ ὅσοι μὴ τούτων. Ἐκ δὲ Κρόνου, & Ρέας, Ζεὺς, Ηρα τὲ, καὶ πάντες, ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς γνωμένους αὐτῶν. Quæ sic M. Tullius vertit, libro de Vniversitate: *Sic igitur, ut ab iis est traditum, horum Deorum ortus habeatur, atque dicatur: ut Oceanum Sulaciamque Cæli satu, Terræque conceptu, generatos editosque memoremus. Ex iis Phorcyn, Saturnum, & Opem; deinceps Iovem, atque Iunonem, reliquos, quos fratres inter se, agnatosque usurpare, atque appellare solemus, & eorum, ut utamur veteri verbo, prosapiam.* Suntque ista satis consentanea Græcorum principi Homero: cui Aqua non solùm pro numine fuit, sed etiam pro numine primo & antiquissimo: ut hoc versu ostenditur Iliad. Ξ †:

Ωκεα-

* *Orat. Instit. lib. 4, cap. 6.*

† *Iliad. B, pag. 353, edit. Rom. & Iliad. δ, pag. 500.*

* *Iliad. ω, pag. 1367, ejusdem edit.*

† *vers. 201, & 302.*

Ωκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.
Oceanumque Deum patrem, & Tethyn genitricem.

Ac fortaſſe origo nominis eſt ab antiquitate. Nam ὠγύγιον, παλαιὸν * : ut eſt apud Heſychium : pleniuſque Suidas : Ωγύγιος, ἀρχαῖος θεὸς, ὅθεν Ωγενίδαι, & Ωγύγιοι, ἀρχαῖοι· OGENVS *Deus antiquus, unde* OGENIDA, & OGENII, *antiqui.* Sed cùm Oceanus propriè notet mare externum, orbem ambiens univerſum : veriſimilius fit, ὠκεανὸς eſſe ex ὠγυιὰ : quomodo prius vocatum eſſe Oceanum, Heſychius docet : ὠγυιὰ autem eſſe ab אוג, quod valet *circulum*, ſive *ambitum.* Ac videtur eodem ſpectâſſe Papias, cùm ita vocatum ait, *quod in circuli modo ambiat orbem.* Sed addit etymum alterum, *à celeritate, quod ocius currat.* Nempe ab ὠκέως ῥέειν. Quod verò putârit Homerus, Oceanum Deorum eſſe vetuſtiſſimum, id fortaſſe eſt ab reliquiis traditionis antiquæ. Nam & Moſes Aquam primò creatam die tradit. Nec tamen dubitandum, quin & reſpexerit poeta ad rationem occultam, quòd prolifica ac generatrix vis in humido conſiſtat : unde & Thaleti Aqua rerum omnium principium credebatur. Atque hæc oſtendunt, ut non ineptè Oceanum putarint avum Neptuni. Nempe, uti dicebamus, in Oceano attenderunt Humorem aqueum, velut principium ad rerum conſtitutionem neceſſarium : in Neptuno conſiderarunt eundem, ut nobilem in natura conſtituta partem. Aliud etiam occurrit. Vulgo enim *Oceanus* ſumi ſolet, pro mari externo, omnium aquarum receptaculo : *Neptunus* autem pro quavis Aquarum parte ; ac ſæpius maris interni ; ut Græcis, Romaniſque, notioris. Quare fortaſſis, cùm Oceanum finxere antiquiorem Neptuno, ſimpliciſſimum ſit dicere, eò ſpectâſſe, quòd mare omne internum effluat ab externo.

* *Ogenium*, antiquum.

Etſi verò non dubium eſt, quin ad divinitatem Oceano tribuendam multum contulerit opinio hæc de ejus antiquitate : plus tamen momenti in eo poſuiſſe crediderim, tum quòd vaſtus adeò ſit, tantæque potentiæ, præſertim ſi agatur tempeſtatibus : tum quòd ex eo, ut dixi, omnis ſit aqua maris interni ; imò & omnis, quâ bibimus. Vnde Homerus ait Il. Φ † :

† *verſ.* 197.

Ἐξ ὅπερ πάντες ποταμοὶ, & πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, & φρέατα μακρὰ νάουσιν.
Vnde liquor fluvio quovis, ſimul æquore toto,
Fontibus & cunctis manat, puteiſque profundis.

Huic ſententiæ favet Ieſus Siracides parabolarum, ſive Sapientiæ, aut παραπέτυ, vel, ut Latinis κατ' ἐξοχὴν dici ſolet, Eccleſiaſtici cap. 1 : *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat : ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Hoc ipſum tamen menti Ariſtotelis ſic accommodare nituntur. Ex mari ajunt attrahi vapores, ex his aquas fieri pluvias,

vias, ac nivales : eas terris receptas materiam esse fontium, unde torridâ æstate sæpe fontes exaresçant : ex fontibus autem in alveos deductis flumina oriri ; hæc tandem in mare relabi : atque ita esse rerum circuitum. Sed enim longè hæc petita : ac qui citra præjudicium allata attenderit verba, facilè videbit, potiùs eam esse illorum sententiam; ex mari, per venas subterraneas, oriri fontes fluminâque, quæ postea refluant in mare. Atque ejusmodi subterraneos meatus, per quos ex Oceano fontes, & flumina, nascuntur, innuere videtur patriarcha Iacob ; cùm Genes. XLIX, 25, ait, *benedictionibus cæli desuper, & benedictionibus abyssi infernè.* Sententia est, habitaturum Iosephum in terra fertili; ut quæ & supernè nadefiat rore, ac pluviâ ; & ex abysso, sive profundis terræ, irrigetur aquâ fontana, ac inde proveniente fluvioli. Atque eadem mens verborum Mosis Deut. XXXIII, 13 : *Ad Ioseph verò dixit : Benedicta est à Domino terra ejus à delicatissimis, & dulcissimis fructibus cæli, à rore, & ab abysso infernè cubante.* Prout Leo Iuda reddit; nec multum Vulgata, & aliæ, abiere.

Ac proinde Oceano debetur, quicquid de bono Aquæ superiùs diximus *. Quid quòd veteres usum ejus non solùm extendêre ad terras, ægrosque mortales; sed redundare etiam putarunt ad cælos ipsos ? Quippe censent, Oceani aquis, sive vaporibus potiùs, pasci Solem, ac ignes illos cælestes. Atque hoc nobis Homerus ipse (ut Macrobius † ait) *sub poëtici nube figmenti sapientibus dedit intelligi : quando Iovem, cum Diis cæteris, id est, cum Stellis, profectum in Oceanum, Æthiopibus eum ad epulas invitantibus, scripsit, significans hauriri de humore nutrimenta sideribus.* Homerum secuti poetæ Græci : ut Anacreon od. XIX. Imò placuit hæc sententia Stoicis : ut Cleanthi, & Chrysippo, apud Laërtium. Ex Romanis scriptoribus idem tradunt Cicero II de Nat. Deor. Lucanus lib. VII ‡, & X *, Seneca lib. II Nat. Quæst. cap. V, Plinius lib. II, cap. IX, & LXVIII, scriptor Panegyrici Constantino dicti, Macrob. lib. I in Somn. Scip. Rutilius lib. I Itiner. Imò sic ex nostris etiam B. Ambrosius lib. II Hexaëm. cap. III : *Frequenter Solem videmus madidum, & rorantem : in quo evidens dat indicium, quòd alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumserit.* Sed quod Ambrosius *evidens indicium* appellat, id solâ est fultum opinione vulgi. Ratione autem pugnabat Hippocrates : qui arbitrabatur, cælestes illos ignes non magis sine spiritus pabulo durare posse, quàm nostrum. Verba ejus sunt libro de Flatibus : Τῷ γὰρ πυρὶ τὸ πνεῦμα τροφή· τῷ δὲ πνεύματος τὸ πῦρ σβεσθὲν οὐκ ἂν δύναιτο ζώειν· *Igni enim pabulum est spiritus. Spiritu autem privatus ignis non possit vivere.* Itaque nec desunt, qui, quòd stellas cælo casuras dicitur Iesaiæ cap. XXXIV, Matth. XXIV, Apocalyps. V, item in apocrypho Esdræ lib. IV, cap. V ; id fore putent deficiente istac stellarum alimoniâ :

quam

* cap. 65, hujus libri.

‡ vers. 5.
* vers. 258.

quam tamen hæreticorum opinionem appellat Magius lib. III de Exustione Mundi cap. VII.

Sed quantacunque sint Oceani commoda; magna etiam damna dat, tum terris, quas sæpe absorbet; tum navigantibus; præsertim si imperitus sit gubernator. Propterea Oceanum Prometheo amicum finxere: unde ipse sic Promethea affatur apud Æschylum *:

Οὐ γάρ ποτ' ἐρεῖς, ὡς Ωκεανὸς
Φίλος δῆτα βεβαιότερός σοι.
Nunquam dices, Oceano mage
Quod tibi quisquam firmus amicus.

* *in Prometheo, pag. 22, edit. H. Steph.*

Videlicet causa est, quòd mari navigantibus magnâ sit opus prudentiâ; cujus typus Prometheus, ut nomen ipsum sonat. Nam à μῆδος †, vel μήδεος ‡, est τὸ προμηθὲς, sive ἡ προμήθεια: quæ idem ac *providentia*, ex quo *prudentia*.

† *cura, consilium.*

‡ *curare, consulere.*

Oceanum autem non modò à poëtis, ut Deum, celebrari; sed pro tali habitum à prudentissimis quibusque; indicat illud de Alexandro apud Iustinum lib. XII *: *Expugnatâ deinde urbe, reversus in naves, Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus.*

* *cap. 10.*

Nunc venio ad Neptunum: qui ut ab Oceano (utcunque confundi soleant) distinguatur; satis ex iis liquet, quæ antea diximus. Græcè est Ποσειδὼν: cujus vocabuli triplex ἔτυμον legere est apud Platonem in Cratylo †: sed verisimilius est, Ποσειδῶνα dici, ὡσὲὰ τὸ πόσιν δοῦναι, *quia potum det*. Salsas quidem aquas non bibimus. Verùm & fontana, & fluvialis, & puteana aqua, Neptuno, sive mari, originem debet: ut ex Homero, imò & Siracide, antea vidimus. Latinis vocatur *Neptunus*; non quasi *Nuptunus*, quia terras obnubit, sive contegit; quam nominis rationem adduxit Varro in IV de L. L. & ex eo Arnobius lib. IV adversus Gentes: sed, ut non paullò acutiùs perspexit Iulius Scaliger in primum de causis Plantarum, ἀπὸ τοῦ νίπτειν, quod est *lavare, abluere*: quippe uno ex tribus Aquæ usibus antea memoratis. Et convenit, quòd propterea Germani dicant waſſen, hoc est, lavare, à waſſer; quod iis aliâ dialecto **water**, hoc est, *aqua*; fortasse à veteri waden, hoc est, *fluere*. Quo pacto priùs dixerint waſſer, quàm **water**.

† *pag. 402, edit. H. St.*

Cognomenta Neptuni varia sunt. Quale γαιήοχος, quia terram continet, & concitat. Item ἐννοσίγαιος, ob vim aquæ, quæ meatibus quibusdam quovis permeans, efficit terræ motus: ut Thaletis quidem, & Democriti Abderitæ, erat sententia. Atque hi eo nitebantur, quòd in terræ motibus sæpe novi conspicerentur fontes, & abyssi. Sed veriùs alii causam putarunt ventorum vim in cavis terræ. Vtramq; conjungit rationem Agellius lib. II, cap. XXVIII: *Ne inter physicas quidem philosophias satis constat, ventorumne*

rumne vi accidant, ſpecus, hiatuſque terræ, ſubeuntium; an aquarum ſubter in terrarum cavis undantium fluctibus: ita uti videntur exiſtimâſſe antiquiſſimi Græcorum, qui Neptunum ἐννοσίγαιον, & σεισίχθονα, appellaverunt. Ideo, ut ibidem dicitur, Romani in terræ motu ferias imperabant: ſed Dei nomen non exprimebant. Vide & Senecam Natur. Quæſt. lib. VI, cap. VI.

Etiam inter maſcula Maris nomina, & numina, Nereus fuit. Dictus Νηρεὺς * à νηρὸς, quod & ναρὸς, id eſt ὑγρὸς †; ut ex Heſychio, & aliis, conſtat. Nempe à νάω, id eſt, *fluo*; unde νῆσις, & alia, quæ antea adduximus. Filius Neptuni dicitur Apollodoro lib. I Bibliothecæ: Κανάχη δὲ ἐποίησεν (planè ἐγέννησεν reſcribendum) ἐκ Ποσειδῶνος Ὀπλέα, καὶ Νηρέα, & Ἐποπέα, καὶ Ἁλωέα, καὶ Τριώπα· *Canache ſuſtulit ex Neptuno Opleum, Nereum, Aloëumque, & Triopa.* Idem tamen antea Ponti, & Terræ filium, dixerat. Ac Heſiodo quoque in Theogonia Nereus Ponti eſt πρεσβύτατος παίδων· *filiorum natu maximus.* Non difficulter hæc conciliantur, quia φυσικῶς ‡ idem eſt Pontus, ac Neptunus. Nec enim ἰδίως * Pontus Euxinus nomen habet *Ponti*; etſi id Suidas putârit: ſed κατ' ἐξοχὴν, ut *poetam* dicimus pro Homero: propriè verò omne mare vocatur *pontus*: ut præter Euſtathium tradit Strabo in primo. Vel, ſi ab Oceano reliqua diſtinguere maria ſit viſum; ſaltem internum omne, ut *Neptunus*, ſic *Pontus* erit. Imò Nereus etſi unus ſit è Neptuni ſive Ponti filiis; tam latè tamen patet, quàm *Pontus*, aut *Neptunus*. Cujus cauſſa eſt, quòd gentium theologi in ſua theogonia crebrò attendant, non ad partes, ſed affectiones diverſas. Sanè *Nerea* tam latè extendi, ac diximus; arguit illud, quòd ubique marium Nereidas agnoſcant: tum etiam, quòd piſces univerſè dicantur Νηρήια τέκνα †: atque iidem, ut Plauto ‡ vocitantur *Neptuni pecus*; ſic à Livio Andronico * vocantur, *Nerei ſimum pecus*. Niſi hoc de delphinis particulatim capere malis; de quo partim in Oratoriis † Inſtitutionibus, partim notis in Tragicorum fragmenta, ſatis diximus. Quia verò Nereus marinus eſt Deus, eò & præſcius eſt tempeſtatum, ac periculorum marinorum. Vnde apud Horatium ‡ quoque Paridi navigaturo vaticinatur mala omnia, quæ ei eventura. Quinquaginta illi filiæ ex Doride, ab eo dictæ *Nereides*: quarum complures recenſet Homerus Iliad. Σ. Per eas certas interni maris partes, vel etiam affectiones, intelligere oportet.

* *Nereus.*
† *humidus.*
‡ *conſiderando, prout pertinet ad rerum naturam.*
* *proprie.*
† *Nerei ſoboles.*
‡ *Pſeudolo.*
* *apud Nonium in* Pecus, *&* Luſtrare.
† *lib. 4, cap. 13, ſect. 10.*
‡ *lib. 1, od. 15.*

CAPVT

CAPVT LXXVIII.

Acceditur ad muliebria Maris numina. Vnde dicantur Amphitrite, *&* Tethys. *Quomodo differant* φυσικῶς Oceanus, *&* Thetys; *item* Tethys, *&* Thetis; *& cur hæc etiam pro universo capiatur mari. Origo duplex fabulæ de Thetide nubente Peleo. Proverbium,* ex Oeneo facere Pelea. *Quæ poetis est Thetis, ea, secundum historiam, Philomela, Actoris Myrmidonis filia, fuit. Nereidum numerus.* Oreades, Dryades, Hamadryades, Limoniades, Napeæ. *Vnde* νάπη, *&* νύμφη *dicantur.* Hydriades, *&* Ephydriades.

IN muliebribus Maris numinibus familiam ducunt Tethys, & Amphitrite: quarum hæc Neptuni uxor, & ita dicta, παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν, hoc est, quia circumquaque terram fluctibus suis atterat. Τηθὺς verò, uxor Oceani, est à τήθη, vel τηθὶς: quorum prius *aviam*, vel *nutricem*; posterius *amitam*, vel *materteram*, signat: ut cognoscere est ex Polluce, Ammonio, Suida, & Eustathio. Aptè autem hæ, ac præcipuè aviæ, vel nutricis, appellationes conveniunt Oceani uxori, omnium nympharum matri, ὅτι κυρία ἐστὶ τῆς ὑγρᾶς οὐσίας, ἀφ' ἧς πάντα τρέφεται· *quia principatum tenet in natura humida*; ut ait Etymologus: qui tamen perperam derivat à τρέφω *, vel τιτθὴ, etsi, si rem ipsam spectes, nihil interest. Latinis *Salacia* dicta est; ut Tullius indicat lib. de Vniversitate, & ex eo Servius in 1 Georg. Favet igitur Tullius iis, quibus *Tethys* mare. Aliquibus tamen connubium Oceani, ac Tethyos, est maris, ac terræ. Eustathius in Il. Ξ: Τὸν * Ὠκεανὸν τὴν ὑγρὰν δηλαδὴ φύσιν, καὶ τὴν Τηθὺν, ὅ ἐστι τὴν κοινὴν τροφὸν γῆν, εἰς μίαν ἀλλήλοις ἄγει συζυγίαν. δι' ὑγρότητος γὰρ ἡ γονιμότης ἐκκαλεῖται τῆς γῆς. *Oceanum, humidam videlicet substantiam, & Tethyn, hoc est, communem nutricem terram, eodem connubio jungit. quippe per humorem fecunditas terræ elicitur ac provocatur.* Accedit, quòd Oceanus Terram, ut conjugem, complexu suo tenet. Vnde Ovid. v Fast.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.

Sic quoque τηθὺς à τιθὴ erit: nisi malis ab Hebræo טיט, *lutum*. Sed omnino receptius est, ut Τηθὺς sit mare, quàm tellus. Opponit enim hæc Lucanus in x: *Luna suis vicibus Tethyn, terrenáque miscet.*

Atque apud eundem *Tethyos unda* legas in primo: & *æquora Tethyos* in tertio. Epitheta idem docent: ut cùm eidem Diva hæc *vaga*, Silio *reciproca*, Ovidio dicitur *cana*. Denique ipsius est Maronis 1 Georg.

Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Nec si & Oceanus, & Tethys, mare designent, eo ineptè hæc Oceano nupsisse fingitur. Nam Oceanus sæpe consideratur quasi spiritus, vel

* *nutrio.*
† *nutrix.*
* *pag. 978, edit. edit. Rom.*

anima marina ; unde δύναμις ἐνεργητικὴ, sive vis tanta elementi. At Tethys est quasi corpus maris, & principium passivum, quod vim illam recipit. Et ut Tethys ab Oceano, ita etiam Amphitrite à Neptuno, distinguitur.

At aliud *Tethys*, quàm *Thetis*. Tethys enim ex Oceano Doridem sustulit ; Doris ex Nereo Thetidem : ut Tethys fuerit Thetidis avia. Clarè sic distinguit Catullus carm. de nuptiis Pelei, & Thetidos :

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine ?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem ?

Nec cum eo, quòd una erat Nereidum, pugnat illud, quòd *Neptuninen* hîc Catullus vocat. Nam eos sequitur poeta, quibus Neptunus ex Canache genuisse dicitur Nerea : quomodo Neptuni fuerit neptis. Quare secundùm hos quidem *Neptuninen* ; secundùm alios autem *Oceaninen* rectiùs nuncupes. Imò dicere etiam possis, *Neptunum* poni pro *Oceano*. Nihil enim hîc insolens; quia itidem, cùm poetæ ajunt, Neptuno maris imperium obtigisse ; non internum duntaxat, sed externum etiam mare, intelligunt. Illud magis mirum, Thetin, quæ nympha solùm marina erat, atque ex quinquagenis Nereidibus una : non minus tamen, quàm Tethyn ipsam, Oceani uxorem, mari pro toto usurpari. Vt apud Maronem in Pollione :

Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida.

Quod vix aliter excusaris, quàm per συνεκδοχὴν partis. Quod autem Thetis nupsisse dicitur Peleo ; id quoque ad connubium Maris, & Terræ, pertinet. Nam Πηλεὺς à πηλὸς, *lutum*. Quò etiam respexere olim, cum dicerent, Μὴ δεῖν τὴν Οινέα Πηλέα ποιεῖν · *Oenea non convertendum esse in Pelea.* Nimirum Οινεὺς, & Πηλεὺς, heroum nomina, ponuntur pro οἶνος, *vinum*, & πηλὸς, *lutum*. Vt sententia sit, cavendum esse pincernæ, ne vinum effundat in terram, atque ita lutum faciat. Quemadmodum ex Athenæo, Demetrio, & Eustathio, in Oratoriis Instit. * retulimus. Possis & illud de nuptiis Pelei, & Thetidos, referre ad communem mortalium generationem. Facit hoc Clemens Romanus in x Recognitionum † : ubi Achillem ait Pelei eò, & Thetidos filium dici, quia homines cuncti componantur ex arido, & humido : ex quibus duobus fit lutum : unde & gigantes non solum dicuntur γηγενεῖς, hoc est, *terrigenæ*; sed etim πηλογένοι, hoc est, *lutigenæ*. Et hoc pacto quidem Pelei, & Thetidos nuptiæ, ad rerum pertinent naturam. Sed reducere etiam ad veterem liceat historiam. Nam Aristoteles Thetidem ait filiam fuisse Chironis Centauri. Ac Daimachus filiam ait Actoris, nomine proprio Philomelam. Quæ unde *Thetidos* nomen acceperit, nesciremus, ut arbitror, absque veteri esset Apollonii interprete *. Narrat ille ex Staphyli tertio rerum Thessalicarum libro, ut Chiron,

* *lib.* 4, *cap.* 6, *sect.* 5.

† *fol.* 113, *b. edit. Senn.*

* *Editionis Stephanica pag.* 205.

ron, cùm Peleo gratificari, & decus ingens afferre vellet; prævidisset autem ex siderum scientia, quâ excellebat, eo tempore, quo Peleus ducturus esset uxorem Philomelam, Actoris Myrmidonis filiam, priùs quidem cum ipsa, credo, collocutum Philomelâ, nempe nequid peccaret in fabula, quam moliretur; postea autem hunc sparsisse rumorem, Thetidem, Nereidum unam, Peleo dari uxorem, ac Deos ipsos, ejus consanguineos, affore nuptiis cum imbre, & ingenti tempestate: cumque Astrologi hujusce prædictioni respondisset eventus, facilè esse persuasum, quod dixerat: itaque exolescente Philomelæ nomine, si non apud cordatos, vulgo saltem obtinuisse, ut Thetis nupsisse Peleo crederetur.

Hæc de Thetide nympha, Nereidum unâ: præter quam XLIX aliæ erant Nereides, itidem nymphæ marinæ. Quare nonnulla universè de Nymphis subjiciam.

Nympharum valde generalis est appellatio, cùm & quædam terris præsint: ut *Oreades*, quæ præfectæ sunt τοῖς ὄρεσι, hoc est, *montibus*. Item *Dryades*, sylvarum præsides, sic nuncupatæ à δρυὸς nomine, quo *quercus*, imò omne arborum ac lignorum genus denotatur. Atque eædem, particulâ ἅμα, hoc est, *simul*, præfixâ, *Hamadryades* vocatæ: quia (ut verbis utar Plutarchi *) ἴσον δ' ἑνδρυτέκμαρ αἰῶνος λαχοῦσαι· *eundem cum arboribus ævi terminum sortitæ*: quippe cum iis nascentes, & morientes. Præterea Λειμωνιάδες, quæ præsunt λειμῶσι, hoc est, *pratis*, ac *campis*; quarum meminere Sophocles in Philoctete, & Hesychius. Adhæc *Napeæ*: de quibus sic Servius in illud IV Georg. — *Faciles venerare Napeas*:

* in Erot.

Napeæ, inquit, *vel Naides, fontium nymphæ*. Vbi pro *vel* omnino rescribe *vallium*, hoc pacto; *Napeæ vallium, Naides fontium nymphæ*. Nam *vallem* dixere νάπλω, & νάπος: nempe quia humida, puta à נוף, nuph, hoc est, *stillare, effundere*. A qua voce Hebræa etiam generale est *Nympharum* nomen: ut propriè νύμφη sit *aqua*. Latini, N in L, ut aliàs sæpe, converso, dixere pro eo *lympha*, seu *limfa*. Festum vide. Propriè igitur convenit *Nympharum* vocabulum Deabus aquarum præsidibus: quæ ex eo dictæ *Hydriades*, vel *Ephydriades*. Meminit præter alios Alexander Ætolus apud Parthenium in Eroticis †:

† cap. 14, sive de Autae.

Αὐτὸς δ' ἐς νύμφας ὤχετ' Ἐφυδριάδας.
Ipse iter ad nymphas ivit Ephydriadas.

Sed utcunque hoc *Nympharum* vocabulum sit generale, non tamen censeo de Nereidibus usurpari.

CAPVT LXXIX.

De numinibus fluminum, aliarumque aquarum, quæ bibuntur. Qualia Liber, & Osiris. Vt Liber tum sol sit, tum liquor potabilis: & cur Lunæ filius dicatur. Idem cur Cabirorum alter iis fuerit, qui duos solùm agnoscerent: cur item commune Cereri, & Libero, Thalysiorum festum. Maronis locus aliter, ac à viro docto, expositus. Sacrificatum amni Pamiso à Messeniis; Mæandro, & Marsyæ, à Phrygibus. Fontis Clitumni divinus apud Vmbros cultus. Boves ad Clitumnum pascentes aquâ ejus albi fiebant: unde à triumphantibus hinc petebantur, quos mactarent Iovi Capitolino.

HAbemus de præcipuis numinibus marinis: sequitur de iis, per quæ humor potabilis signatur. Hujusmodi est Διόνυσος, sive *Liber*, vel *Bacchus*. Nam, ut antea dictum, idem Græcis Διόνυσος, qui Ægyptiis *Osiris*. Osiris autem, quatenus naturale, non animale est numen, partim est cæléstis, & idem est ac Sol; partim subcæléstis, & idem est ac Humor potabilis; qualis Aqua Nilotica. Nam mare iis non Osiris est, sed Typho, Osiridi adversus. Similiter igitur Græcis, postquam sacra recepere Ægyptia, nomine Osiridis in Διόνυσον, uti Isidis in Cererem, converso, Liber quidem Cæléstis fuit Sol; Subcæléstis verò, Aqua, sive Liquor potabilis; qualis pluvia, fluvialis, fontana, & putealis. Vnde causſam arcesso, cur à nonnullis Liber Lunæ filius diceretur. Vlpianus in Orat. Demosthenis contra Midiam: Ενιοι δὲ καὶ παῖδα Σελλήνης Διόνυσον καλοῦσι*. Nempe eò attenderunt, quòd Luna imperium habeat in Humorem sive Aquam: quod abunde ostensum antea. Hinc quoque rationem elicio ejus, quòd scribit Apollonii scholiastes in primum Argonauticôn: Οἱ δὲ δύο εἶναι τοὺς Καβείρους φασὶ πρότερον· πρεσβύτερον μὲν Δία, νεώτερον δὲ Διόνυσον· *Quidam verò duos primò fuisse ajunt Cabiros; seniorem quidem, Iovem; juniorem autem, Liberum.* Vbi *Iupiter* est calor cæléstis; *Liber* est humor subcæléstis: quæ duo ad generationem imprimis exiguntur. Nunquam enim Tellus fruges, aut flores, plantamve ullam, producat, nisi, ut cum Catullo loquar†,

— firmet Sol, educet imber.

Etiam ex isto rationem peto, cur agricolis in summo fuerint pretio duo hi Dii; qui iccirco jungi solent; Ceres, & Liber: imò sacris etiam communibus colebantur, quæ dicta sunt Θαλύσια. Menander Rhetor cap. περὶ λαλιᾶς: Τῶν λόγων τὰς ἀπαρχὰς ἀνατιθεὶς τῇ πατρίδι, καὶ τοῖς πολίταις, ὥσπερ τῇ Δήμητρι, καὶ τῷ Διονύσῳ, οἱ γεωργοὶ τὰ Θαλύσια· *Primitias orationum dedicans patriæ, & civibus, ut agricolæ Thalysia Cereri, & Libero.* Nempe per *Cererem* intelligitur Tellus fruges producere idonea: *Liber* autem est Aqua, quâ opus Tellu-

* *Aliqui & Liberum vocant filium Lunæ.*

† *Carmine nuptiali.*

Tellurem humectari, ad rerum generationem. Iunxit hæc numina etiam Maro primo Georg.

Liber, & alma Ceres.

Sed quod sequitur, — *Vestro si munere Tellus,*
Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ:

id minimè ad utrumque numen pertinet: licet vir doctissimus id collegerit ex eo, quòd poeta, *vestro* dicat *munere*. Quippe communiter quidem ait, *vestro si munere*: sed de utroque numine mox alia partiliter subdit: ratione quidem Cereris Chaoniâ de aristâ, quia Dea hæc dicitur docuisse sationem, & usum frugum loco glandium; ratione autem Liberi, quod continuò subjicitur,

Poculáque inventis Acheloïa miscuit uvis.

Liber enim est, qui monstrâsse creditus plantationem vitium, & aquæ vinique mixturam. Vnde eâdem liquet, poetam hæc numina non tam φυσικῶς considerâsse, Stoicorum more; quàm ἱστορικῶς, secundùm Theologiam civilem.

Sed de aqua potabili hoc generatim dictum esto. At verò particulatim etiam pro numine culti sunt fluvii. Sic Sybotas, Dotadæ filius, instituit apud Messenios, ut Reges Pamiso amni sacra facerent: quemadmodum testis est Pausanias in Messenicis. Itidem Phryges sacrificarunt Mæandro, & Marsyæ, fluminibus: quamquam hi ad barbaros potiùs pertineant, quàm Græcos; quando Phrygia κατ' ἐξοχὴν *Barbaria* est nominata: de quo abunde dictum nobis in Oratoriis Institutionibus lib. IV, cap. X, sect. V.

De fonte Clitumni, Vmbriæ fluvii, sic inter alia Plinius Novocomensis lib. VIII, epist. VIII ad Romanum: *Rigor aquæ certaverit nivibus; nec color cedit. Adjacet templum priscum, & religiosum. stat Clitumnus ipse, amictus ornatusque prætextâ. præsens numen, atque etiam fatidicum, indicant sortes. Sparsa sunt circa castella complura; totidemque Dei simulachra. sua cuique veneratio, suum nomen: quibusdam verò etiam fontes. nam, præter illum, quasi parentem cæterorum, sunt minores, capite discreti, sed flumini miscentur.* Et paullò pòst: *In summa nihil erit, ex quo non capias voluptatem. nam studebis quoque; & leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus fons ille, deusque celebratur.* Quin Clitumno huic *Iovis* nomen dedere. Nam templum, quod juxta nemus, dixere *Iovis Clitumni*. Vnde Vibius Sequester in catalogo fluminum: *Clitumnus, Vmbriæ: ubi Iupiter eodem nomine est.* Dixeris hic de cultu fluminum agi, non Dei, qui præsideat fluvio. Sed Deus, qui flumini præesset, pars ejus censebatur; ut anima hominis. De quo & dictum antea, & pluribus infra agetur. Tanto autem honore cur Clitumnum dignarentur,

laudes

laudes ejus faciebant, à Plinio fusè memoratæ, eâ, quâ dixi, epistolâ. Sed mirum in iis præteriri illam, quòd boves, juxta amnem hunc pascentes, albi redderentur; ac propterea hinc peterentur boves, qui cæderentur à triumphantibus. Virgil. III Georg.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Vbi sic Iunius Philargyrus: *Clitumnus & Deus, & lacus, in finibus Spoletinorum; ex quo bibentia pecora alba fiunt.* Ad ritum autem triumphantium, quem dixi, respexit etiam Claudianus in Panegyrico de VI Honorii consulatu:

Quin & Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit.

CAPVT LXXX.

Apud Samios puteus, nisi pluteus *legendum, Iunoni erat sacer.* Naïdum *nomen unde sit, & quibus propriè conveniat. Nymphæ* Κρηνίδες, *sive* Πηγαῖαι, Ποτα μίδες, *sive* Επιποτα μίδες, Λιμνᾶιαι, *sive* Λιμνάδες, *ac denique* Φρεαλιαῖαι. *Cur Pegasus ungulâ suâ aperuisse Hippocrenen fingatur. Vt per* Pegasum *quandoque intelligatur navis, & quæ rei hujus ratio sit. Etiam in poëtarum fabulis* equum *dici pro* nave; *uti &* currum *pro eodem posuere. De Salmacide nympha, & Arethusa, quam Alpheus subire credebatur: fabuláque ea refellitur. De delubro sacri Fontis, dicato Camenis, & aquæ ejus usu in Vestalium sacris, ejusque custodia, & ut per* Camenas *etiam aquæ intelligantur. Blandusiæ fonti sacrificatum hædo: ut capro faciebant Libero, & Tempestatibus.* Ismenides, Pactolides, *& aliæ fluviales nymphæ. An & in his locus debeatur Annæ Perennæ: deque Iuturnæ nomine, ac templo.*

ATque hæc mascula sunt aquarum, quæ bibuntur, numina. Venio ad muliebria; quale est, quod apud Arnobium legas in sexto contra gentes: *Aëthlius memorat, ante usum disciplinamq; fictorum, puteum Samios* (coluisse) *pro Iunone.* Sed fortasse puteus is non pro Iunone habitus, sed Iunoni sacratus: de quo certiora afferremus, si exstaret Aëthlius ille, Athenæo * etiam, & Clementi Alexandrino †, memoratus. Imò ne *puteus* quidem, sed *pluteus*, legendum videtur: quando, ut Theodoro Cantero * jam ante nos monitum, σανίδα pro eo est apud Clementem Alexandrinum. Quare, missâ Iunone, nunc de nymphis dicam antea indictis, hoc est, iis, quæ à marinis differant. Harum aliæ sic nomine vocantur generali, sed quod usus ad aquam potabilem restrinxerit: aliæ particulari, non tamen certi fluminis,

* *lib.* 14, *idque genuino loco.*
† *Admonitione ad Gentes.*
* *lib.* 2 *Var. Lect. cap.* 22.

minis, aut fontis proprio : aliæ denique certi sunt fluminis, aut fontis.

Primi generis sunt *Naides*, sive *Naïades* : quarum appellatio est à fluxu. Nam *νάειν fluere* ; unde *Naides*, quasi *Fluonias* diceres. Licet verò omnis aqua fluat; *Naidum* tamen nomen nuspiam, puto, de Nereidibus sumitur; sed de fluminum, fontium, stagnorum, puteorum, Nymphis. Firmat ista tam de origine vocabuli, quam ejus particulari usu, Porphyrius, de antro Nympharum, apud Homerum : Καὶ τὸ νύμφαις ἀνεῖδεσαν ἄντρα, ἅ τέτων μάλιστα ταῖς Ναΐσιν, αἵ δὴ πηγῶν εἰσὶ, καὶ τῆς ὑδάτων, ἀφ' ὧν εἰσι ῥοαὶ, Ναΐδες ἐκαλοῦντο. *Etiam antra Nymphis consecraverunt, maximéque Naidibus, quæ fontibus præsunt, & ab aquarum fluxu Naides dicuntur.* Ac postea : Νυμφῶν δὲ Ορεστιάδων, ἢ δὲ Αγραίων, ἢ τινῶν τοιέτων, ἀλλὰ Ναΐδων, αἵ ἀπὸ τῆς ῥαμάτων ὕτω κέκληνται. Νύμφας δὲ Ναΐδας λέγομεν, καὶ τὰς τῆς ὑδάτων παρεστώσας δυνάμεις ἰδίως. *Non Montanarum nympharum, aut Agrestium, vel similium; sed Naidum, quæ à fluxibus sic dicuntur. Nymphas verò Naidas dicimus peculiariter potestates, quæ aquis præsunt.* Et aliquanto pòst : Αναπείσθω δὲ τὸ προκείμενον ἄντρον ψυχαῖς, καὶ τῶν μετεωτέραις ἐν δυνάμεσι νύμφαις, αἵ ῥαμάτων, καὶ πηγῶν προεστῶσαι. Πηγαῖαί τε, καὶ Ναΐδες, διὰ τέτο κέκληνται. *Pro confesso igitur habeatur, antrum hoc sacratum esse animis, & magis particularibus potestatibus : puta Nymphis, quæ fluxui, ac fontibus, sunt præfectæ ; eoque Fontanæ, ac Naïdes, (quasi Fluoniæ) dicuntur.*

At particulares magis appellationes, ut jam dicere sum aggressus, vel fontium sunt, vel fluviorum, vel stagnorum, vel puteorum. Illæ fontium ex re dicuntur Κρηνίδες, sive Πηγαῖαι, prout vocantur Porphyrio, loco proximè memorato. Imò & Homeri † est :

† *Odyss.* ν, 241.

Νύμφαι Κρηναῖαι, κοῦραι Διός. —
Nymphæ Fontanæ, gnatæ Iovis. —

Quæ fluviorum erant, dictæ Ποταμῖδες, vel Επιποταμῖδες. Meminit vetus Papinii interpres in III Thebaidos.

Quæ stagnorum creditæ, nominabantur tum Λιμναῖαι, pro quo perperam Λιμναῖαι est apud Apollonii interpretem, & Phavorinum ; tum etiam Λιμνάδες ; ut Theocrito, Idyll. V :

Οὐ μὰν, ὔτ' αὐτὰς τὰς Λιμνάδας, ὦ 'γαθὲ νύμφας ·
Non per, non ipsas per Limnades, ô bone, nymphas.

Atque hinc *Limniaces* nomen finxit Naso in V Metam. Fab. I :

Edita Limniace vitreis peperisse sub undis
Creditur.

Denique & puteis suas esse Nymphas, docet Artemidorus lib. II, cap. XXII : ubi cœlibi, & ἄπαιδι *, uxorem ait, & liberos portendi, si in somnio viderit puteum domi : ac rationem hanc adducit : Νύμφαι γὰρ εἰσιν ἐν τῷ φρέατι · *Nymphæ enim sunt in puteo.* Atque hæc universè de nymphis fluvialibus

* *liberis carenti.*

libus ac cæteris ; quarum appellatio magis communis eſt, quàm propria ; quia pluribus eâdem convenit ratione. Nunc vocabula adferam, quæ certi ſunt fontis, aut fluminis, aut ſtagni ; eóque propriè magis propria dicuntur.

Initium faciam à propriis fontium nominibus, ſive quoniam inde fluviis origo, ſive quia fontium aqua ſit aliis purior, & aëri ſimilior : unde etiam in altos adſcendit montes, equi inſtar alati. Eáque res cauſſam præbuit fabulæ de Pegaſo, percuſſu ungulæ, dum cælos petit in Helicone, monte Bœotiæ altiſſimo, aperiente fontem, nomine *Hippocrenen*, quaſi *equi fontem* dicas. Atque hoc ipſo etiam *Pegaſi* nomine firmatur : ut quod ſit à πηγὴ, quo *fons* ſignificatur. Etſi fatendum, quandoque accipi pro nave : ut cùm Bellerophon dicitur Pegaſo vectus avolâſſe. Sed qui ſic *Pegaſi* voce utebantur, potiùs formarunt hoc vocabulum à πήγω, ſive πηγνύω, vel πήγνυμι * : nempe quia è tabulis naves compingantur. Ac facilè hominibus aſſentio doctiſſimis, qui etiam per equos intelligunt naves, eùm Neptunus dicitur Ἱππιος, ſive *Equeſtris* : item in fabula de Heſione, Laomedontis filia, marino expoſitâ ceto, & eam liberaturis Hercule, ac Telamone ; ſed præmii loco depoſcentibus, tum ut Heſionen in Græciam abducere liceret ; tum etiam equos regios ſuper aquas, imò & ariſtas, ambulantes, hoc eſt, velociſſimas navium è claſſe Laomedontis. Hanc equorum, & navigiorum, ſimilitudinem etiam Artemidorus indicat Oneirocriticôn lib. I, cap. LVIII. Eſtque ſimilis tralatio, cum Catullus † navem Argo vocat

— *levi volitantem flamine currum.*

De cujuſmodi formis loquendi diximus Oratoriarum Inſtitut. lib. IV, cap. VI, ſect. II. Sed ad fontes redeamus.

Talis Salmacis Nympha ſive Nais. Vtroque enim modo ſemel iterumque dicitur Ovidio IV Met. fab. XI. Eſt verò Salmacis Halicarnaſſi fons in Caria : cujus aqua vulgò effeminare credebatur. Vide de eo Strabonem in XIV, Vitruvium lib. II, cap. VIII, Feſtum in *Salmacis*, & quæ annotavimus ad Tragicorum fragmenta *. Talis quoque *Arethuſa* : quam Ovidius in V Metam. narrantem inducit, ut ab Alpheo (is Elidis fluvius) adamata, ſubter terras mariáque profugerit in Siciliam, atque hic eam, ſed proſequente eò uſque Alpheo, favente autem, quam coleret, Dianâ, exceperit Ortygia inſula, quæ & Naſſos, quaſi νῆσος. Claudit poëta fabulam his verbis : — *Cæcis ego merſa cavernis*

Advehor Ortygiam ; quæ me cognomine divæ
Grata meæ ſuperas eduxit prima ſub auras.

Fabulæ inde origo, quia ſic vulgo eſſet perſuaſum, Alpheum influere in Arethuſam : quod eo nitebatur, quia quæ in Elidis Alpheum infunderentur,

* *pango, ſive compingo.*

† *Carm. de nuptiis Pelei, & Thetidos.*

* *in ea, quæ petita ſunt ex Ennii tragœdia incerta.*

tur, hæc in Arethusæ fonte postmodo comparerent. Creditum enim, quincto quoque anno, quo ludi celebrarentur Olympiaci, impuram esse aquam Arethusæ ex eo, quòd in Elide tum equi, se abluendo, aquas sordidarent. Sed enim hanc sententiam, quàm tot ex Græcis, & Romanis, in his Pindarus, ac Timæus *, amplexi fuere, solidè eo refellit Strabo in sexto; quòd Alpheum constet in mare incurrere Peloponnesiacum; ac proinde absurdè dicatur, per cccc amplius milliaria subterraneis meatibus ferri sub mare sic, ut non intermisceat illi undam suam. Alterum etiam adduxere argumentum, quòd patera quædam prolapsa in Alpheum delata sit in Arethusam. Sed enim huic quoque occurrit Strabo: nec tamen, quid voluerit, satis est apertum, quia, injuriâ temporum, aliquot est verborum defectus. Cæterùm aut dixit hoc, aut dicere potuit, stultè credi, subterraneos illos meatus per tam ingens intervallum, sic quà patera deferretur, fuisse ubique æquabiles, ut nuspiam illa adhærerescceret.

* *etiam apud Antigonum Caryst. Histor. Mir. cap.* 155.

Ab Arethusa Sicula me refero ad Romanum Camenarum fontem: qui & in Deos relatus, ac delubro honoratus fuit. Cicero III de Divinat. *Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit.* Iuvenalis sat. III:

Nunc sacri Fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis.

Fons iste erat extra portam Capenam in luco, quem medium irrigabat: fontemque eum Numa consecrârat Camenis, quibuscum sibi colloquia esse fingebat: ut est apud Plutarchum †. Addit verò: Τῶν δὲ πηγῶν, ἣ καλάρδει τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς ἑστιάσι παρθένους, ὅπως λαμβάνουσαι καθημέραν, ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον· *Fontem, qui locum irrigat, Aquam sacram attribuisse virginibus Vestalibus, ut quotidie inde haurirent ad purificandum, & adspergendum sacram ædem.* Sanè non quavis aquâ licebat uti Vestalibus, sed jugi; qualis ista Vestæ sacrata. Reside refugisse, indicat & Festus in *Muries*; quomodo veteres pro *Muria* dixere, ut *materia*, & *materies*. Verba sunt Festi: *Muries est, quemadmodum Veranius docet, ea quæ fit ex sale sordido in pila pinsato* ‡, *& in ollam fictilem* * *conjecto, ibique operto, gypsatoque, & in furno percocto, cui Virgines Vestales serrâ ferreâ secto, & in seriam conjecto, quæ est intus in æde Vestæ in penu exteriore, aquam jugem, vel quamlibet, præterquam quæ per fistulas venit, addunt, atque ea demum in sacrificiis utuntur.* Vnde aquam illam jugem hauserint, liquet ex Plutarchi loco antè memorato. Nec dubito, quin aquæ hujus custodiam spectarint Suidas, ac Cedrenus, cùm virginibus ajunt Vestalibus commissam pariter fuisse ignis, & aquæ, custodiam. Quomodo &, ex Strabonis XV, Persas constat Ignem pariter, & Aquam coluisse. Vt ad Camenarum redeam fontem, per *Camenas* μυθικῶς ‡ intelligi aquas, etiam Tertullianus ait lib. I adversus Marcionem cap. XIII: *Ipsa quoque vulga-*

† *in Numa.*

‡ *vel* pinsito *legendum, vel potius* pisato, *ut est in codice Farnesiano. Vt* cubare, *&* cumbere; *sic* pisare, *&* pinsere.

* *Farnesianus codex*, fictilem: *quod verius.*

‡ *ex fabulari interpretatione.*

vulgaris ſuperſtitio communis idololatriæ, cùm in ſimulachris de nominibus, & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus ſuum ingenio obumbrat, figurans Iovem in ſubſtantiam fervidam, & Iunonem ejus in aerem: item Veſtam in ignem, & Camenas in aquas.

Similiter Blanduſiæ fons in Sabinis prope oppidum Regillum, Nympharum aliarum inſtar, honore affectus divino. Horatius Carminum lib. III, od. XIII:

O fons Blanduſiæ, ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus,
Cras donaberis hœdo.

Vbi hœdi potiſſimum meminit, quia is ſacrificaretur Nymphis. Vnde & hœdi caput Romæ inſculptum viſitur aræ exiguæ quadratæ, quæ ſacrata Cœruleo fonti. Inſcriptionem ejus Pighius, qui illam vidit, refert initio ſeptimi Annalium Romanorum. Nempe eâdem de cauſſâ, ob quam caprum immolabant Libero; qui & ipſe præſes humoris erat potabilis; uti dictum. Hinc idem Horatius lib. III, od. VIII:

Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum.

Item Tempeſtati: quò pertinet hoc lib. Epod. od. X:

Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna Tempeſtatibus.

De fontanis nymphis ſatis. Nam omnes enarrare non eſt hujus inſtituti. Sufficit, quòd ex iſtis facile ſit ſtatuere de cæteris. Accedo igitur ad Flumineas: quales *Iſmenides*, præſides Iſmeni in Bœotia fluvii. Idem Ovid. III Metam. *Thuraque dant, ſanctaſque colunt Iſmenides aras.* Item *Ionides*; quæ fontem habuere, & templum, prope Cytheron fluvium in Elienſium agro. Vide de iis Pauſaniam, in Eliacorum poſteriori. Similiter *Pactolides*, *Anigrides*, aliæ à fluviis ſic vocatæ. Nec Græcis modò, ſed & Romanis; ut *Tiberiades*. Etiam his accenſeri ſolet *Anna Perenna*; juxta illud Ovidii II Faſt.

Ipſa loqui viſa eſt. Placidi ſum nympha Numici.
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.

Sed libro primo cap. XII oſtendimus, idibus Martiis Romanos à numine poſcere ſolitos, ut annum, quem exorſi eſſent, feliciter tranſigere daretur: & quia exiguum id eſſet, ſi unicum duntaxat annum ſuperviverent, eo rogâſſe etiam, ut perennarent, hoc eſt, complures annos ſupereſſent; quod Latini dicunt *perennare*; ut Columella de Arboribus cap. XVI: *In ea fructus diutius perennat.* Nec dubium, quin inde nomen finxerint *Annæ Perennæ*. Itaque & Ovidius ex eo colligit, Martium veteris fuiſſe anni initium,

tium, quod tunc Annæ Perennæ fierent sacra. Neque enim vota hujuscemodi, nisi anno ineunte, satis conveniissent. Poetam ipsum audiamus in III Fastorum:

Nec mihi parva fides, annos hinc ìsse priores,
Anna quòd hoc cœpta est mense Perenna coli.

Annotavit Scaliger ad Festum in *Perenne*, populum omnem solere Idibus Martiis transire amnem auspicatò, quò Annæ Perennæ sacrum faceret. Vellem antiquum ejus rei laudâsset auctorem. Nec enim ad Annam hanc pertinet, quòd prætores, vel proprætores, ad bellum ituri, auspicatò amnem transirent: cujus rei testis Tullius in secundo de Divin. Vbi perperam libri quidam, *per omnes transeant*; pro, *per amnis*: ut etiam habet editio vetustissima, atque adeò omnium princeps. Nihilo magis ad Annam attinet primum Catulli epigramma: ubi corrigunt,

— Quod, ô Perenna virgo,
Plus uno maneat perenne seclo.

Nec enim Anna studiis præerat, ut libris daret perennitatem: sed hoc erat Palladis, eruditorum, & eruditionis *patronæ*: ut quin *patrona* rectum sit, minimè debeat dubitari. Nam nihilo rectius *patrima*; de quo alibi * actum nobis.

* *Grammaticarum institutionum lib. 2, cap. 23.*

His, quæ de fontibus, & fluminibus, diximus, subdam de nympha Iuturna; quod nomen & fontis, & fluminis, & lacus sive stagni, fuit. Iuno quidem apud Maronem in XII appellat

— Deam, stagnis quæ, fluminibusque sonoris,
Præsidet: mox item sic compellat,
Diva, decus fluviorum. —

Vbi sic Servius: *Iuturna fons est in Italia saluberrimus, cui nomen à juvando est inditum.* Lacum etiam appellat Ovidius II Fast.

Circa Iuturnæ composuere lacus.

Item *stagnum* nominat VI Fast.

Quæ simul ac tetigit Iuturnæ stagna sororis.

Naidis verò ei competere nomen, ostendit, quòd mox Naida Laram sic Iunoni loquentem inducit:

Naida Iuturnam vir tuus, inquit, amat.

Vnde *Iuturnæ* nomen sit, docet Varro in IV de L. L. *Nympha Iuturna, quæ juvaret. Itaque multi, propter id nomen, hinc aquam petere solent.* Idem ἔτυμον adducit Servius in XII Æn. Ac rationem his verbis subdit, quòd, *cùm naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est.* Vbi pro *extraneorum* debere *ægrotorum* legi, ex Varronis etiam verbis liquet. Nempe, ut putarunt, à *satu*, hoc est, satione, dici *Saturnum*;

sic à *jutum*, hoc est, adjuvando, *Iuturnam* vocari, judicavit. Sed *Saturnus* aliunde est, ut alibi dicimus. Et si conjecturæ est locus, quid si, ut *Iupiter* est ex *Iovipater*, quod integrè *pater Iovis*; ubi *Iovis* est rectus: similiter *Iuturna*, sit ex *Ioviturna*: ut verum quidem nomen fuerit *Turna*, quando frater ejus *Turnus* nominatus: sed hæc *Ioviturna* sit nominata, quia à Iove sit adamata: sive id secundùm fabulam intelligas, de qua Ovidius II Fastor. sive φυσικῶς, propter salubritatem, quæ à Iove, hoc est, cælitus obtingit. Templum Iuturnæ in campo Martio, prope aquam Virgineam, fuit: ut non modò ex P. Victore constat, sed etiam isto Ovid. Fast. VI:

Te quoque lux eadem, Turni soror, æde recepit;
Hîc ubi virgineâ campus obitur aquâ.

CAPVT LXXXI.

Deorum juramentum per Stygis majestatem, ac quæ pejerantium pœna. Stygis ἔτυμον triplex. Silentes *pro* Manibus. *Stygis Arcadicæ natura: præter quam & alteram esse in Campania, ubi & alteri Cimmerii: quæque poetæ de Styge, atque aliis inferorum fluviis, fabulantur, quæ item de Cimmeriis Stygi vicinis prodidere, ea non tam petita esse ab Styge Arcadiæ, vel Cimmeriis circa Mæotidem, ac Bosporum Cimmerium: sed Italicâ Styge, & Cimmeriis ejusdem terræ. Vnde Bajarum calor. Cur Avernus ante Augusti tempora gravem exhalârit odorem, posteaque is tractus à salubritate fuerit commendatus.* Styx, & Acheron, *pro Averno Italiæ. Esse & cùm alibi, tum in Epiro, Acheronta; uti & Cocytum. Cocyti nomen non competere primò inferorum fluvio; sed eò esse translatum: uti factum quoque in* gehenna.

AC de aquis quidem superis, & usui aptis humano, quod satis est, dixisse me puto: consequi videtur, ut breviter exponam de aquarum illis, quæ apud superos quidem sunt, sed infames; eoque à poetis ad inferos transferuntur. Hujusmodi sunt Styx, Acheron, Pyriphlegethon, & Cocytus: quæ quatuor inferorum flumina facit Homerus Iliad. X. His adde Avernum, quo ad inferos itur. Dicam de singulis.

Stygis tanta fuit veneratio, ut per hanc solam Deos jurare crederetur. Notum ex Homero *, Hesiodo †, Apollonio ‡. Item Marone *, Ovidio †, Seneca ‡. Est & Appuleji VI Metam. *Diis etiam, ipsique Iovi formidabiles aquas istas Stygias vel fando comperisti? quodque vos dejeratis per numina Deorum, Deos per Stygis majestatem solere?* Notum quoque illud Ausonii in Technopægnii parte eâ, quæ est de Diis:

Quæque piat Divûm perjuria nocticolor Styx.

Fabula est hujusmodi. Iupiter cum in pugna adversus gigantes propitiam,

* *Iliad.* 0.
† *Theogon.*
‡ *lib.* 2 *Argon.*
* 9 & 12 *Æn.*
† *Metam.* I.
‡ *Hercul. Fur.*

tiam ſenſiſſet Victoriam, Stygis filiam, hanc matri habuit gratiam, ut per eam Dii omnes jurarent: quique eorum pejeraſſent, hi annum integrum, ſecundùm Heſiodum *, jacerent νήυτμοι, hoc eſt, ἀύτμῆς, ſive ſpiritus atque animæ expertes. Orpheus tamen paullo aliter: ut indicat his verbis Servius ad VI Æn. *Fertur namque ab Orpheo, quòd Dii pejerantes per Stygiam paludem novem millibus annorum puniuntur in Tartaro.*

* *Theogon. verſ.* 795.

Quod ſi *Stygis* nomen primò competit paludi apud inferos, dici poſſit, Στύγα eſſe ex שְׁתִיקָה, *ſetika*, eliſo ſcheva, ut fiat *ſtika*. Notat ſetika *ſilentium*, à שָׁתַק, *ſiluit*. Vox apta defunctorum animis. Maro in VI:

— Vmbræque ſilentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè.

Et de Minoë ibidem: *— Ille ſilentum*
Concilium vocat.

Sed non cenſeo, *Stygis* nomen primò attributum fluvio inferorum. Quare ſi à ſilentio ſit appellatio: fuerit ex eo, quia locus ejus eſſet ſilens, quippe qui ſolitarius foret, nullis frequentantibus aquam tantopere exoſam. Imò fortaſſis ex eo ipſo nomen, quia exoſa foret. Nempe ἀπὸ τῆς στυγεῖν, hoc eſt, *odiſſe, averſari, reformidare.*

Sed ſic quoque in quæſtionem venit, ubi Stygis ille fluvius ſit, unde ad fictum inferorum flumen nomen fuit accommodatum. De hoc duplex opinio eſt. Vna vulgatior; de qua priùs dicam. Nempe ut intelligatur Styx illa ad Nonacrin, Arcadiæ oppidum, profluens ex rupe prærupta, atque inde delabens ad fluvium Crathin. Eſt ea frigidiſſima, partim à venæ profunditate, partim etiam à miſtura hydrargyri ſive argenti vivi, vel etiam nitri. Hinc eſt, quòd aqua ejus epota confeſtim enecet; nec vaſa vel vitrea, vel lapidea, aut oſſea, aut ferrea, aliuſve metalli, vim ejus ſuſtineant, ſed ſolâ equi, aut mulæ, vel aſini Indici ungulâ poſſit contineri. Eoque veneno Alexander ab Antipatri filio Caſſandro interemtus perhibetur. Vide, præter eos, qui Alexandri vitam reliquere, Antigonum Caryſtium Hiſtor. Mirab. cap. CLXXIV, Vitruvium lib. VIII, cap. III, Strabonem lib. VIII, Plinium lib. II, cap. CIII, & lib. XXX, cap. XVI, Plutarchum de primo frigido, Ælianum lib. X de Animalibus cap. XL, Pauſaniam in Arcadicis, item apud Photium in Μυριοβίβλῳ, tum Iſidorum in Damaſcii vita, tum Ptolemæum Hephæſtionem initio tertii Hiſtoriarum: alios item, in his Grammaticos etiam, ut Euſtathium in Iliad. Θ: ex junioribus autem, Paullum Leopardum Emendationum lib. IV, cap. VIII, & Andream Schottum in vita Demoſthenis ad Olympiadis CXIV, an. I, ſive Demoſthenis LVIII.

Nec tamen exiſtimandum, ſolùm Arcadiæ Styga occaſionem præbuiſſe com-

commento de inferna Styge. Imò contrà videtur, Homerum, eorum, quæ de Styge, Acheronte, & aliis inferorum fluminibus, tradidit, vel præcipuè occasionem cepisse ex calidis illis fontibus Campaniæ prope Lucrinum, & Avernum lacum; ubi & Cimmerii ab eo collocantur, qui nec orientem vident Solem, nec occidentem. Hoc cognoscere est ex Odyss. decimo: ubi Circe, cui domicilium in Circeio, novi Latii monte, sic alloquitur Vlyssem à se proficiscentem ad Cimmerios: quod unius diei iter facit *:

* vers. 511, & segq.

Νῆα μὲν αὖτοῦ κέλσαι ἐπ' Ωκεανῷ βαθυδίνῃ·
Αὐτὸς δ' εἰς Αΐδεω ἰέναι δόμον εὐρώεντα.
Ἐνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα, Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι,
Κωκυτός θ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.
Navem quidem illic siste in Oceano profundorum vorticum.
Ipse autem in Plutonis eas domum obscuram:
Vbi in Acherontem, Pyriphlegeton fluunt,
Et Cocytus, qui Stygiæ aquæ est emanatio.

Cimmerios verò hîc statui à poeta, atque ad eos unâ à Circejo die perveniisse, indicant illa Vlyssis initio lib. XIII:

Τῆς δὲ παννυχίης τέταθ' ἱστία παντοπορούσης,
Δύσετό τ' ἠέλιος, σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιαί·
Ἠδ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυῤῥόου ὠκεανοῖο·
Ἐνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε,
Ἠερι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ὑπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.
Totâ autem die passis velis per mare navigavimus.
Occidit & Sol, omnesque vici inumbrabantur.
Illa (navis nostra) *ad fines pervenit profundi Oceani.*
Hîc erat Cimmeriorum hominum populus, & oppidum;
Qui caligine, & nubibus (sunt) *contecti; neque unquam eos*
Sol lucidus intuetur radiis.

Audiamus & Lycophronem in Cassandra:

Βαιᾶ δ' ἀμείψας ἦ κυβερνήτᾳ τάφον,
Καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα, καὶ Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν ὀἰδμαλος χύσιν,
Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον, ἔνθα δύσβαλος
Τείνει πρὸς ἄιθραν κρᾶτα πολυδένδρων λόφος·
Ἐξ οὗ τὰ πάντα χύτλα, κἠ πᾶσαι μυχῶν
Πηγαὶ κατ' Αὐγῖτιν ἕλκουσι χθόνα,
Λίμνῃ τ' ἄορνον, ἀμφιτορνωτὶὺ βρόχῳ,
Καὶ χεῦμα Κωκυτοῖο λαβρωθὲν σκότῳ

Στυγὸς

Στυγὸς κελαινῆς νασμὸν, ἔνθα Τερμιεὺς
Ορκωμότης ἔτευξεν ἀφθίτοις ἕδρας.
Baji porrò transiens nautæ sepulchrum,
Et Cimmeriorum domicilia, Acherusiamque
Procellis fluctuantem undæ scaturiginem,
Et Pyriphlegethontem fluvium, ubi difficilis adscensus
Tollit in æthera caput capax collis;
Vnde omnia fluenta, & omnes specuum
Fontes per Ausoniam emanant terram;
Paludemque Avernam, circumductam laqueo,
Et fluentum Cocyti, absorptum tenebris.
Stygis nigræ fluvium; ubi Terminus
Iurisjurandi statuit Diis sedes.

Liquidò in Ausonia, Italiæ parte, & Cimmerios, & Acherontem, & Pyriphlegethontem, & Stygis fluvium, reponit. Etiam hosce Homeri Cimmerios non juxta Bosphorum, sed magnæ Græciæ Avernum, constituunt Strabo lib. I, Plinius Hist. Nat. lib. III, cap. V, Maximus Tyrius dissertatione XXVI, & Festus his verbis: *Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt: quales fuerunt inter Bajas, & Cumas, in ea regione, in qua convallis satis eminenti jugo circumdata est, quæ neque matutino, neque vespertino tempore, Sole contegitur.* Sic igitur colligimus: Homero, vel iis, quos secutus est Homerus, fingendi istos inferorum fluvios occasionem eo præbitam esse, quòd illa Campaniæ pars, ubi Avernus, & Bajæ sunt, tot calidos habeat fontes, & priscis temporibus gravissimi odoris.

Caussa autem istorum est à sulfure, & ignibus subterraneis: unde ea loca describens Dio lib. XLVIII: Τὰ ὄρη ταῦτα, πρὸς τῇ ἔνδον θαλάσσαις ὄντα, πηγὰς πυρός τε ἅμα πολλὰς καὶ ὕδατος συμμιγεῖς ἔχει· *Montes illi, qui sunt ad interiorem maris sinum, fontes habent ignis multi cum aqua commixti.* Ac similiter Strabo in quinto: ubi cur Dicæarchia, quæ Averno est proxima, aliter vocetur *Puteoli*, caussam hanc adducit, ὅτι τὸ χωρίον ἐκεῖ θείου πλῆρές ἐστι, καὶ πυρὸς, καὶ θερμῶν ὑδάτων· quòd omnis ille tractus sit plenus sulfuris, & ignis, & calidarum aquarum. Itidem Varro in quarto de L. L. *A puteis oppidum Puteoli, quòd sint circa eum locum aquæ frigidæ, & calidæ multæ. nisi à putore potiùs, quòd putidus sit odoribus sæpe ex sulfure, & alumine.* Posteriorem rationem adducit & Festus. Clarè etiam de Averno sic Servius in III Æn. *Hic Averni lacus antè sylvarum densitate sic ambiebatur, ut exhalans inde per angustias aquæ sulphureæ odor gravissimus supervolantes aves necaret: unde & Avernus dictus est, quasi ἄορνος: quam rem Augustus Cæsar intelligens, dejectis sylvis, ex pestilentibus amœna reddidit loca.* Tria hinc cognoscimus. Vnum spectat nomen

men Ἄορνος, unde digamma inserto, & vocali quartâ abeunte in secundam, ut in aliis fit trecentis, *Avernum* fecere Latini. Ἄορνος autem, quia, quæ advolarint aves, fœtore loci emoriebantur; ut est apud Antigonum Carystium cap. CLXVI. Qui & addit, similem esse amnem in Sarmatia, secundùm Heraclidem. Quamquam verò & idem de Averno traditum sit à Lucretio lib. VI, & ex Varrone à Plinio lib. XXXI, cap. II: pro fabula tamen habet Strabo lib. V. Alterum est, quòd Servius caussam graveolentiæ refert in aquas ejus sulfureas, & densitatem sylvæ. Adde altitudinem collium, quibus ambitur. Nam & Aristoteli in Admirandis traditum est, περικεῖσθαι λόφους κύκλῳ· τὸ ὕψος οὐκ ἔλαττον τριῶν σταδίων· *circumdari collibus: quorum altitudo non minor sit, quàm trium stadiorum.* Denique addit Servius, ut Augustus exciderit sylvam superincumbentem. Quod ab Agrippa, sed jussu Augusti, factum esse, Strabo narrat in quinto. Inde igitur loci in posterum salubritas: quò respiciens Silius ait in XII:

Ille olim populis dictum Styga, nomine verso,
Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Avernum.

Vbi videmus, Stygis etiam nomen, quam in Arcadia posuimus, Averni in Campania putâsse. Itidem Acheronta hic collocat, & calorem ejus à sulfure esse, & ignibus, tradit Servius in illud VI Æn.

— tenebrosa palus Acheronte refuso:

Paludem pro lacu posuit. Nam Avernum significat: quem vult nasci de Acherontis æstuariis. Et mox: *Acheron fluvius dicitur inferorum, quasi sine gaudio. Sed constat locum esse haut longè à Bajis undique montibus septum; adeò ut nec orientem, nec occidentem Solem possit adspicere; sed tantùm medium diem. Quod autem dicitur ignibus plenus, hæc ratio est: omnia vicina illic loca calidis, & sulfuratis locis scatent.*

Nec tamen in sola Campania Acheron est: sed & ejus nominis fluvius prope Heracleam Ponti, item alter Epirotarum, alius item Elidis in Peloponneso. Vide Apollonium in Argonaut. II *, Strabonem non uno loco, Trogum sive Iustinum in XII, atque alios. Itidem præter Cocytum Campaniæ, *Parthenopen inter, magnæque Dicarchidos arva:* (ut de eo est apud Petronium Arbitrum) etiam Cocytus est in Epiro prope Cichyrum urbem; teste Pausania in Atticis. Sed ex iis, quæ diximus, obscurum non est, Homerum, quem alii secuti, potiùs à Campaniæ Cocyto, uti & ab ejusdem Acheronte, & Styge, & Pyriphlegethonte, has appellationes ad commenticios inferorum fluvios transtulisse. Neutiquam verò iis assentio, qui Cocytum primò putant inferorum amni competere, ac sic dici ἀπὸ τοῦ κωκύειν, quod est *lugere, flere, ejulare.* Nempe secundùm illud Scripturæ ‡: *Istic erit fletus, & stridor dentium.* Nihilo magis placet, ut sit à κόπτω, *cacatà,*

* *vers.* 351, & *segg.*

‡ *Matth. cap.* 28, *vers.* 12, & *c.* 22, *v.* 13, *item c.* 24, *v.* 51, & *Luc.* 13, 28.

cacatà, quod idem ac קאת, hoc est, *onocratalus*, aliáve avis immunda : ut liquet ex Isa. xxxix, 11. Cujusmodi avium nomina secundùm Hebræos, etiam spiritibus tribuuntur agentibus in locis desertis. Omnino autem verisimilius est, poëtas nomina hæc à superis ad inferos transtulisse. Quomodo etiam videmus ab Hebræis factum in *gehenna*. Quippe ea propriè vallis erat prope Hierosolymam : ubi cùm Iudæi antea soliti essent Molocho efferre liberos ; rex Iosias, quò locum hunc profanaret, cadavera immundáque omnia cò jussit inferri : unde postea factum, ut ad tormenta impiorum ea transferretur appellatio : quemadmodum pluribus enarrat B. Hieronymus in Matth. Euang. cap. x.

CAPVT LXXXII.

Aqua veteribus Scythis pro numine erat, ut quibus Thamimasades *idem fuerit, ac Romanorum* Neptunus. *Obiter de Artimpasa, ac vocabulum hoc correctum apud Origenem, & Hesychium. Fontibus & lignis sacrificatum ab Hessis, & Bohemis. Peruanis divino honore affectum mare, nomine* Mammacocha : *item flumina, ac fontes.*

POst Græcos, & Romanos, venio ad Scythas, Celtas, ac novi etiam orbis incolas. Scythis, ut Sol, & Luna ; aër & terra ; sic aqua etiam colebatur. Sed nomina eis longè alia : ut ostendit Herodotus in Melpomene : Ονομάζουσι δὲ Σκυθιστὶ Ἱστίη μὲν, Ταβιτὶ · Ζεὺς δὲ καλεόμενος Παπαῖος · Γῆ δὲ, Ἀπία · Ἀπόλλων δὲ Οἰτόσυρος. Οὐρανίη δὲ Ἀφροδίτη, Ἀρτίμπασα. Ποσειδέων δὲ, Θαμιμασάδης. *Vesta Scythicè vocatur Tabiti ; Iupiter autem, Papæus ; Tellus, Apia ; Apollo, Oetosyrus ; Cælestis Venus, Artimpasa ; Neptunus, Thamimasades.* Quem locum etiam Origenes adducit contra Celsum lib. vi. Sed apud eum perperam Ἀργίμπασα, pro Ἀρτίμπασα, legitur. Nam posterius hoc comprobatur veteri inscriptione * : ΔΙΙ. ΠΑΤΡΙΩΙ. ΑΡΤΙ : : ΠΑΣΑ. Vnica solùm litera μ excesa. Hesychius : Ἀρτημπάσαν, οὐρανίαν Ἀφροδίτην ὑπὸ Σκυθῶν · Vbi π priori loco pro ι, posteriori pro π irrepsit. Vnde verò & Veneris, & Neptuni, & cætera, quæ dixi, numina trahant nomina istæc Scythica, post tot secula difficile est dictu : cùm ne illud quidem satis constet, utrùm Herodotus ea fideliter expresserit. Fere enim ita usu venit, ut cùm nomina in aliam transfunduntur linguam, multum de genuinis deperdant, sic ut illi, unde profecta, vix ea agnoscant pro suis. Sed si tamen de origine eorum commentari animus sit ; non ea aliunde arcessam, quàm è veteri Germanorum lingua, cui proxima erat ista Scytharum : quando ex Asiatica Schythia Scythiam Europæam, vicinasque magnæ Germaniæ gentes, genus ducere, validis evincere argumentis admodum

* *Inter Gruter. pag. 60, num. 6.*

dum nobis ſit proclive. Sed non eſt id hujus inſtituti : & paucis defungi ſi velim, videar ſine ratione vel βεκανίζειν, vel, ſi malis, βεκκεσελωνίζειν.

Ad propiora igitur me ſecula confero. Ac primùm illud, quo Cattos ſive Heſſos convertit S. Winfrid, cognomento Bonifacius, primus epiſcopus Moguntinus; cujus vitam, ſed interpolatam, legas apud Surium a. d. v Iunii. Id quod dicam, apud eũ reperias cap. XXII †. Sed ſcriptor ejus vitæ, præfatione ad fratres Fuldenſes, ait, ſe ea, quæ obſcuriùs ſcripſerat S. Willibaldus, primus epiſcopus Eiſtetenſis, aperto enarrâſſe ſermone. Eum Willibaldi librum edidere Caniſius quarto Antiquarum Lectionum libro part. II *, & Serrarius unà cum S. Bonifacii epiſtolis. Verba igitur hujus Wilibaldi, miſſo exſcriptore, & interpolatore, excerpam ex cap. VIII : *Tum verò Heſſorum jam multi Catholicæ fidei ſubditi, ac ſeptiformis ſpiritus gratiâ confirmati, manus impoſitionem acceperunt. Et alii quidem, necdum animo confortati, intemeratæ fidei documenta, integrè recipere renuerunt : alii etiam lignis, & fontibus clanculò, alii autem apertè, ſacrificabant.*

† *ſive prioris editionis Colonienſis, quæ anni eſt 1572, & capita adſcripta non habet, pag. 477.*
* *pag. 343.*

Itidem Bohemos fontibus ſacrificâſſe, lego apud Ioannem Dubravium lib. I Hiſtoriæ Bohemicæ †. Qui & huic rei firmandæ de nympharum ab hac gente cultu, & id genus numinum, verba adducit è Procopii hiſtoria Gothica ‡. Idem Dubravius in nono hiſtoriæ ſuæ * ſic ſcribit : *Cætera in Bojemia tranquilla erant, niſi quòd ad vomitum ſuperſtitioſi rurſus revertebantur, Lares, & Lemures, colentes, victimaſque tum ad fontes, tum ad lucos, & compita mactantes.*

† *pag. 5, editionis Wecheliana.*
‡ *Procopii locus eſt lib. 3, pag. 277, editionis Auguſtanæ ab Heſchœlio Græce procuratæ. Sed de ſylvarum cultu, de quo addit Dubravius, nihil apud Procopium legas. Decepit Dubravium interpres Chriſtophorus Perſona : qui ubi Græcè eſt πεταμὸς, oſcitantius* ſylvas *vertit, cum* fluvios *deberet.*
* *pag. 68, edit. Wechel.*

Abſolvã, ubi aliquid de novo orbe adjecero. Mare pro Deo coluere Peruani, ac numen hoc dixere *Mammacocha*: item flumina ac fontes ab iis habebantur pro Diis. Teſtis de his locuples Ioſ. à Coſta lib. V, cap. II, & IV.

CAPVT LXXXIII.

Acceditur ad aëra, qui & ipſe cæli nomine continetur, ac quandoque διακριτικῶς hoc cælum, *nominatur. Aëris profunditas quanta ſit ex Brahæi ſententia. Quæ ſuprema aëris regio dici ſolet, in duas diſpeſcitur; unam expertem, alteram participem fumoſæ exhalationis. Non eſſe proprium elementalis ignis locum inter aera ſupremum, & orbem Lunarem : imò nec Ariſtotelem id putâſſe. Perperam* crepuſculi *nomine etiam* diluculum *intelligi. Quouſque eleventur halitus terreſtres. Altitudo quanta Caucaſi, Tenariffæ, Pariacacæ. Verticem Atlantis, ac Pelii montis, infra nubes eſſe. Quantum nubes abſint à nobis. Cur Deus aëra fecerit pellucidum, fluidum, item exhalationum, & caloris ac frigoris capacem. Cur reſpiratione nobis ſit opus. Lactantius emendatus.* Anima, & aer, *unde dicta.*

AB aquis venio ad corpus, quod inter cælum ſidereum, & aquæ terræque globum, eſt interjectum : puta cælum aëreum ; quod nunc *cælum* nomine

nomine totius, nunc particulatim *aer* vocatur. Nam, ut Varro ait apud B. Augustinum *, *Mundus dividitur in duas partes, Cælum, & Terram; & Cælum bifariam, in Æthera, & Aëra.* Ac similiter idem Varro in V de L. L. *Cælum dupliciter dicitur, & supremum illud, ubi stellæ; & hoc totum, quod complexu continet terram.* Lucretius lib. IV †:

Constituuntur in hoc cælo, qui dicitur aer.

Sunt viri eruditi, qui existiment, aëra non dici *cælum*, sed, ut hîc loquitur Lucretius, *hoc cælum*; ac similiter Græcis, non ὐρανὸν vocari, sed τὸ ὐρανὸν; Hebræis non רקיע, *rakia*, sed cum ה demonstrativo, הרקיע, *harakia*. Sed id in nulla linguarum, quas adduximus, perpetuum est.

Quemadmodum autem *cælum*, ita & *Iupiter*, non pro sidereo tantùm cælo, sed pro aëre etiam, usurpatur. Sed hoc inferiùs comprobabitur.

Quàm vastum sit hoc aeris corpus, argumento est, quòd (ut Tycho Brahe se obsevâsse scribit) ab terra usque ad Lunam sint semidiametri terræ quinquaginta duæ. Quomodo is, ut colligit Christophorus Rhotmannus *, major erit centies millies globo aquæ terræque.

Dividitur autem non à Peripateticis modò, sed Stoicis quoque, in regionem summam, mediam, imam. Ita Seneca lib. II Nat. Quæst. cap. X, & Plin. lib. II, cap. XXIII. Possis tamen, ut arbitror, commodè eam distribuere in regiones quatuor. Suprema enim illa est duplex: una purior, liquidiorque; altera fumosas habens exhalationes. Prior ista, quæ plurimùm immunis est à meteoris, extendit se, ex sententia Peripateticorum, usque ad elementum ignis; ut malunt alii, usque ad concavum ætherei orbis, in quò Luna infimum obtinet locum. De puro igne, Lunæ proximè subdito, inane est suspicari, ac ne Aristoteles quidem illud putavit. Solùm inter æthereos orbes, & purum aera, interesse tradit, ἀναθυμίασιν ξηρὰν καὶ θερμὴν, *exhalationem siccam, & calidam*; ut videre est Meteorologicorum lib. I, cap. VII. Illud autem ὑπέκκαυμα, (quasi *incensionis fomitem* dixeris) ut non sit aer purus, ita nec est ignis purus, sed fuerit aer fervens ex calidarum exhalationum mixtura. Tantùm verò abest, ut existimemus, inter aera, & æthera, puri esse ignis elementum, ut aera credamus, si non toto esse æthere, saltem usque ad cælum stellarum fixarum: ac raritate quidem ab æthere, non tamen specie, totâque differre naturâ: quemadmodum satis ex iis est cognoscere, quæ de materie cæli diximus libri hujus cap. XXXVIII. Sed de ætheris substantia nunc mittamus: ac videamus solùm de aere inter planetarum infimum, & aquæ terræq; globum, intermedio. Et quia diximus de parte illâ Lunæ proximâ, à meteoris magis immuni; nunc accedamus ad alteram, propiorem nubibus, intra quam se fere fumosæ continent exhalationes utriusque crepusculi, vel, ut more potiùs

* lib. 7 de Civit. Dei cap. 6.

† 132.

* lib. 1. Tychonis Brahe epist. Astrolog. p. 122.

potiùs loquar Romano, quàm barbaro, tum diluculi, tum crepuſculi : hoc eſt, illi, qui longè ſupra altiſſimos montes elevantur, primique mane Solis admittunt radios, & veſperi eos retinent poſtremi. Exhalationes iſtæ elevantur à terra milliaribus Italicis LII, ſive Belgicis XVII, ſive Germanicis XII. Quam ſententiam ab Alhazeno, & Vitellone olim aſſertam, variis certiſque argumentis Tycho Braheus comprobavit. Ac in tantum quidem attollitur inferior ſupremæ regionis pars ; intra quam exhalationes fumoſæ fere conſiſtunt. Pauci verò montes in hanc uſque partem elevantur. Talis Caucaſus in Aſia; qui, Ariſtotele teſte *, tertiâ noctis parte retinet crepuſculi radios : item Tenariffa in Canariis ; qui cum in mari conſpiciatur ex quatuor graduum intervallo, perpendiculum habet milliarium IX, ac dimidii : ut in Eratoſthene ſuo collegit vetus collega & amicus, ὁ μακαείτης Wilibrordus Snellius : adhæc in Americæ parte ea, quæ Peruviæ nomen habet, montes varii, quibuſcum Alpes comparatæ videantur caſæ præ palatiis : unus autem eorum Pariacaca in jugo aëra habet adeò tenuem, & ſubtilem, ut magna cum difficultate, & moleſtia, ac vix ſine nauſea & vomitu, poſſis reſpirare. De quo Ioſephum Acoſtam vide lib. III Hiſt. Ind. cap. IX. Plurimùm verò excelſos etiam montes, vel infra, vel ſaltem intra mediam conſiſtere regionem, argumento erunt, non modò Alpes nivoſæ, ſed etiam Atlas, quem non Maro † tantùm nubibus in vertice cingi, ventoque & imbribus cecinit pulſari : ſed Dio ‡ etiam, etſi altiſſimum crederet montium, perpetuâ tamen ait nive conſperſum. Pelii quoque montis verticem eſſe intra nubes, obſervavit Ptolemæus Philadelphus, cum ſciendi curioſus eum adſcendiſſet ; ut eſt apud Plutarchum in Paullo. Ac licet ſic vulgò de Hæmo ferretur, ex eo proſpectari, hinc mare Adriaticum, & Alpes, inde autem Pontum Euxinum : Philippus tamen, Macedonum rex penultimus, cum eum adſcendiſſet, comperit, (Livii * verba ſunt) *ubi jugis appropinquabant, adeò omnia contecta nebulâ, ut haut ſecus, quàm nocturno itinere, impedirentur.*

* *lib.* I *Meteor. cap.* 3.

† 4 *Æn.*

‡ *lib.* 75.

* *lib.* 40.

Ex hiſce, quæ de montium altitudine diximus, ſtatuere etiam licet de altitudine mediæ, vel ſi ſupremam nobiſcum in duas diſpeſcas, tertiæ aeris regionis. In quo tamen non per omnia convenit hominibus eruditiſſimis. Sed vel veriſſima eſt, vel proximè à vero abit, opinio eorum, quibus videtur, concavum nubium abire à nobis paſſibus quingentis, ſive ſpatio milliaris Italici dimidii. Tantum enim abſunt nubes, cùm graviſſimæ ſunt, & in pluviam ſe jam reſolvunt. Convexum autem nubium abeſt plus minùs Italicis milliaribus quatuor : à quo non multum abiit Poſidonius, qui, Plinio † teſte, ajebat, *non minùs* XL *ſtadiorum à terra altitudinem eſſe, in quâ nubila, ac venti, nubeſque proveniunt.* Id quinque fuerit Italicorum miliarium.

† *lib.* 2, *cap.* 23.

Nam

Nam octona ſtadia millenis conſtant paſſibus. Cardanus, in XVII Subtilitatum, ut de proximis aſſentit nubibus, (nam ait, vix quingentis abeſſe paſſibus) ita de remotiſſimis modum videtur nimis coartâſſe: ut qui ſummas etiam arbitretur vix ad bis mille paſſus elevari: id verò iis refellitur, quæ de perpendiculari diximus altitudine montium, qui nivibus obteguntur.

Sive verò tripartitum malis, ſeu quadripartitum ſtatuere hunc aëra; ſive item regiones eas universè, prout aëris ſunt; ſive particulatim, ut hujus ſunt, vel illius regionis, conſideres: undecunque divina ſe exerit providentia.

Ac primùm in eo, quòd corpus ſit, non opacum, quale terminat viſum; ſed perſpicuum, quod lucem ac colores tranſmittit. Quare niſi perſpicuus aer foret, quid magis oculi prodeſſent, quàm cæcis? Et eo major eſt admiratio, quòd ſimul tot colorum ſpecies eundem tranſeant aëra ſine mixtura, ac confuſione. Vt liquet, ſidera, prata, hortos, ædificia, animantia, contemplanti.

Alterum eſt, quòd aër non ſolidum ſit corpus, ſed tenue ac fluidum. Tenuitas ac ſubtilitas magna eſt in aranearum filis. Cernuntur tamen. Aër fugit conſpectum omnium. Fila aranearum, ut facile rumpas, ſic difficulter jungas. Aër non facilè modò ſcinditur, ſed ſciſſus etiam facilè unitur. Abſque hac tenuitate & fluxu aëris foret, non naturali, non ſpontaneo ſecaretur animalium motu. Quàm difficulter terram animalia penetrant ſubterranea! Qui progrediamur, ſi paries obſtet? Quàm difficilis ingreſſus per aquas ipſas! Per aëra autem quàm velociter volant aves, ambulant homines, corpora quoque alia de loco transferuntur in locum. Etiam tenuis illa ac fluida natura requirebatur tum ad loquendum, tum ad audiendum. Nam & opus erat aëra ſonum loquentium recipere: qui autem loquitur, neceſſe habet linguæ plectro variè aëra ferire, ac figurare. Opus etiam fuit, aëra, quem ſonum recepit, tranſvehere ad aures. Quare abſque aëre eſſet foremus, quaſi ſurdi, & muti. Atq; admirationem hîc auget, quòd eopſe tempore, per aëra eundem, diverſæ ſonorum ſpecies pervadant ad aures noſtras. Vt ſi hinc audias ſuſurrum fluminis, inde arboris; ponè cantillent aviculæ, à fronte canant pueri ſymphoniaci.

Præterea utilitatem aëris commendat, quòd tum caloris ac frigoris eſt capax, tum vaporis etiã, ac fumoſæ exhalationis. Vapore in nubes, ac pluviam, concreſcente, terra humectatur: unde plantæ & animantia nutriuntur, ac augentur. Fumoſæ exhalationis utilitas ex iis cognoſcetur, quæ de fulmine dicentur, & aliis meteoris igneis. Sed imprimis calor, & frigus, requiritur, quia abſque iis non ſit rerum generatio, vel conſervatio. Sed

omnia exsuperat, quòd cùm homo, ad paucos dies, supervivere possit sine cibo, & potu, non tamen id possit, nisi spiritum ducendo. Nam opus est illi tum ἀναπνοῆ, sive inspiratione per os, nares, arterias; tum διαπνοῆ, sive transpiratione per cutis meatus. Exiguntur autem hæc propter tria; ἐμψυξιν, sive *refrigerationem*, ῥίπισιν, sive *ventilationem*, καὶ ζώωσιν πνεύματος ψυχικοῦ, *generationem spiritus animalis*. Necesse enim est, attrahendo pulmonibus aëra frigidum, temperari continuò caloris nativi æstum. Vnde &, aëre, quem attraximus, calefacto, eundem pulmonibus exspirari opus est. Propterea Galenus, libro an sanguis in arteriis contineatur, ait, aëra attrahi, non quia ejus requiratur substantia, sed quia egeamus ejus frigore. Ventilatio præterea tributa nobis ad ignẽ caloris nativi excitandum; qui alioqui tepesceret, ut ignes nostri cineribus obducti. Denique nutriri necesse spiritum animalem; qui pulmonibus adductus, & corde receptus, in eo elaboratur, ac cerebro perficitur; hinc per corpus diffunditur, ut proximum sit instrumentum sensus, & motus. Vnde Vitruvius, præfatione lib. VIII: *Corpora sine spiritu redundanti non possunt habere vitam, nisi aër influens cum incremento fecerit auctus, & remissiones continenter.* Imò ex multiplici ejus usu, quem diximus, collegere aliqui, animam esse aëra. Vt Varro, apud Lactantium lib. de Opificio Dei cap. XVII: *Anima est aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus.* Prout & optimæ habent editiones: sed, naturâ rei sic postulante, legendum censeo, *tepefactus in pulmone, fervefactus in corde.* Interea rectè subjicit Lactantius, *Hoc apertissimè est falsum.* Attamen non Varro animam ipsam dixisset aëra, nisi spiritus animalis aere gigneretur, & nutriretur. Nempe anima propriè est ventus; ut in illo Horatii *, *Impellunt animæ lintea Thraciæ:* item halitus oris; ut cùm dicimus, *animam fœtere*, vel *efflari.* Accommodata deinde vox animæ sensitivæ, quia se exserit πῦ ἄειν, *spirando.* Tandem & vox ea rationali aptata animæ. Proprietatem vocabuli cognoscimus ex eo, quòd ἄνεμος sit ab ἄημι, hoc est, *spiro.* Imò & ἀὴρ sic nominatus putatur, quia per eum spiramus, & vivimus. Malim tamen, sic dici, quia est spirabilis naturæ: ut idem propriè sit, ac *ventus.* Nam satis constat, *spiritum* sæpe, & *ventum*, sumi pro aere; à Stoicis imprimis, ut apud Senecam III Nat. Quæst. cap. XIV. Atque idem epist. CXVII ait: *Hæc sunt elementa, quibus hic mundus administratur; Aqua, Terra, Spiritus.* Saltem verisimilius hoc etymon utroque eorum, quæ Plato adducit in Cratylo. Nec ab Græca origine verisimilius deduxeris. Sed fortasse possis ab Hebræo fonte. Nimirum ut *Aer* prius fuerit *Aor*, ab אור, hoc est, *lux, lumen, splendor.* Ratio nominis erit, quia aer & recipiat lucem, & transmittat. Ac similiter Saxonibus, & Belgis, *aer* dicitur **licht**, & **locht**, à **licht**, quod non solùm *leve* notat, sed etiam *lumen.*

* *lib. 4, od. 12.*

Nempe

Nempe à Græco λύκης, vel Latino *lucis* vocabulo. Solent enim Belgæ apponere *t* in fine : de quo nos alibi.

CAPVT LXXXIV.

*Aer pro numine habitus Anaximeni Milesio, & Diogeni Apolloniatæ : similiter sapuisse Assyrios, & Arabas : quibus per Venerem Cælestem tum Luna, tum aer subjectus, intelligebatur : item Ægyptios, qui aëra dixere Minervam : adhæc Græcos, & Romanos ; quibus aer est mas, quatenus spiritus est vegetans ac movens, dicitur*que Iupiter : *femina autem, quatenus recipit exhalationes, & quæ inde generantur, &* Iuno *nuncupatur. Quid* pedem *dixerint in re nautica.* Dijovis, Diespiter, Lucetius. *Cur Iuno tum soror statuatur Iovis, tum uxor, ac cur à maritò dicatur suspensa de cælo appensis ei incudibus duabus. Cur ab albis ulnis laudetur Homero. Quamobrem* Sospitæ *ei datum cognomentum ; item* Argivæ : *& quod nomen fuerit primæ ejus apud Argivos sacerdoti.*

ATque horum consideratio cùm sustollere mentes deberet humanas ad cultum ejus, qui aëra creâsset : contrà evênit, ut mirâ iis cæcitate deprimerentur ad venerationem creaturæ : nec vulgares solùm animæ, sed etiam maximi nominis philosophi : inter alios Anaximenes Milesius, & Diogenes Apolloniates. De priori sic Tullius in primo de Nat. Deorum : *Anaximenes aëra Deum statuit, eumque gigni, esséque immensum, & infinitum, & semper in motu : quasi aut aer sine ulla forma Deus esse possit, cùm præsertim Deum non modò aliquâ, sed pulcherrimâ specie, esse deceat : aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur.* Quibus non modò Anaximenis sententiam clarè proponit ; sed solidè etiam refellit. Atque ex hoc Tullii loco eandem Anaximeni opinionem tribuit B. Augustinus epist. LVI, quæ est ad Dioscorum. Ac scitè idem lib. X Confessionum cap. VI, quo tractat, Deus quid sit, & quomodo cognoscatur : *Interrogavi*, ait, *auras flabiles, & inquit universus aer cum incolis suis : Fallitur Anaximenes : non sum Deus.* De Diogene sic post superiora Tullius : *Quid aer? quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei ?* Item Augustinus lib. VIII de Civ. Dei cap. II : *Diogenes, Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit esse materiem, de qua omnia fierent : sed eum esse compotem divinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset.* Sed, missis philosophis, de totis potiùs gentibus videamus.

De Assyriis, & Arabibus, testis est Herodotus lib. I : qui & auctor est, vocatam iis Ἀφροδίτην Οὐρανίαν *. Interim ex iis, quæ antea diximus, liquet, Orientales per Venerem Vraniam, sive Cælestem, intellexisse, tum Lunam, tum Aëra ; ut eadem iis Diva fuerint Venus, & Iuno. Quod obscurum

* *Venerem Cælestem.*

non

non est ex Plutarcho in Crasso : quo loco de Dea agit Hierapolitanâ : ubi aliis eam ait Iunonem, aliis Venerem credi. Ουρανίην vocat Herodotus in primo. Ab Assyriis, & Arabibus, ejus esse cultum, ait Pausanias in Atticis. Apertéq; imprimis Iulius Firmicus lib. profanarum religionum : *Assyrii, & pars Afrorum aerem ducatum habere elementorum volunt, & hunc imaginatâ veneratione venerantur. Nam hunc eundem nomine Iunonis, vel Veneris virginis, si tamen Veneri placuit aliquando virginitas, consecrarunt.* Virginem Venerem Orientales dixere, ut Romani, & Græci, Virginem Dianam. Nempe hic signatur non terrestris Venus, sed cælestis : quæ partim est Luna, partim aer pro Lunæ ratione mutationibus obnoxius.

Ægyptii autem intellexere aëra per Minervam ; teste Eusebio lib. III Præparat. Euang. cap. II : ubi cum dixisset, Osiridem iis esse Solem, Isidem Lunam, Iovem Spiritum cuncta pervadentem, Vulcanum Ignem, Oceanum humorem, ac Nilum; subdit ista, Τὸν δὲ Αέρα φασὶν αὐτοὺς προσαγορεύειν Αθηνᾶν : *Aëra verò ajunt ab iis Minervam vocari.*

Expediam de Græcis, ac Romanis : quibus aer, partim consideratur, ratione potentiæ activæ, ac *Iupiter* dicitur : partim passivæ, & vocatur *Iuno.* Seneca lib. III Quæst. Nat. cap. XIV : *Aëra marem judicant, qua ventus est ; feminam, qua nebulosus, & iners.* Nempe ut Athenagoras Legatione pro Christianis refert, ἀέρα διφυῆ ἀρσενόθηλυν τὸν Δία λέγουσιν · *aëra duplici naturâ præditum masculofeminam Iovem vocant.* Iovem pro aëre sumi, ait Servius in VI Æn. & pro exemplo adducit hoc Horat. lib. I, od. I :

— *Manet sub Iove frigido Venator.* —

Estque ejusdem od. XXII hujus libri :

Quod latus mundi nebulæ malusque Iupiter urget.

Similiter Maro I Georg. — *Iupiter humidus Austris*
Denset, erant quæ rara modò, & quæ densa relaxat.

Item in secundo :

Et jam maturis metuendus Iupiter uvis.

Est & Ennii apud Varronem in IV de L. L.

Istic est is Iupiter, quem dico, quem Græci vocant
Aerem, qui ventus est, & nubes, imber postea,
Atque ex imbre frigus, ventus pòst fit, aer denuo.

Vnde & liquet, cur *Iovem* pro *vento* dixerit Catullus Carm. VI :

— *Sive utrumque Iupiter*
Simul secundus incidisset in pedem.

Sententia est, sive ventus vela implêrit. Nam *pedem* dixere Romani pro fune, quo velum tenditur, imâque veli parte, & κατὰ συνεκδοχὴν pro sinu veli, qui vento impletur. Qua de re & alibi * dixi. Ratio tralationis est ex eo,

* *Institut. Orator. lib. 4, cap. 12, sect. 3.*

eo, quia ut pes ima est corporis pars, ita & id, quod dicimus in velo. Nempe quomodo *pedem mensæ* dicunt Ovidius *, & Plinius †, *pedem vinaceorum* Columella ‡, *betaceos pedes* Varro *. Etsi Martinus de Roa Cordubensis † censeat, *pedem* Catullo propriè esse sinum sive medium veli, quia ejus beneficio, ubi vento impletum, ambulent maria, quasi pedibus, qui sunt ambulationis instrumentum.

* 12 *Metam.*
† *lib.* 12, *cap.* 1.
‡ *lib.* 12, *cap.* 43.
* *lib.* 1 *de* R. R. *cap.* 2.
† *Singularium lib.* 6, *cap.* 10.

Ad Iovem, quatenus aer est, pertinet quoque *Dijovis*, & *Diespiter*. Varro in IV de L. L: *Dialis à Iove, qui Dijovis est.* Et aliquanto ante: *Aelius Gallus, Diùs Fidius, dicebat, Dijovis filius; ut Græci* Διόσκουρον, *Castorem.* Et ibidem: *Olim Dijovis, & Diespiter dictus, hoc est, aer, & dies pater.* Et post pauca: *Idem hic Diespiter dicitur, infimus aer, qui est conjunctus terræ: ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur.* Agellius quoque lib. V Attic. Noct. cap. XII, cùm dixisset, *Iupiter* integrè esse *Iovispater*: subdit, *Item Iovis Diespater appellatus est: id est, diei, & lucis pater: iccircoque simili nomine Dijovis dictus est, & Lucetius: quòd nos die, & luce, quasi vitâ ipsâ, afficeret, & juvaret.* Ac plura inibi in hanc mentem.

Habemus de Iove: nunc subjiciam de Iunone. Quo nomine Romanis quidem, ac Græcis, Luna etiam intelligitur, ac Terra; ut antea ostensum: sed plurimùm Ηρα, sive Iuno, est aer. Imò, ut non semel dixi, Ηρα solùm trajectis literis, ex ἀὴρ factum: quod & monitum Athenagoræ in apologia sua. Sic quoque Stoici interpretabantur. Cicero in II de Nat. Deorum: *Aer, ut Stoici disputant, interjectus inter mare, & cælum, Iunonis nomine consecratur: quæ est soror, & conjux Iovis, quòd ei similitudo est Ætheris, & cum eo summa conjunctio.* Nempe subtilitate est similis, & germana; hoc est, soror: loco autem socia, & conjugata; hoc est, uxor. Et ad hanc conjunctionem pertinet, quòd dicat Homerus, à Iove catenâ fuisse de cælo suspensam, dependentibus de ea incudibus duabus. Nam aer cælo subjacet, quasi de eo dependens: & subduntur pendenti quasi incudes duæ, terra, & aqua. Eadem ob aëris perspicuitatem dicta est λευκώλενος, hoc est, *niveis prædita ulnis*, seu *brachiis*.

Sed cur & Iuno nuncupata est *Sospita*? Credo, quia in aëre, quem attrahimus, valetudo multùm sita est. Nam, ut est apud Hippocratem, libro de Natura hominis: Αἱ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ᾧ εἰσαγόμενοι ζῶμεν· *E morbis alii quidem fiunt à victus ratione: alii verò à spiritu sive aëre, cujus attractione vivimus.* Nempe à prava quidem victus ratione proveniunt morbi cujusque proprii, qui ἀποράδες, hoc est, *dispersi* appellantur: at populares, omnibusque communes, ac pestilentes, ab aëre solent proficisci. Imò idem Hippocrates, libro de Flatibus, (si is auctor ejus libri sit genuinus) etiam priorum morborum aëra causam facit:

neque

neque id reprehendi potest, dummodo non causſam intelligamus ſolitariam, ſed adjuvantem. Nam & ambientis aëris calor putredinem ſæpe, ac febrim, conciliat. Quandoque & eandem accendit, dum frigore ſuo meatus intercludit, ac transſpirationem impedit. Ac ſimiliter nunc humidus nimis febres longas, alvi profluvia, comitialem morbum, parit: nunc ſiccitate nimiâ gignit acrem ac bilioſum humorem. Quæ ſatis diſcere eſt, partim ex tertia ſectione Aphoriſmorum Hippocratis; partim ex libro ejus de aëre, locis, & aquis.

At Ἀργεῖα ſive *Argiva* dicebatur Iuno, quia Argis Dea eſſet tutelaris: ut cui Inachus terram hanc dicâſſet. Et veriſimile eſt, hinc cultum Iunonis promanâſſe ad Græcorum alios: atque inde opinionem ortam, Iunonem Argis natam. Et quia Iuno numen muliebre, eò & femina præerat Iunonis Argivæ ſacris. Primaque ſacerdotio functa dicitur filia Pirantis: ſive ejus nomen fuerit Callirrhoë, ut vulgo quidem legitur apud Hyginum fabulâ CXLV: ſive, quòd multò veriſimilius, Καλλιθόη, ut Phoronidos ſcriptori dicitur apud Clementem Alexandrinum ‡: vel Καλλίθυια, ut ex Plutarcho vocatur Euſebio in III Præparat. Euangelicæ *: aut Καλλιθέα, quemadmodum eſt apud Theonem in Aratum.

‡ *lib.* I *Strom.*
* *cap.* 8.

FINIS LIBRI SECVNDI.

GE-

ADDENDA

LIBRO SECVNDO.

Ex binis numeris prior paginam; alter versum aesignat.

327. IN margine post *malis*, adde: vel potiùs, ut clarissimo Seldeno visum, *Aphacitidis*: de qua cap. xxxvi loquemur.

Ibid. in textu vers. 20, pòst *dicemus*, adde:

Illud etiam, Adonim esse eundem, ac Solem, indicat, quòd Adonis est Bacchus: ut ait Plutarchus lib. iv Symposiacôn cap. v; ubi & Phanoclis versus adducit de Adonide Venerem rapiente. Bacchum verò esse Solem, alibi ostendimus.

328, 27. post *Qualis* adde: Iudæa. In ea ab Essenis Solem esse cultum pro Deo, traditum est Iosepho Scaligero Trihæresii cap. xxvii *. Compulsus verò est eo, quòd Philo libro περὶ βιοῦ θεωρητικοῦ sic scribat de iis †: Δὶς δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰώθασιν εὔχεσθαι, περὶ τὴν ἕω, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν· ἡλίου μὲν ἀνίσχοντος, εὐημερίαν (sic scribendum) αἰτούμενοι, τὴν ὄντως εὐημερίαν, φωτὸς οὐρανίου τὴν διάνοιαν αὐτῶν ἀναπλησθῆναι. *Bis verò unoquoque die precari solent; sub auroram, & vesperam: oriente quidem Sole felicitatem, veram inquam felicitatem poscentes: nempe ut mens sua repleatur luce cælesti.* Sed hinc quidem nullis fidiculis extorqueas, Solem Essenis pro Deo fuisse. Speciosius videtur hoc Flavii Iosephi lib. ii de excidio Iudaico cap. vii ‡: Πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων. πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες, ἀνατεῖλαι. Quæ sic vertit Rufinus: *Ante Solis ortum nihil profani loquuntur: sed ei patria quædam vota celebrant, quasi, ut oriatur, precantes.* Sed cui fides fiat, Essenos, religione Iudæos, invocâsse Solem? Nempe non aliud voluit Iosephus, quàm Solem, ut excellentissimum Dei opus, magna fuisse in veneratione apud Essenos: ac propterea nihil dixisse profani ante exortum ejus, precibusque patrio more propter Solem fusis, exposcere solere, ut quamprimum oriretur. Scaligerum tamen secutus quoque Petavius notis ad Epiphanium, eamque sententiam idem in Miscellaneis Exercitationibus tuetur cap. i. Mihi longè magis de isto placent, quæ duo summi viri scripsere, Claudius Salmasius, & Ioannes Croius; ille in Exercitationibus Solinianis *; hic in sacris & historicis exercitationibus part. ii, cap. iv. Neque illud me movet, quòd iidem Esseni, ut Iosephus ait, quoties vellent exonerare ventrem, scrobem defoderent, tum pallio sibi circumfuso super eum conquiniscerent, ὡς μὴ τὰς αὐγὰς ὑβρίζοιεν τοῦ Θεοῦ·

* pag. 215.
† pag. 612.
‡ Gr. cap. 6, pag. 728.
* p. 611.

† ne in-

ne injuriam facerent Dei luci. Neque enim Θεὸς hic Solem signat; ut sæpe utuntur gentiles; sed verum numen: ac proinde lux Solaris non dicitur alia de causa lumen Dei, quàm quia Deus creavit Solem.

Sed ut de Iudæis falsi sint viri doctissimi, in aliis tamen Syriæ Mediterraneæ locis certum est hunc cultum Solis obtinuisse. Valde enim Syriæ tellus patuit. In ea quippe

334, 5. post *interpretabamur,* adde: Quod si Malachbelus sit Lunus, Aglibolus Sol fuerit. Et fortasse, (quòd Scaliger in quincto de Emendatione temporum putabat) lapidicidarum errore *Aglabolus* pro *Aglabelus* sculptum fuit. Vtcunque sit, nihil adhuc melius video, quàm ut vox ea sonet dominum rotundi, sive amphitheatri hujus mundani; quod & orbes cælestes, & terrarum orbem comprehendit. Cur autem, contrà quàm nonnulli, Aglibelum potiùs, quàm Malachbelum, Solem arbitrer, eo præcipuè compellor, quòd Aglibeli nomen præcedat. Nec enim, puto, Lunæ vel Luni numen Solari numini præposuissent. Quod verò dicebamus, veteribus Lunam fuisse tum marem, tum feminam, quia numen hoc alii Lunum, alii Lunam vocarent; id non tam causa opinionis ejus est censendum, quàm signum. Nec enim quia Lunus, & Luna, diceretur, eò Luna habebatur ἀρσενόθηλυς *: sed contrà, quia crederetur ἀρσενόθηλυς, eo sacerdotes Carreni pro *Luna Lunum* dicere jusserunt. Nempe quia Lunam magis ratione principii activi, ut dignioris, attenderent; quàm passivi, sive feminei. Verùm ista pleniùs intelligentur, cùm dicam de Naturæ numine, sive anima mundana.

* *mas femina-que.*

337, 14. post *In eadem,* adde: est Sabæorum populus: de quo sic Theophrastus lib. IX Hist. Plant. cap. IV: Συνάγεται πανταχόθεν ἡ σμύρνα, καὶ ὁ λιβανωτὸς εἰς τὸ ἱερὸν τὸ ἡλίου. τοῦτο δ' εἶναι μὲν τῶν Σαβαίων· ἁγιώτατον δὲ πολὺ τῶν περὶ τὸν τόπον. τηρεῖν δ' ἐκεῖ τοὺς Ἄραβας ἐνόπλους. *Convehi undique myrrham, ac thus, ad delubrum Solis: hoc Sabæorum quidem esse, sanctissimum verò locorum omnium circumjacentium: custodesque habere Arabes armatos.* Sunt & populi Arabiæ

349, 6. post *notis* adde: Etiam hujus numinis, ac pariter Obodæ, meminit Tertullianus in secundo adversus nationes cap. VIII. Sed vulgo sic legitur: *Quanti sunt, qui norunt visum, vel auditū, & Argatim* (leg. Atargatim †) *Syrorum; Cælestem, Afrorum; Varsutinam, Maurorum; Obodanedussirem, Arabum.* Vbi divisim *Obodan, & Dussarem,* legi oportere, monitum jam clarissimo amplissimoque Dion. Gothefrido: qui primus opusculum id publici juris fecit; uti & alia nobilissimi scriptoris, quę quondam fuere episcopi Agobardi, regiæ Christianissimi Regis bibliothecæ donavit: unde Tertullianum nobis infinitis locis meliorem magno Ecclesiæ bono edidit vir

† *nempe duæ principes literæ At in & conversa.*

non

non uno nomine laudatissimus Nicolaus Rigaltius. Mirum verò Herodotum in Thalia, & ex eo Origenem lib. v contra Celsum, scribere, non alios Arabibus Deos esse, quàm Dionysum sive Liberum, quem *Vrotalt* vocant, & Vraniam, *Alilat* dictam. Nam hæc naturalia sunt numina, puta Sol, & Venus, sive Luna. At Obodes numen est animale, cum rex fuerit in Deos relatus; cujus sepultura ostendebatur in Nabathæorum tractu ab Obode hoc nomen *Obodæ* sortito: sicut dixi lib. I, cap. XXVI.

363, post vers. ultimum subjunge hæc:

De Solis apud Æthiopas cultu fidem fecerit Solis mensa, quæ apud eos esse ferebatur. Ea cujusmodi fuerit, ex Herodoti Thalia cognitum arbitror. Sed & apud Philostratum legas in VI de vita Apollonii cap. III, ut Æthiopes sacra faciant Soli, & Memnoni Eoo; cujus statua loquatur, simulac radius Solaris os ejus pertigerit. Hoc quo pacto fieri possit, liquet ex iis, quæ de Serapidis simulacro dicebamus libri superioris cap. trigesimoprimo.

365, 32. post *pestiferum*, adde: Aliud etiam etymon adferam cap. XVII.

380, 13. post *igni*, adde: Fit etiam terrâ purgatio: sed hæc comprehenditur sub ea, quæ fit igni; sive illa potiùs, quæ igni fit, continetur sub illa, quæ fit terrâ, quia ignis est è terra. Hac de re dicemus cap. LXV.

387, 31. post *acceptam*, adde: Nempe ut Geryon triceps trium fratrum concordiam signabat: sic biceps Ianus signum erat duorum regum providentiæ, & regiminis concordis. Sanè ad Ianum pertinent rerum omnium initia: Romulus verò Tatiusque, primordia sunt populi Quiritium.

388, post versum extremum adjunge ista:

Pleraque verò omnia, quæ aliquot capitibus adduximus, paucis complexus est Martianus Capella lib. II:

*Nonne hac principio geminum tu dans * tetrachordum*
Solem te Latium vocitat, quòd solus honore
Post patrem sis lucis apex; radiusque sacratum
Bis senis † perhibent caput aurea lumina ferre,
Quòd totidem menses, totidem quòd conficis horas. Et mox:
Hinc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri.
Vel quia dissolvis nocturna admissa, & Iscum
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirin,
Dissona sacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem:
Attin pulcher item, curvi & puer almus aratri,
Ammon & arentis Libyes, ac Byblius Adon ‡.

390, 15. post *adductis* adde. Sed nihil mutandum: quando similiter apud eundem est Tertullianum in secundo adversus gentes cap. VIII:

* *Pro* tudans, *hic* tundens *emendat Carolus Paschalis lib.* IX *Coronarum cap.* XIII. *Malim ego* tuditans, *quo usus Lucretius. Vel potius hoc pacto:* Nonne hac (*puta ratione, quod antecessit*) *pr*incipio geminum tuditas tetrachordum? *Sane in MSo nostro est* tudas.

† *Vide ibidem Paschalem.*

‡ *Versus claudicat. Nihil tamen mutandum, cum non insolens, sit Martiano in metrum peccare. Sic in versibus proximè adductis, puediam* corripit *in* Serapin: *& primam in* Typhonem: *ubi eum decepit, quod* Typhoeus *semper corripit primam.*

Quanti ſunt, qui norunt viſum vel auditum (numen) *Atargatim, Syrorum; Cæleſtem, Afrorum; Varſutinam, Maurorum; Obodan, & Duſarem, Arabum; Belenum, Noricum.*

400, 34. poſt *minor* adde : Ac ſimiliter Theophraſtus libro de Ventis, ubi dicitur, οἷον ἀσθενὴς ἥλιος, *velut Sol debilis.*

(Quo addito, ſit eodem verſu pro *philoſopho* ſcribendum *philoſophis.*)

444, 34. poſt *cæde* adde : Quomodo fuerit ex πέφασις, & φόνος. Sed etymon hoc licet verius, illud tamen verbis Onomacriti convenientius ſit; ut dici dicatur, quaſi Φεροτφόνη. Nempe, ut eſt in Etymologico magno, ἀπὸ τοῦ φέρειν τὸ φόνος, *quod necem inferat.* Interea aliunde etiam deduxeris ; ut oſtendam cap. LX.

411, 18. poſt *Theologia* adde : Et hæc de Aſtarte, quatenus eſt Luna. Nam ut eſt Europa, Agenoris filia, diximus de ea lib. I, cap. XXII.

412, 22. poſt *Babylonis* adde : Quod iiſdem eſt verbis apud Phavorinũ.

418, 18. poſt *cap.* IX iſta adde : Herodotum tamen in eo ſequi non dubitavit B. Ambroſius epiſtolâ contra relationem Symmachi.

Cappadoces etiam à Perſis, ut Solis, ita & hunc Lunæ cultum, accepiſſe, veriſimile eo fit, quòd habuerint pyræthos, & multa Perſicorum Deorum templa ; ut ex quinctodecimo Strabonis libro oſtendam cap. LXIV. Itaq; & divam illam, quæ in ſomnis Syllæ præbuit fulmen, Anaitidem, ſeu Zaretim, vocandam cenſeo. Dubitat tamen Plutarchus, an non potiùs fuerit Minerva, vel Bellona. Sic enim in Sylla ſcribit : Λέγεται δὲ καὶ τὸν ὕπνον αὐτῷ Σύλλα φανῆναι θεὸν, ὃν τιμῶσι Ρωμαῖοι, τῇδε Καππαδοκῶν μαθόντες, εἴτε δὴ Σελήνην ὄντα, εἴτε Ἀθηνᾶν, εἴτε Ἐννώ. ταύτην ὁ Σύλλας ἔδοξεν ὑπηρετοῦσαν ἐγχειρίσαι κεραυνὸν αὐτῷ, καὶ τοὺς ἐχθροῦν ἕκαστον ὀνομάζουσαν τοῦ ἐκείνου, βάλλειν κελεύσαι· τοὺς δὲ πίπτειν βαλλομένους, καὶ ἀφανίζεσθαι. *Dicitur etiam ipſi Syllæ in ſomnis ſe obtuliſſe Dea, quam ex diſciplina Cappadocum Romani colunt, ſive ea Luna, ſive Minerva, ſive Bellona ſit. Hæc Syllæ viſa eſt aſſiſtere, & fulmen ei tradere, juſſiſſeque ſingulis nominatis inimicis ejus ferire : illi icti concidere, atque è medio dilabi.* Video, cur Bellonam aliquis potuerit ſuſpicari : quia eſt deæ bellicæ tradere arma ad hoſtes interimendos. Video itidem, cur Minervam fuiſſe potuerit aliquis ſuſpicari. Nam præterquam quòd & hæc ſit dea bellica, ea ſola dearum fulminis habet poteſtatem : unde de illa ſic Maro primo Æn.

Ipſa Iovis rapidum jaculata è nubibus ignem.

Vbi ſic Servius : *In libris Hethruſcorum lectum eſt, jactus fulminum manubias dici : & certa eſſe numina poſſidentia fulminum jactus ; ut Iovem, Vulcanum, Minervam. Vnde cavendum eſt, ne aliis hæc numinibus demus.* Ita enim in veteri cod. eſt exaratum. Potiùs tamen Lunam cenſeo intelligendam, quia Plutarchus cultum ejus divæ, quæ fulmen traderet Syllæ, à Cappadocibus ait

deve-

deveniſſe ad Romanos. Atqui Cappadoces coluere numina Perſica: his verò colebantur è femineis numinibus Luna, & Venus: ut eſt apud Strabonem in xv. At Veneris ſtellæ nemo fulmen tribuit: alius ignis eſt, quo urere illa Diva ſolet. Supereſt igitur, ut Luna ſit. Quamquam nec repugno, quo minùs intelligatur Minerva, aut Venus, quatenus utraque eadem ac Luna cenſetur. Ariſtoteli enim eandem eſſe viſam Minervam, Lunamque, ex Granio tradit Arnobius: cujus verba de iſto adducam cap. XLII. Ac Venerem itidem ab Orientalibus eandem, ac Lunam, putari, abunde oſtendimus antea. De Perſis, & iis, qui Perſas in hoc cultu imitabantur, iſta ſufficiant. Ad alias nunc gentes accedam.

421, 27. poſt *numinibus* adde: quæ ad Tellurem reducuntur, vel illis

424, 11. poſt, *Nec repugno*, adde: quandoquidem utraque appellatio & Lunæ convenit, & Telluri.

Ibid. 18. poſt *exſequar*, adde: Niſi hoc addi placet, etiam Minervam Saitidem eandem eſſe, ac Iſidem, ac proinde Lunam. Plutarchus lib. de Iſide, & Oſir. Τὸ δὲ ἐν Σάει Ἀθηνᾶς (ὃν καὶ Ἶσιν νομίζουσιν) ἔδος ἐπιγραφὴν ἔχει τοιαύτην· *Apud Saitas ſimulachrum Minervæ, (quæ & Iſis exiſtimatur) hujuſmodi habet inſcriptionem.* Ac poſtea: Τὸν μὲν γὰρ Ἶσιν πολλάκις τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ὀνόματι καλοῦσιν. *Iſin ſæpe Minervæ nomine ſignificant.*

427, 28. poſt *acceperit*, adde: ſive potiùs, unde à poëtis Apollo, ac Diana, *Delii*, & *Deliæ*, nomen acceperint: quod occaſionem præbuit Deliis, ut apud ſe natos prædicarent.

431, 6. poſt *idoneum* adde: Hoc in maritis etiam habet locum. Vnde *,

— *Manet ſub Iove frigido*
Venator teneræ conjugis immemor.

* *Horat. od.* 1, 1.

Magis etiam in adoleſcentia id videas: quia, ut Seneca † ait,

Amor juventæ gignitur luxu, otio
Nutritur, inter læta fortunæ bona.

† *Octavia verſ.* 556.

Nempe, præter rationem, quam dixi, venationis labor ſic diſtinet, ut non poſſint amoribus vacare.

433, 14. poſt *quieti* adde: Quamquam nec abſurdè derives à λαυὸν, quod eſt λαμπρὸν, ut exponit Heſychius.

Ibid. verſ. penult. poſt *Met.* adde: Verba ejus jam adduximus cap. XXI. At fruſtra eſt Iuſtus Lipſius; qui pro *zygia* reponit *Syra* lib. 11 Electorum cap. XXI.

436, 26. poſt *poſterioribus* adde: (ut Marcellus Empiricus docet cap. XXV †)

† *pag.* 171. & 172. *edit. Baſ.*

444, 10. poſt *Vti* & adde: Iulius Firmicus de errore prof. relig. *Liberum ad Solem volunt referre commenta Græcorum: Proſerpinam verò Liberam dicentes, Lunam eſſe confingunt.*

464, 13. post *complectitur*, adde : Similiter *Eoi* nomine communi usus Ausonius Idyll. VI :

Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

* *lib. 9, cap. 4.* Ibid. post *Magis distinxit*, adde : (ut de Vitruvio Pollione *, & aliis taceam, ac solos dicam poetas) Severinus Boethius lib. I, Met. V :

Et qui primæ tempora noctis
Agit algentes Hesperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.

469, 24. post *circumduci*, adde : Cæsari tamen Scaligero adversus Cardanum Exercitat. CCCVII, sect. I, mirum in modum hæc displicuit opinio : nec dubitat eam reponere inter nova illa, quæ prurientibus solùm arrideant ingeniis. Nempe didicerat Scaliger ex Ptolemæo, Mercurium semper esse infra Solem. Sed non eò nova illorum opinio est, quam à præceptoribus se suis hausisse profitetur Ptolemæo antiquior Vitruvius. Ingenia, sic quæ censeant, ait rerum novarum pruritu laborare : ipse scilicet à pruritu hujusmodi in aliis scientiis, quibus polleret, planè immunis. Mihi laudabile id studium amplificandi doctrinarum pomœria videtur : & quod ad præsentem controversiam, omnino statuo, à Copernico, & Tychone Brahe (ut cæteros prætream) solidè esse ostensum, Mercurium, ac Venerem, nunc Sole esse depressiores, nunc altiores, dimidioque tempore infra eum, dimidio supra eum, volvi : Veneris circulum esse majorem Mercuriali : hunc Mercurii à terra, cum proximus est, distare semidiametris terræ IↃ LXXXV : cùm remotissimus, CIↃ IↃ CC : nec tamen examussim Solem habere pro centro, sed aliud Soli propinquum, distans à centro Solis diametris terræ CVIII. Copernicum ipsum adi lib. V, cap. XXVII. Scaligero interim ignoscere oportet ; qui eo quidem vitio laborabat, quòd Mathematicos summos exagitaret lubens ; cùm ipse Mathesios parum esset intelligens : sed admirandâ aliarum doctrinarum peritiâ defectum vitiumque id pensaret, ut propterea humanæ imperfectionis gnaro planè videatur inhumanum, (quod nonnulli faciunt) viro in re literaria principi arroganter insultare.

470, 28. post *exponit* adde : In Edessena etiam regione, quæ est prope Euphratem, Μόνιμος vocabatur : uti iisdem Mars Azizus. Qua de re sic Iulianus Cæsar, oratione quarta, quæ est in Solem : Οἱ τλὼ Ἐδεσσαν οἰκοῦντες ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον, Μόνιμον αὐτῷ, καὶ Ἄζιζον συγκαθιδρύσασιν. αἰνίττεσθαι φησὶν Ἰάμβλιχος, παρ' ὅπερ ἕτερα ἄλλα πάντα ἐν πολλῶν μικρὰ ἐλάττονα· ὡς ὁ Μόνιμος μὲν Ἑρμῆς εἴη, Ἄζιζος δὲ Ἄρης, ἡλίου πάρεδροι, πολλὰ δὲ ἀγαθὰ τῷ

περὶ γὴν ἐποχετευόντες τόπῳ. *Qui Edeſſam inhabitant, regionem ab æterno Solî dicatam, Monimum, & Azizum, Solis aſſeſſores, & contubernales faciunt. Hoc ſic interpretatur Iamblichus (à quo & alia multa, ex multis pauca, accepimus) ut Monimus idem ſit ac Mercurius, Azizus vero Mars, utrique Solis aſſeſſores, qui in terras bona quamplurima transfundunt.* In eo tamen ab Iamblicho, & Iuliano, recedendum puto, quòd planetas Solis παρέδρους * Mercurium ac Martem faciant, cùm Mercurius, & Venus, ſoli circumeant Solem; ut initio hujus capitis dicebamus. Atque ut hoc neſcierit uterque, ſed Ptolemaicam ſententiam ſit ſecutus: ſic quoque πάρεδροι ſint Venus, ſive Heſperus, & Mars. Inter hos enim Sol medius eſt; non inter Martem & Mercurium; qui inferior eſt Venere.

* aſſeſſores.

480, poſt ἕξις verſ. 37 adde:

Interim Germani, non ut Romani, Martis nomine ſidus Martis; ſed, ut cenſeo, Iovem, vel Apollinem, intellexere: uti per Mercurium quoque non ejus nominis planetam; ſed Iovem, & Apollinem, hoc eſt, Solem, vel cælum, deſignabant. Hæc ſatis cognoſcere eſt ex iis, quæ de Marte, & Mercurio dicebamus cap. XIII, & XXXII. Tam Martem verò, quàm Mercurium, à Germanis fuiſſe cultum, etiam oſtendit Tacitus lib. XIII Annal. *Sed bellum Hermunduris proſperum; Cattis, exitio fuit; quia victores diverſam aciem Marti ac Mercurio ſacravere: quo voto equi, viri, cuncta victa, occidione dantur.*

487, 27. poſt *ſedens* adde: Servium adi in Æn. IX, verſ. 4.

498, 34. poſt *cap.* XXX adde hæc: Præter Ægyptios Romani etiam hoc ſidus religioſè coluerunt. Feſtus ſive Paullus: *Catularia porta Romæ dicta eſt, quia non longè ab ea ad placandum Caniculæ ſidus, frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flaveſcentes ad maturitatem perducerentur.* Idem: *Rutilæ canes, id eſt, non procul à rubro colore, immolantur; ut ait Ateius Capito, canario ſacrificio pro frugibus deprecandæ ſævitiæ cauſſa ſideris Caniculæ.* Atque hinc etiam obſcurum non eſt, cur deo Robigo, ſive Rubigini, præter ovem etiam Canem ſacrificarent in Aprili. Vnde Ovidius in Faſtis:

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

523, 8. poſt *ſtatuendum*, adde: ſi cæli conſtent materiâ, potiùs igneâ, quàm aqueâ, ut multorum fert opinio.

566, 14. poſt *veris* adde: Partim verò pertinent ad mundum totum; partim ad homines ſingulos. Priorem prædictionem dicemus univerſalẽ; alteram, particularẽ. Vniverſalis vel eſt de mundi duratione vel converſione. Durationis ſpatium anno magno definitur: ſive is ſit XXXVI millũ ſive quadraginta novem, ſive majori vel minori ſpatio eadem redeat ſiderum omnium conſtitutio. Converſiones mundi ſtatuuntur octonæ, pro octonis

cæli

cæli orbibus: ſeptenis quidem planetarum; uno autem ſtellarum fixarum. Pro hiſce converſionibus totidem ſunt mundi ætates. Ac creditur Deus prodigiis quibuſdam commonefacere intelligentes rerum naturalium, quando fiat fatalis converſio, ac mundus de ætate una in alteram tranſeat. De univerſali hoc, ſive totius mundi fato, nihil eſt illuſtrius verbis Plutarchi in Sylla; ubi prius narrat, quomodo inter alia prodigia etiam claro ac ſereno cælo auditus eſſet ſonus tubæ acutus ac lugubris, ſic ut omnes exhorreſcerent ejus magnitudine: deinde hæc ſubjungit: Τυῤῥηνῶν δὲ οἱ λόγιοι μεταβολὴν ἑτέρου γένους ἀπεφαίνοντο καὶ μετακόσμησιν ἀποσημαίνειν τὸ τέρας. εἶναι μὲν γὰρ αὐτῷ ὀκτὼ τὰ σύμπαντα γένη διαφέροντα τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσι δι' ἀλλήλων· ἑκάστῳ δὲ ἀφωρίσθαι χρόνων ἀριθμὸν, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ συμπεραινόμενον ἐνιαυτοῦ μεγάλου περιόδῳ· καὶ ὅταν αὐτὴ σχῇ τέλος ἑτέρας ἐνισταμένης κινεῖσθαί τι σημεῖον ἐκ γῆς ἢ οὐρανοῦ θαυμάσιον. ὡς δῆλον εἶναι τοῖς πεφροντικόσι τὰ τοιαῦτα καὶ μεμαθηκόσιν εὐθὺς ὅτι καὶ τρόποις ἄλλοις καὶ βίοις ἄνθρωποι χρώμενοι γεγόνασι, καὶ θεοῖς ἧττον ἢ μᾶλλον τῶν προτέρων μέλοντες. τά τε γὰρ ἄλλα φασὶν ἐν τῇ τῶν γενῶν ἀμείψει λαμβάνειν μεγάλας καινοτομίας, καὶ τὴν μαντικὴν ποτὲ μὲν αὔξεσθαι τῇ τιμῇ καὶ κατατυγχάνειν τῶν προσαγορεύσεσι, καθαρὰ καὶ φανερὰ σημεῖα τοῦ δαιμονίου προπέμποντος, αὖθις δ' ἐν ἑτέρῳ γένει ταπεινὰ πράττειν, αὐτοχέδιον οὖσαν τὰ πολλὰ καὶ δι' ἀμυδρῶν καὶ σκοτεινῶν ὀργάνων τοῦ μέλλοντος ἁπτομένην. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ λογιώτατοι Τυῤῥηνῶν, καὶ πλέον τι τῶν ἄλλων εἰδέναι δοκοῦντες, ἐμυθολόγουν. *Hetruſci vates mundi converſionem prædicaverunt oſtendi hoc oſtento, & mutationem in aliam ætatem. Eſſe enim earum octo genera, vitâ & moribus inter ſe diſſidentia. Vnicuique præfinitum à Deo certum temporum numerum, qui magni anni ambitu limitetur. Quum unius terminus adſit, inſtante alia, moveri ex terra vel cœlo miraculum, ut illis, quibus hæc curæ ſunt, & qui hæc percepêre, perſpicuum ilico ſit, natos eſſe homines, qui aliâ vitâ, aliis ſtudiis utuntur, & quorum gerant dii majorem, vel minorem curam. Quippe cùm alia referunt, magnas ex illorum generum capere vicibus novationes, tum vaticinandi ſcientiam modò inclareſcere, & certa præſagire, liquidis à Deo, & dilucidis inſignibus præmiſſis, modò alia in ætate abjectam eſſe, quòd fere claudicet, exilibuſque & involutis veſtigiis futurum attingat. Hæc Hetruriæ peritiſſimi vates, & qui præſtare arte videbantur cæteris, fabulabantur.* Etiam inter ejuſmodi mundanæ converſionis prodigia cenſebatur conſpectus phœnicis. Plinius lib. x, cap. 11, *Cùm hujus alitis vita, magni converſionem anni fieri, prodidit Manilius; iterumque ſignificationes tempeſtatum, & ſiderum, eodem reverti.* Solinus cap. XXXVI: *Cùm hujus vita magni anni fieri converſionem, rata fides eſt inter auctores.* Orus Apollo lib. 11, cap. LVII: Ἀποκαταστάσιν πολυχρόνιον βουλόμενοι σημῆναι, φοίνικα τὸ ὄρνεον ζωγραφοῦσιν. ἐκεῖνος γὰρ ὅτε γεννᾶται, ἀποκαταστάσις γίνεται πραγμάτων· *Inſtaurationem diuturnam, & quæ poſt multa fiat ſecula, volentes indicare, phœnicem avem* (Ægyptii) *pingunt. Hic enim dum naſcitur, rerum viciſſitudo fit, & innovatio.*

583,

583,35. post *suos* adde : Etiam est Proverb.x, 27, *Timor Domini apponit dies : & anni impiorum breviantur.*

630, 1. post *est tellus*, adde : Servius in VIII Æn. * *Hanc autem porcam Trojani in Campania invenerunt cùm fœtu circa Laurentem agrum : quam ideo Æneas immolavit Iunoni, quia ipsa dicitur terra : ut est* † :

Conjugis in gremium lætæ descendit. —

* pag.489. edit. prima.

† Georg.2.

631,6. post *sumus*, adde : Quam propter ea, quæ dicebamus, diversam esse habitam, sacrorum diversitas ostendit. Nam, ut Servius ait in IV Æn. in illud, *Legiferæ Cereri*, &c. *Cùm Eleusinæ Cereris sacrum sit, ædes Iunonis clauditur. Item cum Iunoni Eleusinæ fit, templum Cereris clauditur : nec sacerdoti Iunonis licet gustare, unde Cereri sit libatum.*

634, 7. post *fructum* adde : Imò terræ conveniat hoc nomen, si ab Hebræo fonte arcessas, ut sit ex פרי peri, & ספן saphan : quorum prius *fructum*, alterum *tegere* notat. Tegit enim semina ab agricola sibi commissa.

636, 10. post *dixeris* adde : De etymo interim nihil certi spondeo ; quando aliter Timotheus ; ut ex Arnobio monebamus lib.1, cap.xx.

640, 14. post *dicebamus* appone :

Etiam apud Scylacem Caryandensem, in Syriæ & Phœniciæ descriptione, legas : Ορος θεου πρόσωπον · *Mons Dei facies.*

651, 5. post *malo* adde :

Imò hodieque in Persia, ut Solis, sic Ignis cultus obtinet : præcipuè in inclyta Persarum urbe Spahan. Eam interfluit fluentum Senderot : pars trans fluentum constituit oppidum Iulfa, ubi Christiani degunt, qui Armenii dicuntur. Cis illud vocatur oppidum Gauriſebat, gentilium sedes, quibus corpus crassum, habitus à Persarum aliis diversus, candoris magis studium quàm fuci ; feminæ etiam pudicæ, ac à scortatione alienæ. Atque hi sunt, qui veterem Persarum, ut dixi, cultum retinent. Quæ accepi ab amicissimo Andrea Colvio Dordrechtano, viro non divinis modo literis, sed etiam philosophiæ, & politioris literaturę, variarumque linguarum studiis, egregio. Is verò se hausisse ea profitebatur ex itinerario manu exarato familiaris sui, viri fide digniſſimi, Ioannis Mivasii, mercatoris Leodicensis ; qui annis duodeviginti in regno Persiæ vixerat.

660, 22. post versum 20, *religione*, adde :

De Afris etiam sic Cæsar Scaliger Exercit. CCLVIII, sect. 1 : *Scriptum est in historiis Africanis, ignem in Libya pro Deo habitum ; quem Vestalium ritu perpetuum servarent.* Hausit verò hoc ex Ioannis Leonis Africani lib. 1 ‡.

‡ cap. de priscarum Afrorum fide ac religione, sive pag 59. edit. Batavæ.

666, post vers. ult. adde : Ovid. IV de Ponto :

Innatat unda freto dulcis, leviorque marinâ est.

669, 30. post XXXIV adde : Nec isthmi perfossi fabulam aliunde puto

originem cepiſſe, quàm quòd, cùm primitus non conſtaret Phœnicibus de hoc freto, ſed Hiſpania Africæ contigua crederetur: Hercules Tyrius Phœnicum primus extra illud navigârit, ibique inſulam occupârit, quam Phœnicio nomine *Gades* dixit. Nempe naturâ quidem locus iſte pervius ſemper fuit: quia alioqui mare internum terras obruiſſet ob aſſidua ex Mæotide in Pontum Euxinum, indéque in mare Ægeum, incrementa. Sed qui re ipſâ pervius erat, non erat pervius Phœnicum opinione: quam primus longiùs diſſitarum gentium animis Hercules Tyrius exemit.

689, 37. poſt *noxiis*, adde. Licet ejus generis multa ſit alia reperire apud alios. Nam non ſolùm, quod Ariſtoteles * ait, ὕδατος πολλὰ εἴδη ἐστὶ, καὶ διάφορα †: verùm etiam, ut Plinius ‡ inquit, *in nulla parte naturæ majora ſunt miracula.*

705, verſ. penult. poſt *terræ*: Cujus ſententiæ Ariſtotelem auctorem laudat Agathias lib. v.

* *problematum ſect. 1, quæſt. 13.*
† *multa ſunt aquarum genera, variaque.*
‡ *lib. 31. cap. 2.*

FINIS.

IN-

INDEX LIBRI SECVNDI

DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE,

AC SCIENTIA NATVRÆ;

QVI EST

De natura, cultuque corporum cæleſtium, ac quatuor elementorum.

Prior numerus, puta Romanus, indicat libri caput: barbaricus, qui ſequitur, paginam oſtendit. A remittit ad Addenda: numerus uterque poſt A poſitus, notat locum additionis, iſtoc & paginæ, & verſus numero ſignatum.

A Bellio idem, qui Sol: ac fortaſſe inde nomen *Apollinis*. XVII. 391.

R. Abraham Avenaris Iudæi de adventu Meſſiæ prædictio, jam annis CXC vanitatis comperta. XLVIII. 573.

Ἀγδίστις. LII. 593.

Acarnanes unde dicti. LIII. 599.

Acceſſus, & receſſus in cœlis motus fruſtra ab Aſtrologis introductus. XXXV. 496.

Acervus lapidum in honorem Mercurii, & quòd mos jaciendi lapides in acervum etiam obtinuerit apud Indos, & Arabas, hodieque Mahumedanis in uſu ſit. XXXII. 474, 475.

Aceti vis in diſſolvendo ovi cortice, plumbo, aliis. LXXII. 682.

Acheloi etymon, & ut *Acheloum* pro quavis aqua dixerint veteres. LXXVII. 702.

Achæmenii unde dicti. IX. 353.

Acherontis etymon. LX. 635. Acherontis nomine fluvius cum alibi, tum in Epiro. LXXXI. 722.

Actuum humanorum duo principia ſecundum Stoicos. XLIX. 579.

Ada Aſſyriis luna dicitur. VI. 336.

Adad Aſſyriis Sol, quæ vox à Macrobio exponitur *unus*. VI. 335, 336. Ab Adado tres gemmæ nomen ſortitæ. 336. *Adad* Dei ſimulachrum. LV. 613.

Adami Tanneri opinio, ſi ſtellæ habeant mentem, nec gratiâ exciderint, poſſe à nobis invocari. XXX. 460.

Adon, *Adonia*, & Ἀδωνιασμὸς, vide *Adonis*.

Adonis, ſive *Adon*, vel *Adoneus*, ſignat dominum: unde in Scripturis *Adonai* Dei nomen, & Plauto *Avo domui*. IV. 325. Ἄδωνις, vel Ἀδωνεὺς idem qui Bacchus. A. 327. 20. Haut alius ab Oſiride. X. 356, 357. Nempe idem, qui Sol. IV. 324, 325, 326. ac particulatim Sol antipodes illuſtrans. LIX. 633. Secundùm aliquos eo non Sol, ſed frumentum ſignificatur. IV. 327. Adonidis fabula ab apro interemti myſticè denotat Solis in hyberna ſigna ingreſſum. LV. 611, 612. Adonide interfecto luctus Veneris; eoque reddito, gaudium Deæ quid ſignificet: nec tamen convenire, utrum Venus ſit Luna, an Veneris ſidus, hoc eſt Lucifer, vel Heſperus; vel etiam ſuperius terræ hemiſphærium: uti Proſerpina eſt inferiùs hemiſphærium. IV. 326. 327. Adonis aliter dictus *Gingras*. IV. 325. Adonia feſtum. IV. 326. Ἀδωνιασμὸς à propheta Ezechiele ſignatus per mulieres Thamuz plangentes. IV. 325, 326.

Ἀδὼ geminum etymon; unum ex Græco; alterum, & verius, ex Hebræo. LX. 635.

Ægæi maris nomen unde ſit. XXXIV. 486.

Ægiochi nomen unde Iovi. XXXIV. 485, 486.

Ægyptiis aquam in ſumma fuiſſe veneratione. LXXIV. 689. Cur iidem noctu potiùs hauſerint aquam ad bibendum. LXVIII. 665. Ægyptiis cur religio fuerit ſalem menſis inferre, & contrà Romani ſalis appoſitu crediderint ſacrari menſas. LXXV. 697. Cur Ægyptiis exoſi nautæ, cur item piſcis odii ſymbolum, nec eum guſtare ſacerdotes ſoleant. *Ibid.* Ægyptii cur averſati ſint homines nigros. *Ibid.* Ægypto unde nomen. LVI. 617, 618. Ægyptum primitus vel totam, vel magnâ ſui parte, fuiſſe Nilo obrutam. LXXV. 697, 698.

Aer Cæli etiam nomine continetur. LXXXIII. 725. Aëris profunditas quanta ſit, ex Brahei ſententia. *Ibid.* Diſtributio ejus in regiones quatuor. *Ibid.* Cur Deus aëra fecerit pellucidum, fluidum, nec non exhalationum, item caloris ac frigoris

goris capacem. 727. Cur animantes aëre indigeant. 726. Aër unde dictus. *Ibid.* Aër cur terram vehere dicatur. LIV. 610. Aër Græcis, ac Romanis, ἀρσενόθηλυς; quaque maris habet naturam, *Iupiter*: quatenus feminæ, dicitur *Iuno*. LXXXIV. 730. Aër pro numine est quibusdam philosophis, imo & totis gentibus habitus. LXXXIV. 729, 730, &c. Aër Minervæ nomine cultus Ægyptiis. LXXXIV. 730.

Æris tinnitu olim laboranti Lunæ succurri creditum. XX. 402.

Æruscatio magnæ matris. LIII. 602.

Æsculapius cur à Iove fulmine percussus credatur. XII. 367.

Æstus marinus cur unâ horâ tardiùs redeat quotidie. XIX. 398.

Æthera, maximè supremum, in Theologia naturali *Minervæ* nomine intelligi: sed unà cum æthere comprehendi aëra proximum, & mentem humanam ætheri, atque aëri, subjectam: quia pro istis variat ingenium, prudentiaque hominis. XLII. 542, 543.

Æthiopia duplex, Orientalis in Asia magna, & Occidentalis sub Ægypto: ex priori fuit conjux Mosis, ut cum fuisse dicitur è terra Chus, Arabissa intelligatur. LXXXV. 695. Æthiopibus Sol cultus. A. 363. 39.

Afris quibusdam aër pro numine. LXXXIV. 730. Afri hodieque ignem colunt. A. 660. 2.

Ἀγαλμα ἐφήμερον Maximo Tyrio quid sit. LXIV. 649.

Agellii lectio contra Loënsem defensa. XLIV. 551.

Aglabelus, & Malachbelus, dii Palmyrenorum, id est, Sol, & Lunus, qui idem ac Luna. V. 333, 334. Vtrùm Aglabelus Palmyrenis Sol sit, an Luna. A. 334. 5.

Ἀήρ, & ξόανὸς, unde nuncupentur. XXXVII. 507.

Ἀχμων, & Ἀχμονίδης, qui dicantur. XXXVII. 508, 509.

Albumasaris prædictio vanitatis jam annis CL compertissima, religionem Christianam non ampliùs duraturam, quàm annis CIↃ CCCC XLIV. cap. XLVIII. 573. Albumasaris, & Aponensis, absurda opinio, putantium à constitutione Iovialis stellæ dependêre, ut certò exaudiantur, qui sapientiam exposcunt. XXXIV. 486.

Aleæ in ludo nihil fieri fortuitò; sed cur hic jactus sic, aliter alius se habeat, caussam per se esse à natura jactus, sive ut manu hominis jacitur, sive ut à caussa adsistente dirigitur. XLIII. 546, 547.

Alembici etymon. LXIII. 645.

Alexandri Aphrodisiensis de fato sententia. LXV. 557, 558.

Alitta, vel Alilat, Arabibus Luna, & unde hæc veniant, conjectatum. XXIII. 418, 419.

Alpheum in Arethusam influere, vetus est opinio; sed falsa. LXXX. 714, 715.

Aluminosa aqua conducit paralyticis. LXXII. 681.

Amanus, sive Omanus, non tam summum numen, quàm symbolum illius, Persis designat, nempe ignem inextinguibilem. IX. 352. Apud Cappadoces Omani simulachrum in pompa ferebatur. IX. 358.

Amilcas, dux Carthaginensis, virtutis causa in deos relatus. XI. 364, 365. Amilcas, Imilco, & Imilce, unde nomen acceperint. *Ibid.*

Ammon, unde Ammoniæ nomen, cujus & situs signatur, aliter Iupiter, vel Deus Libycus dicebatur. XI. 361. Origo hujus nominis. *Ibid.* de qua Græcorum refellitur opinio. 362. Cur Ammon Sol occidens crederetur. XI. 362. Templum etiam habuit in Meroë, etsi minùs frequentatum. *Ibid.* Quid cornua arietina simulachro ejus afficta significent. *Ibid.* & 362. *Ammonis cornu* eadem gemma, quæ & *Garamantis*, vel *Carchedonius*. XI. 363.

Ammonia Ægyptus dicta ab Ammone; imò tota Libya ab eodem sic nuncupata. XI. 362.

Amphitrite unde dicta. LXXVIII. 707.

Anæa eadem ac Anaitis, id est, Luna. XXII. 416.

Anaitis Medis & Persis Luna. XV. 382.

Anapus, & Crimisus, Siciliæ amnes in summo frigidi, in imo calidi. LXX. 673.

Anaxagoras cur impietatis damnatus. XXXIX. 524.

Anaximeni Milesio aer fuit Deus. LXXXIV. 729.

Anderena mater. LII. 593.

Andreæ Schotti de *Origenis* nomine opinio improbata. X. 357.

Anima unde dicta. LXXXI. 728.

Anima cæli an habeat facultatem sensivam. XL. 528, 529. Anima cæli, ex Peripateticorum opinione, præstantior est animâ humanâ, quia hæc non intelligat, nisi receptione speciei: illa, per essentiam. XL. 529.

Animæ, quæ cælitus in corpora mittuntur humana, dum per Saturni orbem descendunt, creditæ ab eo accipere vim sublimia speculandi. Corporibus etiam solutæ ab eodem putabantur eò remitti, unde venerant. XXXIV. 487.

Animæ facultatum distinctio secundùm Chaldæos, sive Astrologos, & ut cuique præfecerint unum planetarum. XLVII. 567.

Animæ

Animæ corpori nubentis antiſtes Luna; corpore excedentis, Proſerpina, ſecundùm Porphyrium. XXVIII. 445.

Animæ poſt exceſſum cur *apium* tribuatur appellatio. XXVIII. 445. Anima triplici elemento expurgari credita à Theologis gentilibus. XIV. 380.

Animatum non ſemper præſtare inanimo, cùm potius ex fine ac bono univerſi æſtimanda ſit rei cujuſque excellentia. XLI. 536.

Anitis ſive Anaitis aliis Diana, aliis Venus, & quomodo hæc concilientur. XXII. 414, 415. Hæc etiam culta à Parthis. 418.

Anna Perenna unde dicta. LXXX. 716, 717.

Annum ſemper eſſe æqualem, ſi cum Babyloniis, & Ægyptiis, motum Solis annuum comparet cum ſtellis fixis. Sin cum punctis æquinoctii, item ſolſtitii brumæque, eſſe inæqualem. II. 315.

Annus duplex Lunaris, & Solaris; & cur anno unoquoque tardiora ſint novilunia ac plenilunia diebus XI. cap. XIX. 398.

Annus Platonicus quantus. XXXV. 496. Annorum is circuitus felicitati, vel infelicitati animarum creditur præfinitus. XLVI. 560. Anni magni converſionem indicare putatur conſpectus Phœnicis. A. 566. 14.

Ανις fluvius, qui aliis Νῆς. LXXIII. 686.

Anubis quorum proles, & cur capite fingeretur canino. LXXV. 698.

Aphacitis Venus culta in Aphacis inter Heliopolin, & Biblum. XXXVI. 499.

Ἀφροδίτη unde dicta ſecundùm Ariſtotelem, & cur fingatur orta è prolibus cæli in mare projectis. XXVII. 441.

Apiæ nomine tellus Scythis culta. LXII. 639.

Apollinis etymon triplex. XII. 365. *Apollo* fortaſſe ex eo, quia Sol Cretenſibus Ἀπέλλων appellatus. XVII. 391.

Apollo idem qui Sol, veterum judicio. XII. 365, 366. Quare Iovis & Latonæ filius dicatur. 366. Cur in Delo natus tradatur. *Ibid.* Quamobrem intenſus fingatur. *Ibid.* Cur cirros ei ſoleant offerre, ſimulac barba ſuccreſceret. 367. Cur credatur medicinæ auctor, & Æſculapii parens. *Ibid.* Quamobrem Cyclopes dicantur ab Apolline occiſi, & ipſe relegatus in terras Theſſali regis pecus paviſſe Admeti. *Ibid.* Quare divinationis præſes exiſtimatus: eamque à Pane putetur didiciſſe: & cur Calchantis Homerici avus habitus. 368. Quamobrem poeſios, & muſices inventor habeatur. *Ibid.* Cur Lini, & aliorum Muſicorum parens habitus. *Ibid.* Quare arcum, & ſagittas reperiſſe exiſtimetur. *Ibid.* Cur ſacratæ ei laurus, & olea; cygnus, cicada, & corvus; item lupus. 369, 370. Apollinis Iſmenii, & Galaxii ſacra, eorumque ritus explicatus. XII. 368, 369. Sacra Apollinis in Delo celebrata quincto quoque anno. XII. 366. Cur dictus Ἀγυιεύς. XXV. 427. Ἀκερσεκόμης, & Χρυσοκόμης. XII. 360. Λοξίας. XII. 367. Λύκιος. XII. 370. Νόμιος, & paſtor ab Amphryſo. XII. 367. Θυραῖος. XVI. 388.

Apollonii interpres correctus. LXXX. 713.

Apium appellatio tributa animæ defunctorum, ſecundùm gentium Theologos. XXVIII. 445.

Aquæ etymon. LVII. 702.

Aquæ natura: ubi conſideratur, cur ſupra cæleſtes orbes collocatæ ſint à Deo. XXXIX. 520. De aquis ſublunaribus tum generatim actum, tum quatenus locis diſtinguuntur. Generalia ſunt iſta: quanta ſit latitudo aquæ, ſi cum terra comparetur. LXVII. 662. Quo die, & fine, Deus aquas à terris diſcreverit. *Ibid.* 663, & 664. Cur montes oppoſuerit litoribus. 664. Aquarum vis in res inanimas, ut injecta vertendi in lapides, vel ſe ipſas ſic durandi, ut ex iis lapides fiant ſtructuræ idonei, & ratio eorum naturalis. LXXI. 675, 676. Vt quædam aquæ aliis ſupernatent, imò & innatantes inungant, & quæ rei iſtius ratio ſit. 676, 677. Quædam colorem inde bibentium mutant, præſertim in pecudum pilis, alicubi etiam in hominum cute. 677, 678. Aquarum ſalubritas quibus dignoſcatur indiciis. LXXII. 678, 679, *& ſeqq.* Aquæ calidæ medicamentoſæ. LXXII. 681, 682. Et an ſint, quæ juventutem inſtaurent. 683. Aquarum etiam quædam noxiæ ſunt corporibus. *Ibid.* & 684. Aqua cur, calce infuſâ, incaleſcat. LXIII. 645. Aquæ cur in tantum adſcendant, ut in montium jugis fontes oriantur. *Ibid.* Cur aquarum ab eadem origine manantium aliæ fervidæ, aliæ tepidæ, aliæ frigidæ. 646. Aquarum utilitas. LXVII. 661. Ac aliæ animis, corporibus aliæ ſalutares. LXXI. 685, 686. Aquarum, quæ bibuntur, genera quinque. LXX. 672. In fontanis ſunt Ciceronianæ: & de virtute earum, qua oculorum vitiis creditæ mederi. LXXII. 681. Aquæ pluviæ, & nivales tum crudæ, tum decoctæ, item ex grandine, vel glacie liquefacta, quo diſcrimine ſalubritatis diſtent. LXXII. 680. Aquæ fluviales cur paluſtribus præſtent. LXXIII. 688. In fluvialibus eſt Nili aqua. Hæc recens hauſta eſt inſalubris, percolata autem ſalubris. LXXII. 679. Aquas eſſe puteales, quæ vel Oceani æſtum æmulentur, vel motu ferantur contrario: & quæ cauſſa ejuſce rei videatur. LXXIII. 688. Hactenus de natura aquarum: ſupernaturale illud, cur gratia Spiritus Sancti aquæ comparetur in Scripturis.

LXV. 661. Sequitur de cultu. Aqua divino honore culta, teste etiam eo, qui Salomonis Sapientiam scripsit : & cur hoc non dicat ἁπλῶς de aqua, sed aqua violenta. LXXIV. 689. In cultoribus aquæ fuere Ægyptii ; qui aquam non omnem quidem, sed Niloticam, Osiridi dicarant : marinam verò per Typhonem intellexere. LXXIV. 689, 690. Persis etiam aqua divino honore colebatur. LXXVI. 699, 700. item veteribus Scythis. LXXXII. 723, 724.

Arabibus aer Deus. LXXXIV. 729, 730. Arabum, & Agarenorum annus cur fere excedat modum φάσεως. XIX. 398. Arabum mos in tecto adolendi Soli. VII. 337.

Archigalli qui. LIII. 600.

Architis Venus perperàm, quæ dicenda Aphacitis. XXXVI. 499.

Arethusæ, ab Alpheo adamatæ, fabula refellitur. LXXX. 714, 715.

Ἀρεως ἔτυμα, unum Græcum, geminum Hebræum. XXXIII. 479.

Argi à Mercurio interemti μυθολογία φυσική. XIII. 373. Argis quæ prima fuerit sacerdos Iunonis. LXXIV. 732.

Aries signum cæleste, in quo cultus Iupiter Ammon. XXXVI. 500, & 501. item Minerva, & qua de causa. 501, & 502.

Arietinum oraculum. XI. 363.

Aristoteles nihil extra mundum agnoscit, ne Deum quidem, vel intelligentias : unicus verò locus ille, qui cæteris, ubi aliud dicit, obducitur, à quopiam insertus videtur. XL. 532. Aristoteles per primum motorem non intellexit primi orbis motricem intelligentiam, summi post Deum loci & dignitatis, sed ipsum Deum summum. XL. 530. Aristoteli cælum est Deus, non, uti Platonicis ; sed propriè, in quo falsus Aquinas. XL. 530. Aristoteli cælum propriè animatum dici. XL. 527. Aristoteli, ex quorundam opinione, duplices sunt cælorum motores ; animæ, quæ informant, & intelligentiæ, quæ adsistunt : & quomodo animæ istæ ab intelligentiis differant. XL. 528. Aristotelis ex sententia mundum non libera Dei voluntate moveri ; sed necessitate, cui nec Deus possit resistere. XXXVIII. 512. Ejusdem opinio de materie cæli, ab elementis diversâ, eaque solidâ, durâque, refellitur. XXXVIII. 513, 514, 515, 516. Itidem impugnatur opinio ejus de materia siderum elementali. 516, 517. Aristoteles cur negârit, Fortunam esse numen aliquod. XLIII. 545. Aristotelis opinio refutatur, in iis, quæ fiunt fortuna, & casu, non agnoscentis causam per se certam & infallibilem. XLIII. 547. Aristotelis, & Peripateticorum opinio, Fato fieri cælorum motus, & specierum in sublunaribus conservationem : singularia verò sub Luna à Deo non curari, nec sciri : & quibus argumentis in opinionem tam impiam sint compulsi. XLIV. 556, 557, 558. Eorundem opinio, Deum nihil posse agere nisi secundùm naturam. XLIV. 558. Aristotelis de circulo lacteo sententia refellitur. XV. 383. Aristoteles deceptus de dulcedine aquæ in imo maris. LXVIII. 665.

Arriani locus de duobus Arabum diis excussus. VIII. 348.

Artimpasa, cœlestis Venus, Scythis : ac vocabulum hoc correctum apud Origenem, & Hesychium. LXXXII. 723.

Ascletarionis Mathematici exitus infelix, quē ipse præviderat, imò prædixerat. XLVIII. 571.

Asino à Bohemis, ut numini, litatum. XXXIII. 481. Asinus, & equus, pro valde mutoniato, & libidinoso. VII. 340.

Ἀζίζος est Edessenis Mars, secundùm Iamblichum, ac Iulianum : sed potiùs Mercurium, aut Hesperum videri. A. 470. 28.

Asphaltis. LXXI. 677.

Ἀστρόδλιον, sive ἀστρόφλιον. LII. 593.

Assabinus Æthiopum idem ac sol, & quo ritu illi cinnamomum soleat offerri. XI. 360.

Assyrii unde dicti. VI. 334. Assyrii sacerdotes in Veneris sacris utebantur veste muliebri. XXXI. 466. Assyriis aer Deus. LXXXIV. 729, 730. Assyrium venenum cur Maro pro Tyria purpura dixerit. VI. 334.

Astarte Phœnicibus, ac Syris, dicta Luna, & cur insigne ejus caput fuerit bubalum. XXI. 408. Qui ex veteribus Venerem sic vocari statuunt, Veneris nomine non Luciferi sidus, sed Lunam intelligunt. *Ibid.* & 409. Hæc Hebræis est Astaroth. 410. unde ea dicta. 411.

Ἀστὴρ, & ἄστρον, unde. XXI. 411.

Astra vivere, multorum ex Scholasticis opinio fuit. XXX. 458. Vide *Stellæ*.

Astroarche Græcis corruptâ voce, eadem, quæ Syris *Astarte*, id est, Luna. XXIV. 424.

Ἀστροκύων. XXXVI. 498.

Astrologiæ Iudiciariæ incertum, etiam cum de sola hominum propensione ex horoscopo judicatur. XLVIII. 575.

Atergatis Assyriis designat Lunum, & mare, sive vim à Luna diffusam, & à mari receptam. LXXVI. 699, 700. Atergatis, sive Derceto Assyriis unà cum Luna tellurem denotat. LV. 613.

Ἀθηνᾶς, & *Minervæ* nomina unde sint. XLII. 540, 541.

Athe-

Athenienſes, ſeptimo cujuſque menſis die laurum geſtantes, hymnum accinebant Apollini. XII. 369.

Athur eſt Iſis, & unde *Athur* ſit conflatum. XXIV. 424.

Atlas, qui cælum ſuſtinere fingitur, axim μυθολογικῶς ſignat, ſecundùm Ariſtotelem. XXXIX. 524. Atlantis montis vertex infra nubes. LXXXIII. 726.

Atomorum motus qualis ex mente Democriti, & præcipuè Epicuri, cui is triplex. XLIII. 547, 548.

Ἄττης unde fortaſſe dicatur. LX. 636. A. 636. 10. Attes, Attis, Attyn, ſeu Atys, amaſius Cybeles. LII. 595, 596. quâ mente à Catullo Attin mulier dicatur. 597. phyſicè notat, tum fruges, tum Solem. LIV. 607, 608. Quid Attinis fiſtula, & virga, indicarint. 609. Attis quid myſticè in ſacris Cybelles ſignarit, & quid ſacerdotum ejus cruentario. LIV. 607. Attis Lydus dicitur inſtituiſſe ſacra matris Deum. LIII. 603. Attis Phrygius idem eſt ac Oſiris Ægyptius. X. 356, 357.

Attius poeta emendatus. LXI. 638.

Avernus cur ante Auguſti tempora gravem exhalârit odorem, poſteaque is tractus à ſalubritate fuerit commendatus. LXXXI. 721, 722. Ejus etymon. *Ibid.*

Averroës cur Ariſtotelem in opinione de circulo lacteo deſeruerit. XV. 383.

A Veſta ordiri, proverbium, & unde ejus origo. LXIII. 642.

Aura, ἄυριον, *aurora*, *aurum*, unde veniant. XXXVII. 507. LXIV. 649.

Azizus, Emeſſenis Mars. V. 332.

BAal, Bel, ſive Hel, Phœnicibus idem qui Sol. IV. 322, 323.

Baal-Peor, ſive Baal-Phegor, Moabitarum, & Madianitarum deus. VII. 337. Idem qui Saturnus, Iupiter, Priapus ſive Sol. 338. unde nomen acceperit. 341, 342, 343. Opinio R. Salomonis Iarchi rejecta de cultu Beel-Phegor. 342. In ejus ſacris libidini indultum. 344.

Baaltis, ſive Beltis, eadem ac Aſtarte ſeu Luna; & unde id nomen acceperit. XXI. 411, 412.

Babylonium fatum. XLVII. 563.

Bacchus, ſive Dionyſus, idem, qui Sol. XIV. 375, 376, *& ſeqq.* Cur nebride ſeu hinnuli pelle uſæ Bacchæ in ſacrificiis Liberi. 375. Cur è matre exſecti huic deo ſacri. *Ibid.* Bacchus idem, qui Oſiris. 377. Cur veretrum in Bacchi ſacris ſoleat circumferri. *Ibid.* Bacchus duplex, cæleſtis, & ſubcæleſtis: ille Sol, hic liquor; Solem autem hîc ſignari poſtquam occidit. XIV. 377. Quàm variè ſoleat figurari. 378. Iacchus unde nomen acceperit. *Ibid.* Vannus Iacchi quid ſymbolicè notârit. 379. Bacchicæ ſpeluncæ in Parnaſſo. XIV. 276. Bacchi λικνίτης, & aliorum eò pertinentium, nomen unde. XIV. 379.

Bajarum calor unde. LXXXI. 721.

Baiſampſa Arabiæ urbs nomen ſortita à cultu Solis. VIII. 349.

Βαλλὼ, à quo Βαλλωναῖος, unde, & quid duobus illis ſignificetur. XVII. 390, 391.

Bardeſanis Syri, & Priſcillianiſtarum, de fato ſententia. XLVIII. 570.

Beelſamen, dominus cœli, Sol dictus: pro quo Iudæi *Beelzebub* dixere. IV. 323.

Beelzebub Accaronitis idem, qui Sol: quod nomen ab Hebræis accommodatur principi dæmoniorum. IV. 323.

Belatucadrus, & Belenus, ejuſdem dei nomina videntur. XVII. 391.

Belenus Aquilejenſium, item Aremoricorum, & Noricorum deus tutelaris, idem qui Sol. XVII. 389, 390. A. 390. 15. Ab eo plantæ nomen, quæ Hiſpanis *Velenno*, Vngaris *Belend*. 390. Ejuſdem etymon. *Ibid.*

Βίλις. XVII. 389.

Bellona ad lunam refertur, & ratio ejus rei. XXVII. 439.

Belus Aſſyriis, & Babyloniis, idem ac Sol. Inde gemma Solis aliter dicta *Beli oculus*. VI. 334, 335. Belus Medis, & Perſis, Cælus, ſive Vranus. XV. 382.

Bendis, dea Thracum, quo nomine Luna ſimul, & terra, comprehendebantur. Hujus feſtum *Bendidia* dictum. LVII. 623, 624.

Benedictiones abyſſi quid ſignent patriarchæ Iacobo. LXXVII. 704.

Benedixeritne Deus diei ſecundæ. LXVII. 663.

Beroſus quando vixerit. XX. 405.

Beth-Phegor pro templo Phegorio. VII. 341.

Bilis atra, & ſplen, Saturno cur adjudicentur. XXXIV. 438.

Bitumine, & ſulfure, quæ ſunt in fundo maris, conſervari primævam maris ſalſedinem. LXVIII. 665.

Βλαχιτόμιον Alexandrinum, & unde nomen acceperit. XLVIII. 571.

Blanduſiæ fonti ſacrificatum hœdo, ut capro faciebant Libero, & Tempeſtatibus. LXX. 716.

Bohemi coluere fontes, ac fluvios. LXXXII. 724.

Βολίδης Sol, & ejus etymon. IV. 322, 323.

Bombardæ noſtræ globos ſuos ejaculantes quan-

quantum vincantur à velocitate ſtellarum fixarum. XXXV. 495.

Bona dea, cujus ſacrum cur Δάμιον diceretur. LXI. 636,637.

Borbonia ſidera. XXXIV. 490.

Boryſthenes tam eſt tenuis, ut nec vaporem emittat. LXX. 673.

Boves à triumphantibus mactandi in Capitolio, petebantur ex Vmbria, quia albi eſſent: taleſque Clitumnum bibendo fieri credebantur. LXXIX. 711.

Brachia cruentabant Galli, inſpectante populo. LIII. 60. Quid ea res myſticè ſignârit. LIV. 608.

Branchidarum, & Euangelidarum oraculum. XII. 368.

Brielæ oppidi etymon. XXXIII. 480.

Britomartis, ac Artemidos appellatio utrùm Eubuli filiæ, an Lunæ, propria fuerit. XXV. 431, 432.

CAbiri, matris Deûm ſacerdotes, & unde Græcorum judicio dicti ſint. LIII. 599. Potiùs ab Hebræo fonte id eſſe vocabulum. *Ibid.* & XXXI. 467. Iidem ac Samothracum Dii, & eorum nomina. LVII. 620.

Cadoli iidem, qui *camilli*, teſte Dionyſio: éamque appellationem eſſe à fonte Hebræo. LVII. 621, 622.

Cæleſtis, Afrorum Dea, eſt eadem ac Luna. XXIV. 424.

Cælum eſſe Dei ſedem, communis omnium gentium eſt opinio. 310, 311. Cælum non eſſe factum à Deo, ſed ab æterno fuiſſe, Ariſtoteli exiſtimatum. XXXVIII. 511, 512, 513. Cæli triplex conſideratio pro triplici modo, quo in terris res fiunt, ratione, fortunâ, neceſſitate: unde triplex numen inductum, Minervæ, Fortunæ & Fati, ſive Parcarum. XLII. 540. Cælum, an ſidera, priùs coluerint gentes, diſſertatum. XXXVII. 506. Cælum Perſis quoque fuiſſe pro deo, item Pythagoræ. 509. qui tamen non pro ſummo habuerit, ſed tali, quem ſummus creârit. *Ibid.* Cur *divûm lyra* Varroni dicatur. 510. Rationes, quibus motæ gentes divinitatem ei tribuerint, expenſæ. XXXVIII. 510, 511, *& ſeqq.* Cæli divinitas eo refellitur, quia ſit inanimum. XLI. 534, 535, *& ſeqq.* Ipſum per ſe quieſcit, ſidera moventur in eo; ideo non eſt denſum, non rarum, ſed tenue. 535. Non eſſe in cælo dextrum, & ſiniſtrum, vel alias differentias locales. 536. Licet vitæ ſit expers, præſtantius eſſe omnibus animatis, uno homine excepto. *Ibid.* Cælum Ariſtoteli eſſe animatum, idque formaliter, non de forma ſolùm aſſiſtente, ſed & informante, intelligendum. XL. 525, 526, 527. Rationes item, quibus moti id concluſerint, ex Ariſtotele, ejuſque interpretibus, adferuntur. *Ibid.* Moveri itaque cælum, ſi Aphrodiſienſi credimus, ab anima, & intelligentiis, & in quo motus amborum diſcrimen poſuerit. 528. quas animæ cæleſti facultates tribuat Ariſtoteles. Reſelluntur, qui ſenſum, & imaginativam, ab Ariſtotele cælo tribui exiſtimarunt. 529. Quo pacto animæ cæleſti, & intelligentiis, detur intellectus, ſi ſenſu careant. *Ibid.* Cælum, & motores cæleſtes, pro diis Ariſtoteli eſſe habitos: ſed excellentiori modo Deum dici ſupremi orbis motorem, quàm orbium inferiorum. 530. Simplicii item, & Cæſalpini, de primo motore opinio refellitur. *Ibid.* & 531. An inferiores intelligentiæ ſint imperfectæ, & quem locum primo motori Ariſtoteles aſſignet. *Ibid.* & 532, 533.

Cælum non eſſe inane ſpatium, ut quidam putarunt; ſed corporeæ ſubſtantiæ; idque ob duplicem uſum ita fieri debuiſſe. XXXVII. 506, 507. Cæli materiam, ſecundùm Ariſtotelem, ab elementali eſſe diverſam; contra verò fuiſſe viſum, & ante, & poſt Ariſtotelem, philoſophis: item ſanctis Patribus; qui cum Ptolemæo liquidam ac perviam cælo naturam tribuerunt. XXXVIII. 513, 514, *& ſeqq.* Cælum eſſe liquidum, oſtenditur argumentis è rerum natura petitis. XXXIX. 520, 521. Quid impulerit vel Ariſtotelem, ut, prioribus deſertis, induceret cæli orbes ſolidos; vel Hipparchum, ut relicto Eudoxo, & Callippo, orbes eccentricos arbitraretur. 521, 522. & quantum ab eccentricis abhorruerit Fracaſtorius. 522. Occurritur opinioni eorum, qui putarint nihil in cælis generari. *Ibid.* & 523. Cælum non eſt levitatis expers. 524. Cælos ex aquea conſtare materia, probatur ex Gen. 1, & etymo vocis *Schamaim.* XXXIX. 519. Cur aquæ ſupra cælos collocatæ ſint. XXXIX. 520.

Cælum, hoc eſt ſidera, non propriè agunt per motum; ſed per lucem, & occultam virtutem, quæ à motu in hæc inferiora deferuntur. XXXV. 497. & imprimis XLII. 539.

Cælus & Tellus, Athenienſibus connubiorum præſides; quibus iccirco ante nuptias ſacrificabant. LVIII. 624. Cælus Latinis, qui Græcis Vranus; & cur ſtatuatur Saturni parens, cur item genitalibus deſtitui. XXXVII. 507, 508.

Cæſalpini opinio de unico cælorum motore: item de dæmonibus, & animis hominum ac beſtiarum: quæ putabat eſſe dei particulas, non ſua natura diverſas, ſed ſolum materiæ ratione multiplices. XL. 531.

Cal-

Calculo mederi aquas acidorum fontium. LXXII. 682.

Calippi de concentricis cæli orbibus opinio. XXXIX. 521. Calippi de orbium numero opinio. XLI. 537. Calippica periodus annorum LXXVI. cap. XIX. 398.

Calliſtus Venus. XXXIII. 479.

Calor nativus an diverſus ab elementari. LXV. 654.

Camarina, Babyloniæ civitas, unde dicta. LXIV. 648.

Camenarum fons delubro honoratus. Hujus aqua utebantur in Veſtalium ſacris, & ut per *Camenas* etiam *aquæ* intelligantur. LXXX. 715.

Camillus Samothracibus deus adminiſter diis magnis, qui & *Cadolus* vocatur, puta Mercurius terreſtris, qui haut alius eſt à Charonte. Vtriuſque item vocabuli ratio adfertur. LVII. 620, 621, 622.

Campaniæ, Siciliæ, agri etiam Somerſetenſis apud Britannos feracitas unde. LXIII. 644.

Canis cæleſtis, ſive Sirius, Iſidis & Sothidis nomine cultus Ægyptiis. XXXVI. 498. Cur in Deos relatus. *Ibid.* *Canes Proſerpinæ* vocabantur à Pythagoricis planetæ: ſicut Ægyptiis, *Deorum lictores*. XXXI. 462.

Canes venatici quo pacto feras odorentur etiam longè remotas. LXIII. 644.

Canopus Ægyptiorum numen, cujus ſymbolum hydria. LXXIV. 693.

Capellæ, Arietis, Lyræ, aliorumque ſiderum apud Peruanos cultus. XXXVI. 505.

Capilli Gallis delibuti aromatis. LIII. 601.

Cappadocibus cultum ignem ſacrum. LXIV. 650.

Cappadocum diva quæ fuerit, à qua Sylla ſibi fulmen traditum eſſe ſomniavit. A. 418. 18.

Caput jactabant Galli. LIII. 601.

Caranus, & κοίρανος, ejuſdem originis videri: ubi & de Carano Heraclida, Macedonici regni conditore. XV. 385.

Cardanum juſtam nubium altitudinem non eſſe aſſecutum. LXXIII. 727.

Carmelus mons pro Deo, & unde is cultus promanâſſe videatur. LXII. 639.

Caſtratio in ſacris Cybeles quid denotârit. LIV. 608.

Catularia porta Romæ. A. 448. 34.

Caucaſi altitudo quanta. LXXIII. 726.

Cauſa per accidens præſupponit cauſam per ſe. XLIII. 547.

Cerberus cur aliis centenis, vel quinquagenis, aliis verò ternis ſolùm capitibus fingatur. XXIX. 453. Platonicis ſymbolum eſt mali dei, ſive dæmonis poteſtatẽ in tria elementa exſerentis. *Ibid.*

Cepis cur abſtineant ſacerdotes Ægyptii. XIX. 399.

Ceres, & Iſis, ἱστορικῶς Deæ ſunt diverſæ; φυσικῶς verò idem numen. LVI. 615. Ceres unde dicta. LIX. 631. Ceres duplex; una cæleſtis, quæ eſt Luna; altera ſubcæleſtis, hoc eſt, terra frugifera. *Ibid.* Cur dicta *Legiſera*. 632. Quatenus mixtum cultum attendimus, ea & lunam, & frugiferam terræ vim, comprehendit. XXVII. 438. Cereris, & Iunonis ſacra, differebant. A. 631. 6.

Ceſcus fluvius. LXXIII. 686. *Ceſcum habet, vel non habet*, Proverbium. *Ibid.*

Cetus Herculem trinoctio in ventre habuit: quod ex Ionæ prophetæ hiſtoriâ effictum. XV. 381, 382.

Chalcidius ſcriptor perperam à Vanino traductus. XLV. 556.

Chaldæos ſiderali ſcientiâ primos excelluiſſe. XLVII. 563. Chaldæorum fatum à Babylonio fuiſſe diverſum. *Ibid.* Vtrumque hoc plurimùm à SSis Patribus intelligi, cum Fatum impugnant: interdum tamen & Stoicorum refelli. *Ibid.* & *ſeq.* Quam animæ vim Chaldæi ſive Aſtrologi cuique ſubjecerint planetæ. XLVII. 567.

Χάλκεια, vel Πάνδημον feſtum Vulcani. LXVI. 658. Sed primò hoc ſacrum fuit Minervæ Ἐργάνη. *Ibid.*

Χαλκόκροτος Cybele. LIII. 605.

Chami nomen unde: unde item Sol *Chama* dictus Hebræis. XI. 361, 362.

Chamia, ſive Chemia, Ægyptus à Chamo appellata. XI. 362.

Chamos ſive Chemos, Moabitarum numen, quod aliter vocatum *Beel-Phegor*, unde nomen acceperit. VIII. 345.

Chaos aërẽ veteribus Græcis ſignat. XXV. 426.

Charontis ἔτυμον ex Hebræo fonte deductum. LVII. 622.

Χειροσοφία eadem ac Proſerpina. XXVIII. 443.

Chenoſiris. LXXIV. 693.

Chiromantes quos planetas ſingulis manus partibus præfecerint. XLVII. 56.

Χθόνια feſtum Cereris. LIX. 631.

Χύτροι, ſive ollare feſtum Mercurii Terreſtris, ſive Charontis. XIII. 374. & LVII. 622.

Cicada quare dicata Apollini. XII. 370.

Ciceronis in villa enatæ aquæ oculis medentes. LXXII. 681.

Cimmerii non modò ad Boſporum; ſed in Italia quoque; atque ad hos profectum Vlyſſem. LXXXI. 720.

Cim-

Cimmeris Dea. LII. 593.
Cinxia Iuno. XXVI. 434.
Circuli lactei cauſæ, una fabuloſa, altera vera, indicatur. XV. 383.
Ciun potiùs Luna, quàm Saturnus, ratioque ejus nominis allata. XXIII. 419. Vnde videatur eſſe, quòd pro *Cion*, vel *Ceon*, ut in Hebræo eſt, LXX habeant *Rephan*, ac ſuper eo B. Lucas defenſus. 420.
Clitorius amnis abſtemios facit. LXXIII. 887.
Clitumni fontis divinus apud Vmbros cultus. LXXIX. 711. Boves ad Clitumnum paſcentes aquâ ejus albi fiebant: unde à triumphantibus hinc petebantur, quos mactarent Iovi Capitolino. 712.
Cocytus cùm alibi, tum in Epiro. LXXXI. 722. Cocyti nomen non competit primò inferorum fluvio; ſed eò eſt tranſlatum. *Ibid.* & 723.
Collina. LXII. 640.
Colorem lanæ, aut cutis, quibuſdam aquis bibendis immutari. LXXI. 677, 678.
Comus Græcorum idem, qui *Chamos*: unde etiam nomen accepit. VIII. 345. Comi, & Priapi diſcrimen. 346.
Concordiæ, & Pacis templa Romæ. XXXVI. 504.
Connubiorum qui præſides Dii Athenienſibus. LVIII. 624.
Conſiva. LVIII. 627.
Conſivius Ianus. XVI. 388.
Copiæ, & *inops*, ejuſdē ſunt originis. LVIII. 625.
Coptos, ſive Copto, urbs Thebaidos vetuſta, Ægyptiorum & Arabum emporium, à qua & Αἰγυπτος, quaſi αἰὲν Κόπτος, vel Κόπτη, nuncupata. LVI. 617, 618.
Cor quare fuerit Cybele ſacratum. LIV. 610.
Corporis humani membra, ſecundùm Aſtrologos, vel huic, vel iſti, vel alii, atque alii, ſideri ſunt ſubjecta. XLVII. 566.
Corpus naturale ratione motus naturalis non tam eſt duplex, ut Ariſtoteles voluit, quàm triplex. XLI. 535. Vnde corporibus vita ſit. *Ibid.*
Corvus cur ſacer Phœbo. XII. 370.
Corybantibus unde nomen. LIII. 599.
Covum pro cælo ex *Chaos*, & an ex eo Iuno dicatur *Covella*. XXV. 426.
Criobolium. LII. 594. & LIII. 603.
Crodus Germanis, qui Latinis Saturnus, ac fortaſſe id nomen ex Κρόνος. XXXIII. 481, 482.
Cubali aqua tam eſt tenuis, ut nec baculus in ea habeat reflexionem. LXX. 673.
Cultros quorſum geſtarint Galli in Cybeles ſacris. LIII. 605.
Cultus, quem Iudæi præſtabant Soli, & Iofias abolevit, à Phœnicibus hauſtus fuit. IV. 322.
Cuniculis militaribus indendi pulveris tormentarii, atque hinc eos accendendi, quis primus auctor. LXIII. 647.
Curetes unde dicti. LIII. 599. Triplices ſunt. *Ibid.*
Cybebe Dea. LII. 593.
Cybebis. *Ibid.*
Cybele unde dicta. LII. 591. Cybele, prout numen eſt naturale, ſignificat principium naturæ paſſivum, præcipueque lunam ac tellurem, ſive vim generatricem, quatenus à Luna derivatur, à terra autem recipitur. LIV. 606. Cur Rhea dicta, & Mater tum deorum, tum hominum. *Ibid.* & 607. Cur vocetur Μαῖα, Δημήτηρ, Φερέφαττα. 607. Cur Ὀρεία dicta. 609. Quid in ſacris Cybeles ſignarint faces, tympanum, cymbalum. *Ibid.* Cur huic deæ cor ſacrarint. 610. Cybeles ſacerdotum caſtratio, lacertorum cruentatio, deæ ablutio, caput ipſius turritum, quid myſtice ſignificarint. LIV. 608, 609. Cybeles ſacerdotes variis nominibus appellati, *Curetes*, *Corybantes*, *Galli*, &c. & horum antiſtites *Archigalli*, ratioque horum addu&ta nominum. LIII. 598, 599, 600. Hi evirari ſoliti teſtâ Samiâ, tanquam aliis cotibus acutiori. 600. Veſtis eorum multicolor. *Ibid.* Caput rotabant: unde *tremuli* dicuntur Hieronymo. 601. inungebant capillos, faciem candidâ velabant byſſo, mulierum inſtar firmabant greſſum ſuum, lacertos cruentabant, ut deam ſanguine ſuo placarent. *Ibid.* denique à populo mendicabant æra. 602. Sacra hujus deæ vocata Μητρῶα. *Ibid.* & quo ritu celebrata. 603, 604, 605. Quomodo hæc Dea in veteribus fingatur aris. LII. 594. Cybele à leonibus vecta. LIII. 591. Ejus ſimulachrum Romæ à quibus ſoleat circumferri, & ut illud unà cum leonibus mos fuerit abluere in fluvio Almone. LII. 595. Aries ei mactatus; unde ſacra ejus Κριοβόλια, & vulgo Ταυροπόλιον. LIII. 603.
Cyclopes cur Apollinis ſagittis confixi dicantur. XII. 367.
Cygnus cur Apollini ſacer. XII. 370.
Cymbala, tympana, tibiæ, cornua, ſiſtra, lituus, & crotalum in ſacris Cybeles circumſonabant. LIII. 616, & LVI. 626. De cymbalo etiam bibebant. 605. Quid hæc myſticè ſignarint. LIV. 608, 609.
Cyzicenus fons an amorem auferat. LXXIII. 685, 686.

Dæmones non agnoſcunt Peripatetici. XLIII. 547.
Dæmoniacus cur B. Lucæ, qui B. Matthæo Lunaticus, XIX. 400.

Dagon

Dagon Palæſtinus complexu ſuo continet, tum Lunam, ſive Lunum, ut principium activum, cujus ratione maſculum numen erat Hebræis; tum mare, ut paſſivum. LXXVI. 700. Etymon ejus à *dag*, id eſt, *piſcis*: unde Græcè non tam Σιτὼν reddendum, quod factum à Philone Byblio, quàm Ἰχθύν. *Ibid.* Simulachrum ejus quale. *Ibid.*

Dardanus creditus inſtituiſſe ſacra Cybeles. LIII. 603.

Decumanus fluctus non eſt primis novenis major. LXIX. 668.

Dei cum Sole comparatio. II. 314. Dei locus cælum; inque hoc gentes ſimul, & Chriſtiani conveniunt. II. 310, 311. Dei nomen tetragrammatum quam varie proferatur. XIV. 378. Vide *Deus*, & *Dii*.

Delus cur Apollinis, & Dianæ ſolum natale dicatur. XII. 366. Delia ſacra quincto quoque anno. *Ibid.*

Derceto ex *Atergatis* factum. LV. 613.

Deſpumatio Lunaris in herbas credebatur iis in eclipſi magicas indere vires. XX. 401.

Deverrona. LXI. 637.

Deus cur dicatur ignis conſumens. LXIII. 643. Deus, ſecundùm Ariſtotelem, ſingularia ſub Luna nec curat, nec ſcit: variaque argumenta, quibus motus ſit, ut ita crederet. XLIV. 557, 558. Vide *Dei*, & *Dii*.

Dextrum & ſiniſtrum, ex Ariſtotelis mente, propriè ineſſe cælo. XL. 526. Sed hæc ſententia refellitur. XLI. 536.

Δημήτηρ unde dicta. LIV. 607. & LVIII. 624. Cur ei ſacrum fecerint ſcrophâ gravidâ. LVIII. 624, 625.

Διάκτορος Mercurius. XXXII. 472.

Dianæ nomen ex *Dea* vel *Diva Iana* contractum. XVI. 386. XXV. 426. Diana eadem ac Luna Romanis, & Græcis. XXV. 426, 427, *& ſeqq.* unde *Artemis* dicta. *Ibid.* & 432. Cur cum Apolline fratre ex Latona nata dicatur. 427. unde *Delia* vocetur. *Ibid.* Diana cognomento *Lucifera*. Item *Enodia*. *Ibid.* Cur ſilvis, ac venationi præfecta. 428. Cur λοχείρα dicta, & cur canes ei dicati: cur agriculturæ præſes: cur Epheſi cum multis mammis fingeretur. *Ibid.* Cur partui præfecta, unde λοχεία dicta. *Ibid.* & 429, 430, 431. Cur λυσίζωνος dicatur. 429. 435. Dianæ Brauroniæ, vel Munychiæ, virgines ſacra faciebant: hoc ἀρκτεύειν dixerunt. *Ibid.* Dianæ Ortheſiæ nomine Thracibus Luna ſimul & terra cultæ. LVII. 623: ejuſque nominis ratio allata. *Ibid.* Diana ταυροδόλος, vel ταυροπόλος. LIII. 603.

Diei etiam ſecundæ Deus benedixit: etſi vulgò aliud putetur. LXVII. 663.

Dieſpiter. LXXXIV. 731.

Digitis computandi ratio vetus unde peti poſſit. XVI. 388. Digito primore in erectum pollicem reſidente ſalutabant Deos. III. 319.

Dii cælo deſcendere in terras exiſtimati: ſed noctu, ne deprehenderentur. I. 206.

Dijovis. LXXXIV. 731.

Dii Prutenorum. I. 307. Diis corpora attributa, & qualia. I. 305, 306. Vide *Dei*, & *Deus*.

Dindymene unde dicta. III. 591.

Diogeni Apolloniatæ aer habitus Deus. LXXXIV. 729.

Dione Romanis, & Græcis, Veneris eſt mater: ſed antiquis gentium Theologis eadem ac Baaltis, ſive Beltis, hoc eſt, Iuno, ſive Venus, hoc eſt, Luna: quæ & prophetæ Ieremiæ *regina cæli* nominatur. XXI. 411, 412.

Diſares, ſive Duſares Arabum quis ſit, & unde nomen acceperit. VIII. 348. Dacharenis cultus. *Ibid.* & 349. A. 349. 6.

Ditis etymon. LX. 635. Ditis nomine tellus etiam culta Gallis; unde & genus ſe ducere jactabant. LXII. 638.

Divinatio cur attributa Apollini. XII. 367, 368.

Divitiis cur præfecta Iuno. XXVI. 434.

Divûm lyra, de cælo. XXXVII. 519.

Domiduca Iuno. XXVI. 434.

Domi Punicum ex *Adonai*. IV. 325.

Dormire cur inſalubre, Lunâ caput irradiante. XIX. 399, 400.

Dryades, & Hamadryades. LXXVIII. 709.

Duſares, *vide* Diſares.

ECcentricos fruſtra ſtatui, cum cælum ſit liquidum. XXXIX. 521.

Eclipſeos Lunaris cauſa, quodque Lunæ interjectu Sol quandoque etiam totus obſcuretur: perperam tamen dici id in conceptu Romuli contigiſſe. XX. 402. Eclipſin Solarem quandoque tantam eſſe, ut ſtellæ omnes compareant: atque hoc ſub Ludovico Pio contigiſſe. XX. 402. Eclipſi Solis, vel Lunæ, portendi inſtantia ſcelera, vel infortunia, exiſtimatum. XX. 401. Ecliptica paullatim locum mutat, & propius, præcipuè partibus extimis, ad Æquatorem accedit. XXXV. 496.

Edeſſenis Monimus, & Azizus, ſunt planetarum nomina, Soli proximorum. A. 470. 28.

Efficiens cauſſa eorum, quæ in terræ viſceribus generantur, partim ſunt ignes cæleſtes, partim ſubterranei. XLII. 539.

Εἱλήθυια. XIX. 399.

Εἱμαρμένη unde dicta. XLIV. 551.

Ἥλιος eſſe Saturnum, ſive Solem. IV. 322.

Elagabalus,qui Græcis Heliogabalus, Emeſſenis Sol dicitur. v. 332. Nomen illud unde conflatum ſit. *Ibid.* & 333. Idem Cæſari Heliogabalo inditum. 333. qui & templum huic Deo condidit Romæ. *Ibid.*

Electra,Pleiadum una, creditur ſe abſcondere, pudoreque captæ Trojæ,nolle conſpici. xxx.456.

Elementa unde dicantur. LI. 585,586. Ariſtoteli, & Galeno definiuntur, ut corporum ſunt prima, & quatenus mixtorum, non corporum primorum,ſunt principia. 586. Cur divinitas his attributa. *Ibid.* Duplex ratio conſiderandi elementa; una pro ratione gravitatis, & levitatis; altera pro qualitatibus primis, atque ut ex utroque quaternarium elementorum numerum collegerint. 587. Quod elementorum propriè nullæ ſint figuræ; quamvis Plato,& alii,figuras illis accommodent. *Ibid.* & 588. E Philoſophis Prodicus Ceus,& Empedocles, elementa cæleſti honore venerati ſunt; è gentibus etiam Perſæ. *Ibid.*

Emeſſenis qui Dii. v. 332.

Empedoclis tres verſus de elementis quàm variè legantur apud antiquos; quàm item variè ab iis exponantur. LXXVII. 701. 702.

Ἐν γόνασιν, ſignum cæleſte,in quo Hercules cultus. XXXVI. 499,500.

Endymionis fabula unde, ſecundùm Plinium. XVIII. 393.

Enneadecaëteris Metonis, quæ & *numerus aureus.* XIX. 398.

Ἐννοσίγαιος. LXXVII. 705.

Ἐνόδιος Ἑρμῆς. XXXII. 473.

Ephydriades. LXXVIII. 709.

Epicurus quomodo de generatione rerum abierit à Democrito, & ut ſtatuerit triplicem atomorum motum. XLIII. 547, 548.

Epicyclis nihil eſſe opus, dum cælum ſtatuamus liquidum, uti revera eſt. XXXIX. 521.

Epilepticis cur pejus ſit Lunâ creſcente. XIX. 400.

Equum Perſæ, Maſſagetæ, & Armenii, ſacrificabant Soli. IX. 353,354. Equus deſultor Heſpero ſive Lucifero ſacratus: ut bigæ, Lunæ; quadrigæ,Soli. XXXI. 464. *Equus* pro nave, ut & *currus* pro eodem, in poetarum fabulis. LXXX. 714. Equus pro valde mutoniato, ac libidinoſo. VII. 340.

Erebi etymon. LX. 635.

Erganæ Minervæ feſtum. LXVI. 658.

Ἑρμαῖος λόφος, & Ἑρμαξ, quid deſignet.XXXII. 474,475.

Ἑρμάνθεις rationis & orationis numen. XXXII. 470.

Ἑρμῆς unde dictus. XXXII. 472.

Ἑρμήνευν rationis & orationis præſes. XXXII. 470.

Erythræi maris etymon. LX. 636.

Ἥπειρος ſæpe abire in Ω. XVI. 386.

Euangelidarum oraculum. XII. 368.

Eudoxus,ac Calippus,ſtatuêre orbes cæli concentricos,& cur ab eorum ſententia abierit Hipparchus. XXXIX. 521.

Exhalationes terreſtres quouſque eleventur. LXXXIII. 725,726.

FAbula Thalmudica de Abrahamo ab igne Chaldæorum divinitus liberato, Harane autem in eo conſumpto, unde orta ſit. LXIV. 649.

Fabrilis ars rectiuſne Vulcano, an Minervæ, tribuatur. LXVI. 658.

Faces cur geſtarint in ſacris Cybeles. LIV. 609.

Faſcinantium ritus in lamina corpori alliganda. XXXIV. 489.

Fati ἔντμησις. XLVII. 564. Fati nomine,ex B. Auguſtini mente, rectius, ob vocis ambiguitatem, abſtineri. XLVII. 564.

Fatum Mathematicum, Aſtrologicum, ſive Chaldaicum quid. XLVII. 563,564, *& ſeqq.* Vnde ſic dictum. 563. Hoc fere intelligi à Patribus, quando fatum impugnant. 564. In hoc ſtatuendo exorbitari ab Aſtrologis,cùm membris ſingulis ſingulos præficiunt planetas. 566. cùm tantam ſiderum vim ſtatuunt in ipſas animæ facultates. 567. cùm dominia planetarum pro climatibus diſtinguunt. 568. cùm è duodenis Zodiaci ſignis unumquodque alicui præficiunt humani corporis membro, propriamque in illud vim attribuunt. *Ibid.* cùm planetarum cuique ſuum & locum,& effectum, aſſignant in Zodiaco. *Ibid.* & 569.

Fati definitio Platonica non tollit arbitrii libertatem. XLVI. 559,560, *& ſeqq.* quomodo diſtinguat Plato inter *fatum*, & *fatale*, ſive inter præceſſionem, & conſecutionem, ſive inter promerendi libertatem, & præmii pœnæve conſequendæ neceſſitatem. 561. item inter hæc tria; Deum,providentiam,& fatum. 562. quæ res fato ſubjectæ ex ejuſdem ſententia. *Ibid.*

Fatum Ariſtoteli, ejuſque ſectatoribus, quid. XLVI, *& ſeqq.*

Fatum Stoicum quid,& quomodo ſententiam ſuam de omnium rerum fatali neceſſitate explicaverint, & quibus rationibus probarint. XLIX. 576,577, *& ſeqq.* Quorſum preces fieri putarint in hac actuum humanarum neceſſitate. 579, 580. utque Fati, Providentiæ, & Naturæ nominibus etiam

etiam Deum ipsum intellexerint. 580, 581.

Fatum, Parcam, Necessitatem, Nemesin, & Adrastiam, pro eodem sumi. XL. 549. Fata cur *partilia* Ammiano dicantur. 550. A Parcis interdum distinguuntur. *Ibid.* Variantes de fato sententiæ. Prima eorum, qui quod Deum tollerent, vel in dubium vocarent, propterea nec fatum vel providentiam Dei agnoscerent. XLV. 555. Secunda eorum, qui cùm faterentur Deum esse, negabant eum curare humana, & sic quoque fatum nullum esse putabant. *Ibid.* Tertia illorum, qui fatum ponerent in solis naturalibus, & necessariis, sive universis, sive æthereis solum, qualis fuit Aristoteles, qui tamen providentiam non simpliciter removit à sublunaribus, sed solùm à singularibus, quatenus sunt ejusmodi. *Ibid.* & 156. Interim agnovit eam circa specierum conservationem. 557. Alexandro quoque Aphrodiseo fatum idem est, ac natura; item Themistio, & Aven-roi, qui cum magistro suo consenserunt in eo, Deum non curare, nec scire ea, quę singulatim in terris fiant: & quid eos in tam impiam impulerit sententiam. *Ibid.* & 558. Notatur quoque Peripateticorum error in eo, quod putarent, nihil à Deo posse fieri contra naturalem ordinem. 558.

Fatum Christianum, & quid *fati* nomine Christiani veteres intellexerint. L. 581, 582. Ne naturales quidem effectus esse ab necessitate absoluta, nedum actus humanos. 582. Necessitatem fatalem spectari tum in prævisione omnium, tum in decreto Dei. Prævisio Dei non ponit aliam necessitatem, quàm impropriè dictam, sive illam infallibilitatis. *Ibid.* nec decretum Dei aliam inducit, quàm illam ex hypothesi, quæ consequentiæ necessitas vocatur. 583. ut proinde optimè conveniant arbitrii libertas, & fatalis necessitas. *Ibid.* & 584.

Febris quartana Saturni filia cur dicta. XXXIV. 488.

Fel cur à sponso, sponsâque, sacrificantibus, retro altare conjici soleat. XXVI. 433.

Felium, sive ælurorum oculi, & animantium medullæ, crescunt cum Luna. XIX. 399.

Fertilitas cur major locis, ubi se exserunt ignes subterranei. LXIII. 644.

Festum νοθείων, quo Lunæ sacrificant viri cum veste muliebri, mulieres cum virili. XXVII. 440.

Festus Pompejus correctus. XXXIII. 480.

Figuram secum gestantes Cælestis Deæ, vel Alexandri, numen hoc sibi propitium fore, existimabant. XXIV. 425.

Filii filiæque nomina quàm latè patuerint apud Orientales. XXV. 425.

Firmamentum quantum à terris distet. XXXV. 493.

Fistula Attinis quid notârit. LIV. 609.

Flamma quo artificio possit in aquam demissa efferri integra. LXXIII. 645.

Fluonia Iuno. XXVI. 436.

Fluviorum origo secundùm Siracidem, & Aristotelem. LXXVII. 703, 704. Fluvii maximi fere ab Septentrione versus Austrum fluunt, & quæ ejus rei causa. LXXIII. 688. *Fluvius Ægypti καὶ ἐξοχὴν* pro Nilo. LXXIV. 690.

Fontanæ aquæ cur nunc fervidæ, nunc tepidæ, nunc frigidæ. LXIII. 646. Fontes acidi. LXX. 674. frigidi. *Ibid.* Fons odoris jucundi. *Ibid.* Fontes cur alii aliis citius excrescant. LXIII. 646. Fontes memoriæ, & oblivionis in Bœotia. LXXIII. 686. dementiam conciliantes. 687. inebriantes. *Ibid.* Fons Ciliciæ Νῆς, an Ἄνης, fuerit appellatus. LXXIII, 686. Fontibus, & lignis, sacrificatum ab Hessis, & Bohemis. LXXXII. 724.

Formarum essentialium summùm quinque genera sunt. XL. 533.

Fornax Dea ad ignem potiùs, quàm terram, reducitur. Cujus festum Fornacalia. LXI. 637, 638.

Fortuna quomodo à Chaldæis, & Philosophis, tum ad Æthera, tum ad Solem, Lunamque, reducatur. XLIII. 545. Quomodo vulgo concepta, ubi præcipuè culta, & cur cæcam finxerint, cur in deos retulerint, cur dissenserit hac parte Aristoteles, & quid ille per fortunam, & casum intellexerit. 545, 546. quid Stoicis fortuna fuerit, quid item Platonicis. 546. quos ex parte secutus Augustinus. *Ibid.*

Fossilium generatio ab ignibus est subterraneis. LXIII. 647.

Franciscus Floridus refellitur de Dea Syria. XXI. 409.

Fretum Gaditanum fuisse semper, nec unquam istic isthmum ab Hercule perfossum, evincitur ipsius loci naturâ. LXIX. 669. A. 669. 30.

Frigoris fons est sub utroque polo: & quàm id fuerit necessarium ad conservationem naturæ. II. 315.

Fulminis præsides dii. A. 418. 18.

GAditanis fanum, quod *Luciferi*, & *Lux-dubia*, dicebatur. XXXI. 455.

Γαννοχῶν. LXXVII. 705.

Gallantes pro furentibus. LIII. 600.

Galli, Deos salutantes, se sinistrorsum solere convertere. III. 319.

Gallis, sacerdotibus Rheæ, unde nomen.

LIII. 599. Cætera vide in *Cybeles ſacerdotes.*

Gallus, Phrygiæ fluvius, ſi bibatur, lymphaticos facit. LXXIII. 687.

Gehennæ nomen à valle ad inferos, & inferorum cruciatus, ſignificandum, tranſlatus. LXXXI. 723.

Gemini, aliis Caſtor, & Pollux; aliis Hercules, & Apollo; aliis Triptolemus, & Iaſion; aliis Zethus, & Amphion; aliis dii Samothraces. XXXVI. 502, 503.

Gemmæ ab Adado, numine Aſſyrio, diiſque aliis, nomen ſortitæ. VI. 336.

Genios magnos dictos, qui urbibus ac regionibus præeſſent. LXII. 640.

Gentiles orabant ad Orientem converſi. III. 320.

Germani quid Martis & Mercurii nomine intellexerint. XIII. 371. & 374. A. 480. 37.

Germanici interpres emendatus. XXXVI. 500.

Γῆρυς quæ, & unde dicta. LIX. 632.

Gingræ, quo Adonis, item tibiæ genus, ſignificatur, vocabulum unde, & quid γιγρίζειν, *gingrire, gingrina, gingritor.* IV. 325.

Glaciales aquæ paullò minus inſalubres nivalibus. LXXII. 680.

Globi è bombarda emiſſi quanta velocitas, ac quanto tamen minor, quam Solis. II. 313.

Græcorum, & Romanorum dii naturales recenſentur. XII. 365, *& ſeqq.*

Grana quando melius condantur. XIX. 399.

HÆmus mons intra nubes. LXXXI. 726.

Hama veterum Saxonum numen. XI. 361.

Haſtæ celibaris uſus in comendis ſponſæ capillis, & quorſum is ritus inſtitutus. XXVI. 434.

Hebdomadis dies cur à planetis nomen acceperint ordine longè alio, quàm obtinent in cælis. XXXIV. 489.

Hecaerga, & Hecate, eadem diva. XXIX. 449. Cui Deliæ virgines nupturæ capillos reſectos conſecrarent. *Ibid.*

Hecates nomen quandoque latius patet, quam Proſerpinæ, ut hæc mortis, illa inſuper nativitatis & vitæ omnis præſes intelligatur. XXIX. 452. Hecate hiſtoricè conſiderata filia eſt Perſei, unde *Perſeis* vocata: phyſicè eſt luna. XXXIX. 448, 449, *& ſeqq.* Cur fingatur quibuſdam filia eſſe Noctis, vel Tartari. 448. Hecates etymon geminum. 449. Quo pacto filia dicatur Latonæ. 450. Eadem φωσφόρος, ſive Lucifera, & cur dicta Τριοδῖτις, ſive *Trivia*, & cur in triviis ululârint matronæ certis diebus. *Ibid.* & 451. Cur triformis & triceps fingatur. *Ibid.* Cur trigla, ſeu mullus, Dianæ, ſeu Hecatæ, ſacer ſit. 452. Ejus ac Plutonis canis Cerberus; qui & ipſe triceps: ſed huic capita canina; Hecatæ humana; vel ſaltem medium humanum, dextrum equi, ſiniſtrum canis. 453.

Hedera cur Libero dicata. XII. 369. Hedera cur in Hyacinthiis, feſto Apollinari, Bacchico ritu coronarentur. XIV. 275, 276.

Heliogabalus, vide *Elagabalus.*

Heliopoli Sol cultus. X. 357, 358.

Helium Rheni oſtium, & opidum Brielæ, etymo conveniunt. XXXIII. 480.

Hercules idem, qui Sol. XV. 382, 383, &c. Cur ſtatuerint duodecim Herculeos labores. 383, 384. & cur clavam ei, pellemque leonis, tribuerint. 384. Cur hydram Lernæam ab eo occiſam, & mala Heſperidum ablata, finxerint. *Ibid.* Herculem non perfodiſſe iſthmum Gaditanum: ſed eum iſthmum eſſe fabuloſum. LXIX. 669. & A. 669. 30. Herculi quædam ex hiſtoria Ionæ à gentilibus tributa. XV. 381, 382. Herculis ſtella eadem ac Martis, ſecundùm auctorem de Mundo, Appulejum, Achillem Tatium, &c. XXXIII. 478. imò & Chaldæis. 479. Plinióque. 483. Hercules unde *Garanus*, vel *Recaranus* dicatur. XV. 385. Hercules Ogmius ſymbolum viri diſerti: Prodicius ſignum adoleſcentis in ætatis lubrico conſtituti. 382.

Hermæ viarum indices. XXXII. 474.

Herodotus manifeſti de Xerxe mendacii arguitur. LXXVI. 699.

Heroes unde dici putârit Capella, contra Lipſii opinionem diſcuſſum. LXII. 638, 639.

Hertha Germanis culta terram ipſis ſignat. LXII. 638.

Heſperidum fabulę duplex interpretamentum; unum ſecundùm rerum naturam; alterum ſecundùm hiſtoriam antiquam. XV. 384.

Heſus Germanis, qui Mars Romanis. XXXIII. 480.

Heſychius emendatus. XXXIII. 478. XLII. 541. LII. 593. LX. 634. LXXII. 723.

Hieronymi Fracaſtorii opinio, nihil eſſe epicyclis, vel eccentricis opus ad tuendum motum cæli uniformem. XXXVII. 522.

Himera parte ſui dulcis, parte ſalſa. LXX. 674.

Hipparchus, & Ptolemæus, cur orbes eccentricos induxerint. XXXIX. 521.

Hirtius, & Aëtius, conciliati; quorum ille inſalubrẽ, hic ſalubrem Nili aquã dixit. LXXII. 679.

Hoſtilina. LXI. 637.

Hyacinthia, feſtum Apollinare, ſive Bacchi. XIV. 275.

Hydra

Hydra Lernæa quid notet. xv. 384.
Hygino perperam inserti versus Prudentii, qui tribus eo seculis junior fuit. xxviii. 447.
Hypanis cur magnâ sui parte amarus. lxx. 674.

Iana pro *Luna*, indeque *Dea Iana*, sive *Diana*. xvi. 386. *Iana novella* quæ. xxv. 426, 427.
Ianuarius cur Iano sacer. xvi. 388.
Ianus unde nomen acceperit, eumque Theologis gentium non alium esse, quàm Solem. xv. 386, 387. Ianus quo sensu *pater* dicatur. xvi. 387. Cur *biceps*, & *biformis* nominetur, cur & *quadriceps* sit effictus. *Ibid.* Quare dictus sit *Consivius*, *Patulejus*, *Clusius*, *Claviger*, *Pater matutinus*. 388. Cur cum sceptro, & clave figuratus, ac cur aræ illi sacratæ duodecim, utque manuum gestu repræsentarit numerum tot dierum, quot absolutus haberet annus. *Ibid.* Ianus ἤθικὸς symbolum viri prudentis. xvi. 387.
Ἰάω quis sit. xiv. 378.
Ibycus poeta primus variantia quinque planetarum nomina digessit. xxxiii. 478.
Idæi Dactyli unde dicti. liii. 599.
Idololatriæ, sive cultus deorum naturalium origo. i. 305, & 306.
Igneæ linguæ, quæ Pentecostes festo conspiciebantur in Apostolis, quid signarint. lxiii. 643.
Ignis elementalis non esse proprium locum inter aerem supremum, & orbem lunarem; imò nec Aristotelem id putâsse. lxxxiii. 725. Ignis quantum cæteris elementis præstet. lxiii. 642, 643. Huic ineſse vim purgandi; ob quam à gentibus Vulcano, & Luæ, cremari soleant arma hostium devictorum. 643. Finis considerationis de bonis & effectis ignis. 647. Ignis cur fastigiatim assurgat, vera ex Theophrasto ratio allata. 588.
Ignes subterraneos esse quasi Solem quendam Soli cælesti appositum, & unà cum eo ad generationem rerum conferre. xlii. 539. Pluribusque id argumentis comprobatum. lxiii. 644, 645, *& seqq.*
Ignis cultus primò à Nemrodo institutus. lxiv. 648. Hinc *Vr* vocata urbs Babyloniæ, quæ aliter *Vrie*, & *Camarina*, ut & regio *Orchoe*. *Ibid.* Persæ igni sacrificarunt. 649. Etiam ignis à Medis, & aliis Asiæ gentibus, item Macedonibus cultus. 650, 651. Ignis sacer Persarum regibus in publicum prodeuntibus prælatus, atque idem rege extincto extingui solitus. lxiv. 650. Ignis à Græcis cultus Philosophis, uti Hippaso, & Heraclito; item sacerdotibus, tum Græcis, tum Romanis; idque sub nomine Vestæ. lxv. 652. Ignis Vestalis quomodo ad terram etiam referatur. li. 589.
Ilithyia eadem ac Iuno Lucina. xxi. 410, & xxvi. 434, 435. Quo sensu eadem filia Iunonis aliis dicatur. 436. Etymon ejus ex Oriente potiùs, quàm à Græcis, arcessendum. Sed & Græci Ilithyiam pro partu dixere. *Ibid.* Nempe quia partui præsit. xix. 399.
Imilio, & *Imilce*, Punica nomina, unde. xi. 364.
Intelligendi modus duplex; unus per receptionem speciei, alter per essentiam. xl. 529.
Intelligentiarum orbes cælestes moventium, ex Aristotelis mente, non est par perfectio, ac divinitas. xl. 530. Intelligentiis motricibus nihil opus. xli. 537. Ac licet ab intelligentiis cælum moveretur, non tamen solùm octonas cum Aristotele statui oporteret, sed multò plures. *Ibid.* Intelligentias longè aliud esse Aristoteli, quàm Platoni sint dæmones. 538.
Inuber. lii. 597.
Iobi ætas, deque ea quadruplex opinio. ii. 317, 318. Genus. *Ibid.* 318. Iobi liber non parabolam, sed historiam continet, contra quam est apud Maimonidem. iii. 317. De auctore ejus ambigitur, ac quo loco referatur inter Hagiographa ab Hebræis. *Ibid.* & 318.
Ionæ in ceto detenti historia fabulosè à gentibus suo Herculi accommodata. xv. 381, 382.
Ioviales planetæ quatuor. xxxiv. 490.
Iovis stellæ variæ appellationes. xxxiii. 478. &c. Ejus stellæ magnitudo, ac sublimitas, & cur ei fulminum potestas præcipue attributa. xxxiv. 484, 485. Vis in elementa ac homines. 486. ubi Albumazaris & Aponensis opinio, putantium, à constitutione Iovialis stellæ pendêre, ut certò exaudiantur divinitus, qui sapientiam exposcunt, impietatis damnatur. *Ibid.* Stella hac malignitatem Saturni temperari. xxxiv. 487. Iovis stella, uti & Veneris, ac Mercurii, eclipsin patitur instar Lunæ. xxxi. 463. Plura vide in *Iupiter*.
Irminsul Saxonum idolum: dubium, utrùm numinis animalis, an naturalis. Si prius placeat, fuerit Arminii statua, fortissimi Germanorum adversus Romanos ducis. Sin naturalis; sit Mercurii, vel Martis, non prout stellæ sunt erraticæ: sed quatenus Martis, vel Mercurii vocibus ab Oriente, & barbaris, signari Sol solet. xxxii. 475, 476.
Isidis nomine Ægyptiis cùm Luna colebatur Tellus, imò universa rerum natura. xxiv. 421. lvi. 614, 615, &c. Cur *Pharia* vocata. xxiv. 421. Varia ejus cognomina. *Ibid.* Cur ea Τέλλην, & Παναχαΐς, vocitata. lvi. 614. Eadem Isis, ac Ceres: unde & sacra utriusque conveniebant repræseu-

præsentatione luctus. 615. Isidis, & Cybeles sacrorum convenientia. 616. Isis, & Venus, eadem ac mater Deûm. x. 357. Isidi uterque inest sexus. xxiv. 423. Isis maximè culta Bubasti, & Copti, urbe Thebaidos antiqua, Ægyptiorum & Arabum emporio. lvii. 617. Isidos in sacris, uti in illis Cybeles, cymbalis, & tympanis usi, pane abstinebant, mendicabant stipem, pectus tundebant, brachia vulnerabant. lvi. 616. Cur Isidos sacerdotes fuerint calvi. lvi. 614, 615. Isis cur Ægyptiis dicatur navigio vehi. xxvii. 441. Cur ab iisdem cum cornibus fingeretur. *Ibid.* Eadem cum Osiride est generationis omnis causa. 422. Cur *Muth*, item Ἄϑυρ, & Μϑυιρ, iisdem dicatur. 423, 424. Isis pro anno Ægyptiis. xxxvi. 498.

Ismaelitæ Venerem coluere. xxxi. 466.

Isthmi inter Hispaniam & Africam, ab Hercule perfossi fabula unde cœperit. A. 669. 30.

Iudæi cur preces fuderint ad Occidentem conversi. iii. 320.

Iuga, & Iugatina Iuno. xxvi. 433.

Iulianus Apostata, nocte mediâ surgens, sacrificabat Mercurio, hoc est, virtuti cælesti, quæ ingenia excitat humana. xxxiii. 372, 373.

Iulii Firmici locus interpunctione melior redditus. lvi. 617, 618.

Iul. Scaliger rejectus de dulcedine maris in fundo. lxviii. 665. Idem de Veneris, & Mercurii loco refellitur. A. 969. 24.

Iuno eadem, ac Diana, sed alia, atque alia Lunæ vis significatur. xxv. 427. Iuno Græcis, & Romanis, aerem feminam notat, quatenus recipit exhalationes, & quæ inde generantur. lxxxiv. 730. Cur Iuno tum soror statuatur Iovis, tum uxor, & cur à marito dicatur suspensa de cælo, appensis ei incudibus duabus. 731. Cur *Sospita* cognominata, item *Argiva*, & quod nomen fuerit primæ ejus apud Argivos sacerdoti. *Ibid.* & 732. Iuno ad lunam refertur. xxvi. 432, 433, *& seqq.* Cur ei nomen *Iunonis* datum, aliter, quàm à Veteribus, conjectatum, & unde Ἥρης appellatio. 432. unde *Lucina* & *Lucetia* vocetur. 433. cur Calendæ ei consecratæ, curque matrimoniis præfecta, & unde ei πελείας nomen sive *pronubæ*. *Ibid.* *Cinxiæ*, & *Vinxiæ*, nomen unde. Item *Domiducæ*, & *Mantumnæ*. 434. cur divitiis præsit. *Ibd.* cur pavo ei sacer. *Ibid.* *Iuno Fluonia* eadem, quæ *dea Mena*. 436, 437. Iuno dicta quotannis lavando se in Canatho in virginem commutari. xxv. 732. Iuno quandoque terram significat. lix. 629, 630. Et quomodo conciliari possit, quòd tum mater Ops, tum filia Iuno, terra esse dicantur. 630.

Iunonis, & Cereris sacra diversa. A. 631. 6.

Iunonia stella quæ Auctori de Mundo, & Appulejo. lxxiii. 478.

Iupiter, & Iuno, quàm variè φυσικῶς sumatur. lix. 629, 630. Iupiter non modò Saturni, sed & Ætheris filius est habitus. xxxvii. 509. Iupiter idem, ac Sol. xiii. 370. Heliopoli tum Ægyptiâ, tum Assyriâ cultus, idē erat ac Sol, cœlumque. x. 357, 358. Vectatio ejus simulachri, ut & aliorum alibi deorum. *Ibid.* Iupiter, Minerva, Iuno, quid Samothracibus significent. lvii. 619, 620. Iupiter Græcis, & Romanis, aer est masculus, quatenus spiritus est vegetans, ac movens. lxxxiv. 730. *Iupiter* pro *vento*. *Ibid.* Iupiter Æthiopicus idem ac Assabinus. xi. 360. Iupiter Germanis Taranis, sive Taran, & fortasse etiam Tanar: ex quo *Donner*, unde *donnersdag*. xxxiii. 481. Vide alia de Iove in *Ioviales planetæ*, & *Iovis stellæ*.

Iustus Lipsius in Stoicorum mente explicanda meliorem illis affingit opinionem, quàm revera habuerunt. xlix. 580.

Iuturna nomen fontis, fluminis, ac lacus, & de templo ejus. lxxx. 717, 718.

Καθήλιος cur Lunari de deliquio dicatur. xx. 402.

Κάσμιλος Deus Cabiris ministrans, idem qui Mercurius. lvii. 620. Unde *Casmili* nomen. 621.

Kepleri ἀνισογωνία, scribentis à Thalete correctum Berosi errorem. xx. 404, 405. Ejusdem judicio, Tellurem sensu esse præditam. lxii. 641.

Κολυιδής. lxxx. 713.

Κυλλοποδίων. lxvi. 659.

Kyrgestis in Tartaria Tellus culta. lxii. 639.

Lactucina, vel Lactens. lxi. 637.

Lanugo prima Apollini consecrabatur. xii. 367.

Lapides breviculo spatio ex aquis quibusdam fieri. lxxi. 675, 676. Quæ causa. 676. Lapis è firmamento dejectus nonnisi annis cii in terram pertingeret. xxxv. 493, 494. Lapis qui putetur, qui ab Ismaelitis, & Saracenis cultus. xxxi. 466, 467.

Latona quæ sit φυσικῶς, & unde ei nomen. xii. 366.

Laurus comesta vatibus, vel dormientium capiti supposita, credebatur vera præstare insomnia; & unde stulta adeò opinio profecta. xii. 369. Erat ea Apollini sacrata. xii. 369. Esse obnoxiam fulmini, etsi aliter de eo veteres. *Ibid.*

Ledona in mari quid. lxix. 670, 671.

Leo Nemæus cur è Luna decidisse fingatur. xviii. 395.

Leones vehebant Cybelen. LIII. 603. LV. 612. Quid leones in ejus sacris significent. LVIII. 608, 610.

Leoni Papæ I improbari consuetudinem se in orando ad Orientem convertendi : quæ prioribus seculis obtinuerat. III. 321.

Lernæa hydra, ab Hercule interemta, quid φυσικῶς notet. XV. 384.

Levana eadem, quæ Luna. XXVI. 437. Etymon ejus. *Ibid.*

Λευκὸς ἀπὸ τῆ λύκης. XII. 370.

Liber tum Sol est, tum liquor potabilis, & cur *Lunæ filius* dicatur. LXXIX. 710. Cur Liber iis, qui duos solùm Cabiros agnoscunt, eorum alter habeatur. *Ibid.* Liberi fontem in Andro septem diebus fluere vino, sacerdotum figmentum, vel fraus erat. LXXI. 676. Liber cur quatuor ætatum figuris effictus. XIV. 278.

Libitina eadem, ac *Venus*, & *Proserpina*. XXVII. 442. Libitinariorum humerus indicabat numerum defunctorum in Latio. XXVII. 442.

Liduna qualis maris æstus. LXIX. 670, 671.

Ligna quando cædenda. XIX. 399.

Λιμναῖαι, sive Λιμνάδες. LXXX. 713.

Limoniades. LXXVIII. 709.

Liparis flumen in eo natantes inungit. LXXI. 677. Et quæ ejus rei ratio sit. *Ibid.*

Livii Andronici versus numeris suis redditus. XLIV. 551.

Λόγιος Mercurius. XXXII. 472.

Λοχεία. XIX. 399.

Loxo, Hecaërga, & Opis, epitheta Dianæ. XXIX. 449.

Lua Dea. LXIII. 643.

Lucanus adversus Cæs. Scaligerum defensus. LIV. 610.

Lucem Latini dixere, ut Græci λύκλω. XII. 370.

Lucianus adversus Franciscum Floridum defensus. XXI. 409.

Lucifer, & Hesperus, idem sidus : & quando mane, quando item vesperi oriatur. XXXI. 463, 464. Lucifero à poetis albus equus attributus : Hespero, qui & Nocturnus, niger. 464. Lucifero dicati equi desultorii. *Ibid.*

Lucinæ etymon. XXVI. 433.

Lucis divinitas. II. 314. Gemina ejusdem divisio. *Ibid.*

Luna unde dicta. XXVI. 433. Distãtia illius à terra, magnitudóq; ejus, quæ terrestris globi fere est quadragesima. XVIII. 394. Colores varii. 395. Maculæ Lunares, & earum causæ. *Ibid.* Pythagoricorum opinio, Lunam esse terram nostræ similem, ubi & arbores, & animalia multò nostris sint majora : unde & poëtæ fingant, ex Lunæ orbe decidisse Nemeæum leonem, & taurum Marathonium. *Ibid.* Figura Lunæ globosa, non omnino tamen rotunda ; sed aspera & inæqualis ; & quæ inæqualitatis hujus causa sit. XVIII. 396. & XXIX. 520. Lunam lucere suâ luce, Berosi est, & Chaldæorum opinio. XX. 403. Quæ refellitur. 405 : eamq; vel partim, vel solùm luce splendere alienâ probatur. 406. Luna secundùm Pythagoricos illuminatur à terra ; terra verò luce à Sole perfunditur. XX. 406. Secundùm Stoicos vitâ, sensu, & intellectu, prædita est. *Ibid.* & 407. Aristoteli dicitur Sol alter, sed minor. XIX. 400. Luna quæ eadem ἴνη ϵ νία. XIX. 398. Lunæ vis in sublunaria. XIX. 398. Cur prosit parturientibus. *Ibid.* & 399. Cur iis noceat, caputque aggravet, qui Lunæ expositi, capiant somnum. *Ibid.* Luna facit epilepticos, & spasticos. XIX. 400.

Luna divinis honoribus culta, & quæ causæ ejus cultus. XVIII, XIX, XX. Ac Orientis quidem populis culta est variis nominibus : ut Vraniæ sive Cælestis, Astartes, Baaltidis, Veneris, Salambonis. XXI. 407, 408, *& seqq.* Deæ Syriæ, sive Iunonis Assyriæ, quæ Hierapoli erat. 412. Luna Afris culta, quam Græci, cùm Syriacè nescirent, *Astroarchen* pro *Astaroth* vocarunt. 414. Hæc Græcis Οὐρανία, *Cælestis* Latinis dicitur. *Ibid.* & 425.

Lunare deliquium cur καθαίρειν dixerint, & stultæ priscorum circa eclipsin Lunæ opiniones. XX. 401. quæ paulatim evanuerunt, repertâ verâ eclipseon causâ. 402.

Lunarium φάσεων causæ, & cur in coitu non videatur Luna. XVIII. 396. Nunquam minùs illuminatur à Sole, quàm in plenilunio. *Ibid.*

Luna tum Osiridis, tum Isidis vocabulo Ægyptiis censetur. XXIV. 422, 423.

Lunatici dum Luna crescit, & præcipuè in plenilunio laborant. XIX. 400.

Λυνὸν quid. A. 433. 14.

Lunus Carrenorum. V. 334. A. 334. 5.

Lupus sacer Phœbo, & quamobrem. XII. 370.

Lux, primæ diei opus, materies est Solis, Lunæ, stellarumque : & quid opus fuerit, cum lux ea esset, hanc in cælestes ignes variè discerpi. XXXIX. 519, 520.

Lux dubia, fanum sic dictum Gaditanis, Phosphoro sacrum. XXXI. 465.

Λύκος, ἀμφιλύκη, λυκὸς, ejusdem originis. XII. 370.

Lynceus cur ab acumine visus proverbio celebretur. XIX. 398.

Lynci, sive Lyncestis aqua, vini instar, lymphaticos facit. LXXIII. 687.

Mlitera, vel etiam μα syllaba, voci interdum præmissa. XXXIII. 480.

Macrobii vetus lectio in voce *Adad* defensa. VI. 335, 336.

Maculæ Solares quid. II. 312.

Mæandro, & Marsyæ fluminibus à Phrygibus sacrificatum. LXXIX. 711.

Mæra, canis cælestis. XXXVI. 498.

Magi credebantur in eclipsi carmine Lunam deprimere, ut propior terris, despumando in herbas, magicis eas viribus repleret. XIX. 401. Magi ignem colunt, ut Dei signum. LXIV. 649.

Μαῖα, Rhea. LIV. 607. Maja mysticè terram significat. XLI. 636. ubi & ratio ejus nominis adfertur.

Maimonidæ locus enarratus de virili cultu in Veneris sacris, muliebri in Martis. XXXI. 466.

Malachbelus, & Aglabelus, id est, Sol, & Lunus, qui idem ac Luna, Dii Palmyrenorum. V. 333, 334.

Mala Hesperidum ab dracone custodita quid significarint. XV. 384.

Malina, & Liduna, vel Ledona, quid Saxonibus significent, deque origine eorum nominum. LXIX. 670, 671.

Mammacocha, sive Mare, numen Peruanorum. LXXXII. 714.

Manichæi à Persis Solis cultum hausere, seu proprius, seu symbolicus ille fuerit. IX. 354.

Manturna. XXVI. 434.

Manuum partes, quæ singulis subditæ planetis ex opinione chiromantum. XLVII. 566.

Maris etymon. LXVIII. 665. Mare falsò credi altiùs terrâ, præterquam ubi Deus montes arenarios oppositi mari. LXVII. 664. Maris an eadem profunditas, ac initio creationis. XXXIX. 523. Quanta ejus profunditas. LXVII. 662. Cur mare salsum sit creatum: & præcipuam salsedinis causam esse à bitumine, ac sulfure, & ignibus subjectis. LXVIII. 665. 666. Perperam Iul. Scaligerum putare, mare in imo esse dulce. *Ibid.* Etiam fervorem maris provenire à bitumine ac sulfure. *Ibid.* Et cur naves onustæ, transmisso mari, quandoque mergantur in flumine. *Ibid.* Mare mortuum cur & *mortuum*, & *mare*, dicatur, item *mare salis*; & ut homines vincti, si huic injiciantur lacui, non mergantur, & quæ hujus rei causa. LXVIII. 666. Maris externi, sive Oceani, motus triplex, ejusque causæ. LXIX. 667, 668, *& seqq.* Maris interni, sive mediterranei, itidē est triplex, & cujusque causa. 669. incrementi, ac decrementi diurni, quorum illud Veniliam, hoc Salaciam, dixere Romani, item menstrui, & annui causa. 669, 670, 671. Mare, item flumina, ac fontes, divino affecta sunt honore. LXXXII. 714. Plura de maris cultu vide in *Aquæ cultu.*

Mars unde dicatur, ex Hebræo fonte ostensum. XIII. 371. & imprimis XXXIII. 479. Incautiùs à Græcis, & Romanis, numina barbara reddi nominibus Martis, ac Mercurii. XIII. 374. Quàm variè secundùm veterem capiatur historiam, paucis ex libro primo repetitum. XIII. 371. At φυσικῶς idem nunc est Sol, nunc Sole superior planeta. *Ibid.* Martis stellæ variæ appellationes. XXXIII. 478, &c. Mars, secundùm Tychonem Braheum, quandoque propior nobis ipso Sole. XXXIV. 484. Mars, Iupiter, Saturnus, prout à Sole propiùs, vel longiùs distant, ita magis, minusve calefaciunt. XXXIV. 483, 484, *& seqq.* Cur Mars *Sylvanus* dictus. XIII. 371.

Mars cur Deus belli sit habitus, ac præcipuè Thracibus fuerit præfectus. XXXIV. 484. Cur præcipuus Deorum habeatur Germanis. XIII. 371. *Hesus* dictus est Germanis: unde dies, qui vulgo est Martis, Dyssdag, vel Dysdag: & Heso huic captivos immolari solitos. XXXIII. 480. Mars priscis Germanis cultus sub effigie columnarum Herculis. XV. 385.

Marsyæ flumini sacrificabant Phryges. LXXIX. 711.

Martianus Capella emendatus. A. 388. in margine.

Massagetæ cur equum Soli mactarint. XVII. 391.

Mathematici pro iis, qui se fati Astrologici gnaros profiterentur. XLVII. 563. Mathematicis asserentibus, utcunque homo necessitate bonum malumve agat, non minùs amore, aut odio dignum esse, occurritur. XLVIII. 570. Mathematicorum, sive Astrologorum quorundam extrema impudentia, virtuti siderum tribuentium, Christi miracula, ac religionem Iudaicam, Chaldaicam, Ægyptiam, Saracenicam, Christianam; item regnum Antichristi. XLVIII. 573. Mathematici Româ exacti sub Imperatoribus gentilibus, imò antea quoque: Scripturis itidem, & à Patribus, ac Concilio Braccarensi, & Christianis etiam Imperatoribus damnati. XLVIII. 572, 573.

Matrona etiam, quæ nunquam mater. XXVI. 434.

Medicæa sidera. XXXIV. 490.

Megalenses ludi Rheæ sacri; à quibus diversi ludi magni, sive Romani. LIII. 602. Quis auctor sit Megalensium. 603. Pinus in his sacris gestata, quæ cæsa ex luco Cybeles. 604. In iisdem sonuere litnus, crotala, præcipuéque cymbala, tympa

tympana, tibiæ. 604, 605. Ac è tympano etiam edebant, è cymbalo bibebant. 605.

Melchisedecus cur aliquibus Herculis, & Astartes filius dicatur. XXI. 410.

Memini, mentio, reminiscor, moneo, ab eodem fonte descendunt. XLII. 544.

Mena eadem, ac *Fluonia*. XXVI. 437.

Menaidos, sive Palicorum fons bibentibus mortifer. LXXII. 684, 685.

Mensis alius Solaris, qui vel cælestis, vel civilis: alius Lunaris, qui vel periodicus, vel synodicus, Græcis usitatus. XIX. 397. vel ἡ φάσεως, apud Muhammedanos obtinens. 398.

Menzanæ Iovi apud Festum videri perperam scriptum pro *Mazani*, vel *Mezani*. XXXIII. 480.

Mercuriales viri poetæ appellati Horatio. XIII. 373.

Mercurii nomen ex Hebræo. XXXII. 470, & 473. Mercurii sidus, uti quoque Veneris, circumit Solem, eoque dimidio periodi suæ spatio Sole est altius, dimidio item inferius. XXXII. 469. Mercurii, ut & Veneris ac Iovis sidus, Lunæ instar, patitur eclipsin. XXXI. 463. Mercurius à Porphyrio collocatur partim in Sole, partim in Luna: in Sole quidem, quatenus ratio est: in Luna, prout orationem designat. XXXII. 470. Mercurius cur communis stella dicatur. XXXII. 471. Mercurius cur fingatur Deorum nuncius: cur talaria illi dentur: cur non humero, sed petaso additæ alæ: cur lingua ei consecrata: cur *Mercurii* nomen S. Paullo datum; ut Barnabæ, *Iovis*. XXXII. 472. Veretrum Mercurii intentum animi & sermonis intentionem denotabat. *Ibid.* Iuniores tamen Mercurii cum languente fascino, & quæ causa. 473. Cur seniores manibus & pedibus mutili. *Ibid.* Mercurio cur tribuatur artium inventio. XXXII. 473. Cur Mercurius negotiis & quæstui præfectus: cur impostor, & fur: cur gallus ei sacrificatus. 473. Cur viis præfectus. 473, & 474. Mercurius quod viis præfectus, (unde Ὁδίτης, Ἡγεμόνιος, & Ἐνόδιος dictus) non ad planetam Sole inferiorem pertinere; sed ad Solem ipsum, qui Orienti, & Theologis, per Mercurium intellectus. XIII. 373. Ad Solem etiam referendum, quod Mercurius dicatur occidisse Argum: ubi per Argum intelligitur cælum cum stellis, quæ Sole adveniente quasi occidunt. *Ibid.* Cur alarum Mercurii alba una, cærulea altera: & cur aurea eidem tributa sit virga. *Ibid.* ut item duplex sit Mercurius; cælestis, & terrestris. *Ibid.* & 374. Ille nuncius superûm in terras: hic animarum ductor ad Orcum. LVII. 622. Per Camillum, sive Cadolum, non utrumque notari Mercurium, sed solum Terrestrem, cui sacrum erat Ollare festum: nec eum diversum esse à Charonte. *Ibid.* Mercurius Thracibus cultus. LVII. 623. Mercurius veteribus Celtis Sol. XXXII. 475, 476.

Μητραγύρται. LIII. 602.

Minervæ, & Ἀθηνᾶς nomina unde sint. XLII. 540, 541. Eadem Ægyptiis dicta *Neith*: estque secunda ex Minervis quinque illis, quæ à Tullio, & aliis inde memorantur. *Ibid.* Minervæ nomine aer cultus est Ægyptiis. LXXXIV. 730. Quæ pars cæli intelligatur, cum gentiles Theologi ajunt, per Minervam cælum signari. 542, 543. Atque inde etiam cognosci, cur Iovis filia, non uxor dicatur. *Ibid.* & 544. Minerva fulminis mittendi habet potestatem, cum Iove & Vulcano communem. A. 418. 18.

Mithras Persis Sol, & unde id vocabulum. IX. 349, 350. Hoc vocabulo non tam unum, quàm supremum signari Persarum Deum, medium inter Oromazem, & Arimanium: atque idem τριπλάσιος, sive *triplex* dictus; & quæ causa ejus. 350, 351, 352.

Mithrax, vel *Mithridax* gemma, unde hoc nomen acceperit. IX. 354.

Mithridates, sive Mithradates unde dictus. IX. 350.

Mnabus fluvius injecta in lapidem vertit. LXXI. 675.

Moloch, deus Ammonitarum, idem qui Sol. V. 328, 331. In cujus honorem traducti per ignem pueri, & qualis illa traductio fuerit. *Ibid.* & 329. Quod verisimilius sit, hunc Saturnum esse, quatenus Saturnus ex more Orientis pro Sole sumitur, quàm Priapum, aut Mercurium. 229, 230. Molochi simulachrum cur septem constiterit conclavibus: ac septimum eorum fuisse cremandis liberis destinatum. 331. De lapide pretioso in corona Molochi, error Cyrilli, & Oecumenii. *Ibid.* & 332.

Monimus Emesenis dictus Mercurius, Mars Azizus. V. 332. Edessenis etiam; si Iamblichum, & Iulianum audimus. A. 470. 28.

Montium altitudinem, & maris profunditatem, paullatim imminui; etsi id minutum adeo sit, ut sensibus non observetur. XXXIX. 523. Montes pro diis. LXII. 639, 640.

Morta quæ Parcarum, & unde id nomen. XLIV. 551.

Mortuorum sacrificia quid Davidi significent. XXXVII. 337.

Motus cæli propriè non agit in hæc inferiora: sed vicissitudine quadam adducit, & applicat

nunc his, nunc istis locis lucem, & omnem virtutem cæli operativam. XLII. 539.

Mucius Scævola Pontifex ubi, & quando occisus. I. 307.

Muliebri habitu usi Assyrii in Veneris sacris. XXXI. 466.

Mullus quare Græcis Τρίγλη dicatur, & cur Hecatæ sit consecratus. XXIX. 452.

Mundus, ex Procli sententia, putatur esse à Deo per emanationem, ac sic non tempore quidem, attamen naturâ esse posterior Deo. XXXVIII. 511, 512. Hæc sententia variis Aristotelis locis impugnatur. XXXVIII. 512.

Mundus pro *puro* unde derivatum videatur. XXXIII. 480.

Muth Ægyptiaci vocabuli convenientia cum linguis aliis. XXIV. 423, 424.

Mutinus Titinus idem, qui *Priapus*; cujus fascino inequitabant nupturæ. VII. 341. Unde dictus *Mutinus*. *Ibid.*

Mygdonia mater, unde dicta. III. 592.

Mylitta Assyriis, ac Babyloniis, Lunam notat: ac unde ea appellatio esse videatur. XXII. 413.

Μυλλὸς in Thesmophoriis circumlatus quid significarit. LIX. 632.

Mytistrati paludis prope Mylas calidæ aquæ. LXX. 673.

Nabo, Baithim, Dibon, Medeba, Moabitidis urbes. VIII. 347.

Nabo, seu *Nebo*, potiùs Luna, quàm Sol. XXII. 414. Atque hinc viris principibus nomen impositum. *Ibid.* Vide *Nebo*.

Naidum nomen unde sit, & quibus propriè conveniat. LXXX. 713.

Napeæ. LXXVIII. 709.

Natalis Iuno. XXVI. 434.

Naves cur quandoque jam maria emensæ mergantur in flumine. LXVIII. 666.

Navigatio cur difficilior ex Hispaniam in Flandriam, quàm contrà. LXIX. 668. Cur item difficilior mari Septentrionali in Septentrionem, quàm reditus inde. *Ibid.* Difficilior cur eadem à promuntorio Bonæ spei ad insulas Moluccas, quàm contrà. *Ibid.* Item difficilior cur ex America in Hispaniam, quàm ex Hispaniâ in Americam. 668, 669. Adhæc difficilior ex Hispania in Ægyptum, vel Syriam, quàm inde reditus. 669.

Nebo, sive Nabo, idolum Assyrium, ita vocatum, quòd oraculum funderet. VIII. 346. Pro eo apud LXX interpretes vetusto errore *Dagon* legi Esaiæ cap. XLVI. *Ibid.* Parùm solidè probari è Scripturis, numen fuisse Moabiticum. *Ibid.* & 347. Numen fuisse diversum à Chamo; de quo adversus Hieronymum dissertũ. 347. Vide *Nabo*.

Nemesis stella Ægyptiis Saturnus. XXXIII. 478.

Nemestinus. LXII. 640.

Nemrod sitne idem, ac Ninus; uti putabat Chronici Alexandrini scriptor. LXIV. 648.

Nephthys Typhonis uxor. LXXV. 698. Huic sacratum inferum hemisphærium. *Ibid.*

Neptunus, & Ποσειδῶν, unde vocetur. LXXVII. 705. Cur dicatur γαιήοχος, & ἐννοσίγαιος. *Ibid.* & 706. Neptunus Equestris. LXXX. 714.

Nereidum numerus. LXXVIII. 709.

Nereus unde appellatus. LXXVII. 706. Quomodo idem nunc Neptuni, nunc Ponti filius dicatur. *Ibid.* *Nerei simum pecus*, de piscibus, vel delphinis solis. *Ibid.* Quamobrem Poetæ eum inducant vaticinantem, & quid per L ejus filias signarint. *Ibid.*

Neronis Cæsaris versus immeritò irrisi à Persio. LII. 597.

Nestis Græcis aquam signat, ejusque etymon. LVII. 701.

Netos. X. 358.

Nicephorus quando vixerit. XXX. 457.

Nili nomen unde. LXXIV. 691. Qua mente deus dixerit Abrahamo, se daturum illi terram usque ad Nilum. 690, 691. Cur idem flumen in Scripturis dicatur *Scichur*. 691. Cur priscis Romanis *Nilus* dictus sit *Melo*. 692. Nilus aliter Siris, quod καθ' ἀφαίρεσιν ex *Osiris*. *Ibid.* Nilus Ægypti solum malignum, & pluviæ nescium, rigat, & dum inundat, pingui obducit limo. LXXV. 694, 695. Longitudo Nili. 696. Incrementi ejus, ac decrementi, tempus, & causa. *Ibid.* Nili fontes de quibus res adeò controversa fuit antiquis, esse in Gojomiâ, regione Abyssini regis. LXXV. 695. Nili longitudo. 696. Quando crescere, quando item decrescere, incipiat, & causa utriusque. 697. Nilus cur dictus oriri à sinistris, perire à dextris. LXXV. 697.

Nivales aquæ cur insalubres. LXXII. 680.

Nocturnus Deorum in terras descensus. I. 306.

Nocturnus pro Hespero. XXXI. 464.

Nodinus, vel Nodotus. LXI. 637.

Noni cælorum orbis statuendi quæ causa fuerit Astrologis. XXXV. 495.

Nonius reprehensus. LIII. 600.

Νᾶς fluvius si bibatur, sensus reddit subtiles. LXXIII. 686.

Nubes quantum à nobis absint. LXXXIII. 726, 727.

Numa quantum Romanis profuerit novis religionis præceptis. LXV. 655.

Num-

Nummi in ærarium inferrendi ritus, naſcente aliquo, vel togam adſumente virilem, vel moriente. XXVII. 442.

Nympharum unde nomen. LXXVIII. 709. Earum aliæ terris præfectæ, aliæ aquis. *Ibid.* Nymphæ Κρηνίδες ſive Πηγαῖαι· Ποταμίδες, ſive Ἐπιποταμίδες· Λιμναῖαι, ſive Λιμνάδες· ac denique Φρεατιαῖαι. LXXX. 713, 714, 715.

OBodes Arabum Deus animalis. A. 349. 6.

Obſtipum, & *obſtitum*, ut differant. XX. 404.

Obſtiti vox Apulejo & Ennio reddita, & quid ea ſignificet. XX. 404.

Oceanum non ſolſtitii tempore maximè intumeſcere, ſed æquinoctii. LXIX. 671. Oceanus cur fingatur antiquior Neptuno. LXXVII. 702. Oceanus unde dictus. 703. Quare Promethea, amicum Oceani, finxerint Poetæ. 705. Huic Alexander Magnus ſacrificavit. *Ibid.*

Octimeſtris fœtus cur non ſoleat eſſe vitalis. XXXIV. 488.

Olea cur ſacrata Apollini. XII. 369.

Ὀμανὸς, ſive Ὠμανὸς Deus, idem ac Ἀμανός. IX. 353.

Ὀν de eo, qui ingens habet veretrum. VII. 340.

Ὠάννης Babylonius ſemipiſcis. LXXVII. 700.

Ὠδάκων Chaldaicus, fortaſſe idem, qui Dagon. LXXVII. 700.

Ὠης corpore humano, pelle veſtitus cetacei picis. LXXVII. 700.

Opalia feſtum Opis. LVIII. 627.

Ophiuchus, ſignum cæleſte, aliis Hercules creditur, aliis Æſculapius. XXXVI. 500.

Opiconſivis unde nomen. LVIII. 627.

Opis, Loxo, & Hecaërga, epitheta Dianæ, ſive Lunæ. XXIX. 449. & cur iſtis nominibus vocetur. 450.

Ὄπις, ſive Ὄυπις, vel Ὦπις Græcorum, alia eſt, quàm Ops Romana; & quomodo eo nomine nunc Diana ipſa, nunc una ex nymphis ejus vocetur. LVIII. 625, 626.

Ops Romanis eadem, quæ Tellus, ſive Rhea; & quis ei primùm templum ſtatuerit. LVIII. 626, 627.

Oraculum arietinum quid ſignârit veteribus, & quæ nominis ejuſce cauſa. XI. 363.

Orandi ritus antiquus Chriſtianorum, Iudaico contrarius, quo ad Solem orientem converſi precabantur, nullo ſolido nititur fundamento. III. 320, 321. Et mos hic, tanquam à gentibus profectus, Leoni Magno improbatur. 321.

Orbes cæleſtes Ariſtoteli, & plures, & ſolidi: & quæ eum in hanc impulerint ſententiam, ejuſque rationibus occurſum. XXXIX. 521.

Orci etymon. LX. 635.

Ori Ægyptii natales, & quid per eum ſignificetur. LVI. 615.

Ori de Typhone victoria quid Ægyptiis ſignet. LXXV. 698.

Origenes quaſi Origena, hoc eſt, Oro genitus. X. 357. Origenes, Philonem ſecutus, credidit cæleſtia corpora eſſe prædita animâ rationali: cui ſententiæ anathema dicitur à Vigilio Papâ: &, ſi Nicephoro Calliſto ſtandum, idem factum Concilio II Conſtantinopolitano. XXX. 457. Sed multorum judicio nullam hic hæreſin eſſe. *Ibid.* & 458. Origenes emendatus. LXXXII. 723.

Orionis, & Arcturi, quàm antiqua Græcis ſint nomina. XXXV. 491, 492. an hujuſmodi nominibus, cùm idolorum ſint, fas ſit uti Chriſtianis. 492 Orionis nebuloſa quæ dicitur ſtella, plurium eſt ſtellarum congeries. XXXV. 494.

Ὄρος unde. LXIV. 649. vide Orus, & Origenes.

Orphei tetrachordum quid ſignârit. II. 587.

Ortheſiæ Dianæ unde nomen. LVII. 623.

Orus Ægyptiis Sol, & ratio appellationis iſtius: ac idem nomen eſſe hominibus attributum. X. 357. Vide Ὄρος.

Oſcilla, & ventilabrum Liberi, ad animas purgandas. XIV. 380.

Oſculandi manum ritus in cultu numinum, item erigendi pollicem, & ſeſe in alterutrum latus convertendi. III. 319.

Oſiridos nomine Sol cultus Ægyptiis, cumque Sole Mitſraim, primus Ægyptiorum rex; qui inde Sol dictus, quamvis appellatio hæc non Soli tantùm, ſed omni conveniat naturæ; unde aliis etiam diis à Theologis gentium tribui ſolet. 355, 356. Oſiridis fabula partim ad lunarem curſum accommodata, partim etiam ad Nili fluxum. XXIV. 423. Oſiridis ſtella Ægyptiis, quæ Græcis Iovis. XXXIII. 478. Oſiris Ægyptiorum idem, qui Phœnicum Adonis, & Phrygum Attis. X. 356, 357. idemque Græcorum Liber. LXXIV. 692. Vt Oſiridem ſive Solem ſceptro, & oculo ei ſuperimpoſito, ſignârit antiquitas. X. 356. Cur menſe Athyr lugeri ſoleat Oſiris. LXXV. 696. Oſiris cur effingeretur niger, & de etymo ejus conjectatum. LXXIV. 692.

Oſtrea, conchæ, cancri, creſcunt Lunâ creſcente. XIX. 399.

Ova quando ſupponenda. XIX. 399. Ovi aceto impoſiti cortex molleſcit. LXXII. 682.

Οὐρανὸς unde dictus. XXXVII. 507.

PAchamama Peruanis Dea, eadem ac Tellus. LXII. 639.

Pales Dea, vel, ut Varro voluit, Deus ruris: cujus festum Palilia. LXI. 637.

Palicorum lacuum prope Leontinos calidæ aquæ. LXX. 673.

Palmyra urbs eadem ac Thamar, opus Salomonis, de quo in tertio Reg. cap. nono. 333.

Pamiso amni sacrificatum à Messeniis. LXXIX. 711.

Panda quæ dea, & unde dicta. XXXVI. 504.

Πάνδημον, vel Χάλκεια, festum Vulcani. LXVI. 658. sed primò hoc sacrum fuit Minervæ Ἐργάνης. *Ibid.*

Panyasis, Heracleidis scriptor vetustissimus. XXXVI. 500.

Papilio cur pro lectica ponatur. X. 359.

Parætonium, lacus salsus. LXX. 674.

Parallaxis quid sit. XXXV. 493.

Parca Astrologis, & aliis, ad æthera reducitur, ac particulatim ad Lunam. XLIV. 549. Iisdem Parca, Mœra sive Fatum, Necessitas, Nemesis, & Adrastia, pro eodem habita: quarum vocum origines singulatim exponuntur. *Ibid.* 552. cur tres statuantur Parcæ. 550, 551. Earum nomina, ac Parcæ etymon ex sententia Varronis. 551. Cur prima earum Venus appelletur. 552. Cur Parcæ sint habitæ filiæ aliis Noctis, aliis Necessitatis. 553. Nomina trium earum ad triplex vitæ humanæ tempus aptata. 554.

Pariacaca montium in Peruvia altitudo quanta. LXXXIII. 726.

Parta, sive Partula, una Parcarum. XLIV. 551.

Partus facilior est, si Luna sit dimidiata. XIX. 399.

Patalena. LXI. 637.

Patris appellatio quàm variis Diis attributa. XVI. 387.

Patulcius, Clusius, Claviger, cur Iani cognomina. XVI. 388.

Pectus in pinum illidi à Gallis in sacris Cybeles solet. LIII. 604.

Pedonis Albinovani non esse elegiam in obitum Mæcenatis; contrà quàm visum Scaligero. XXXI. 464.

Pegasus cur unguld suâ aperuisse Hippocrenen fingatur. LXXX. 714. Vt per Pegasum quandoque intelligatur navis, & quæ rei hujus ratio sit. *Ibid.*

Pejerantium quæ apud inferos pœna. LXXXI. 719. Vide *Perjuri.*

Pelea facere ex Oeneo, proverbium. LXXVIII. 708.

Pelii montis vertex intra nubes. LXXXIII. 726.

Pellicis pœna ex lege Numæ. XXVII. 440.

Penates Dii iidem ac Cabiri, vel Samothraces. LVII. 619.

Περιφάνια. XIV. 377.

Perjuri, è fonte Palicorum bibentes, vel vitâ privabantur, vel oculis capiebantur: si fides vett. LXXII. 684, 685. Vide *Pejerantium.*

Persæ unde dicti Achæmenii. IX. 352. Persæ antiqui Solem tantummodo coluere: posteriores etiam elementa. II. 588, 589. Persæ hodieque ignem colunt. A. 651. 5.

Persephone sive Persephoniæ eadem ac Proserpina, & unde Περσεφόνη dicatur. XXVIII. 444. & LX. 636. Item A. 444. 34. & 634. 7.

Peruani colunt Capellam, Arietem, Lyram, aliaque sidera. XXXVI. 505. Peruanis Mammacocha, hoc est, mare coli, item flumina & fontes. LXXXII. 724.

Pes quid signet Romanis in re nautica. LXXXIV. 730, 731.

Pessinuntia mater Deûm unde dicta. LII. 591.

Petri Aponensis, sive Conciliatoris doctrina excellens, sed mixta opinionibus impiis. XXXIII. 486.

Petri Hispani, Summularū auctoris, sive Ioannis XXI Papæ, vana de se prædictio. XLVIII. 571.

Πηγαῖαι LXXX. 713.

Phacetis, sive Aphacitis, vel erat filia Veneris, vel ipsa Venus, quæ Dea Syria appellatur. XXXVI. 499. Templum ejus in Aphacis Phœniciæ demolitus Constantinus Magnus. *Ibid.*

Phænon Saturnus Capellæ, auctori de Mundo, Appulejo, Achilli Tatio, &c. XXXIII. 478.

Phaëthon Iovis stella Capellæ, Appulejo, Firmico, &c. XXXIII. 478, 479.

Phaëthontiadum de luctu fabula unde originem cepisse videatur. IV. 326.

Φαλλαγωγία, & φαλλοφόροι in Liberi sacris. XIV. 377.

Phallus ut in Bacchi, sic Osiridis etiam sacris gestabatur. LXXIV. 693.

Φάνης, ac Φανάτης, Sol. VII. 339.

Pharia pro Iside. XXIV. 421.

Phasiana Dea. LII. 593.

Phasis fluviorum levissimus. LXX. 673.

Phavorini verissima suspicio, plures esse planetas, quam vulgo crederetur. XXXIV. 490.

Phœbus pro Libero. XIV. 275.

Phegor etiam in Scripturis simpliciter dicitur, qui alias *Baal-Phegor.* VII. 341. Hujus nominis etymon explicatur. *Ibid.* & 342, 343.

Φερεφάττα, & Φερεφάττια, XXVIII. 443. Ea unde dicta. LIV. 607.

Philo,

Philo, & Origenes, putarunt cælum, Solem, Lunam, ſtellas, corpora eſſe animata. xxx. 457.

Philoſophorum diſcrepantes de fato ſententiæ. xlv. 555, 556, *& ſeqq.*

Φλοιὰ eadem, quæ Libera, ſive Proſerpina. lx. 634. Φλοιὸς, Liber. *Ibid.*

Phœbi etymon. xii. 365.

Phœnices falsò putavit Ariſtoteles à φόνος, ſive φονίζειν dici. iv. 324.

Phœnix conſpectus anni magni converſionem indicat. 566. 14.

Φωσφόρια. xxxi. 465.

Φωσφόρος pro Luna, ut Latinis *Lucifera.* xxxi. 462, 463.

Φρεσπεῖαι. lxxx. 713.

Phrygum mos μὰ præponendi: ut in Μαζεύς. xxxiii. 479.

Phurnuti, ſive Cornuti locus emendatur. vii. 340.

Pinus in ſacris Cybeles, quæ ex luco pineo Deæ cædebatur, ac dein lanis circumvoluta, & violaceis coronata ramis, cum planctu & ululatu circumgeſtabatur à Gallis. liii. 604.

Piſces Zodiaci crediti Venus, & Cupido; qui & *dii Syri.* xxxvi. 504. Piſcis auſtralis in Deos adſcriptus, & quæ Δαυϑεώτου illius cauſſa. xxxvi. 498.

Piſcibus cur abſtinuerint ſacerdotes Ægyptii. lxxv. 697. Piſcis cur iis odii ſymbolum. *Ibid.* Piſces argentei in templo Deæ Syriæ. xxxvi. 499.

Pitho, ſive Suada, cognomentum Dianæ, & quæ cognominis hujus cauſa. xxvii. 439.

Planetarum unde appellatio. xxxi. 461. Et cur dicti *canes Proſerpinæ, deorumque lictores.* 462. Colore diſtinguuntur. *Ibid.* Planetas etiam ſcintillare. xxxv. 493. Planetarum trium, Martis, Iovis, & Saturni vires, & effectus. xxxiv. 483, 484, *& ſeqq.* Planetæ quatuor Iovem ambientes veteribus incogniti; duo item aſſiſtentes Saturno iiſdem ignoti. xxxiv. 490. Interim plures poſſe eſſe planetas, Phavorino non improbabile viſum. *Ibid.* Planetarum conjunctio quantopere aëra immutet. xlvii. 565, 566. Planetæ cujuſque ab ortu vis in quamque animæ facultatem, ſecundùm Chaldæos. xlvii. 567. Planetæ ſinguli ſingulis corporis membris præfecti, & ſigni cujuſque domus huic, vel illi planetæ tributa. xlvii. 568.

Plato ut diſtinxerit hæc tria; Deum, Mentem mundi architectam, & Naturam. xl. 531. Item hæc quatuor; mentem divinam ſive ſummam, providentiam, legem fatalem, & ea quibus hæc lex præſcribitur. Quæ præſcriptio ſit tum animæ mundi, ſive menti ſecundæ; tum ſidereis poteſtatibus, dæmonibus, animis humanis, cæteriſque, pro ſuâ cujuſque naturâ animæ mundi ſubjectis. xlvi. 562. Plato quatenus putarit, Fatum aliquid poſſe in animis humanis. xlvi. 559, *& ſeqq.* Platonicorum ſententia de Fortuna. xlii. 546. Platonicus annus complectitur annos tricies ſexies millenos; & unde id adſtruatur. xxxv. 496.

Πλείσωρος, Thracum Deus. lvii. 623.

Plumbum, æs, margaritas, aceto diſſolvi. lxxii. 681.

Plutarchus quanto cordatius, quàm plerique alii gentilium, ſenſerit de Diis ſuis. xxv. 429.

Pluto, ſive Plutus, Phyſicis maſculam vim terræ deſignat, & unde nomen acceperit. lx. 635.

Pluviæ aquæ an ſalubres. lxxii. 680.

Poetis quid occaſionem præbuerit fingendi apud inferos Styga, Acheronta, Cocytum, &c. lxxxi. 721.

Polaris ſtella dicitur ſe occultâſſe captâ Conſtantinopoli. xxx. 456.

Πολύδοια unde dicta ſit Proſerpina. lx. 634.

Pomona. lxi. 637.

Ponti nomen κατ' ἐξοχὴν Euxino tribui; non primo, propriéque. lxxvii. 706.

Ποσειδῶνες, ἢ ἱππιοπεμπῆδες. lxxx. 713.

Prædictiones Theagenis, Thraſylli Aſcletarionis, & aliorum. xlviii. 571. Earum quæ potuerint eſſe cauſæ. *Ibid.* Vana prædictio Ioannis Papæ xxi. *Ibid.* Item Albumazaris de duratione religionis Chriſtianæ; tum R. Abraham Avenaris de adventu Meſſiæ. 573.

Prævisio Dei duplex; una antecedens actus humanos, ſive conditionata; altera eoſdem conſequens, ſive abſoluta. l. 583, 584.

Priapus idem, qui Sol. vii. 338, 339. Idem eſt Φάνης, & Φανάϊος, & Ægyptiorum Horus. 339. Cur eum effinxerint cum ſceptro, & mutone ingenti. *Ibid.* & 340. Qua mente ad Iovem, & Saturnum, reducatur, & cur hortis ſit præfectus, cur Iovis Σωτῆρος filius dicatur, cur credatur geſtare copiæ cornu. 340. unde dictus *Priapus.* 341. qui aliter *Mutinus Titinus* Latinis dicitur, cujus faſcino inequitabant nupturæ. *Ibid.* Idem Bacchus vocatus, qui Bacchus non ſit alius à Sole. 344.

Priſcillianiſtæ fatum Aſtrologicum ſtatuerunt. xlviii. 570, 572.

Procli Lycii Μητροφανὲς. liv. 608.

Prometheus cur fingatur amicus Oceano. lxxvii. 705.

Proſerpinæ, ſive Περσεφόνης nomen unde. xxviii, 443. Aliud ἔτυμον ex Hebræo. A. 634. 7.

Eadem

Eadem Φερέφαττα, & Χειροτονία, ac hujusce ratio nominis. Per eam intelligitur Luna, sed inferis lucens. *Ibid.* & 444,445, *& seqq.* Quo pacto *Cereris filia* dicatur, & cur hæ Manibus præesse dicantur. 445. Proserpinæ, ac animis Cereris ministris, cur *apum* sit nomen datum. XXVIII. 445. Cur Proserpinæ nomen *Melitodis* tribuatur. *Ibid.* & 446: ubi Scholiastæ Theocriti opinio rejecta, existimantis, Melitodē, & Coram, per antiphrasin sic vocari: adhæc cur dicatur Libera, vel Cora; Bacchus itē Liber. *Ibid.* Quo respexerint, qui cùm eadem sit Proserpina, ac Diana; Dianam quidem, Latonę, Proserpinam autem alii Stygis filiam dixerint, alii Cereris. 447. Atque hæc de Proserpina, quatenus numen est cæleste. Præterea verò ad elementa pertinet: quomodo physicè significat simpliciter terram frugiferam: ac frequentiùs vel semen, vel terram interiorem: quæ quia furva, hinc ipsa diva *furvæ* habuit cognomen, ac eidem furvæ mactabantur hostiæ. LX. 634. Eadem Φλοιὰ, & Πολύδοια vocata. *Ibid.*

Προπύλεια, quia eadem Diana ac Iuno, tum Iunonis erant sacrum, tum festum Dianæ. Ac Iunonis sacrum sic dictum ante nuptias fiebat, quo sponsus sponsaque fel abjiciebant retro altare. XXVI. 433. In Dianæ autem festo virgines Atticæ canistra gestabant. XXIX. 449.

Proverbium Hebræum, *Spargit lapidem in Marcolis*; quid eo signetur, & unde ortum. XXXII. 474.

Prutenorum Dii. I. 307.

Πρύτανεια loca Vestæ sacrata, & unde iis nomen. LXV. 656.

Ptolemæi, & aliorum Mathematicorum, de fato Astrologico opinio. XLVIII. 574.

Purgatio corporum trifariam fit in gentilium sacris; aquâ, aëre, igni. XIV. 380. Fit quidem & terrâ purgatio: sed hæc ad illam, quæ igni fit, refertur, quia ignis est è terra ustili. LXV. 633. & A. 380. 13.

Puta. LXI. 637.

Puteoli opidum, unde dicatur. LXXXI. 721.

Puteus, nisi *pluteus* legendum, apud Samios Iunoni erat sacer. LXXX. 712.

Πυλωαῖον. LII. 592.

Πυλών. LII. 592.

Pyræthi, & Pyræthea Persarum ac Cappadocum. IX. 352, 353. & LXIV. 650.

Pyrois, stella Martis, Capellæ, auctori de Mundo, Appulejo, Achilli Tatio. XXXIII. 478, 479.

Pyrrhæa flumen steriles facit. LXXII. 683.

Pythagoricis unus Deus, mundi spiritus: sed mundum etiam Deum dixisse, quia à spiritu divino animetur. XXXVII. 509.

QVercetani de aquis pinguibus, ac lutosis, opinio discussa. LXXII. 679.

RAmpsiniti impudens commentum. LIX. 631.

Reginæ Iunonis templum. XXVI. 434.

Rejuvenescere senes, è Bojuca amne si biberint; ut fabulantur quidam Novi orbis scriptores. LXXII. 683.

Religionis gentilis primordia in Oriente; ubi uno naturæ nomine duo principia coluere, activum, & passivum. XXI. 407.

Rex, & *reginæ* nomina unde in sacris. XXVI. 443.

Rhea unde dicta. LIV. 606. & LVIII. 625. Rhea, Isis, Venus, Dea eadem. X. 357. Rhea mixtum est numen, quod Lunam, Telluremque comprehendit. XXVII. 438, 439. Rheæ, sive matris Phrygiæ, simulacrum quomodo in veteribus fingatur aris. LII. 594. Quando Romæ, & à quibus, & quomodo soleat circumferri, atque ut illud unà cum leonibus mos fuerit abluere in fluvio Almone. 595.

Ritus fascinantium in laminâ corpori alligandâ. XXXIV. 489.

Ritus leoninum apponendi caput rictum distendens, tum orificio fontis, & aquæductus, tum ædium, sacrarum præcipuè, claustris; & unde is mos promanarit. LXV. 696.

Ritus numi Romæ inferendi in ærarium aliquo nascente, virilem togam assumente, aut moriente. XXVII. 442.

Robigus, & festum *Robigalia*. Vide *Rubigo*.

Rogerii Baconis opinio, cur feriandum sit die Saturni, refellitur. XXXIV. 489.

Romani, Deos salutantes, se convertebant dextrorsum; Galli, sinistrorsum. III. 319.

Roma Romanis, & Græcis, pro Dea est habita. LXII. 640.

Romuli in conceptu an fuerit deliquium Solis, quale Tarrutius putavit. XIX. 402.

Ros Lunæ filia cur dicatur. XIX. 398.

Rubigus, sive Robigus, & festum Rubigalia. LXI. 637. Rubigo Deo cur canis rufus sacrificaretur. A. 498. 34.

Runcana. LXI. 637.

SAbæi Solem coluere. A. 337. 14.

Sabazius, sive Sabadius Iupiter, idem ac Liber. XIV. 376. Ritus immissi colubri aurei in sinum initiatorum Iovi Sabazio, indeque educti, & quæ ritus ejus causa, ac unde ei *Sabazio* nomen; de quo Eustathius, & Stephanus, refelluntur. *Ibid.* & 377.

Sabbathi etymon, deque eo Plutarchus refutatus.

tus. XIV. 377. *Sabbatha trigesimâ* quid denotent Horatio. XXV. 427.

Sacæa festum Anaitidi sacrum. XXII. 416. quò domini servos suos procurabant, ut Romæ Saturnalibus. *Ibid.* Eodem Sacæorum festo alicui ex vinctis morti adjudicatis permissum, ut priusquam ad supplicium duceretur, nullo non voluptatis genere animum expleret. *Ibid.* Sacæorum nomen unde. *Ibid.* & 417, 418.

Sacerdotes Ægyptii cur cepis abstineant. XIX. 399. Sacerdotes matris Deûm castrabantur testâ Samiâ, quia minori sic fieret periculo. LIII. 600. Quid eo mysticè notatum. LIV. 608.

Sacrorum gentilium causa partim ex historia, partim ex natura, partim ex utriusque convenientia, petenda. LVI. 616, 617.

Salambo, Babyloniorum numen à Syromacedonibus acceptū, unde nomen sumpserit. XXI. 412.

Salem mensis inferre, cur minimè moris fuerit sacerdotibus Ægyptiis. LXXV. 697. Contrà Romani mensas sacrabant salini appositu. *Ibid.*

Salmacis Nympha. LXXX. 714.

Salum unde dicatur. LXVIII. 664.

Samothraces unde dicti. LVII. 619. Samothracum sacra quis primus instituerit. *Ibid.* Dii qui Samothracibus culti. 619, *& seqq.*

Sandes Medis, ac Persis, Hercules. XV. 382.

Saraceni Venerem, hoc est, Lunam, & Luciferum, colunt. XXXI. 466, 467. Iidem per Veneris stellam jurant. 467.

Sarmatis Znicz Deus Ignis. LXVI. 660.

Saturnus nunc nomen est supremi planetarum, nunc Solis. Vt stellam significat, summum puta planetam, præter hoc nomen alia etiam habet. XXXIII. 478, &c. Saturni hujus motus cùm velocissimus sit, cur tardus dicatur. XXXIV. 486. Cur fingatur à Iove vinctus, atque in Tartarum præcipitatus. *Ibid.* & 487. Cur creditus sit animis hominum indere vim sublimium speculatricem, posteaque sapientum animas eò, unde dimissæ sunt, revocare. 487. Cur sit præfectus atræ bili, spleni, ossibus, quartanæ, phthisi, & id genus morbis: imò agricolis, & horum instar melancholicis, etiam indignationi. 488. Præterea Saturni nomen Naturæ, vel Soli tributum. XIII. 370. Sic Phœnicibus, & aliis in Oriente, Solem intelligi. IV. 322. cumque Saturno Phœnices dicuntur liberos immolâsse, Solem signari. IV. 324, & 330. Itidem Pœnorum Saturnus idem ac Molochus, sive Sol: & ut huic à Syris, ita illi à Pœnis, liberos sacrificatos. XI. 364. Saturnus Germanis *Crodi* nomine cultus: quod corruptum videtur ex Κρόνος. XXXIII. 480, 481.

Saturnini planetæ duo. XXXIV. 490.

Schichor, & torrēs deserti, vel Ægypti, in Scripturis fluentum prope Rhinocuram. LXXIV. 691.

Schamaïm, vox Hebræa cælos significans, unde originem trahat. XXXIX. 519.

Scientiæ naturalis finis ultimus est, tum amor cultusque divinus, tum conservatio hujus vitæ. LXX. 672.

Scripturæ S. varia loca illustrata. Vt inter alia

Gen. 1, 9. nempe LXVII. 663.

Gen. xv, 18. idque LXXIV. 690, 691.

Gen. XLIX. 25. puta LXXVII. 704.

Deut. XXXIII. 13: nimirum LXXVII. 700.

II sive IV Reg. XX. & Esa. XXXVIII de umbra in sciaterico Achazi recedente. Vide IX. 351.

Psal. CV, sive CVI. 28. Vide VII. 337, 338.

Ezechielis VIII. 14. Adi IV. 326.

Amos V. 26. Nempe XXIII. 419.

Actor. VII. 43. Puta X. 359. & XXIII. 419.

Seches, Babyloniis Mercurii stella. XXII. 470.

Sedentes animo magis sunt tranquillo. LXXXIV. 487.

Segesta. LXI. 637.

Segetia. LXI. 637.

Septentrionali mari cur difficiliùs in Septentrionem navigetur, quàm in Austrum. LXIX. 668.

Septentrionales robore, Australes ingenio plurimùm præstant, & unde id sit. XXXIV. 484.

Sera. LXI. 639.

Seraphim cur dicantur. LXIII. 643.

Serendum quando. XIX. 399.

Sero, & *sermo*, unde veniant. XVI. 386.

Servius emendatus. XXIX. 451. LVII. 621. LVIII. 626. LXV. 653. LXXVIII. 709. LXXX. 717.

Σιλλυριακοὶ qui. XIX. 400.

Sepharvaitæ, Assyriorum coloni, infantes suos diis suis Adramelech, & Anamelech, immolare soliti. V. 329.

Sesach, sive Sesech, numen Babyloniorum, pro ipsa Babel usurpatur. XII. 417. & qualis is deus fuerit. *Ibid.*

Sessio ad deliberandum, judicandum, Deumque precandum, idonea. XXXIV. 487.

Siccæ Veneriæ, Carthaginensium coloniæ, nomen unde. XII. 414.

Siderum materiem esse igneam, & elementalem, ostenditur ex philosophis gentium, & veteribus Theologis. XXXVIII. 516, 517. Idem ex Scripturis adstruitur. XXXIX. 519, 520. Sidera non orbium beneficio, sed per se, sive motu proprio moveri. XLI. 535. Causa tantæ eorum velocitatis est mira cælorum tenuitas. *Ibid.* Sidera, ex veterum opinione, vaporibus nutriri. LXV. 653.

Varii, qui ita senserint, auctores adducti. LXXVII. 704. Secundùm eosdem, ubi vapores isti sidera deficient, fore mundi exustionem. *Ibid.* Siderum vis in corpora humana. XLII. 566, & quæ membra huic sideri, quæ alii, atque alii subjiciantur. *Ibid.*

Sideralis scientiæ quanta utilitas agricolis, & nautis. XLVII. 565.

Sides, sive Sideris, est aquæ tam tenuis, ut in ea omnia mergantur. LXX. 673.

Sidonii locus aliter expositus, quàm eruditus ejus interpres putabat. LIII. 602.

Silentes pro Manibus. LXXXI. 719.

Silvanus Mars, θεὸς ὑλαῖος, qui & Pan. XIII. 372. Silvanus cujusque possessionis triplex. *Ibid.*

Simplicius falsus, cùm putat, primum motorem Aristoteli non esse supremum Deum. XL. 530.

Simulachrum Cybeles flumine lavabatur. LII. 595. Et quid eo mysticè indicatum. LIV. 608, 609.

Sinuessanæ aquæ an insania liberent. LXXIII. 685.

Siris idem ac Nilus. LXXIV. 692.

Sirius, canis cælestis, nomen unde id sortitus. LXXIV. 692. Sirius commune cani cælesti, & Soli, nomen. XXXVI. 498.

Sistra Isiacorum. LVI. 616.

Socrus pro *socer*. XXVII. 441.

Sol ex ἥλη, unde & ἥλιος. IV. 323. & XVI. 386. In Sole spectatur primò essentia: ut materies, quæ ignea. Id ex Scripturis ostensum de Sole, & aliis sideribus. XXXIX. 519, 520. Et sanè cum reliquis cæli ignibus quarto die factus ex luce, sive igne primâ die creato. II. 313. Ad igneam hanc naturam relatum, quòd ut Minervæ, sic Vulcani filius dicatur antiquis. *Ibid.* & 314. Itaque Solem non effectivè modò, sed formaliter calidum esse; etiam secundùm SS. Patrum opinionem: ac Thomæ Aquinati occursum, qui Patres putat hac parte non audiendos, quia Platonizent; quasi excellentius sit Aristotelissare cum Scholasticis. XXXVIII. 516, 517, 518. Sol quomodo non videatur tot seculis imminutus, si igneus sit. XXXIX. 523. Proximè considerantur locus, & magnitudo. Quod ad locum, nec in eo veteres consenserunt. Nam Pythagoræ, & aliis, in medio universi collocatur, terramque circa eum verti existimatur. II. 311. An is nunc propior terris, quàm olim. *Ibid.* Quod ad magnitudinem, eâ terram minimùm centies & quadragies exsuperat. II. 312. Sol cur major videatur circa horizontem quàm meridiem: imò altior etiam, quàm sit revera. II. 314. Adhæc attenditur pulchritudo, tum coloris, tum figuræ, quæ rotunda. II. 312. Et occasione coloris dictum aliquid de maculis ejus. *Ibid.* Præterea actum de luce, & motu. Quod ad lucem, Sol non solum naturâ est prior illuminatione, quod in confesso est; sed etiam tempore, modò attendas motum luminis, qui successive fit, licet celerrimè, non tamen in instanti. XXXVIII. 512. Lucis varietas, ac utilitas. II. 314. Sol non unam orbis regionem diutius illuminat, quàm alteram II. 315. Quod ad motum Solis, is est vel diurnus, vel annuus: annuumque esse æquabilem, si compares cum stellis fixis. II. 314, 315. Velocitas ejusce motus. II. 313. Ab hoc motu est temporis distinctio. II. 313, 314. & XLVII. 564. A motu, secundùm Pythagoricos, est sonus suavissimus: unde Sol *Divûm lyra*. XII. 368. & XXXVII. 510. Denique in considerationem venit cultus divinus, & caussæ ejus. II. 309, 310. Vnde is Thomæ Aquinatis judicio promanârit. II. 316. Ejus cultus antiquitas ex Mose, & Jobo, demonstrata. III. 316, 317. Soli equum Persæ, item aliæ gentes, sacrificant; & quæ ritus ejus caussa. IX. 353, 354. Sol cur sedes Herculis, Luna Mercurii statuatur Ægyptiis. XXIV. 423. Sol ob beneficam vim Osiris, ob maleficam, & violentam, Typhon, ac Seth vocabatur. XXIV. 422. Sol cultus Emesenis cum Mercurio, & Marte, nomine Elagabali. V. 332. Sol cultus Phœnicibus. IV. 328, &c. Syris mediterraneis. V. 328, &c. Assyriis, & Babyloniis. 334. Arabibus, ut Moabitis, & Madianitis. VII. 337. VIII. 345. nec non Sabæis. A. 337. 14. Cultus & Persis. IX. 349. Ægyptiis. 555. Æthiopibus. 360. Marmaricis, & Ammonitis. 361. Pœnis. 364. Græcis, & Romanis. XII, XIII, XIV, XV, XVI. Denique gentium aliis toto pene orbe. XVII. 389, 390, 391, 392.

Solini lapsus. LXX. 674.

Sothes, seu Sothis, canis cælestis. XXXVI. 498.

Spinensis. LXI. 637.

Spiritus pro *aere*. LXXXIII. 728.

Spiritus S. gratia cum aquis comparata. LXVII. 661.

Sponsi sponsæque ritus in sacrificando vel abjectantium post altare. XXVI. 433. Cur hastâ comeretur capillus sponsæ. 434.

Stellarum materiam videri à cælo diversam. XXX. 454. His divinitatem tribuerunt tum barbari, tum Græci, & quibus argumentis id collegerint, & quomodo illis occurri possit. 455, 456, *& seqq.* Vnde concluserint, stellis præstantiores esse animas, quàm homini. 457. Quod idem Philoni placuit; non sic tamen, ut propterea Deos putaret: cui assensit & Origenes: de quo incertum, num sententia ejus damnata sit à Concilio v Oecu-

Oecumenico. *Ibid.* Imò Hieronymus, & Augustinus, de veritate, aut falsitate hujus dogmatis nihil definire ausi sunt. 458. & scholasticorum varii verisimilem hanc opinionem existimarunt. *Ibid.* Sed & hæc opinio refellitur. 459, 460. Aristotelis, & Platonis, quem Tycho Braheus secutus est, diversæ super hac re sententiæ memorantur. 458, 459.

Stellæ erraticæ sive planetæ numero quinque. XXXI. 461, 462. Hæ stellæ coloribus distinctę. *Ibid.* Relatæ in Deos. XXXI. 462. XXXII, XXXIII, XXXIV.

Stellæ orbis, ut vocant, octavi unde appellentur *fixæ*. XXXV. 491. Videri Adamum iis nomina imposuisse, & fortasse ex iis esse vocabula earum, quæ leguntur apud Iobum, & Amos. *Ibid.* Causæ quatuor, quæ divinitatis honorem iis conciliarunt, expensæ. 493, 493, *& seqq.* Stellæ fixæ sunt erraticis superiores, & quanto à nobis distent intervallo. XXXV. 493. Earum magnitudo ad terram comparata, & numerus, qui nostris notior est temporibus, quàm antiquis. 499. Motus tum diurnus, qui celerrimus, tum multorum est seculorum. *Ibid.* & 495. Qui in longitudinem, is *motus Trepidationis*, vel etiam *Accessus*, & *Recessus*, sed perperam, vocatur. 496. Ille in latitudinem unde proveniat. *Ibid.* Virtus & efficacia, quam in sublunaria exserunt, partim est à luce, & quodammodo à motu, quatenus lucem circumfert; partim verò à qualitate occulta. *Ibid.* & 497. Stellæ fixæ nominatim in Deos relatæ. XXXVI. 497, 498, *& seqq.*

Stellæ novæ variis in cælo temporibus observatæ, ac Clavii de iis opinio. XXXIX. 522, 523.

Sterentius. LXI. 637.

Στίλβων Mercurius, & quibus sic, & cur ita dicatur. XXXII. 470. & XXXIII. 478, 479.

Stoicis alia principia vivendi, alia differendi. XLIX. 580. Stoici facultatibus animæ ab Aristotele memoratis addebant φωνητικὸν, sive sermocinatricem. XLVII. 567. Stoicorum opinio de Fortuna. XLIII. 546.

Strabo emendatus. LXXII. 692.

Stratonice, uxor Antiochi Σωτῆρος, credita condidisse templum Deæ Hieropolitanæ. LV. 613.

Stygis etymon triplex. LXXXI. 719. Deorum juramentum per Stygis majestatem, ac quæ pejerantium pœna. 718, 719. Stygis Arcadicæ natura: præter quam & alteram esse in Campania, ubi & alteri Cimmerii; deque hac præcipuè intelligenda esse, quæ Poetæ fabulantur de Styge, aliisque inferorum fluviis. 719, 720, 721.

Succoth Benoth templum Melittæ, sive Veneris Vraniæ, id est, Lunæ. XXII. 413.

Suidæ locus emendatus. LXXIII. 686.

Sulfur ignis pabulū. LXIII. 645. Quam celeriter in locis sulfureis terra in sulfur vertatur. *Ibid.* Sulfureas aquas nervis conducere. LXXII. 681.

Syri cur capturâ, esuque piscium abstinuerint. XXXVI. 504, 505.

Syria laxè sumpta etiam Assyriam, & Babyloniam comprehendit. VI. 334. Syriæ nomen aliter usurpant scriptores sacri, aliter profani. LV. 610, 611.

Syria dea, sive Hierapolitana, sive Iuno Assyria, Syris sive Assyriis non solùm Luna est; sed etiam Terra, omnisque natura Lunæ subdita. LV. 612. Templum ejus tum vetus, tum novum quis condiderit. 613. Simulachrum ejus quomodo soleat effingi. *Ibid.*

Taran, sive Taranis est Germanorum Iupiter. XXX. 481.

Tataris Tellus culta. LXII. 639.

Taurobolium. LII. 594. & LIII. 603.

Taurus signum cæleste, symbolum fortè Osiridis, vel Iosephi patriarchæ. XXVI. 501, 502.

Taurus Marathonius cur in Luna progenitus fingatur. XVIII. 395.

Telchines unde vocati. LIII. 599.

Τέλεια, quæ Iuno pronuba, unde dicta. XXVI. 433.

Tellus prima ex elementis relata est in Deos. LI. 589. Eo nomine comprehensam primò fuisse naturam, quatenus, ut femina, consideratur. *Ibid.* Tellus sub variis Deorum, & Dearum nominibus culta. LXI. 636, 637, *& seqq.* Ita est Phrygibus culta sub nomine Rheæ, Cybeles, Dindymenes, Idææ matris, Berecynthiæ, Pessinuntiæ, Mygdoniæ, &c. Ac ratio nominum ostensa. LII. 591, 592, *& seqq.* Cur eadem Asphorene potiùs, quàm Aspordene, nuncupata. 593. Cur Phasiana, & Cimmeris vocata; cur itē Cybeba. *Ibid.* Itē sub nominibus culta aliis. LIV. 606. Adhæc Syris sub nomine Deæ Syriæ; Assyriis vero, Atergatis. LV. 610, *& seqq.* Ægyptiis, Isidos nomine. LVI. 614, *& seqq.* Samothracibus sub nomine Θεῶν δωματῶν, & Cabirorum. LVII. 619, 620, *& seqq.* Thracibus, nomine Bendis. 623, 624. Græcis, & Romanis, nomine Cereris, Iunonis, Vestæ, Rheæ, Opis, Proserpinæ, Plutonis. LVIII. 625, *& seqq.* item LIX. 628, *& seq.* & LX. *Telluris*, ac *Tellumonis* discrimen. LVIII. 625. Telluris ædis Romæ non una. *Ibid.* Hîc culta & sub nomine Majæ, Bonæ Deæ, & aliis. LXI. 636, *& seqq.* Item culta Gallis nomine Ditis, Germanis nomine Herthæ, Scythis nomine Apiæ. LXII. 638, *& seqq.* Kyrgessis quoque in Tataria pro Dea est habita, & cujusmodi

quoque in Tataria pro Dea est habita, & cujusmodi symbolo id testatum fecerint. LXII. 639. Telluris quoque partibus divinus est honos attributus, ut montibus, ac nominatim Carmelo, & unde is cultus promanârit. 639, 640.

Tempestatem anni quæ stellæ imprimis varient. XXXV. 496.

Tenariffæ montis altitudo quanta. LXXXIII. 726.

Tensarum nomen unde. X. 359.

Terminus vitæ humanæ certus respectu decreti Dei, sic tamen ut decretum illud vim non adferat humanæ voluntati. L. 584.

Ternario numero gentiles in describendis Deorum potestatibus gaudent. XXIX. 453.

Terræmotus essetne à Neptuno, sive aquis, an ventis subterraneis, antiquissimis incertum erat. LXXVII. 705. Vera autem ejus caussa est à spiritibus, quos gignunt ignes subterranei. LXII. 646, 647.

In Tertulliano conjectura. XVII. 390.

Tethys unde dicta. LXXVIII. 707. Oceanus, & Tethys, quomodo physicè differant; item Tethys, & Thetis; & cur hæc etiam pro universo capiatur mari. *Ibid.* & 708.

Tetrachordum Orphei quid. LI. 587.

Τετρὰς cur Pythagoræ pro sacro habita numero, imò pro Deo per quem juraret. LI. 587.

Teuth, & Teutates, & Thoth, non satis commodè Mercurium reddi: cum non Mercurii sidus, sed Solis, vel vis Iovis, h. e. cæli, eo designetur. XIII. 374.

Thales an correxerit opinionem Berosi, quod traditum Keplero. XX. 405.

Thalysiorum festum cur commune Cereri, & Libero. LXXIX. 710.

Thamimasades Scythis idem, qui Romanis Neptunus. LXXXII. 723.

Thamuz vulgò Adonis dictus. IV. 326.

Thargelium festum Apollini, & Dianæ, sacrum. XXVI. 428.

Theocriti Scholiastæ opinio rejecta, existimantis, Proserpinam μελιτώδην, & Κόραν per antiphrasin sic vocari. XXVIII. 446.

Theologia gentium triplex; fabularis, civilis, naturalis, I. 307, & 308, &c. Theologia fabulosa civitatibus damnosa judicatur Scævolæ, Varroni, & Dionysio. I. 307, 308. Theologia civilis non probatur Scævolæ, nec item Varroni. I. 307, 308.

Θεῶν appellatio, secundùm Platonem, primùm sideribus ob perpetuum cursum imposita. XXXV. 494, 495.

Thermarum causa. LXIII. 645.

Θεσμοφόρια festum Cereri, & Proserpinæ commune. LIX. 632. Et cur in hoc festo Syracusis naturæ muliebris signum circumgestatũ. *Ibid.*

Thetis cur Peleo nupsisse dicatur. LXXVIII. 708. Quæ Poetis est Thetis, ea secundùm historiam Philomela, Actoris Myrmidonis filia, fuit. *Ibid.* & 709.

Thomæ Aquinatis judicium de origine cultus solaris, & aliorum siderum. II. 316.

Thracum dii. LVII. 623.

Θρησκείας nomen unde. LVII. 623.

Θυραῖος Græcis Apollo, ut apud Romanos januæ Iano sacratæ. XVI. 388.

Tiberius Cæsar in Africa, & Galliis, sustulit consuetudinem mactandi homines Diis. XI. 364.

Tor, sive Thor, Germanorum deus, idem qui Iupiter. XXXIII. 481.

Trepidationis motus frustra ab Astrologis introductus. XXXV. 496.

Τριπλάσιος Mithræ sive Solis cognomen unde Dionysio, qui vulgo Areopagita, ortum existimetur: & quæ potiores ejus cognominis rationes videantur. IX. 350, 351, 352.

Tristitia cur Saturno tributa. XXXIV. 488.

Turcicæ feminæ, imitatione sacrorum Cybeles, hodieque gestant tegumenta capitis imitantia figuram turris. LIV. 609.

Turrito capite Cybele. LV. 612. pleniusque LIV. 608, 609: ubi & quid turritum hoc caput designet.

Tutulina. LXI. 637.

Tympana, cymbala, cornua, & alia sacrorum Cybeles instrumenta Musica. LIII. 604, 605. Iterum de tympano. LV. 612. De tympano hoc manducabant, deque cymbalo bibebant. LIII. 605. Tympanum quid mysticè signârit. LIV. 608, 609.

Typho, ac Seth, Ægyptiis sol dictus, quatenus vim habet maleficam. XXIV. 422. Typho Ægyptiis etiam mare designat. LXXV. 696, 697. Cur Typhone nihil Osiridi, vel Oro, inimicius creditum. *Ibid.* Cur Typho fingeretur rufus, & subpallidus. *Ibid.* Typhonis uxor Nephthys; ut Osiridis, Isis: atque ut ex his natus est Orus, ita ex illis Anubis. 698.

VAllina. LXII. 640.

Vannus Iacchi quid mysticè notârit. XIV. 379. Eadem in Minervæ sacris adhibita. *Ibid.* & 380.

Varro corrigitur. LVII. 619. Idem apud Lactantium emendatus. LXXXIII. 728.

Velo-

Velocitas miranda ſtellarum. xxxv. 495.
Venenum pro colore. lv. 611.
Veneris etymon, & de Siccæ Veneriæ nomine. xxii. 414. Veneris numen latiùs patet, quàm Iunonis. xxvii. 440. Veneris nomen temporibus Numæ Latio ignotum, & ejus rei ratio. xxvi. 440, 441.
Veneris ſtella Ἀφροδίτη pro Heſpero, ſive Lucifero, ut à Luna diſtinguatur; quæ & ipſa eſt Venus, ſed non ſtella. xxxi. 463. Quando veſperi, quando item mane oriatur. *Ibid.* Veneris ſtella cur una cum Luna generationis eſſe cauſſa exiſtimetur. xxxi. 462. & xxxii. 471. Veneris ſtella, uti & Mercurii, non ſemper ſub Sole fertur, ſed etiam ſupra eum: ut quæ circa Solem volvatur. xxxii. 669.
Ventorum cauſæ ab ignibus ſubterraneis. lxiii. 647.
Venus unde dicta. xxvii. 441. Varie intelligitur: primùm pro ſtella Veneris. Ea, ut & ſtella Mercurii, incrementa ſua habet inſtar Lunæ: eademque, uti & Mercurii, ac Iovis ſidus, eclipſin patitur inſtar Lunæ. xxxi. 463. Venus etiam pro Luna ſumitur. xxvii. 440. Venus Libitina funeribus præfecta Lunam ſignat, quatenus eſt corruptionis cauſſa; eademque videtur Proſerpina. xxvii. 442. Venus Cæleſtis Aſſyriis & Arabibus, tum Lunam, tum aerem ſignat. xxxiv. 729, 730. Venus quoque eſt terra, ſive vis ejus generatrix. lix. 632. Ita Phœnicibus Venus Byblia, tum Luna eſt, tum terræ, & aquæ globus. lix. 632. Itaque Venus Phœnicum haut alia eſt, quàm deûm mater apud Phrygas, & Ægyptiis Iſis. x. 357. Cur aliqui dixerint idem eſſe numen Veneris, ac Veſtæ; etſi hac nihil caſtius, illâ nihil laſcivius haberetur. lix. 633. Venus virgo Orientalibus. lxxxiv. 730. Venus Cæleſtis non modo pro cæleſti, vel elementali corpore ſumitur; ſed etiam pro mente quadam ſuperiori, viſui inconſpicua. xxxi. 465. Venus Parcarum trium natu maxima. xliv. 552. Quomodo cum eo, quod Saturno dicatur antiquior, conciliari poſſit, quòd ſit Iovis filia, Saturni neptis. 553. Venus ἔγχειος ſive *haſtata* Cypriorum. xxvii. 440. Venus Πορνία, Ἀιδρία Ἐπιτροπία, Πελαγία. xxvii. 441. Venus Iſmaelitis quoque, &, eorum exemplo, Saracenis culta. xxxi. 466.
Vepris, & *veſtis*, vocabula unde. xvii. 390.
Veſper pro *lucifero*. xxxi. 464.
Veſta ab ἑστία, hoc ab ἑστάναι. lix. 629. & lxv. 652. Vel potius eſt ex fonte Hebræo. lxv. 652. Ea eſt tellus: & cur Euripides dixerit illam in aëre conſidere. lix. 628. Quomodo eadem Platoni *deorum locus* dicatur. *Ibid.* Nec terra ſolùm eſt; ſed & ignis, ac propriè focus publicus. lxv. 652. Vt pariter ignem, & terram, coluerint templo Veſtæ, & cur id fuerit rotundum. *Ibid.* Origo proverbii, *A Veſta ordiri*. lxiii. 642. Cur nomen Veſtæ ſive ignis ſit accommodatum telluri. *Ibid.* & 653. Quomodo, ſi extingueretur focus Veſtæ per imprudentiam, Romani; quomodo item Græci, eum inſtaurarint. 654. Vnde Veſtæ ſacra acceperint Romani. *Ibid.* & 655. Ea ex regia Numæ tranſlata ab Auguſto. *Ibid.* Cur Romani cuſtodiendo igni ſacro præfecerint virgines; Græci autem viduas, & quidem jam natu grandes. 655, 656. Obtinuiſſe hæc ſacra non Delphis modò, & Athenis; ſed aliis etiam Græciæ locis. 656.
Vettii Aſtrologi juramentum per ſidera cœleſtia. xxxv. 492.
Vetus gloſſarium aliter, quàm ab aliis, emendatum. xxiv. 421.
Virga Attinis quid ſignificârit. liv. 609.
Virgilii locus 1 Georg. aliter quàm, à viro docto, expoſitus. lxxix. 711.
Virginis ſignum vel Aſtræa, vel Ceres, ſive Iſis, vel Atergatis, vel Fortuna, vel Concordia, vel Pax. xxxvi. 504.
Vitruvio jam olim, hoc eſt, Auguſti ætate, monitum, Veneris, & Mercurii ſtellas, circa Solem ferri: eóque dimidia curſus ſui parte eſſe ſublimiores Sole. xxxii. 669.
Vuxia Iuno. xxvi. 434.
Volutrina. lxi. 637.
Vrania, ſive Cæleſtis, Aſſyriis lunam denotat. xxii. 407.
Vro, πῦρ, *buſtum*, unde derivata. xxxvii. 507, & lxiv. 649.
Vrotalt Arabibus idem ac Dionyſus, ſive Sol. viii. 347, 348. Vnde nomen acceperit. 348.
Vr, ſive *Vroe* Chaldæorum unde dicta. lxiv. 648. In qua civitate natum Abraham, eſt veriſimile. 649.
Vulcani nomine ignis elementalis deſignatur, & unde hic Ἥφαιστος nominetur. lxvi. 657, 658. Quomodo Vulcanus ſit Iunonis filius. 659. Cur fingatur claudus. *Ibid.* Cur Venerem dicant Poetæ uxorem Vulcani. 660. Vulcano, & Luæ, cur cremaverint arma hoſtium devictorum. lxiii. 643. Vulcanus Ægyptiis credebatur utrumque ſexum habere, ut & Minerva: & cur idem ab iis pater Solis appelletur. lxiv. 651. Etiam Vulcanus fuit cultus Germanis, & inter Sarmatas præcipuè Lituanis, quibus *Znicz* dicebatur. lxvi. 660.

W*Alcher*, Zelandiæ, dum gentilis in ea religio vigeret, Deus tutelaris, unde nomen acceperit. XXXII. 476, 477.

Waſſen, & **Water**, unde dicta. LXXVII. 705.

Wodan non eſſe planetam Mercurium, ut putarunt, qui diem Mercurii hinc **Wodenſdag** reddidere: ſed vim Solarem, aut cæleſtem: ut potiùs Apollinem, vel Iovem, reddere debuerint. XIII. 374.

Υ Δωρ, Νῆσος, & cognata quædam vocabula, unde veniant. LXXVII. 701.

Υ & etymon ex Græco, verinſque ex Hebræo. LXXIV. 693.

Z, & D, commutari. XIV. 276.

Zaretis Perſis Diana. XXII. 418.

Znicz Sarmatis Deus ignis. LXVI. 660.

Zodiacus cur in XII ſigna, ac gradus CCCLX diſtributus. XLVII. 568. Ac ut quodque ſignum alicui corporis membro præfectum. *Ibid.* Zodiaci Piſces habiti nepotes piſcis Auſtralis, qui *magnus* dicebatur. XXXVI. 498, 499.

Zonam ſolvere Latinis dicuntur eæ, quæ nubunt: at fere Græcis iſtæ, quæ pariunt. XXV. 429, 430.

Zoroaſtris vocabulum quid ſignet. XXI. 411.

Zygia Orienti eadem ac Iuno, & Lucina. XXI. 410. & XXVI. 433.

FINIS.

EMEN-

EMENDANDA LIBRO II,

& additiones pauculæ.

Priori numero signatur pagina, altero versus.

308. 16. PRo *quo* scr. *quos*. 309.14. post *accederem*, rescribe : *postea subderem de corporibus, tum imperfectis, sive meteoris : tum perfectis, partim sensu præditis, ubi ordine ageremus de homine, quadrupedibus, avibus, piscibus, serpentibus, insectis : partim sensus expertibus, ut plantis, & fossilibus : denique generatim tractarem de natura, & hinc adjicerem de affectionibus ipsis in Deos relatis.* 312.36 post *quadragies* dele *sexies*. 315.12. pro LXXX rescribe *novenos*. 328.17. *Paralipomenon*. & v.18. *Emessenis*. 329.14. *izbechu*. 339. 32 ταυτὸν. 340. 32. προεστὼς. & vers.35. φρίνημα. 342.7. *Israel*. 344.12. *istiusmodi*. 345.18, & 19. pro *va te* scr. *valente*. 346.9. post *hominis* adde, & *plantarum*. 355.27. pro *Plutonem* scr. *Ammonem*. 361.33. חמנים. Ibid. 34. חמה à חום. 365.15. pro *divinationi* scr. *musicæ*. 366.5. post *quorum* adde *alterum*. 371.23. מהרם. & vers.24. חרם. 373.37. post πομπαῖος adde, & πομπαῖος, *sive deductor, vel emissor : item* 374.26. post *Sed*, adde, *ut monitum nobis lib.*1, *cap.*XXXVII. 383. 16. post *fieret* adde *circulus*. 386.30. post *corruptè* appone *additum*. 387.6. post *quin* dele *aut*. 397. vers. ult. τυσούτῳ. 402.31. pro *muli* scr. *Romuli*. 403.31. *Chaldæam*. 404.25. *exaugere*. 406.37. pro *neque illi*, scr. *nulli*. 407.2. malim, *sidus esse intelligens, ac prudens, igneum*. 408.5. αὐτῷ. 423.32. *Osiridem*. 424.13. post *descendere* adde : *Nam sic satis vicina beth, & meth. Et B ac M sæpe commutantur : ut* βάμβα *pro* βάμμα, *teste Hesychio; pro* μύρμηξ βύρμαξ, *unde* formica, *& id genus multa*. 427.14 *secuti*. & ibid. vers.27. post *Luna*, adde, *ex Tullii quidem, & Grammaticorum mente; de quo cap. prox.* 430.23. ζώνην. 433.14 post *quieti* adde : *Alioqui nec absurde dixeris, Luna esse à Græco* λυνὸν, *quod Hesychius* λαμπρὸν *interpretatur. Sic nomen fuerit a lucis splendore*. 436.8. *Illithyia*. 437.16. post *habeatur* adde : *Hoc pacto igitur Mena, etsi nomen Lunam sonet, non soror Iovis sit; sed filia, ac proinde Iunonis privigna*. 438.4. pro *Hercules* scr. *Mars*. 447.11. *Diana*. 457.18. σπουδαῖος. 459. 9. *illam*. 470, 21. מרקולים. 484. 2.3. *semidiametris*. 485. vers. ult. pro *potestatumque* scr. *tempestatumque*. 488.29. Παναρέτῳ. 496. vers.ult. pro *& adduci*, scr. *nunc reduci*. 497.8. *dicantur*. 519.22. שופטם. & vers.28 pro *Dei* scr. *diei*. 528. 2. pro *corporea* scr. *incorporea*, (sive, ut apud Aristotelem est, ὁ μεμιγμένη σώματι, *non immixta corpori*) 566. 33. post *receptaculum*, hoc, & sequenti versu, *competere Saturno, planetæ frigido, & sicco, eoque melancholici humoris præsidi : ac fel, sive choleram convenire Marti, planetæ igneæ naturæ, eoque, ut ajunt, cholerico, & iracundo*. 570. 30. *dulcibus*. 573.30. pro CXC scr. CLXX. 591.29. ὁρῶν. 595.6. dele *esse*. 597.8. *ablatura*. 602.10. *lege*. & vers. 19. *prius ut*. 603.15. *adytis*. 607.36. *jacta*. 612.35. *subeunte*. 623.31. Βενδίδεια. 636.3. אֱדוֹם. 645.24 *Matronas Baccharum habitu*. 648.2. pro *Belus* scr. *Ninus*. & vers.12. pro *filius* scr. *pater*. 653. 5,6. pro *antea laudavimus* scr. *cap.* LXXVII *laudabimus*. 660.33. pro *hæc* scr. *hic*. 662.20. pro *Contrarium*, malim, *Alium, minorem tamen*. 667.31. *alliditur*. 669. 36,37. pro *hoc* scr. *illud*, & pro *illud* scr. *hoc*. 671.11. *matutinus*. & v.12. dele *in* prius, & sc. *incremento* 674.4. pro *fluminis* scr. *fluvius*. 682. 23. *Campana*. 684. 18. ἐξ & ibid. μεταλώσειν. 689. 3. *celerem aëra*. Ibid. ἄλλοι. 703.5. *Ogenidæ*. 705.32. water quam wasser. 707.3. *Tethys*. 712.25. *Perenna*. 715.14. *adhæresceret*. 720. 14. *Pyriphlegethon*. 723.7. *offerre*. 726.2. post *illi* adde *halitus*.

FINIS.

Unable to display this page

vacans uxorem alterius p[illegible], 2 annos pœniteat. Si uxoratus virginem
similiter, ita ut primo horum à sua contineat. Si ei consenserit, alioquin
datur modus pœnitentiæ. Si uxoratus uxorem alterius, 3 annos pœnitea
Primo horum à propria consentiente abstineat. Si uxoratus ancillam sua
annum unum pœniteat, & 3 quadragesimas, & legit. fer. tribus mensib
[illegible] si invita passa est [illegible]

